SUPPLEMENTUM AD COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU

ROBERTI BELLARMINI

EXPLANATIO IN PSALMOS

CUI ACCEDIT

NOVA PSALMORUM EX HEBRÆO VERSIO LATINA NOTIS ILLUSTRATA

AUCTORE AUGUSTINO CRAMPON

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTERO

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT

TOMUS PRIMUS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXIV

BEATISSIMO PATRI AC DOMINO

PAULO V

PONTIFICI MAXIMO

ROBERTUS S. R. E CARDINALIS

BELLARMINUS

Cum primum ex Ordine Religioso ad Cardinalatum, imperio sanctæ memoriæ CLEMENTIS VIII, Pontificis Maximi, vocatus sum, mecum ipse cogitare cœpi, studium contemplationis rerum sacrarum, ob auctas publicas occupationes, non esse facile deserendum. Et cum ambigerem quid potissimum ex corpore sanctarum Scripturarum mihi desumerem, in quo meditando et explanando laborarem, obtulit se liber Psalmorum, quem Ecclesiastici omnes quotidie legunt, et pauci admodum intelligunt. Neque terruit me multitudo eorum, qui in Psalmis elucidandis egregie desudarunt; quoniam tanta est Psalmorum obscuritas, ut nullius labor in iis explanandis supervacaneus videri possit. Quare horas illas, quibus a publica functione vacabam, ac præsertim nocturnæ quietis tempora in meditatione Davidicorum Hymnorum non sine animi voluptate et utilitate consumpsi. Et quamvis toto triennio, quo Capuæ Archiepiscopus fui, et Romæ postea in scribendis variis opusculis occupatus, integris sæpe mensibus opus inchoatum intermiserim, tandem tamen hoc anno Psalmorum explanationem ad exitum, Domino adjuvante, perduxi. Propositum vero meum non fuit, omnes aliorum explicationes, præsertim recentiorum, considerare, vel libros eorum evolvere, multo etiam minus aliorum scripta in Commentarios meos transferre; sed brevitati et perspicuitati studere, Vulgatam latinam editionem pro viribus defendere, et spirituali mentis refectioni ac piæ devotioni consulere. Inde factum est ut omnes Psalmi satis dilucide, nisi fallor, explicati, sed non omnes æque fuse tractati a nobis sint: et fortasse non deerunt, quibus aliqui valde breviter et jejune, ut nonnulli ex primis, alii multo plenius et uberius, pauci vero nimis copiose expositi videbuntur. Sed non eadem semper adfuit spiritualis devotio, non eadem semper mentis alacritas; et Psalmorum ego tractationem magis propria meditatione quam multa librorum lectione com-

posui. Id quidquid sit, Sanctitati tuæ (Pater Beatissime) offerendum censui, tum ut tibi, qui Pater et Dominus meus es, constet ratio temporis a me consumpti, non solum in publicis et notis functionibus, sed etiam in privatis et secretis occupationibus; tum ut si quid forte errati in hac mea postrema, ut arbitror, scriptione irrepserit, tu qui judex, Christi loco, toti Ecclesiæ præsides, benigne corrigas. Ego vero Deum precabor, ut det Sanctitati tuæ diu vivere feliciter in terris, et felicissime semper in cœlis.

PRÆFATIO.

Antequam ad explanationem singulorum Psalmorum veniamus, pauca quædam explicanda esse videntur. *Primo*, de excellentia Psalmorum; *secundo*, de vocibus *Psalmi* et *Psalterii*; *tertio*, de divisione et ordine Psalmorum; *quarto*, de Auctore. Ac excellentia quidem potest intelligi tum ex materia, tum ex forma et genere scriptionis. Est enim liber Psalmorum quasi compendium et summa totius veteris instrumenti : quicquid enim Moses vel in historia tradidit, vel in lege præcepit, et quicquid Prophetæ cæteri vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura scripserunt, id totum in Psalmis David brevissime comprehendit. Nam in Psalmis VIII, LXXVII, CIII, CIV, CXXXIV et aliis, creationem mundi, res gestas Patriarcharum, captivitatem Ægyptiacam, plagas Ægypti, peregrinationem populi in deserto, ingressum in terram Promissionis, et alia id genus luculenter exponit. In Psalmo CXVIII legem divinitus traditam miris laudibus effert, atque ad eam custodiendam omnes inflammat. In Psalmis II, XV, XXI, XLIV, LXVIII, LXXI et aliis, Christi regnum, ortum, prædicationem, miracula, passionem, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiæ propagationem ita manifeste prædicit, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Denique in Psalmo I et sequentibus fere omnibus, hortatur ad virtutes, retrahit a vitiis, invitat, allicit, minatur, terret; atque hæc omnia non simplici narratione complectitur, sed vario carminum genere, phrasibus poeticis, et metaphoris plurimis et admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animos in amorem et laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, audirive possit. Itaque recte S. Basilius scribit in explicatione primi Psalmi, Davidis Psalmos etiam ex corde lapideo lacrymas elicere; recte etiam S. Joannes Chrysostomus in explicatione Psalmi centesimi trigesimi septimi, affirmat eos, qui Psalmos rite canunt, cum Angelis choreas ducere, et quasi cum eis de Dei laudibus et amore contendere.

Venio ad voces *Psalmi* et *Psalterii*. *Psalterium* apud nostros librum Psalmorum significat : sic enim S. Augustinus hanc vocem accepit in epist. 140 *ad Audacem*, cum ait : « Psalterium a S. Hieronymo translatum ex Hebræo non habeo. » Sic etiam S. Hieronymus in epistola *ad Sophronium* de ordine et titulis Psalmorum : « Scio, inquit, quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum. » Sed in Scripturis sanctis *Psalterium* est instrumentum musicum decem chordis instructum, quod Hebraice dicitur נבל *nebel*. Tradunt autem S. Basilius in explicatione primi Psalmi, et S. Augustinus in explicatione Psalmi trigesimi secundi, Psalterium hoc differre a cithara et lyra, quod cithara et lyra reddunt sonum a parte inferiore, Psalterium a parte superiore. Addit S. Hilarius in *Prologo Psalmorum*, Psalterium fuisse instrumentum rectum, sine ulla obliquitate. De hoc instrumento frequentissima mentio est in sacris litteris, et de eo dicitur in Psalmo XXXII : « In Psalterio decem chordarum psallam tibi. » *Psalmus*, Hebraice מזמור *mizmor*, significat *cantum*, sive *sonum* : deducitur enim a verbo זמר *zamar*, quod et *canere*, et *citharam*, sive *psalterium pulsare* significat, eodem prorsus modo, quo verbum ψάλλω apud Græcos. De significatione *psallendi manibus*, videlicet pulsando instrumentum, habemus illud I *Reg.* XVI : « Quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras. » Atque hoc idem habetur cap. XVII, XVIII et alibi. De significatione, *psallendi voce*, videlicet canendo, habemus illud in *Psal.* XXXII : « Bene psallite ei in vociferatione; » et apud Apostolum, I *Corinth.* XIV : « Psallam spiritu, psallam et mente, » id est, psallam spiritu oris, canendo voce corporali laudes Dei, et psallam spiritu cordis, desiderando et amando gloriam ejusdem Dei. Hoc autem interest, S. Hilario et S. Joanne Chrysostomo auctoribus in *Prologo Psalmorum*, inter *Psalmum* et *Canticum*, et *Psal-*

mum Cantici, et *Canticum Psalmi*, quod *Psalmus* est sonus organi solius sine ulla voce hominis cantantis; *Canticum* est vox cantantis hominis absque organi modulatione; *Psalmus Cantici* dicitur, cum Cantico præcinente Psalmi sonus subsequitur; *Canticum Psalmi*, cum sonitu præeunte æmula vox canentis auditur. Porro Psalmi Davidis non quemcumque cantum, vel sonum designant, sed eum quo vel Dei laudes, vel preces ad Deum, vel cohortatio ad virtutem; non autem inanes fabulæ, vel lascivi amores, aut principum adulationes concinuntur. Hinc enim liber Psalmorum inscribitur Hebraice ספר תהלים *sepher thehillim*, id est *liber hymnorum*, sive *laudum divinarum;* et post finem Psalmi LXXI, quem ultimum omnium David cecinit, legimus, *defecerunt* תפלות *thephilloth David*, id est *orationes Davidis*. Psalmi enim ut plurimum continent vel Dei laudes, vel orationes ad Deum, vel utrumque simul : quamvis etiam nonnulli sint, qui in cohortandis hominibus ad virtutem toti consumantur, ut primus et alii nonnulli.

Jam vero quod attinet ad divisionem et ordinem Psalterii, partiuntur Hebræi Psalterium in libros quinque, S. Hieronymo teste, tum in *Prologo Galeato*, tum in epistola *ad Sophronium* supra citata; ubicumque enim ad finem Psalmi scribitur : « Amen, Amen, » ibi terminari librum existimant; scribitur autem : « Amen, Amen, » ad finem *Psalm.* XL, LXXI, LXXXVIII et CV, quibus quatuor libris addunt quintum a CVI usque ad CL. Sed hæc Hebræorum traditio non est conformis Scripturis sanctis, et ideo ab eodem S. Hieronymo refutatur in epistola, quam supra notavimus, *ad Sophronium*, et a S. Hilario in *Prologo Psalmorum*. Inscriptio enim Psalterii tum in Bibliis hebraicis, tum in editione Septuaginta Interpretum est, *liber Hymnorum*. Et *Luc.* XX, Dominus ipse loquitur, dicens : « Dixit David in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo; » et *Act.* I, loquitur S. Petrus, et ait : « Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, » etc. Porro Psalmorum ordo non est accommodatus tempori, quo scripti sunt. Satis enim constat Psalmum III scriptum fuisse, quando David fugiebat persecutionem Absalonis filii sui; Psalmum vero L multo antea fuisse scriptum, quando videlicet idem David reprehensus fuit a Nathan, ob crimen adulterii et homicidii; Psalmum autem CXLI adhuc antea scriptum fuisse, quando nimirum idem David in spelunca ob metum Saulis regis delitescebat; Psalmum quoque CXLIII scriptum fuisse longe antea, quando scilicet David cum Goliath gigante pugnavit; denique probabile est, ac fere certum, Psalmum LXXI esse omnium postremum ordine temporis, cum scriptus sit in Salomonem jam regnare incipientem, et post eum Psalmum addatur : « Defecerunt laudes David filii Jesse; » et tamen videmus hunc Psalmum non in ultimo loco, fed fere in medio constitutum. Cur ergo ita dispositi sint Psalmi, ut eos nunc habemus, non est facile divinare. Non est tamen rejicienda illorum opinio, vel suspicio, qui volunt primos quinquaginta Psalmos, quorum ultimus est, *Miserere mei, Deus*, pertinere ad pœnitentes, sive incipientes; alteros quinquaginta, qui desinunt in Psalmum, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*, pertinere ad justos proficientes; postremos quinquaginta, quos concludit Psalmus, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, pertinere ad viros consummatos atque perfectos : sive Psalmos ita disposuerit Esdras, ut videtur sentire S. Athanasius in *Synopsi*; sive Septuaginta Interpretes, ut S. Hilarius docet in *Prologo Psalmorum*.

Restat quæstio de Auctore Psalmorum. Duæ sunt autem veterum Patrum sententiæ; nam S. Athanasius in *Synopsi*, S. Hilarius in *Prologo Psalmorum*, et S. Hieronymus in Epistola *ad Sophronium* de ordine Psalmorum, et in Epist. *ad Cyprianum* de expositione Psalmi LXXXIX, varios esse censent Auctores Psalmorum, eos videlicet omnes, qui nominantur in titulis, Davidem scilicet, Mosem, Salomonem, Asaph, Idithun, et alios. Contra vero S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius et Cassiodorus in Præfatione *Commentariorum in Psalmos*, et S. Augustinus lib. XVII *De Civitate Dei*, cap. XIV, Psalmorum omnium unum Davidem auctorem agnoscunt. Nobis tria sunt certa. Primum, Auctorem primarium omnium Psalmorum esse Spiritum Sanctum : id enim testantur apostolus Petrus *Act.* I, et apostolus Paulus *ad Hebr.* III; et ipse David II *Regum* XXIII, dicit : « Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam; » et in *Psalm.* XLIV : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Ergo sive David, sive Moses, sive quis alius Psalmos condiderit, ipsi quidem quasi calami fuerunt; sed Spiritus Sanctus fuit, qui per eos scripsit : quid vero necesse est laborare de calamo, cum de scriptore constat? *Secundo*, certum mihi videtur maximam partem Psalmorum esse Davidis; nam in

fine Psalmi LXXI legimus: « Defecerunt laudes David filii Jesse. » Item lib. II *Regum*, cap. XXIX, dicitur: « David egregius Psaltes Israel; » denique in II *Paralip.* cap. V, dicitur: « Cantores ordinatos fuisse, ut canerent Psalmos quos fecit David. » *Tertio*, pro comperto mihi habere videor, eos Psalmos, qui carent titulo, esse Davidis, ut etiam omnes illos, qui nomen *David* in titulo præferunt, sive scriptum sit: *Ipsius David*, sive *Ipsi David*; nam Psalmus II caret titulo, et tamen *Actor.* IV Apostoli affirmant eum Psalmum a Davide fuisse compositum; et Psalmus XCIV caret titulo apud Hebræos, et Apostolus *ad Hebr.* IV, tribuit eum Davidi. Deinde Psalmi, qui in Hebræo codice carent titulo, in Græco textu adscribuntur Davidi; proinde credibile est excidisse titulos ex codice Hebræo, qui in eo aderant, cum Septuaginta Interpretes scripturas Hebraicas in Græcum idioma transferrent. Denique regula Hebræorum, qui dicunt Psalmum, qui caret titulo, esse illius auctoris qui scripsit præcedentem, falsa esse convincitur; nam secundum eam regulam Psalmus I et II nullius essent, cum uterque careat titulo. Præterea Psalmus LXXXIX adscribitur Mosi, et decem Psalmi consequentes, qui titulo carent, eidem Mosi adscribi deberent. At id fieri non potest, cum in Psalmo XCVIII mentio fiat Samuelis, qui satis longo tempore post obitum Mosis natus est. Vide plura de hac re in explicatione tituli Psalmi octogesimi noni. Quod autem non soli illi Psalmi Davidis sint, qui habent in titulo: *Ipsius David;* sed etiam illi qui habent: *Ipsi David*, probat S. Augustinus ex Psalmo centesimo nono, qui habet: τῷ Δαυίδ, *ipsi David;* et tamen Dominus *Matth.* XXIV, dicit: « Quomodo David vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo? » Atque hæc quidem de auctore Psalmorum certa mihi esse videntur. De reliquis Psalmis qui titulum præferunt *Mosis*, aut *Salomonis*, aut *Asaph*, aut *Idithun*, aut *Ethan*, aut *filiorum Core*, probabilem censeo sententiam SS. Athanasii, Hilarii et Hieronymi, sed probabiliorem Chrysostomi, Augustini, Theodoreti et aliorum, qui eos secuti sunt. Cur autem sententiam posteriorem præferendam putem, ratio est, quia est communior, et fuit etiam communior ante annos mille. Id enim testantur S. Augustinus lib. XVII *De Civitate Dei*, cap. XIV, et Theodoretus in *Præfatione Psalmorum*. Item, quia satis constat Asaph, Idithun, Ethan et filios Core fuisse Cantores potius quam Prophetas, et Psalmos illis tribui in titulo, quia dabantur illis ad canendum, non quod ipsi eos composuissent, quod ex eo intelligi potest, quod in eodem titulo aliquando ponitur nomen *David* et *Idithun*, sive alterius, ut videre est in titulo Psalmorum XXXVIII, LXI, LXIV, CXXXVI, CXXXVII et CXXXVIII. Accedit postremo, quod *Luc.* cap. XX, cum Dominus ait: « Dixit David in libro Psalmorum, » visus est totum librum Psalmorum Davidi tribuere.

COMMENTARIA IN PSALMOS.

LIBER PRIMUS PSALMORUM

SECUNDUM HEBRÆOS,

USQUE AD PSALMUM XLI.

PSALMUS I.

VERSIO VULGATA. — 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit:

2. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

4. Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

5. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

6. Quoniam novit Dominus viam justorum: et iter impiorum peribit.

VERSIO S. HIERONYMI PRESBYTERI.—Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra derisorum non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum transplantatum juxta rivulos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet, et omne quod faciet, prosperabitur.

Non sic impii: sed tanquam pulvis, quem projicit ventus.

Propterea non resurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.

Argumentum. — Hunc Psalmum Davidis esse, arguere videtur tum veterum Patrum opinio, tum dictio et stylus, Psalmorum VIII, XV et XXIII simillimus. Ita Hengstenberg. Rationem vero omissæ inscriptionis: *Psalmus Davidis*, quam pleraque hujus libri carmina gerunt, Venema repetendam censet inde, quod libro primo Psalmorum antiquitus generalis præscriptus fuerit titulus: *Liber Psalmorum Davidis*, qui generaliori postea cedere debuit, cum reliqua odarum volumina adjecta essent. Rosenmullerus tamen: « Quæ probitatis commendatio ab eo, qui collegit Psalmos, atque in ordinem eum, quo hodie leguntur, redegit, cæteris non incommode procemii loco præmissa est (*Procmium breve* Psalmorum hunc Psalmum vocat etiam S. Basilius): ex quo factum videtur, ut primum hoc carmen in aliis codd. non sit numeratum, in aliis vero secundo junctum, ut, quod in libris impressis tertium unmeretur, secundum sit. » Cæterum strophæ duæ. Vers. 1-3: Pii beati; 4-6: Impii miseri. Cf. dictum illud Socratis apud Platonem in *Alcibiade* II:

Οἱ ἀγαθοὶ τῶν ἀνθρώπων εὐδαίμονες, οἱ κακοὶ, ἄθλιοι,
Bonus, beatus omnis, et improbus miser.

1. Beatus vir qui non ambulat in consilio improborum,
et in via peccatorum non stat,
et in sede irrisorum non sedet.
2. Sed in legem Jovæ propensio ejus,

et de lege ejus meditatur die ac nocte.
3. Nam est ille sicut arbor plantata ad rivos aquarum,
quæ fructum suum reddit tempore suo,
et cujus folium non marcescit;
et omnia, quæ facit, prospere succedunt.

4. Non sic improbi;
sed nonnisi ut palea, quam dispellit ventus.
5. Itaque non consistent improbi in judicio,
neque peccatores in cœtu justorum.
6. Novit enim Jova viam justorum;
via autem improborum perit.

NOTÆ.

Vers. 1. Præteritum et sæpe alias, et hic, de eo quod quis facere solet, vel quod omni tempore eodem modo se habet, ἀοριστῶς usurpatur, atque per nostrum præsens commode exponitur. Locutio *in consilio improborum ire* in stylo Orientalium non tantum commercium familiare cum improbis hominibus, sed et institutionem vitæ, ad eorum placita degendæ, indicat. *Viam* apud Hebræos sæpe usurpari pro *instituto* et *ratione vivendi*, satis notum est. In tribus hujus commatis membris gradationem, et in substantivis *improborum, peccatorum, irrisorum*, et in vocabulis *consilio, via, sede*, et in verbis *ambulat, stat, sedet*, inesse multi existimant. Sed melius post Rosenmullerum docet Hengstenberg, esse in hoc versu non tam κλίμακα, quam ἐπιμονὴν, distributione trimembri illustratam. Tres primus hic versus triades habet: quarum prima dictionibus *improborum, peccatorum* et *derisorum* omne malorum hominum genus; altera, nominibus *consilii, viæ* et *sedis*, universa illorum cogitata et facta, omnemque vitam; tertia, verbis *ambulandi, standi* ac *sedendi*, quodcumque illorum commercium comprehendit: ut eum vere beatum esse vates significet, qui nec ullum, nec ulla in re, nec cum ullo reproborum hominum genere commercium habeat. *Improbus* seu *impius, peccator* et *irrisor* etymis ita differunt, ut primus sit proprie *turbidus, perturbatus animo* ob passiones et affectus pravos: hinc dicitur *in consilio impiorum*; secundus, *lapsabundus*, qui in scelus labitur: hinc dicitur *in via peccatorum*; tertius denique, *deridens* eos qui pietatem colunt, ut impii solent, dum *sedent* in epulis et compotationibus.—Vers. 2. *Propensio ejus*, id est, qui legem Jovæ in deliciis habet. *Meditatur*, sensu latissimo, id est, non solum animo recogitat, sed etiam factis exsequitur. Cf. *Psal.* xxxv, 28. Eodem sensu μελετᾷν apud Græcos etiam usurpatur. Et Virgilius, *Eclog.* i, 2:

Silvestrem tenui musam *meditaris* avena.

—Vers. 3. *Rivos*, proprie *divisiones, divortia*, h. l. videntur esse canales ad rigationem hortorum arte diducti. *Quæ facit*, non arbor, sed justus. *Succedunt*. Ita Ewaldus. Hengstenberg transitive vertit, *succedere facit*.—Vers. 4. Imago inde est repetita, quod, vel cum frumentum more Orientalium teritur in locis editis, vel ventilatur in areis, quæ in istis terris sub dio erant, et etiamnum sunt, palea vento dispergitur. Atque hæc quidem imago adeo apta visa est poetis Hebræis, ad subitam, qua infelix redditur improbus, conversionem rerum exprimendam, ut eam sæpius usurpent. *Palea*, gluma.—Vers. 5. *In judicio*, tum extremo et divino, tum humano, ubi sæpius, Deo id curante, improbi causa *cadunt*. Cf. *Isai.* i, 24; ii, 12; iv, 14. *Novit*, amanter curat. Quod verba *novit* et *perit* non satis sibi opposita sunt, quod antithetorum parallelismus flagitat, id explicandum est ex more poetarum Hebræorum, quo in antithetis membrum oppositum sæpe reticent, ex alterius oppositione supplendum, cujusmodi exempla plura in Proverbiis obvia. Proinde hoc loco antithesis ut plene constet, in utraque periochæ parte ex parte altera aliquid supplendum, hoc pacto: Novit Deus probatque studia atque consilia proborum, eaque ideo consistent et perstabunt; at non novit probatve, imo odio habet studia et consilia malorum, eaque itaque irrita fient.

R. BELLARMINI

EXPLANATIO IN PSALMOS.

PSALMUS I.

ARGUMENTUM.

Primus Psalmus titulo caret apud Hebræos, nec desunt, qui putent eum esse Esdræ, qui Psalmos in ordinem digessit, sed communiter tribuitur Davidi ab Ambrosio, Hilario, Basilio, Augustino et cæteris. Ipse etiam S. Hieronymus, qui alioqui multos facit auctores Psalmorum, hunc primum Psalmum Davidis esse dicit in *Epist. ad Paulinum de Studio Scripturarum.* Denique in textu Græco additus est titulus, sive a Septuaginta, sive ab aliis, *David Prophetæ et regis melos.* Aptissime autem ponitur hic Psalmus in primo loco, quia de beatitudine tractat: beatitudo enim est fundamentum et principium doctrinæ moralis. Argumentum igitur Psalmi est ostendere beatitudinem sive in spe, sive in re, non contingere nisi hominibus justis, proinde justitiæ dandam esse operam, ut ad beatitudinem perveniamus.

Auctor primi Psalmi quis sit?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1

1. BEATUS VIR, QUI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORUM, ET IN VIA PECCATORUM NON STETIT, ET IN CATHEDRA PESTILENTIÆ NON SEDIT.

In primo et secundo versiculo Propheta docet beatitudinem, quatenus in hac vita haberi potest, non consistere in alia re, quam in vera justitia. Quod ipsum docet Apostolus *Rom.* XIV: « Regnum Dei non est esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. » Soli enim homines vere justi sunt amici Dei, imo et filii, ac per hoc hæredes regni, et spe beati, quod attinet ad perfectissimam felicitatem, et hic interim solido gaudio, et pace, quæ exsuperat omnem sensum, perfruentes. Describit autem in primo versu hominem justum per negationem, in secundo per affirmationem, ac si breviter dixisset illum esse justum, ac per hoc beatum, qui declinat a malo, et facit bonum.

Illud autem hoc loco diligenter notandum, et memoriæ commendandum est, consuetudinem Davidis et aliorum prophetarum esse, ut idipsum bis repetant, ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius. Exempli gratia, *Exod.* XV, in cantico Mosis: « Iste Deus meus, et glorificabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum. » *Deut.* XXXII: « Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. » *Psalm.* XXXIII: « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Hæc frequentissime occurrunt, cum sit hæc repetitio genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum. Prima igitur pars primi versiculi hanc sententiam continet, beatum esse illum, qui non prævaricatur legem Dei. Sed poetico more David hanc sententiam expressit per metaphoram viæ et ambulationis: « Beatus, inquit, vir, qui non abiit in consilio impiorum, » id est, ille beatus est, qui justus est: ille autem justus est, qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitæ non est secutus consilia, leges, sententiam impiorum, quæ sunt omnino contraria viæ Dei, id est legi Dei. Altera pars ejusdem versiculi idipsum explicat aliis verbis idem significantibus. Nam cum dicit: « Et in via peccatorum non stetit, » non significat, Et in via peccatorum non substitit, sed, Et in via peccatorum non ambulavit. Stare enim in via, hoc loco, non est quiescere, et non ambulare, sed est ambulando non recedere in via inchoata. Itaque idem est, Non abire in consilio impiorum, et, Non stare in via peccatorum: utrumque enim significat illum esse justum, qui recedit a via, id est lege et consiliis peccatorum. Et quoniam lex Domini solvitur, non solum male vivendo, sed etiam male docendo, juxta illud *Matth.* V: « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; » ideo Propheta adjungit: « Et in cathedra pestilentiæ non sedit; » id est, ille est justus, ac per hoc beatus, qui neque operibus, neque doctrina legem Domini prævaricatur. Sedere enim in cathedra pestilentiæ, est esse in consessu hominum pestilentium, sive assidere pestilentibus, et cum eis legem Domini despicere, quasi nihil conducat ad bene vivendum, id est cum gaudio et lætitia, sed utilius sit carnis desideria perficere, sensibusque in omnibus indulgere. Vox sedentium in cathedra pestilentiæ describitur *Malach.* III, illis verbis: « Vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? » Quod ad verba attinet, pro voce *beatus*, in Hebræo habetur אשרי

Soli homines vere justi sunt amici Dei.

Stare in via quid sit?

Sedere in cathedra pestilentiæ quid sit?

ascre, quæ vox habet formam numeri multitudinis, et ideo a nonnullis recentioribus vertitur *beatitudines viri,* etc. Sed probabilius est vocem illam esse indeclinabilem, et significare, tum beatum, tum beatitudinem. Nam non solum Septuaginta verterunt μακάριος ἀνὴρ, id est *beatus vir;* sed etiam S. Hieronymus vertit ex Hebræo: *Beatus vir.* Pro *cathedra pestilentiæ,* in Hebræo habetur ad litteram, *cathedra* לצים *lezim,* id est *derisorum,* sed sensus est omnino idem. Nulla enim est pestilentia major, quam deridere legem Dei, et eos qui juste ac pie vivere student. Ad extremum notat S. Basilius, per id quod dicitur, *beatus vir,* non excludi feminas a beatitudine, sed includi, quoniam vir caput est mulieris, et in capite intelliguntur etiam membra.

Vers. 2. 2. SED IN LEGE DOMINI VOLUNTAS EJUS, ET IN LEGE EJUS MEDITABITUR DIE AC NOCTE.

In hoc secundo versiculo describitur justus per affirmationem, et sunt hic etiam duæ partes, quarum una est fere alterius repetitio. Recte autem dicitur is esse justus, sive beatus, cujus voluntas est in lege Domini, quoniam non requiritur ad justitiam hujus vitæ, ut nulla in re offendamus, cum scriptum sit *Jacob.* III : « In multis offendimus omnes; » sed satis est, si ita simus affecti erga legem Domini, ut cupiamus eam omnino perficere, et si forte labimur in aliquod peccatum, ut certe sæpe labimur, id sit præter voluntatem bonam, id est, præter charitatem, quam habemus ad Deum, et ad legem ejus, non autem contra charitatem, proinde peccatum sit, non crimen, id est veniale, non lethale. Idem aliis verbis habetur in alio Psalmo : « Lex Dei ejus in corde ipsius. » Nam et voluntas, sive cor justi est in lege Dei, et lex Dei est in voluntate, sive corde justi. Lex est in corde, ut in sede, et cor est in lege, ut in re amata, quæ semper cogitatur et appetitur. Atque hoc est quod sequitur : « Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. » Id enim est legem esse in voluntate, sive voluntatem in lege, perpetuo mentem exerceri in ea cogitanda et amanda, ut quidquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Itaque illud, *die ac nocte,* non significat, non posse hominem justum vacare vel ad punctum temporis a contemplatione divinæ legis, sed frequentissime debere animum ad legis præcepta revocare, ejusque memorem semper esse, dum aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit, in quo periculum sit, ne justitia violetur. Porro, non solum Latina vox *meditabitur,* sed etiam Græca μελετήσει, et Hebraica יהגה *ieghe,* referri possunt ad exercitium sive cogitationis, sive vocis, sive operis, *Psalm.* XXXIV : « Lingua mea meditabitur justitiam tuam. » Et *Psalm.* XXXVI : « Os justi meditabitur justitiam. » Poeta quoque profanus dixit : « Meditabor arundine Musam. » Et exercitia militum, militares meditationes dicebantur. Itaque sensus est : « Et in lege Domini meditabitur die ac nocte, » id est, in lege Domini cogitanda, perficienda, docenda assidue exercebitur.

Justitia hujus vitæ non requirit, ut non offendamus.

Virgilius, *Eclog.* I.

3. ET ERIT TANQUAM LIGNUM, QUOD PLANTATUM EST SECUS DECURSUS AQUARUM, QUOD FRUCTUM SUUM DABIT IN TEMPORE SUO. Vers. 3.

4. ET FOLIUM EJUS NON DEFLUET, ET OMNIA QUÆCUMQUE FACIET, PROSPERABUNTUR. Vers. 4.

Declaravit Propheta quis sit dicendus vere justus : nunc declarat talem justum esse beatum, spe in hoc sæculo, re in futuro. Sumitur autem declaratio a similitudine arboris, quæ plantata juxta rivos aquarum habet omnia, quæ in arbore felicissima requiri possunt. Nam aliquæ arbores sola folia producunt, et ea non diu retinent; aliæ folia producunt, et semper retinent, sed fructus earum, vel nimis præcoces sunt, vel nimis serotini; aliæ denique fructus edunt tempore suo, et foliis semper vestiuntur, sed non omnes fructus ad maturitatem perducunt : solæ igitur illæ arbores omni ex parte perfectissimæ sunt, quæ folia fructusque producunt, si folia semper retinent, et omnes omnino fructus tempore suo maturos præstant. Tales arbores sunt pini, palmæ, oleæ, quibus Scriptura justos homines passim comparare solet. His igitur felicissimis arboribus similes esse dicit justos hoc loco Propheta. Nam justi « fundati et radicati, » ut ait Apostolus, « in charitate, » propinqui sunt per amicitiam fonti vivo, unde humorem gratiæ semper trahunt; et opera bona tempore opportuno faciunt, et omnia eis cooperantur in bonum, et semper virent gloria et honore. Quamvis enim interdum a carnalibus despiciantur, tamen a sapientibus, et quod majus est, ab angelis, et ab ipso Deo honorantur. Et hæc quidem in hoc sæculo; sed præterea fructus faciunt in tempore suo, quia salutem veram operantur tempore congruo recipiendam, id est post mortem, cum impii ante tempus, in hac vita felicitatem quærant, et sic temporalem et sempiternam amittant. Et folia semper retinent, quia accipient, juxta verbum apostoli Petri, I *Petr.* III : « Immarcessibilem gloriæ coronam; » et : « In memoria æterna erit justus, » *Psal.* CXI. Et denique « quæcumque faciunt, prosperabuntur, » quia opera omnia usque ad calicem aquæ frigidæ datum in nomine discipuli, plenam ac perfectam mercedem accipient. Scio textum Hebraicum in Bibliis modernis unum tantum versum ex his duobus facere, et priorem partem versus terminare ad illa verba : « Et folium ejus non defluet. » Ex qua distinctione adducti nonnulli, verba illa : « Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur, » non exponunt de arbore vera, sed solum de homine justo. Sed nos sequimur lectionem Hebraicam, quæ est in operibus S. Hieronymi, cui concordant codices Græci et Latini. Et certe secun-

Justi quibus arboribus comparentur.

dum nostram lectionem similitudo ab arbore sumpta est multo pulchrior et plenior. Illud etiam observandum est hoc loco, verbum *prosperabuntur* in Hebræo esse יצליח *iezliach*, quod proprie significat, *prosperare faciet*. In quo notatur virtus activa arboris, quæ concurrit ad maturandos omnes fructus, et pari ratione notatur in applicatione similitudinis virtus activa liberi arbitrii, quæ concurrit cum gratia Dei ad opera meritoria. Quod est adversus dogmata Lutheranorum.

Liberum arbitrium concurrit cum gratia ad opera meritoria.

Vers. 5. 5. NON SIC IMPII, NON SIC : SED TANQUAM PULVIS, QUEM PROJICIT VENTUS A FACIE TERRÆ.

Ex comparatione miseriæ impiorum confirmat Propheta felicitatem justorum. Ne quis enim existimaret illa bona communia esse omnibus, et ex causis naturalibus tantum provenire, et non præcipue ex providentia Dei, addit : « Non sic impii, » id est, non eamdem sortem, sed contrariam omnino recipient. Elegantissime vero Propheta describit miseriam impiorum, eamque opponit felicitati justorum. Justi ob humoris divini copiam virent, et fructum faciunt, nec unquam virorem suum, aut laborum fructum amittunt. Contra impii, divino illo humore destituti, aridi et steriles instar levissimi pulveris, a vento dispersi ne vestigium quidem sui relinquunt; nec solum omnem gloriam, opes et voluptates perdunt, sed etiam ipsi pereunt in æternum. In textu Hebraico non habetur illa repetitio, *non sic*, neque illud, *a facie terræ*. Sed hæc addita sunt a Septuaginta Interpretibus explicandi, vel ornandi gratia. Vocabulum item *pulveris* non est עפר *haphar*, quod proprie pulverem significat in genere; sed est מוץ *mots*, quod significat *glumam*, id est speciem pulveris ex tritura paleæ, paleam videlicet minutissime contritam, et quasi in pulverem redactam, quæ levissima est, ut eam modicus flatus procul abigere possit.

Vers. 6. 6. IDEO NON RESURGENT IMPII IN JUDICIO, NEQUE PECCATORES IN CONCILIO JUSTORUM.

Recte in editione Sixti V et Clementis VIII positum est, *non resurgent*, cum in plerisque codicibus haberetur, *non resurgunt*. Nam ex Hebræo, Græco, Chaldæo, et emendatioribus manuscriptis satis aperte colligitur legendum esse, *non resurgent*. Illud autem, *in concilio justorum*, positum est ex Hebræo; nam in Græco et manuscriptis Latinis constanter legitur, *in consilio*. Potuit quidem fieri ut, ex similitudine nominum, fuerit in Latinis Codicibus positum *consilium*, pro *concilio*; sed potuit etiam fieri ut in Hebraicis Codicibus irrepserit הדע *hada* pro עצה *haza*, id est, *concilium* pro *consilium*. Certe Septuaginta Interpretes, qui eodem modo verterunt in primo versu et in sexto, utrobique ponentes βουλὴ, videntur eamdem vocem Hebraicam in utroque loco legisse. Itaque utraque lectio probanda videtur, una ob auctoritatem Vulgatæ editionis, quæ cum Hebræo concordat, altera ob auctoritatem Septuaginta Interpretum, quorum vocabulum βουλὴ ubique ipsa Vulgata latina editione *consilium*, non *concilium* vertitur. Declarat igitur hoc loco Propheta, discrimen justorum et impiorum in novissimo judicio perspicue manifestandum. Nam hoc tempore sæpe accidit ut omnia confundantur. Ait igitur : « Ideo non resurgent impii in judicio justorum. » Illud enim, *justorum*, ad utramque partem versiculi pertinet, sicut etiam illud, *non resurgent*, non solum refertur ad illud, *in judicio*, sed etiam ad illud, *in concilio*, et idem fere est : « Non resurgent impii in judicio justorum, » et : Non resurgent peccatores in concilio vel consilio justorum. Itaque cessat quæstio illa quam nonnulli hoc loco pertractant, cur dixerit Propheta : « Non resurgent impii in judicio. » Pulchre autem David conjunxit ultima primis; sicut enim dixerat in principio, justos non abiisse in concilio impiorum, et in consessu eorum non sedisse : ita nunc dicit, in die judicii impios non resurrecturos in judicio, et concilio justorum. Sensus igitur hic est : « Ideo non resurgent impii in judicio justorum, » id est, longe aliud erit judicium justorum, quam impiorum. Quod explicatur sequentibus verbis : « Neque peccatores in concilio justorum, » id est, cum resurgent impii, non erunt in consessu et consortio justorum, sed judicati ad inferos in cœtu damnatorum erunt. Quod si legamus, *in consilio justorum*, poterit consilium accipi pro loco consilii, et tunc in idem recideret cum voce *concilio*. Et quoniam illud, *non resurgent*, ex Hebræo commode verti posset, *non stabunt*, sive *non consistent*, erit etiam hic sensus, in judicio, et cœtu justorum, quando videlicet Sancti cum Christo sedebunt judices mundi, tunc peccatores non stabunt, sed cadent. « Justi *autem* stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, » *Sapient.* v, 1.

Vers. 7. 7. QUONIAM NOVIT DOMINUS VIAM JUSTORUM, ET ITER IMPIORUM PERIBIT.

Reddit rationem cur impii non sint in judicio accepturi justorum gloriam. Quoniam videlicet via justorum approbatur a Deo, qui falli non potest, ac per hoc via est recta, et perducens ad civitatem Dei; via impiorum non approbatur a Deo, et qui per eam ambulant, frustra laborant, quia nunquam pervenient. Illud, *novit*, accipitur pro notitia approbationis; et cum dicitur : « Deus novit viam justorum, » nos certi reddimur, securos esse de vera felicitate, qui per eam viam incedunt. Illud autem, *iter impiorum peribit*, significat ambulationem impiorum frustra esse susceptam, quia per eam viam non pervenitur ad optatum locum. Itaque hoc loco, *iter* non accipitur pro via materiali, in qua ambulatur, sed pro ipsa ambulatione, ut diximus. Per ambula-

tionem autem intelligitur cursus totius vitæ, studia, labores, contentiones, quæ omnia nihil impiis proderunt. Hic Psalmus potest accommodari omnibus Sanctis, sed potissimum, et per antonomasiam Christo, qui præter omnes homines et Angelos non prævaricatus est legem Dei, sed eam perfecte implevit, factus obediens usque ad mortem. Et ideo tanquam lignum plantatum juxta rivos aquarum, habens animam conjunctam hypostatice fonti vivo, qui est Verbum Dei, fons Sapientiæ in excelsis, gloria et honore coronatus est, et fructus mirabiles edidit, et ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, justificavit, magnificavit.

PSALMUS II.

V. v. — 1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

2. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.

3. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

8. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

9. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.

10. Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

11. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore.

12. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.

V. s. h. — Quare turbabuntur gentes, et tribus meditabuntur inania?

Consurgent reges terræ, et principes tractabunt pariter adversum Dominum, et adversum Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis laqueos eorum.

Habitator cœli ridebit, Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem ordinavi regem meum super Sion montem sanctum meum.

Annuntiabo Dei præceptum. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

Pasces eos in virga ferrea; ut vas figuli conteres eos.

Nunc ergo, reges, intelligite; erudimini, judices terræ.

Servite Domino in timore, et exultate in tremore.

Adorate pure, ne forte irascatur, et pereatis de via.

Cum exarserit post paululum furor ejus, beati omnes qui sperant in eum.

Argumentum. — De Messia unanimi doctorum veterum consensu ac traditionis auctoritate exponitur hic Psalmus. Ut SS. Patres omittam, hæc de Judæis R. Jarchi: « Doctores nostri hunc Psalmum exposuerunt de rege Messia; sed ad sensum litteralem, et ut occurratur Hæreticis (Christianis) expedit, eum de Davide ipso interpretari. » Similiter Kimchi: « Sunt qui hunc Psalmum de Gog et Magog interpretantur, estque unctus rex Messias, atque ita exposuerunt doctores nostri, beatæ memoriæ, estque Psalmus, hoc modo explicatus, perspicuus, » etc. Ita Apostoli, *Act.* IV, 25; XIII, 33; *Hebr.* I, 5, quæ tamen loca argumentum omnino inconcussum non conficiunt, nam objici potest, non litterali, sed typico, ut sæpius alias in Novo Testamento, ea ad Messiam referri (conf. Crelier, *Les Psaumes*, tom. I, p. 7). Sed in ipso Psalmo multa insunt quæ neque Davidi, neque Salomoni ad litteram conveniant, potissimum hæc: *a*) Gentes et reges terræ imperium Jovæ et regis ab ipso constituti a se amoliri conantur (vers. 1-3); at reges terræ, quæ, uti ex vers. 8 apparet, non potest esse Palæstina, nec Davidi, nec Salomoni fuerunt subjecti. *b*) Formula, *Tu es filius meus; ego hoc die, quo unxi regem meum in Sione, te genui*, indicat, hunc regem non eam ob causam dici Dei Filium, quia eum tanquam filium tractaturus esset, sicuti Salomonem (II *Sam.* VII, 14), sed quia ab ipso vere genitus posset dici; nam hic *filius meus* circumscribitur per *genui te.* c) Gentes usque ad fines terrarum incolentes ei regendæ promittuntur; sed Davidi et Salomoni vel in carminibus regnum multo angustioribus circumscriptum limitibus tribui, docet *Ps.* LXXXIX, 25. *d*) Beati prædicantur, qui fiduciam in hoc rege sunt posituri. Sed in carminibus sacris Israelitæ jubentur confidere soli Deo, vero ipsorum regi, non autem regi humano, ejus vicario.

Cæterum hic Psalmus, qui nobis secundus est, olim primus fuisse videtur. Hinc orta est lectionum varietas in

loco *Actor.* XIII, 33 : quanquam non male quidam conjiciunt ibi neque *primo*, neque *secundo* legendum. Etenim quum Novi Testamenti scriptores non soleant citare numeros et capita, non magis quam Rabbini et Talmudici, verisimile est, Lucam scripsisse nihil nisi ἐν τῷ ψάλμῳ, nullo numero addito.

Strophæ 4, partes 3. Vers. 1-3 : regis (Messiæ) imperio sese subtrahere conantur populi exteri; 4-9 : eorum conatus nullum eventum habebunt, quoniam a Jova rex ille est constitutus; 10-12 : monentur rebelles. ut saniora consilia capiant.

1. Quid strepuere gentes,
et populi meditantur inania?
2. Consurgunt reges terræ,
et principes deliberarunt una
contra Jovam et Unctum ejus :
3. « Rumpamus vincula eorum,
et abjiciamus a nobis eorum funes ! »

4. Qui in cœlo sedet, ridet,
subsannat eos Dominus.
5. Tum in ira sua eos compellabit,
et in furore suo perterrebit eos :
6. « Et ego unxi regem meum
in Sione, monte meo sancto ! »

7. Narrabo statutum :
Jova dixit mihi : « Filius meus *es* tu,
ego hodie te genui.
8. Posce a me, et faciam gentes hæreditatem tuam,
et possessionem tuam fines terræ.
9. Confringes eos baculo ferreo,
ut vas figlinum discuties eos. »

10. Et nunc, reges, sapite;
erudimini, judices terræ.
11. Servite Jovæ in timore,
et trepidate cum tremore.
12. Osculamini filium, ne irascatur et pereatis in via.
13. Etenim in brevi (mox) exardescet ira ejus :
beati omnes, qui confidunt in eo !

NOTÆ.

Vers. 1. Abruptum initium, fere uti Horatius *Epod.* VII, ubi totum populum Romanum in bella atque prælia ruentem ita affatur :

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

Meditantur : alii, *æstuant, ebulliunt,* quale illud Ciceronis in orat. *De Harusp. Respons.* cap. II : « Æstuans se e curia proripuit cum quibusdam fractis jam atque inanibus minis. » — Vers. 3. *Vincula* et *funes* h. l. *imperii* et *dominatus* imagines esse, vix monitu opus videtur. *Eorum,* puta Jovæ et Messiæ. — Vers. 4. *Ridet,* securitatis nota. — Vers. 5. *Tum,* cum in vanis conatibus persistent. — Vers. 6. *Unxi,* ita Reinke. Hengstenberg cum veteribus tantum non omnibus, *solidavi, constitui, firmavi* : נסך enim, ait, est *fudit* statuam ex metallo, hinc *firmavit.* — Vers. 7. *Narrabo,* ego rex nuntiabo, promulgabo. *Statutum,* decre-

tum quo Jova regi Messiæ, utpote filio suo, dedit populos.—Vers. 8. *Posce a me* aliquid tali filio dignum. *Gentes* omnes omnino, ideoque Gentiles. — *Baculo*, non *sceptro*, ait Rosenmullerus, qui addit: Respici videtur hic ad morem illum antiquum, quo heroes, armorum loco, *clavas* gestabant, easque non ligneas tantum, sed etiam ferreas. Cf. *Iliad.* VII, 136. *Discuties* fractos. — Vers. 10. *Nunc* vim concludendi vel inferendi habet, pro *itaque*, cum res ita se habeat. — *Trepidate*, internis externisque motibus tum gaudii tum reverentiæ exsultate. — Vers. 12. *Osculamini filium*: ita Syrus, et hodiernorum plerique. Apud Orientales osculum, ori vel manui aut genibus admotum, venerationis signum fuisse, nemo nescit. Alii tamen, inter quos Ewaldus, ad veterum interpretationem propius accedentes, vertunt, *admittite, amplectimini purum*, purius vel sanius consilium. *In via*, hebr. quoad *viam*.

R. BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS II.

ARGUMENTUM.

Hic Psalmus caret titulo, sed Davidi tribuitur ab Apostolis *Actor.* IV. Nonnulli Psalmum hunc non secundum, sed partem primi esse judicant, propterea quod in Actis Apostolorum, cap. XIII, in quibusdam Codicibus citetur hic Psalmus sub nomine *primi* Psalmi; sed Codices plures, et meliores habent: *Sicut in Psalmo secundo scriptum est*, et consonat editio Græca τῷ δευτερῷ. Est autem totus hic Psalmus prophetia de regno Christi manifestissima, et explicata ab Apostolis, *Actor.* cap. IV et XIII, et *ad Hebr.* I et V, ut omnino errare videantur, qui ad litteram de Davide hunc Psalmum explicare nituntur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. QUARE FREMUERUNT GENTES, ET POPULI MEDITATI SUNT INANIA?

David in spiritu prænoscens Messiam venturum, et persecutiones multas adversus eum exorituras, et eum tamen felicissime regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum; et sensus est, frustra Gentiles, et Hebræos tum Principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, et cogitavisse rationem impediendi regni ejus. In Hebræo primum verbum est præteriti temporis, secundum futuri: sed quia de re eadem est sermo, Septuaginta Interpretes utrumque verbum reddiderunt per tempus præteritum, et S. Hieronymus utrumque reddidit per tempus futurum. Et quidem sententia semper est vera; nam res ipsa in se futura erat, sed Prophetæ quodam modo præterita, cum eam cerneret quasi præteritam. Tamen absolute lectio Septuaginta Interpretum et Vulgatæ editionis præferenda est, tum quia in *Actis Apostol.* cap. IV, legimus in præterito, *fremuerunt*, et *meditati sunt*; tum quia ratio exigit ut significatio primi verbi sit regula significationis secundi, non contra. Nomine *gentium*, cum dicitur, *quare fremuerunt gentes*, videntur intelligendi Gentiles. Nam sic intellexerunt Apostoli, *Actor.* IV, et vox Hebræa גוים *goym* passim in Scripturis accipitur pro Gentilibus, sive Ethnicis. Per populos autem, cum subditur: « Et populi meditati sunt inania, » intelligendi sunt Hebræi, ut constat ex eodem cap. IV *Actor.* Verba quoque valde proprie tum Gentilibus, tum populis Hebræorum accommodantur. Gentiles enim fremuisse dicuntur, quasi animantia rationis expertia, populi Judaici meditati esse inania, quia ipsi consilium inierunt, ut Jesum perderent.

Vers. 2. 2 ASTITERUNT REGES TERRÆ, ET PRINCIPES CONVENRUNT IN UNUM ADVERSUS DOMINUM, ET ADVERSUS CHRISTUM EJUS.

Dixerat, in genere, gentes et populos indignatos fremuisse, et inania meditatos; nunc explicat in particulari quæ sint illæ gentes et populi, et adversus quem indignati sint, ac dicit fremitum non cœpisse a plebe, sed a capitibus, id est a regibus et a principibus. Primus enim qui infremuit fuit Herodes rex, ut habemus *Matth.* II, qui quidem Herodes alienigena erat, ut inter gentes reputari potuerit. Eum secuti sunt principes et populi Judæorum. Nam, Herode turbato, « turbata est omnis Hierosolyma cum illo. » Deinde tempore passionis Domini, iterum alius Herodes, et Pontius Pilatus cum principibus et populis Judæorum in Christum insurrexerunt. Denique, post Christi passionem et resurrectionem, semper persecutiones a regibus, sive imperatoribus inchoabantur, et a populis duces suos sequentibus fovebantur. Quamvis autem indignatio et fremitus proprie contra Christum esset, non contra Deum, imo sub colore gloriæ Dei et quasi ex zelo divini honoris, tamen revera, qui Christum oppugnabant, Deum verum oppugnabant. Christus enim operibus divinis se veri Dei Filium ostendebat, et qui odit Filium, sine dubio odit et Patrem. Quod attinet ad verba, illud, *astiterunt*, proprie in Hebræo significat *sese constituerunt*, id est, quasi murum se statuerunt, ut resisterent venienti Messiæ; illud autem, *convenerunt in unum*, in Hebræo proprie significat, *consultaverunt*, sive

Reges et Imperatores persecutiones in Christum concitarunt.

ad capiendum consilium convenerunt simul: quod in Evangelio Herodem et Principes Judæorum contra Christum fecisse legimus. Tam autem est aperta hæc Prophetia, ut non solum Apostoli, *Act.* IV, intellexerint ad litteram de Jesu Christo Domino nostro hunc locum, sed etiam veteres Rabbini, teste R. Salomone in Commentario hujus Psalmi, exposuerint hunc eumdem locum de vero Messia, quem adhuc cæci et infatuati expectant.

Vers. 3. 3. DIRUMPAMUS VINCULA EORUM, ET PROJICIAMUS A NOBIS JUGUM IPSORUM.

Explicat Propheta causam, cur reges et principes cum gentibus et populis fremuerint, et convenerint adversus Christum. Causa enim est, ne cogerentur servare legem Christi contrariam sensibus carnis, et humanæ prudentiæ. Itaque verba ista dicuntur in persona regum et principum impiorum, quasi dicat: « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus, » dicentes inter se: « Dirumpamus vincula eorum, » id est, non sinamus nos subjici legibus et imperio Messiæ. Pro *jugum ipsorum*, S. Hieronymus vertit, *laqueos eorum;* verbum Hebraicum עבות significat *funes;* et videtur Propheta repetere voluisse idem fere vocabulum, ut ordinarie solet idipsum bis dicere. Itaque Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus non tam ad vocabulum, quam ad sensum respexerunt. Sunt autem omnia vocabula metaphorica, sive legem appelles vincula, sive funes, sive laqueos, sive jugum. Explicant autem istæ metaphoræ naturam legis, qualis est judicio impiorum. Impiis enim lex Domini durissimum jugum, et laqueus lethalis videtur, cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro et lapidibus pretiosis, ut habemus in *Psal.* XVIII.

Vers. 4. 4. QUI HABITAT IN CŒLIS, IRRIDEBIT EOS, ET DOMINUS SUBSANNABIT EOS.

Hic jam Propheta demonstrat, frustra Principes et populos laborare in oppugnanda Christi Religione, quod initio etiam dixerat. Nam Religio Christi a Deo est, et Deo nemo resistere potest. Recte autem dicit: « Qui habitat in cœlis, » ut ostendat Deum super omnes esse, et omnia cernere, et ideo nullo negotio dissoluturum omnia eorum consilia, et omnes molitiones dissipaturum. Quod autem dicit Dominum irrisurum et subsannaturum eos, significat eos divino judicio per signa et prodigia, per Martyrum patientiam, per conversionem gentium et populorum, perque alios modos soli Deo notos, ita confundendos, ut omnium irrisioni atque subsannationi pateant. Id videmus impletum. Nam sacerdotium Judaicum et idololatricum nunc ab omnibus irridetur. Carent enim Judæi et Gentiles templis et sacrificiis; reges quoque Gentilium, qui Ecclesiam persequebantur, omnes misere perierunt.

Religio Christ a Deo est.

Vers. 5. 5. TUNC LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, ET IN FURORE SUO CONTURBABIT EOS.

Explicat modum, quo Deus persecutores Christi irridendos exposuit, quia nimirum locutus est ad eos, non verbis, sed verberibus, gravissimis pœnis illos admonens, ut patet de Herode ab Angelo percusso, de Maximino vermibus consumpto, et aliis. Non est proprie ira, nec furor in Deo, sed semper cum tranquillitate judicat: sed dicitur per metaphoram irasci et furere, quando severe punit, et tunc præsertim quando ea punitio non prodest illis ad salutem æternam; id enim facere solent, qui irascuntur et furunt, qui non nocent ut sanent, quomodo medici faciunt, sed nocent ut noceant. Itaque David: « Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. » Cupiebat enim argui et corripi, sed paterne, non hostiliter; ad salutem, non ad interitum.

In Deo non est proprie ira neque furor.

Vers. 6. 6. EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS, PRÆDICANS PRÆCEPTUM EJUS.

Hoc loco dicendum est aliquid de verbis, antequam veniamus ad sensum. Nam in Hebræo codice sic habetur: *Ego autem ordinavi Regem meum super Sion montem sanctum meum;* et quamvis non multum referat, quoad sensum, utrum Deus Pater dicat se ordinasse Christum Regem, an ipse Filius dicat se ordinatum a Patre: tamen valde probabile est Septuaginta Interpretes legisse paulo aliter, quam nunc legimus. Habemus nunc נסכתי *nasachti, ordinavi;* sed ipsi legisse videntur, mutatis tantum punctis, נסכתי *nissacti, ordinatus sum*, quæ vox habetur *Prov.* VIII, ubi legimus: « Ab æterno ordinata sum; » et ubi legimus מלכי *malchi, Regem meum*, ipsi legisse videntur מלכו *malcho, Rex ejus;* et ubi nos legimus קדשי *chodsci, sanctum meum,* ipsi legisse videntur קדשו *chodscio, sanctum ejus*. Et quoniam probabile est Septuaginta Interpretes habuisse Codices Hebraicos valde correctos, inde fit etiam probabile lectionem nostram Vulgatam veriorem esse, quam ea sit, quæ nunc legitur in Codicibus Hebraicis. Veniamus nunc ad sensum. Dixerat Propheta adversarios Christi tumultuaturos, et posuerat verba ipsorum: « Dirumpamus vincula eorum, » etc. Ideo nunc introducit ipsum Christum loquentem et quasi respondentem eis, quasi dicat: Gentes et populi, necnon reges et principes dicent: « Dirumpamus vincula eorum; » eos vero Deus irridebit, et Christus ipse ita eis respondebit: Ego ordinatus sum Rex non ab hominibus, sed a Deo, et ideo non timeo minas hominum; ordinatus autem sum Rex super Sion montem sanctum ejus, id est super Ecclesiam, quæ est civitas in monte posita, et cujus typus fuit Jerusalem, cujus pars præcipua, et magis a Deo dilecta, et

sanctificata est Sion, juxta illud *Psalm.* LXXXVI: « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. » Hæc autem ordinatio mea in regem constat ex decreto Dei, quod ego prædicaturus sum. Quod enim habemus in nostra Vulgata editione, *prædicans præceptum ejus*, et in textu Hebraico, *enarrabo decretum ejus*, intelligitur de decreto quo Deus statuit Christi regnum in totum orbem propagandum. Vox Hebræa חק *choc* significat *præceptum, decretum, statutum*, ut patet ex multis locis, sed potissimum ex *Psalm.* CIV: « Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum, dicens: Tibi dabo terram Chanaan. » Ubi præceptum Hebraice est חק *choc*, et significat decretum Dei de donanda filiis Israel terra promissionis.

Vers. 7. 7. DOMINUS DIXIT AD ME: FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE.

Hoc est initium et fundamentum decreti divini: nam Christo debetur omnis potestas in cœlo et in terra, quia est verus et naturalis Filius Dei. Sunt autem tres hujus loci expositiones, et omnes litterales, et intentæ a Spiritu Sancto. Prima est de generatione æterna, quæ colligitur ex Apostolo *ad Hebr.*, ubi sic ait: « Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? » Hic locus Apostoli non potest intelligi de generatione aliqua creata, ut de nativitate, vel resurrectione secundum carnem, quia per generationem creatam sunt etiam Angeli filii Dei, ut patet ex cap. I, II et III libri *Job*; et tamen Apostolus intendit probare Christum esse filium, angelos autem ministros. Necesse igitur est verba psalmi ab Apostolo citata, intelligi ad litteram de generatione æterna, ut recte exponit S. Augustinus, cui expositioni favet tum vocabulum *hodie*, quia æternitas est præsens duratio carens initio et fine; tum vocabulum *genui*, Hebraice ילד *ialad*, quod significat proprie *parere*. Deus enim in æterna generatione matris consortio non indiguit, sed ipse genuit, ipse peperit filium suum unigenitum, juxta illud *Psalmi* CIX: « Ex utero ante luciferum genui te. » Altera expositio est de resurrectione Domini, quæ colligitur ex eodem Apostolo, *Act.* XIII, ubi sic legimus: « Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Et quadrant optime hæc verba in resurrectionem Domini, tum quia resurrectio est quædam regeneratio, ut habemus *Matth.* XIX: « In regeneratione cum sederit Filius hominis; » tum etiam quia resurrectio Christi fuit a solo Deo, et ipse dicitur « primogenitus mortuorum, » *Coloss.* I; tum denique quia in die resurrectionis cœpit gloriosa exaltatio Christi, et manifestatio nominis supra omne nomen, *Philip.* II: « Propter quod et Deus exaltavit illum; » et ipse Dominus dixit, *Matth.* ult.: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, » atque hæc est expositio Hilarii et Chrysostomi. Tertia expositio est de die Natalis Domini secundum carnem, quæ est S. Cypriani lib. II *Contra Judæos*, cap. VIII, et colligitur ex introitu Missæ in nocte ejusdem Natalis. Ecclesia enim accommodat verba Psalmi hujus ad mysterium nativitatis secundum carnem, quoniam generatio illa singulare opus Dei fuit, ut etiam angelus Gabriel dixerit, *Luc.* I: « Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Et sancti Patres, non solum de divina, sed etiam de humana Christi generatione intelligunt verba illa *Isai.* LIII: « Generationem ejus quis enarrabit? » Itaque juxta Theologos illos qui docent in eadem sententia posse inveniri plures sensus litterales, existimamus sensum horum verborum esse: hodie, id est in die æternitatis genui te Deus Deum; et hodie, id est, in die natalis tui secundum carnem, genui te, id est, feci ut esses Deus homo, sine semine viri, sine corruptione matris, sine labe peccati; et item hodie, id est, in die resurrectionis tuæ genui te, id est, feci divina mea virtute, ut redires ad vitam, eamque immortalem et gloriosam.

Christi generatio æterna.

Christi resurrectio est regeneratio.

Vers. 8. 8. POSTULA A ME, ET DABO TIBI GENTES HÆREDITATEM TUAM, ET POSSESSIONEM TUAM TERMINOS TERRÆ.

Sententia est apertissima, ac si Deus Pater dicat: Quia tu, Christe, Filius meus es naturalis, et virtute mea incarnatus et a mortuis excitatus, jure potes a me petere imperium in omnes gentes, tanquam hæreditatem tuam, et omnem terram usque ad ultimos ejus fines, tanquam possessionem tibi debitam. Sunt autem hic aliqua observanda: *Primo*, nomen hæreditatis in Scripturis accipi pro quacumque re, quæ possidetur ut propria, etiamsi proprie non sit relicta a patre defuncto: et ideo tam populus Dei dicitur hæreditas Dei, quam ipse Deus hæreditas populi sui. Et quia hæreditas proprie dicta solebat dividi inter fratres, et plerumque dividebatur sorte, et partes divisæ mensurabantur funiculis, ideo pro eodem accipitur hæreditas, pars, sors, funiculus, possessio; sæpe etiam junguntur duo ex his nominibus, ut *Psalm.* XV: « Dominus pars hæreditatis meæ, » id est, Dominus est pars, quæ mihi hæreditate obvenit; et alibi, *Deut.* XXXII: « Jacob funiculus hæreditatis ejus, » id est, populus Israel est hæreditas Domini, quam ipse sibi elegit, et quasi funiculo mensus est, et divisit ab hæreditatibus aliorum. Itaque hoc loco dicuntur omnes gentes hæreditas Christi, quia factus est Dominus totius mundi, quod exponitur per sequentia verba: « Et possessionem terminos terræ. » *Secundo*, observandum est hæc intelligenda esse præcipue de spirituali regno Christi, id est de

Ecclesia toto orbe propaganda, ut S. Augustinus sæpissime docet. Sensus igitur est, Christum esse constitutum regem super Sion, id est super populum Domini, sed hoc regnum non concludendum finibus Judææ, vel Palæstinæ, sicut regnum Davidis et Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, et occupaturum omnia regna mundi, juxta prophetiam Danielis, cap. II. Nec tandem negandum est quin etiam intelligatur de potestate Christi in omnes gentes, etiam infideles : « Data est enim ei omnis potestas in cœlo et in terra, » *Matth.* XXVIII; et ipse est qui constitutus est Judex vivorum et mortuorum, *Act.* X.

Vers. 9. 9. REGES EOS IN VIRGA FERREA, ET TANQUAM VAS FIGULI CONFRINGES EOS.

Christi potestas in omnes gentes quanta?

Hic significatur potestas Christi in Ecclesiam, et in omnes homines summa, et justissima, ut possit tam facile bonos remunerare, et impios suppliciis afficere, quam facile potest figulus virga ferrea confringere vasa recentia, et lutea. In priore parte versus describitur summa potestas Christi ex parte virgæ ferreæ, id est judicii rectissimi, inflexibilis, et cui resisti non potest; in posteriore, ex parte hominum subjectorum, qui erunt respectu Christi sicut vasa lutea recentia respectu figuli. Itaque illud, *confringes*, non significat actum, sed potestatem, id est, non significat Christum confracturum omnes gentes, sed subjectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere, sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem et peccata, et formando ex vasis contumeliæ, vasa honoris; sive juste et severe confringendo eos æternis suppliciis propter ipsorum demerita. Nam, *confringes ut vasa figuli*, idem significare debet, quod *reges in virga ferrea* : illud autem, *reges in virga ferrea*, non refertur ad solam punitionem impiorum, sed ad regimen totius Ecclesiæ justum et potentissimum. Quod perspicuum est tum ex versione Septuaginta Interpretum, qui reddiderunt ποιμανεῖς, id est *pasces*, quomodo etiam reddidit græce S. Joannes in *Apocal.* cap. II et XIX; tum ex *Michæa* cap. V, ubi loquens apertissime de Christo, qui ex Bethlehem egreditur, ut sit dux super populum Dei, dicit : « Reges eos in fortitudine, » et utitur eadem voce, quæ habetur hoc loco, nimirum רעה *raha*.

Vers. 10. 10. ET NUNC, REGES, INTELLIGITE : ERUDIMINI, QUI JUDICATIS TERRAM.

Hortatur nunc Propheta reges terræ a quibus populi dependent, ut quandoquidem frustra nituntur resistere Christo, vero et supremo regi omnium regum, sponte illi subjiciantur; et quia ordinarie, ex pravo judicio sequitur pravus affectus, primum hortatur eos, ut corrigant judicium, intelligant veritatem, eruditionemque suscipiant. Idem autem est : « Reges, intelligite, » et : « Erudimini, judices terræ. » Reges enim sunt judices supremi populorum. Deinde hortatur ut corrigant pravum affectum, et pro odio erga Christum, incipiant illi servire, eumque diligere et revereri; ideo subjungit :

Vers. 11. 11. SERVITE DOMINO IN TIMORE, ET EXULTATE EI CUM TREMORE.

Mire miscuit amorem cum timore, ac si diceret : Timete cum amore, et amate cum timore; nam illud, *servite*, est proprium servorum timentium, præcipue secundum vocem Hebræam עבדו *hibdu*. Illud autem, *in timore*, significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem; nam illa ipsa vox יראה *iira*, quæ hic habetur, habetur etiam *Isai.* XI, ubi dicitur de Christo : « Requiescet super eum spiritus pietatis, » et passim in Scripturis accipitur pro pietate, seu timore filiali. Itaque « servite Domino in timore, » secundum vim vocum Hebraicarum, significat, servite quidem Domino, sed servitute liberali propria filiorum. Quod vero sequitur : « Et exultate ei cum tremore, » idem significat, sed ordine et vicibus variatis; nam in priore parte versiculi posuit in verbo timorem servilem; in nomine, pietatem filialem : in posteriori parte, e contrario posuit in verbo, exsultationem filii amantis; in nomine autem, tremorem servi timentis.

Vers. 12. 12. APPREHENDITE DISCIPLINAM, NE QUANDO IRASCATUR DOMINUS, ET PEREATIS DE VIA JUSTA.

Hunc locum ex Hebræo alii reddunt, *osculamini filium;* alii, *adorate filium;* alii, *adorate pure.* Posset etiam reddi, *complectimini puritatem*, ad quod facile posset reduci translatio Septuaginta Interpretum; nam apprehendere disciplinam idem est quod complecti puritatem, doctrinæ videlicet. Sicut etiam osculari, sive adorare Filium Dei, idem fere, quod apprehendere disciplinam ejus. Sed cum Septuaginta Interpretes doctissimi fuerint, et textus optimos habuerint, et in translatione hujus loci nulla sit apud Græcos varietas, et (quod magis est mirum) Chaldæus etiam Paraphrastes reddiderit, *accipite doctrinam*, suspicor omnino, vel in Hebræo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem בר *bar* non solum filium et puritatem, sed etiam disciplinam significare, præsertim cum aliqua littera superaddita. Quemadmodum enim apud Græcos a voce παῖς, id est *puer*, fit nomen παιδεία, id est *disciplina*, quod est in hoc loco Psalmi, ita fieri potest ut a voce *bar*, id est filius, fiat aliquod nomen quod significet disciplinam, quæ maxime filiis a parentibus debetur. Sensus autem horum verborum est, ut non solum reges corrigant judicium et affectum, erudiantur et serviant, quod supra dictum est, sed etiam magno fervore id faciant, ut perseveret in eis eruditio, ex qua pendet affectus. Nam verba tam Hebraicum נשקו *nassecu*, quam Græcum δράξασθαι, non significant simpliciter *suscipere*, sed magno affectu rapere, et complecti,

et firmiter retinere, quomodo quis complectitur ad osculandum personam valde amatam. Reddit autem rationem, cur id necessarium sit, dicens : « Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. » In Hebræo non habetur *Dominus*, nec *justa;* sed simpliciter, *nequando irascatur, et pereatis de via* ; sed Septuaginta addiderunt explicandi gratia. Subintelligebatur enim Dominus ex versu superiore : « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. » Sensus igitur est : Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur in impios et rebelles is, cui dixi serviendum esse cum timore; et vos pereatis, sive exterminemini de via justitiæ. Hæc est gravissima pœna principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum sensum, ut dicitur *Rom.* I, et permittit ut decipiantur a malis consiliariis, et faciant multa mala, ob quæ tandem pereunt in hac vita et futura, ut patet de Pharaone, Roboam, Achab, et similibus, in quibus peccata gravissima fuerunt pœnæ aliorum peccatorum, ut disputat S. Augustinus, lib. V, III, *in Julianum* : hoc enim est non aliquantulum declinare a via recta, sed plane perire, et exterminari omnino a via justitiæ.

13. CUM EXARSERIT IN BREVI IRA EJUS, BEATI OMNES QUI CONFIDUNT IN EO. Vers. 13.

Hæc est conclusio totius Psalmi, in qua sanctus Propheta pronuntiat, ex dictis posse colligi quam sit bonum et utile diligere Dominum, et illi toto corde servire : soli enim, qui ejusmodi fuerint, in die ultimi judicii, quod non longe abesse potest, fiduciam habere poterunt. Dicit : « Cum exarserit in brevi ira ejus, » ut significet cito venturum diem illum terribilem : nam mille anni sicut dies hesterna quæ præteriit, nec longum dici potest, quod finem habet. Dicit : « Exarserit ira ejus, » ut significet diem judicii fore diem solius vindictæ et justitiæ, non autem misericordiæ. Dicit : « Beati qui confidunt, » non quod solum fiducia sufficiat, sed quia vera fiducia oritur ex vera amicitia.

PSALMUS III.

V. V. — 1. *Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.*

2. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

3. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.

4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

5. Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo.

6. Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

7. Non timebo millia populi circumdantis me : exsurge, Domine; salvum me fac, Deus meus.

8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

9. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

. S. H. — *Psalmus David, quando fugit a facie Absalomi filii sui.*

Domine, quare multiplicati sunt hostes mei? multi consurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ : Non est salus huic in Deo. Semper.

Tu autem, Domine, clypeus circa me, gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamabo, et exaudiet me de monte sancto suo. Semper.

Ego dormivi et soporatus sum, et vigilavi, quia Dominus sustentavit me.

Non timebo millia populi, qui circumdederunt me.

Surge, Domine, salvum me fac, Deus meus, quia percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes impiorum confregisti.

Domini est salus : super populum tuum benedictio tua. Semper.

Argumentum. — Conjicit Hengstenberg, Psalmum hunc esse hymnum serotinum, quo David testatur se, hostibus licet circumdatum, sed Deo fidentem, nihil trepidare, summaque cum securitate et pace somnum mox capturum. Ewaldus vero cum Delitzsch censet, Davidem, postquam noctem illæsus in mediis hostibus transegisset, hoc carmine gratias agere Deo, fiduciamque in eo summam testari : quod præplacet. Queritur primum de hostium multitudine atque insultatione, vers. 2—3; sed mox superiorum temporum memoria, quibus tam multa divini favoris atque opis documenta acceperat, animum suum erigit, 4-5, spemque affert divini auxilii atque victoriæ de hostibus reportandæ, 6-7; tandem divinæ opis imploratione atque votis pro universo populo concludit 8-9. Strophæ quatuor.

1. Davidis Psalmus, quum propter Absalonem filium suum fugeret.

2. Jova, quam multi sunt hostes mei!
Quam multi surgunt contra me!

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

3. *Quam (?)* multi dicunt de anima mea:
Nulla salus ei in Deo — Selah.

4. At tu, Jova, clypeus *es* circa me,
gloria mea, et extollens caput meum.
5. Voce mea ad Jovam clamo,
et exaudit me e monte suo sancto — Selah.

6. Discubitum ivi et dormivi;
expergefactus sum *incolumis*, nam Jova me sustentat.
7. Non metuam a myriadibus hominum,
qui undique *castra* posuere contra me.

8. Surge, Jova, serva me, mi Deus.
Contudisti enim *hactenus* omnium hostium meorum maxillam,
impiorum dentes tu confregisti.
9. Jovæ *est* salus!
Super populum tuum tuus favor! — Selah.

NOTÆ.

Vers. 1. Cf. II *Sam.* XIV-XV. ל est nota auctoris. — Vers. 3. *Anima mea*, id est *me*. נפש pro persona: qui usus Arabibus frequentissimus, itemque Syris et linguæ Rabbinicæ. *Selah* est signum musicum significans *pausa!* quo cantor cantu paululum intermisso solis fidibus canere jubetur. Vide Gesenii *Lexicon.* — Vers. 4. *Gloria mea*: est metonymia, puta effectus pro persona efficiente. *Extollens caput meum*, id est, me tum omni dolore et metu liberans, tum ornans regiis honoribus. — Vers. 5. *Monte* Sione. *Clamo, exaudit*, aoristice sumenda.—Vers. 7. Minus recte Hengstenberg, *quos undique posuerunt.*—Vers. 8. *Maxillam*, proprie *hostes meos*, subaudi, super vel quoad *maxillam*. Figura a feris bestiis petita videtur, quæ morsu nocent et dilaniant, quarum dentibus excussis, nulla jam ab iis metuenda est noxa. — Vers. 9. *Jovæ*, i. e. is salutis auctor est: ל enim referre solet opus ad suum auctorem. *Favor*, benedictio.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS III.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.

Hic titulus habetur in omnibus codicibus Hebraicis, Græcis et Latinis, ex quo non potest dubitari quin ad litteram Psalmus debeat intelligi de ipso Davide, et sit oratio quædam ipsius Davidis pro liberatione sua a persecutione Absalonis. Quia vero David figura fuit Christi, adeo ut apud Prophetas Christus ipse nominetur David, ut patet ex Hieremia cap. XXX, Ezechiele cap. XXXIV, et Osee cap. III; ideo potest ac debet Psalmus intelligi etiam de Christo. Imo sensus principaliter intentus a Spiritu Sancto videtur esse de Christo. Observandum autem est nomen David positum in titulo non esse casus genitivi, sed dativi: nam in Hebræo est articulus ל *le*, qui potest genitivum et dativum casum denotare; sed Septuaginta viri semper verterunt τῷ, qui est articulus solius dativi, et prudentissime hoc Septuaginta viri fecerunt, ut significarent auctorem Psalmorum præcipue non esse Davidem, sed Deum. Itaque sensus est: Psalmus David, id est Psalmus inspiratus a Deo ipsi Davidi.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, QUID MULTIPLICATI SUNT QUI TRIBULANT ME? MULTI INSURGUNT ADVERSUM ME.

Queritur David, et miratur, colloquens in oratione cum Deo, de multitudine persecutorum suorum; nam, ut habetur II *Reg.* XV, universus Israel toto corde sequebatur Absalonem. Idem Christo accidisse notum est ex Evangelio, præsertim tempore passionis: tunc enim filius ejus, id est populus ejus rebellavit ab eo, dicens:

« Non habemus regem, nisi Cæsarem, » *Joan.* XIX. Et ipse recessit ab eis quasi infirmus, et fugiens per mortem; sed paulo post rediit per resurrectionem. Absalon significat *patris pax*, quia revera bellum fuit filii, sed in patre semper fuit pax, ut patet tum de Davide, qui flevit mortem filii; tum de Christo, qui oravit pro persecutoribus; et quemadmodum in persecutione Absalonis, Achitophel, intimus consiliarius, et familiaris David, prodidit eum, et postea se ipse suspendio necavit, II *Reg.* XVII : ita in passione Christi, Judas unus ex intimis familiaribus prodidit eum, et in fine laqueo se suspendit.

Vers. 2. 2. MULTI DICUNT ANIMÆ MEÆ : NON EST SALUS IPSI IN DEO EJUS.

Videtur hoc referendum ad internas tentationes, quod dæmones suggererent illi intus in animo cogitationes diffidentiæ, quasi frustra in Domino confidisset. Potest etiam referri ad sermones hominum, qui ex hoc infortunio judicabant Davidem a Deo derelictum, in quo tamen confidere solitus esset : est enim hoc fere ordinarium, ut imperfecti existiment viros bonos in gravi ærumna constitutos frustra sperasse in Deo. Sic Job uxor ejus dicebat : « Adhuc permanes in simplicitate tua, » *Job* II. Sic Tobiæ uxor quoque dicebat : « Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt, » *Tob.* II. Sic denique de Christo dicebant : « Confidit in Deo, liberet eum, si vult, » *Matth.* XXVII.

Vers. 3. 3. TU AUTEM, DOMINE, SUSCEPTOR MEUS ES, GLORIA MEA, ET EXALTANS CAPUT MEUM.

Vox justi in tribulatione positi hæc est, qualis fuit David, sed præ omnibus, qui caput est omnium, Christus. Sensus est : multi mihi dicunt frustra me confidisse in Deo, sed falluntur omnes; nam tu, Domine, non deseris sperantes in te, ideo « susceptor meus es, » id est, suscepisti me protegendum contra omnia hostium tela : nam in Hebræo est, *clypeus meus;* nec solum me defendis, sed etiam glorificas : ideo es etiam gloria mea, id est causa gloriæ meæ. Atque ex his fit ut sis exaltans caput meum, id est lætificans me, ut qui præ mœrore demisso capite incedebam, nunc exsultans caput attollam. Et hæc phrasis Hebræis familiaris, unde et *Hieremiæ* cap. ultimo dicitur : « Elevavit Evilmerodach rex caput Joachin, et eduxit eum de carcere; » et Dominus in Evangelio : « Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, » *Luc.* XXI. Hæc vera esse docent exempla, non solum Christi et Davidis, sed etiam Joseph, Job, Tobiæ, Danielis, etc.

Vers. 4. 4. VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI, ET EXAUDIVIT ME DE MONTE SANCTO SUO.

In codice Hebraico legimus, *clamabo, et exaudiet;* in Græco et Latino, *clamavi, et exaudivit.* Juxta priorem lectionem significat David se ex fiducia, quam versu superiore expressit, in præsenti tribulatione clamaturum ad Dominum, et sine dubio more solito audiendum. Juxta posteriorem lectionem probat exemplo suo, quod supra dixerat, quod videlicet Deus sit clypeus et gloria ejus. Nam sæpe, inquit, alias afflictus clamavi ad Dominum, et semper exaudivit me. Circa verba nota illud, *voce clamavi,* habere emphasim ad exprimendum affectum; non oravit demissa voce, sed clamavit, et clamavit voce sua, id est non per alium, sed per se, non solum spiritu, sed etiam corporali voce. Illud autem, *de monte sancto suo,* significare potest montem Sion, ubi erat arca Domini, in quo peculiari modo præsentia Domini residebat, et unde responsa dabat; vel etiam cœlum, quod vocatur a Salomone, firmum habitaculum Dei, III *Reg.* VIII, et ab Apostolo *ad Hebr.* XII, vocatur « mons Sion, » et Hierusalem cœlestis.

Vers. 5. 5. EGO DORMIVI, ET SOPORATUS SUM, ET EXSURREXI, QUIA DOMINUS SUSCEPIT ME.

Observanda sunt aliqua circa verba, antequam exponamus sententiam. Verbum *dormivi*, tam Hebraice שכבתי *schacabthi*, quam Græce ἐκοιμήθην, significat proprie *cubare* et *jacere;* et quia omnes dormientes cubant et jacent, significat etiam *dormire :* verbum autem *soporatus sum* in Hebræo et Græco non significat nisi *dormire.* Itaque sensus est eorum verborum : Ego dormivi, id est accubui, sive jacui, ut dormirem, et re ipsa soporatus, obdormivi, et postea evigilans surrexi. Observa præterea illud, *quia Dominus suscepit me,* in Hebræo et Græco esse futuri temporis, *quia Dominus suscipiet me;* vel, ut sonat vox Hebræa יסמכני *iismakni, sustentabit me.* Sed sciendum est moris esse linguæ sanctæ, ut ponat futurum pro præterito, quando significatur quædam continuatio, ut *Job* I : « Sic faciebat Job cunctis diebus. » Illud *faciebat* in Hebræo futuri temporis est : recte igitur Hieronymus et vulgatus Interpres verterunt *suscepit,* sive *sustentavit;* et potuissent etiam reddere, *suscipiebat,* vel *sustentabat.* Veniamus ad sententiam. David in illa persecutione filii dicit : « Ego dormivi, » seu jacui dormiturus, id est declinavi, fugi, non restiti, et sic jacui quasi oppressus; « et soporatus sum, » id est ita derelictus, quasi mortuus essem, unde Absalon potitus est regno, quasi rex mortuus fuisset; « et exsurrexi, » id est, paulo post recepi animum, et resistere cœpi, quoniam Dominus sustentavit me. Sed longe significantius hæc omnia Christo conveniunt : ipse enim vere dicere potuit : « Ego dormivi, » id est sponte jacui in cruce, ut in ea morerer, quomodo se in lectum componunt, qui dormire volunt. « Nemo, inquit ipse, *Joan.* X, tollit animam meam a me, sed ego pono eam. » « Et soporatus sum, » id est, somno mortis vere consopitus sum, et hoc etiam sponte, non invitus, unde « inclinato ca-

Mos linguæ sanctæ.

pite tradidit spiritum, » *Joan.* XIX. Vocat autem mortem suam somnum, quia tam facile illi erat resurgere a mortuis, quam aliis evigilare de somno; « et exsurrexi, quia Dominus suscepit, » seu sustentavit me, id est, paulo post surrexi a mortuis, non fretus ullo humano auxilio, sed innixus potentia infinita divinitatis. Et hoc modo probavit verum esse quod dixerat versu superiore : « Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. »

Vers. 6. 6. NON TIMEBO MILLIA POPULI CIRCUMDANTIS ME : EXURGE, DOMINE; SALVUM ME FAC, DEUS MEUS.

De Davide clarissima sunt; ille enim dicitur exsurrexisse, quando recepit animum, et paravit se ad resistendum inimicis : ideo nunc dicit, non timere se populum illum innumerabilem, quia in Deo confidit, non in suis viribus, aut armis sociorum; ac propterea rogat Deum, ut exsurgat, ut salvum se faciat de manibus hostium. Dicitur Deus per metaphoram exsurgere, quando incipit juvare : quemadmodum dicitur dormire, quando non juvat. « Exsurge, inquit alio loco, quare obdormis, Domine? » Pulchre autem conjunguntur, *exsurrexi*, et *exsurge*, quasi dicat : Ego te excitante per immissam inspirationem exsurrexi, et tu igitur me excitante per orationem exsurge, et pugna pro me. Christo autem hæc omnia accommodantur rectissime, non ratione capitis, sed ratione corporis, id est, Christus hæc dicit post resurrectionem non pro persona sua, sed pro corpore suo, quod est Ecclesia, quæ in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes vicit.

Vers. 7. 7. QUONIAM TU PERCUSSISTI OMNES ADVERSANTES MIHI SINE CAUSA : DENTES PECCATORUM CONTRIVISTI.

In Hebræo legitur sic : *Quoniam tu percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum contrivisti*; sed credibile est Septuaginta Interpretes legisse pro לחי *lechi*, quod significat *maxillam*, לחינם *lechinnam*, quod significat *in vanum*; et credibile etiam est codices, quos habuerunt Septuaginta, fuisse meliores iis quos nos habemus. Sed tamen utraque lectio bonum sensum habet. Rogatur igitur Deus sive a Davide pro se, sive a Christo pro Ecclesia sua, ut pugnet adversus hostes, quoniam semper alias id fecerit, nimirum percusserit omnes inimicos piorum. Et si quidem legamus *sine causa*, sensus erit, Deum semper punire illos qui sine causa persequuntur justos, atque eorum dentes confringere, id est efficere ut mordere, id est nocere non possint, sed latrare ac terrere solum possint. Quamvis enim aliquando videantur justi ab impiis premi, tandem tamen omnia eis cooperantur in bonum, et impii persecutionis suæ pœnas luunt. Quod si legamus *in maxilla*, sensus erit Deum non solum punire, sed etiam confundere et pudefacere impios. Percussio enim maxillæ non solum ad dolorem, sed etiam ad contemptum fieri solet : et cohæret optime cum percussione maxillæ, quod sequitur de confractione dentium : per quam confractionem significatur quod supra diximus, fieri videlicet per Dei gratiam, ut inimici justorum, sive dæmones, sive homines sint, latrare possint more canum, sed mordere, id est vere nocere, non possint.

Vers. 8. 8. DOMINI EST SALUS, ET SUPER POPULUM TUUM BENEDICTIO TUA.

Concluditur Psalmus per invocationem et laudem Dei, quasi dicat : Ex dictis concludere possumus Domini esse salutem, et illi acceptam esse referendam. Nam in Hebræo est, *Domino salus*, id est, Domino accepta referenda est salus, quæ salus est benedictio tua, Domine, super populum tuum; nam benedicere Dei, est benefacere.

Benedicere Dei est benefacere.

DE VOCE *SELA*.

In hoc Psalmo habetur tribus in locis, videlicet post secundum versum, post quartum, et post ultimum, vox Hebræa סלה *sela*, quæ habetur in aliis nonnullis Psalmis, non tamen in omnibus; habetur etiam in quibusdam locis Habacuc prophetæ, et nusquam alibi. Scribit de hac voce S. Hieronymus, epist. *ad Marcellam*, in qua refert tres opiniones : primam quorumdam, opinor, Rabbinorum, qui volunt ea voce significari mutationem vel distinctionem rhythmi, aut elevationem vocis. Secundam, Interpretum Septuaginta, nec non Theodotionis et Symmachi, qui eam vocem Hebraicam interpretati sunt *diapsalma*, vocem æque obscuram. Tertiam, Aquilæ et quintæ ac sextæ editionis, quod *sela* sit idem quod *semper*. Hanc sententiam postremam S. Hieronymus secutus est in sua versione ex Hebræo. Et certe prima opinio videtur improbabilis; nam si vox illa significaret mutationem, aut distinctionem rhythmi, aut vocis elevationem, poneretur in omnibus Psalmis, ac præsertim in longioribus. Videmus autem in hoc brevissimo Psalmo haberi ter, ut etiam bis in Psalmo quarto, et in Psalmo quadragesimo sexto, qui brevissimi sunt, in longissimis quibusdam nunquam. Deinde non poneretur in fine Psalmorum, sed tantum in medio : quæ enim mutatio, vel distinctio, vel elevatio significanda est, Psalmo finito? videmus autem haberi in fine Psalmorum tertii, noni, vicesimi quarti, et quadragesimi sexti. Secunda opinio probabilis est propter auctoritatem Septuaginta Interpretum. Significat autem diapsalma, interprete Augustino in Commentario Psalmi quarti, intervallum psallendi; sed certe ratio vix reddi potest, cur istud intervallum notetur in Psalmis paucissimis, et brevissimis tantum. Tertia opinio fortasse probabilior est; nam propter S. Hieronymi auctoritatem, videmus illud *semper*, recte

poni, ubicumque *sela* invenitur. In hoc Psalmo, in versu secundo et quarto, recte *sela* potest exponi *semper* : « Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus *semper*, » id est, esto Deus aliquando servaverit Davidem a periculis, at non semper servabit, nunc certe non servabit. Respondet autem David : « Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo semper, » id est, vos dicitis quod non semper me servabit, ego contra dico me semper exaudiri, et spero semper servandum. Porro in fine Psalmorum sicut poni solet *amen*, vel *in æternum*, vel *alleluia*, ut patet legentibus, ita recte ponitur *semper*, quod significat desiderium, ut sint firma et rata, quæ dicta sunt. Ita hoc loco, « super populum tuum benedictio tua semper, » id est, semper sit, ac si diceret : *Amen*, vel *jugiter*, ut alibi.

PSALMUS IV.

V. v.—1. *In finem in carminibus : Psalmus David.*

2. Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendaciu m?

4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5. Irascimini, et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo.

8. A fructu frumenti, vini et olei sui, multiplicati sunt.

9. In pace in idipsum dormiam et requiescam.

10. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

V. s. h. — *Victori in canticis : Psalmus David.*

Invocantem me exaudisti me, Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Filii viri, usquequo, inclyti mei, ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? Semper.

Et cognoscite, quoniam mirabilem reddidit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini et nolite peccare : loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Semper.

Sacrificate sacrificia justitiæ, et fidite in Domino.

Multi dicunt : Quis ostendit nobis bonum ? Leva super nos lucem vultus tui, Domine.

Dedisti lætitiam in corde meo : in tempore frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt.

In pace simul requiescam, et dormiam, quia tu, Domine, specialiter securum habitare fecisti me.

Argumentum. — Psalmum hunc jure Ewaldus refert quoque ad Absalonicæ seditionis tempus. Verosimile est, ait, decantatum fuisse vespera hujus diei, quo incipiente David superius carmen cecinit. Cæterum strophæ tres. Vers. 2, auxilium implorat a Jova; vers. 3–6, monet hostes, ut cessent a scelestis molitionibus, quæ nihil sint effecturæ, quum ipse causæ suæ vindicem habeat Deum; vers. 7–9, firmiter sperat, fore, ut Jova ipsi ferat opem.

1. Præcentori, fidibus *canendum*, carmen Davidis.

2. Cum clamo, exaudi me, Deus justitiæ meæ *vindex*.
Tu, qui in angustiis spatium facis mihi,
miserere mei et audi preces meas.

3. Filii hominum, quousque *regia* mea dignitas *vobis* ignominiæ *erit?*
Amabitis inania, sectabimini mendacia? —Selah.

4. Scitote igitur, quod insignem fecit *hominem* pium erga ipsum;
Jova audit, quum clamo ad eum.

5. Contremiscite (Dei metu), et *cavete* ne peccetis (in incœpto perstantes)!
Mente vestra expendite super vestro cubili, et quiescite!
6. Offerte sacrificia justitiæ,
et spem vestram collocate in Jova.

7. Multi dicunt : « Quis salutem nobis videre faciet? »
Eleva super nos lumen vultus tui, Jova.
8. Dedisti lætitiam in corde meo *majorem*,
quam quum frumentum eorum et mustum eorum multa sunt.
9. Secure simul cubitum eo et dormio :
nam tu, Jova, solus
tuto manere me facis.

NOTÆ.

Vers. 1. *Præcentori,* partic. pih. verbi נצח cum artic. ל, non tam concentus musici moderatorem, quam *cantorem* designat, qui in exsecutione musica Psalmorum ipsi adsignatorum vel *solus cecinerit*, vel accinente choro *eximiam* saltem *egerit personam. Carmen,* a rad. זמר *incidit, divisit,* puta juxta mensuram certam, κατὰ μέτρον. — Vers. 2. *Cum clamo,* proprie *in clamando me, spatium facis.* Cf. Arabum solemnem hospitem salutandi formulam : *Amplitudinem tecum et mollitiem soli det Deus!* « Arabes enim, ait Reiske, ut dicunt : *Angusta est ei terra,* h. e. tam anxius est, ut nesciat, quo se convertat; ita quoque dicunt : *Ampla est ei terra,* seu securus est et lætus, quocumque vult ire potest absque timore. Volunt utique indicare : Tutus es, o hospes, apud nos et liber. Altera autem formula, qua *molle et æquabile solum* precantur, indicant, se ipsi omne genus gaudii optare. Nam tale solum vitæ hilaris imago habetur. » — Vers. 3. *Filii hominum,* proprie *filii viri,* pro *viri* simpliciter. Quidam inter *filios hominis* et *filios viri* hoc discrimen faciunt, ut *filii hominis* sint hominum *vulgus, filii* autem *viri,* ut hic habetur, sint Israelitarum *proceres.* Sed ejusmodi honesta compellatio loquentis affectui hic vix convenire videtur. *Inania, fallacia,* molitiones nihil effecturas.—Vers. 4. *Igitur,* proprie *et,* quod Hengstenberg explicat dicendo, *quousque,* etc., idem valere ac *desinite jam. Insignem fecit;* alii, *sibi selegit, separavit,* regiis honoribus decorandum. *Pium* Davidem. — Vers. 5. *Expendite,* quid agatis. *Quiescite,* proprie *tacete,* cessate ab incœpto. — Vers. 6. *Justitiæ* : Maurer, *justa,* debita in expiationem scelestæ molitionis; Hengstenberg, *justa,* a justis oblata. *Jova* errati veniam daturo.—Vers. 7. *Multi,* comitum puta regis fugitivi. Maurer secundum quoque commatis 7 membrum, a sociis regis dici vult. *Eleva,* pro נשא; conf. *Num.* VI, 25, 26. — Vers. 8. *Eorum,* hostium meorum. Hebræa vertas proprie..... *lætitiam* magnam, *præ* lætitia *temporis* quo *frumentum,* etc. *Simul* ut ivero, *dormio.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS IV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem in Hymnis Psalmus David.

Hic est titulus Psalmi quarti, in quo varietas est inter lectionem Hebraicam et Græcam; nam ex Hebræo, ut hodie habetur, vertit S. Hieronymus, *victori,* pro eo quod nos habemus ex Græco, *in finem,* et S. Hieronymum sequuntur omnes qui vocem Hebraicam interpretantur ad verbum, nec potest aliter exponi vox illa, למנצח *lamnazeach.* Nata est hæc varietas præcipue ex additione punctorum, et ex littera *m,* quæ forte accessit vitio librariorum. Nam Septuaginta Interpretes videntur legisse לנצח *lannezach,* quod significat *in finem,* ut patet ex primo versu *Psalmi* XII : « Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? » Et sane magna est auctoritas Septuaginta Interpretum, quos et doctissimos fuisse, et optimos codices habuisse dubitari non potest. Adde, quod et sententia est gravior secundum lectionem Septuaginta. Nam secundum Hebraicam lectionem significatur hunc Psalmum datum esse Victori in hymnis, id est Magistro cantorum, sive optimo cantori, qui præpositus est concinendis hymnis. Quæ res non videtur adeo gravis, ut debuerit exstare in divinis libris ad æternam rei memoriam. At secundum lectionem Septuaginta Interpretum, significatur hunc Psalmum esse canendum usque in finem, id est perpetuo, sive frequentissime, quod est signum, Psalmum esse unum ex utilioribus. Accedit etiam intelligentia mystica, quod sit Psalmus ad Christum pertinens, qui est finis Legis et Prophetarum. Illud, *in hymnis,* posset etiam verti : in pulsatione in-

strumentorum musicorum, siquidem נגן *nagan* significat instrumentum, unde nomen נגינה *neghina, pulsatio;* sed accipitur etiam passim pro laude, sive carmine, atque hymno. Itaque sensus erit : Psalmus David inter hymnos canendus perpetuo, atque ipsum Christum proprie respiciens; atque hoc idem dicendum est de aliis, qui sequuntur, eodem titulo inscriptis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers 1. **1. CUM INVOCAREM, EXAUDIVIT ME DEUS JUSTITIÆ MEÆ, IN TRIBULATIONE DILATASTI MIHI.**

Hunc Psalmum canit David in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet animæ fidelis, quæ exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, et fiduciam ponant in Domino, declinent a malo, et faciant bonum. Ponit igitur exemplum suum dicens : Ego, cum invocarem Deum in tempore tribulationis, exauditus sum. « Exaudivit *enim* me Deus justitiæ meæ, » id est Deus, a quo est omnis mea justitia, hoc est, cujus gratia me justum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus dicens : « In tribulatione dilatasti mihi. » Deus aliquando exaudit removendo tribulationem, aliquando dando patientiæ virtutem, et hoc est majus beneficium; aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando, et hoc est beneficium maximum, et de hoc loquitur Psalmus. Tribulatio enim angustias facit, gaudium dilatat corda : sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, et tribulatio ei non angustias, sed dilatationem affert. Mutatio vero personæ de tertia in secundam additur, ad significandum unde veniat illa dilatatio, nimirum ex illapsu Dei in cor tribulati, juxta illud : « Cum ipso sum in tribulatione, » *Psalm.* XC. Itaque sensus est : Cum invocarem Deum tribulatione pressus, exaudivit me; quod inde scio, quia tu, Domine, cordi meo dulcissimam tuam præsentiam exhibens, miro modo angustias tribulationis in latitudinem convertis lætitiæ. « Superabundo gaudio, inquit Apostolus, in omni tribulatione nostra. » Illud autem, *dilatasti mihi,* phrasis est Hebraica, pro *dilatasti me.*

Deus quomodo exaudiat?

Vers. 2. **2. MISERERE MEI, ET EXAUDI ORATIONEM MEAM.**

Postulat continuationem gratiæ, ac si dicat : Ita, Domine, semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti. Novit enim sanctus Propheta nos in hac vita semper obnoxios esse periculis, nisi misericordia ejus non solum præveniat, sed etiam comitetur et subsequatur.

Vita hæc nostra semper periculis obnoxia.

Vers. 3. **3. FILII HOMINUM, USQUEQUO GRAVI CORDE? UT QUID DILIGITIS VANITATEM, ET QUÆRITIS MENDACIUM?**

Lectio Hebraica multum discordat a Græca, ex qua latina nostra Vulgata derivatur; sic enim ad verbum legitur hebraice : *Filii viri, usquequo gloriosi mei ad ignominiam diligentes vanitatem, quæritis mendacium?* Sed facile apparet unde nata sit varietas; nam, sublatis punctis quibus carebant libri Hebraici ante Christi adventum, et una littera in aliam similem commutata, existit lectio nihil discrepans a Græca. Verba Hebraica nunc ita sonant, כבודי לכלימא *chevodi liclimma, gloria mea ad ignominiam.* Sic autem legerunt Septuaginta, כבודי לב למה *chevude leb lamma, graves corde usquequo.* Ac, ut sæpe diximus, credibile est emendatiores codices Hebraicos fuisse temporibus Septuaginta Interpretum, quam nunc sint. Itaque lectio nostra vulgata omnino conservanda est, quippe quæ conformis reperitur lectioni Hebraicæ, quam Septuaginta Interpretes emendatiorem habuerunt. Neque tamen in sensu discordia est magni momenti, imo una lectio aliam adjuvare videtur. Sententia igitur hæc est : « Filii hominum, usquequo graves corde, » id est, quamdiu cor habetis lapideum, durum ad terram inclinatum, non cogitantes nisi bona terrena? Corda enim ex sententia Domini, *Luc.* XXI, « gravantur crapula et ebrietate, et curis hujus mundi; » et quia corda dura non recipiunt supernas cogitationes, sed solum terrenas et transitorias, ideo non diligunt nisi terrena et transitoria; et quoniam ea sola quærimus diligenter, quæ ardenter diligimus, ideo subjungit Propheta : « Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Dicuntur autem bona terrena, vana, falsa, quia nec solida sunt, nec stabilia, quamvis talia esse videantur, et propterea merito falsa et fallacia dici possunt, præsertim si comparentur ad æterna. Additur in Hebræo *sela,* id est *semper,* quod recte ponitur hoc loco : id enim valde mirum est, quod homines non tantum initio mundi, nec solum initio vitæ, sed in omni sæculo et in omni ætate, post tam longam experientiam, res humanas et fallaces tanto studio consectentur. Lectio Hebraica Græcam et Vulgatam adjuvat. Nam iidem homines, qui propter naturæ corruptionem sunt *filii hominum,* et *graves corde,* iidem ex imagine Creatoris, ad quam formati sunt, recte dici possunt gloriosi atque inclyti, et ideo valde ignominiosum illis est diligere et quærere bona temporalia, vana et falsa, quæ sub pedibus habent; et non diligere, neque quærere sempiterna, solida et vera, unde originem atque imaginem trahunt. Magna est hæc increpatio, quæ non ab homine mendace, sed a spiritu veritatis procedit.

Filii hominum quomodo gloriosi dici possint?

Vers. 4. **4. ET SCITOTE, QUONIAM MIRIFICAVIT DOMINUS SANCTUM SUUM : DOMINUS EXAUDIET ME, CUM CLAMAVERO AD EUM.**

Hæc est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhærere temporalibus, quia videlicet venit ad nos de cœlo Sanctus Dei, id est Filius Dei, qui solus inter omnes homines impec-

cabilis fuit. Unde etiam dæmon in Evangelio clamabat *Marc.* I: « Scio qui sis, Sanctus Dei. » Hic autem Sanctus pertransiit benefaciendo, et mala tolerando, temporalia despiciens, et sempiterna prædicans, et tandem hoc novo itinere gradiens ad summam felicitatem pervenit, sedens in cœlo corpore et animo in æternum beatus. Et quoniam ille dux noster est, et præivit parare nobis locum, sine dubio si per vestigia ejus ambulamus, ad veram et sempiternam felicitatem perveniemus. Scitote igitur, quia Dominus Deus sanctum suum Christum, quia temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit, resuscitans ab inferis, et in cœlo ad dexteram suam constituens. Et quoniam non solum dux noster est, sed etiam advocatus et mediator, ideo subjungit David «Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum,» id est, nunc potissimum certo confido me semper exaudiendum, cum sciam esse in dextera Dei mediatorem,, qui interpellat pro nobis.

Vers. 5. 5. IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE : QUÆ DICITIS IN CORDIBUS VESTRIS, IN CUBILIBUS VESTRIS COMPUNGIMINI.

Post increpationem gravissimam et admonitionem, ut resipiscant filii hominum, instruit eos Spiritus Sanctus quid agere debeant, ac docet ut sancta quadam iracundia exardescant, et resistant pravis desideriis, et eo modo peccatum vitent: quod si forte peccaverint, continuo doleant et compungantur, neque contenti sint declinare a malo, sed etiam sacrificent sacrificium justitiæ faciendo bonum. « Irascimini, inquit, et nolite peccare, » id est, cum surgunt pravi et rebelles motus, qui sunt initia et radices omnium peccatorum, irascimini naturæ vestræ corruptæ, et resistite, ita ut non peccetis. Ad hoc enim nobis data est ira a Deo (ut docet S. Basilius in Oratione *de Ira*), ut sit cos virtutis. Vox Hebræa רגזו *rigzu* significat etiam, *pavete, contremiscite,* quod etiam recte quadrat in hunc locum. Debemus enim statim tremere et pavere, cum apparet caput serpentis, id est mala suggestio. « Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. » In Hebræo legimus ad verbum : *Dicite in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete;* in Græco vero sic : *Quæ dicitis in cordibus super cubilia vestra, compungimini;* ex quibus intelligimus nostram lectionem sic esse ordinandam : Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris, de his compungimini tacentes. Sensus igitur est : tempore nocturno cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis curis, tunc in cordibus vestris cogitate omnia vestra errata, et quæ dicitis et confitemini apud vos in corde, de his coram Deo, tacentes præ verecundia, compungimini. Fuisse autem solitum Davidem in cubilibus recogitare peccata, propter opportunitatem secreti et silentii nocturni, potest intelligi ex illis verbis *Psalm.* VI : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. » Itaque quod ipse faciebat, alios monet, ut faciant.

Ira nobis data est, ut sit cos virtutis.

6. SACRIFICATE SACRIFICIUM JUSTITIÆ, ET SPERATE IN DOMINO : MULTI DICUNT, QUIS OSTENDIT NOBIS BONA? Vers. 6.

Addit nunc alteram partem justitiæ, videlicet, ut non solum declinent a malo, sed etiam faciant bonum. Vocat autem opera bona sacrificium justitiæ, quia opera justa placent Deo valde, et per ea Deus honoratur. « Videant, inquit Dominus, opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, » *Matth.* VI. Apostolus loquens de eleemosyna : « Accepi, inquit, quæ misistis in odorem suavitatis; » et de jejunio aliisque bonis operibus corporalibus, *Ephes.* V : « Obsecro vos, inquit, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam beneplacentem. » Addit autem : « Et sperate in Domino, » ad tollendam præsumptionem, quæ bonis operibus insidiatur: bene operari nos oportet, sed ita tamen, ut non superbe confidamus de operibus nostris, ut Pharisæus ille, qui dicebat *Luc.* XVIII : « Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum : jejuno bis in sabbato, » etc. Sed in Domino speremus, qui dabit peccata vitare, bona opera facere, et ad portum salutis pervenire. Sicut enim præsumptio est venenum corrumpens meritum operum bonorum, sic humilitas de viribus propriis diffidens, et in Domino spem reponens, est veluti sal condiens et conservans omnia recte facta. « Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? » In Hebræis codicibus incipit hoc loco novus versus; sed in Græcis et Latinis pertinent hæc verba ad versum superiorem : sed non est varietas magni momenti. Ponit hoc loco Propheta communem carnalium hominum objectionem; et quia stultorum infinitus est numerus, ideo ait : « Multi dicunt, » id est, cum prædicamus contemptum rerum temporalium, atque ad innocentiam et justitiam exhortamur, plurimi dicunt, quis ostendet nobis bona, si hæc quæ videmus et tangimus bona non sunt? Quis rediit ab inferis? Quis ascendit in cœlum? Potest etiam per illud, *bona,* intelligi justitia et probitas; quia enim dixerat : « sacrificium justitiæ, » objiciunt improbi : quid est hæc justitia? quis nobis ostendet viam justitiæ?

7. SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI, DOMINE, DEDISTI LÆTITIAM IN CORDE MEO. Vers. 7.

Respondet Propheta viam justitiæ nobis a Deo demonstratam esse, et nos habere magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis : hoc enim lumen signatum est, et impressum indelebiliter super nos, id est, in suprema parte hominis. Habemus enim partem inferiorem, corpus, partem superiorem, animam : et in ipsa anima partem inferiorem, qua vivimus et sentimus; et superiorem, qua

ratiocinamur et sapimus. In hac igitur suprema parte est lumen, quo distinguimur a bestiis; estque hoc lumen derivatum a vultu Dei, quia id nos facit esse ad imaginem et similitudinem Dei. Et ex hoc lumine possumus intelligere primum viam justitiæ: lex enim naturalis scripta in corde, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, docet non faciendum alteri quod nobis ab aliis fieri nolumus; proinde non furandum, non mœchandum, etc. Possumus etiam intelligere adjuti gratia Dei nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad Deum : bonum enim imaginis est, quam simillimam esse exemplari. Ex hac autem cogitatione existit in voluntate ingens lætitia, spes et amor erga Deum. Quid enim dulcius, quam cogitare se esse imaginem vivam rei infinitæ pulchritudinis, et se exemplari suo omnipotenti esse charissimam? Quia vero non omnes hoc experiuntur, ideo David non ait : Dedisti lætitiam in cordibus eorum; sed « Dedisti lætitiam in corde meo, » quod idem omnes justi et pii dicere possunt. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur : *Signa super nos lumen vultus tui;* et nos habemus : « Signatum est super nos lumen vultus tui; » nam litteræ eædem, mutatis punctis, efficiunt, *signatum est.* Et hanc veram lectionem esse credimus, quia Septuaginta Interpretes melius noverant quomodo legendæ essent illæ litteræ, quam Rabini posteriores, qui puncta addiderunt.

Bonum imaginis est, esse quam simillam exemplari.

Vers. 7. 8. A FRUCTU FRUMENTI, VINI, ET OLEI SUI MULTIPLICATI SUNT.

Addit Propheta aliud argumentum ex quo possunt homines intelligere Deum esse auctorem omnium bonorum, quia videlicet ipse est, qui temporibus suis multiplicat fruges, et producit fructus omnes. Sic etiam B. Paulus *Act.* XIV : « Non sine testimonio reliquit semetipsum, dans pluvias, et tempora fructifera, replens cibo et lætitia corda nostra. » « A fructu, inquit, frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt, » id est aucti sunt, sive creverunt in bonis temporalibus ob illorum trium præcipue fructuum abundantiam. Vox enim Græca, ἐπλήθυσαν, quam Interpres reddidit, *multiplicati sunt*, significat etiam aucti sunt, sive creverunt, et sic exponendam esse docet etiam textus Hebraicus, ubi ad verbum habemus, *frumentum et vinum eorum multiplicata sunt.* Parum etiam refert, quod in Hebræo non fit mentio olei : nam vel excidit ea vox, vel Septuaginta Interpretes eam addiderunt explicationis gratia. Scriptura enim passim hæc tria conjungere solet.

9. IN PACE IN IDIPSUM DORMIAM, ET REQUIESCAM. Vers. 9.

Concludit Psalmum David dicens : Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquiescere volo. « Ego, inquit, in pace, » id est cum tranquillitate animi; « in idipsum, » id est conjunctim, pariter, simul; « dormiam et requiescam, » id est, securus cubabo ad dormiendum, et reipsa quietissime dormiam. Voces enim tam Hebraicæ quam Græcæ pro quibus habemus, *dormiam et requiescam,* significant proprie *jacebo,* sive *cubabo, et dormiam.* Sed non male noster Interpres vertit, *dormiam et requiescam,* quia qui cubat, ut dormiat, dici potest dormire; et qui dormit, præsertim somno placido, dici potest quiescere. Possunt etiam hæc referri ad futuram requiem in cœlo : tunc enim vere summa pax erit ex unione cum Deo, et summa ac verissima requies. Illud *in idipsum,* quod frequentissime occurrit in Psalmis, in Hebræo est יַחְדָּו *iachdau,* quod S. Hieronymus et alii vertunt *pariter,* sive *simul;* Septuaginta Interpretes ubique reddunt, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est *in idipsum* : sed idem est sensus; nam *in idipsum* idem est, quod conjunctim et simul. S. Augustinus per *idipsum* intelligit Deum, qui solus est semper idem ipse, æternus et immutabilis, juxta illud, *Psalm.* CI : « Tu autem idem ipse es : » acuta, et pia interpretatio, sed mystica, non litteralis.

10. QUONIAM TU, DOMINE, SINGULARITER IN SPE CONSTITUISTI ME. Vers. 10.

Reddit causam, cur velit in Deum projicere omnem sollicitudinem, sive cur in futuro sæculo in pace dormiturum et quieturum se dixerit. Ratio enim est, quoniam Deus verissimis et fidelissimis suis promissionibus eum in sola spe constituerit, id est habitare fecerit. Id enim significat vox Hebræa et Græca. Itaque vir justus et amicus Dei in sola spe divina habitat, tanquam in tutissima domo; agit quod potest pro vita præsenti et futura: at non confidit in propriis viribus, neque in ulla re creata, sed in Deo solo, et ideo non confunditur, securus dormit, et securus dormiet in sæculo futuro.

PSALMUS V.

V. V.—1. *In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*

2. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

3. Intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus.

V. S. H.—*Victori pro hæreditatibus, Psalmus David.*

Verba mea audi, Domine, intellige murmur meum.

Adverte ad vocem clamoris mei, rex meus, et Deus meus, quia te deprecor.

4. Quoniam ad te orabo : Domine, mane exaudies vocem meam.

5. Mane astabo tibi : et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

6. Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

7. Odisti òmnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9. Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

11. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.

12. Et lætentur omnes, qui sperant in te; in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, 13. quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Domine, mane audies vocem meam, mane præparabor ad te, et contemplabor.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, nec habitabit juxta te malignus.

Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum, odisti omnes operantes iniquitatem.

Perdes loquentes mendacium, virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua propter insidiatores meos, dirige ante faciem meam viam tuam.

Non est enim in ore eorum rectum : interiora eorum insidiæ : sepulcrum patens guttur eorum, linguam suam lævificant.

Condemna eos, Deus, decidant a consiliis suis, juxta multitudinem scelerum eorum expelle eos : quoniam provocaverunt te.

Et lætentur omnes, qui sperant in te, in perpetuum laudabunt : proteges eos, et lætabuntur in te qui diligunt nomen tuum.

Quoniam tu benedices justo, Domine, ut scuto placabilitatis coronabis eum.

Argumentum. — Canticum matutinum, Absalonicæ seditionis tempore, ut plerique putant, compositum. Censet Hengstenberg supervacaneum esse, æque ac difficile, investigari ad quem præcise temporis articulum referendus sit hic Psalmus, siquidem in eo David, non tam suo, quam justorum in genere nomine loquitur. Strophæ tres, vers. 2-3 : Opem tuam, o Jova, invoco; vers. 4-8 : Eam spero, neque enim ferre potes, quales sunt qui me vexant, homines impios, ego vero te pie colo; vers. 9-13 : Defende me a pessimis istis hominibus, eosque de statu suo deturba.

1. Præcentori, ad tibias, carmen Davidis.

2. Attende ad sermones meos, Jova,
percipe meum gemitum.
3. Aurem præbe voci clamoris mei, mi rex et mi Deus.
nam ad te precor.

4. Jova, mane audis vocem meam;
mane adparo me ad te, et speculor.
5. Neque enim Deus qui improbitate delectetur, tu *es*,
nec apud te habitat malignus.
6. Non subsistunt vesani ante oculos tuos;
odisti omnes maleficos.
7. Perdis loquentes mendacia;
virum sanguinis et fraudis abominatur Jova.

8. Ast ego per magnam tuam bonitatem domum tuam ingredior,
ad templum tuum sanctum adoro in timore tuo.

9. Jova, duc me in justitia tua propter insidiatores meos,
complana ante me viam tuam.
10. Nam in ore ejus (eorum) nihil est veri,
intimum eorum pravitas,
sepulcrum apertum guttur eorum,
lævem faciunt suam linguam.
11. Jube eos pœnas luere, Deus : consiliis suis excidant,
ob multitudinem delictorum suorum detrude eos,
quoniam rebellarunt in te.
12. Et lætentur omnes qui tibi confidunt,
in perpetuum jubilent, et tu protegas eos,
et exsultent in te omnes qui amant nomen tuum!
13. Nam tu pium fortunas, Jova;
gratia, tanquam clypeo, circumdas *eum*.

NOTÆ.

Vers. 1. *Ad tibias*, a חלל *perfodit*: ita post Chaldæum recentiorum plerique. Hitzig censet נחלות τῷ indicari carmen quoddam, cujus ad numeros Psalmus hic cani debebat. Hengstenberg cum veteribus vertit *super hæreditatibus*, ut hoc Psalmo tum justorum tum improborum *sors* describatur. Vers. 2. *Gemitum*, internum sensum; alii *æstum*, vel *meditationem*.—Vers. 4. *Adparo me*, excubias ago, et circumspicio, auxilium tuum exspectans. Alii, *adparo, dispono precem meam*. —Vers. 5. Est litotes, qualis *Odyss*. XV, 83.—Vers. 6. *Vesani*; Hengstenherg, *superbi, gloriantes*.—Vers. 8. *Ingredior*, vel *ingrediar*, gratias tibi, eversis tuo auxilio hostibus, redditurus. *Ad templum*, gall. *à ton saint temple*, non *in templo*; intelligitur locus in quo tum erat arca, ita vocatus I *Sam*. I, 9; III, 3, quo nonnisi Levitæ et sacerdotes intrabant. *In timore tuo*, pio et reverenti animo; alii, *propter tui reverentiam*, ut parallelismus cum *per magnam bonitatem tuam* melius servetur.—Vers. 9. *In justitia tua*; Maurer, *in justitia quam tu a me exigis*, ne si faciam aliquid legi divinæ contrarium, insidiatores me perdendi occasionem nanciscantur: ita quoque Vatablus. Melius Hengstenberg, *in justitia tua*, qua scil. Deus innocentes adversus vim violentorum injustam defendit: quæ explicatio congruit cum τῷ *nam* in vers. seq. *Tuam*, qua tu me incedere jubes.—Vers. 10. *Guttur eorum* profert verba pestilentia et mortifera, ut sepulcrum apertum; alii: Ut facile caditur in sepulcrum apertum, ita, nisi caveant, homines blanditiis eorum seducuntur: ita Ewaldus.—Vers. 11. *Detrude eos* in exitium.—Vers. 12. *Lætentur*, etc., alii *lætabuntur*, etc., eodem sensu. *In te*, de te tuoque auxilio. *Nomen tuum*, i. e. te.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS V.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.

Hic titulus varie exponitur, propterea quod in Hebræo quædam vox est, נחילות *nechilot*, quam Rabbini, et qui Rabbinos sequuntur, significare volunt instrumentum musicum. Sed a Catholicis omnino rejiciendi sunt, cum S. Hieronymus hebraicæ linguæ peritissimus verterit, *pro hæreditatibus*; et Septuaginta adhuc peritiores, et quibus lingua Hebræa patria erat, verterint, *pro ea quæ hæreditatem consequitur*. Et verba ipsa Hebraica has interpretationes omnino recipiunt, siquidem נחל *nachal hæreditare* significat; נחלות *nachalot, hæreditates*; נחלת *nochelet, eam quæ hæreditat*. Credibile igitur est textum Hebraicum diuturnitate temporis una, vel altera littera immutatum peperisse has varietates: sed in re dubia Septuaginta Interpretibus fides habenda est magis, quam recentibus Rabbinis, præsertim cum S. Hieronymi versio magis faveat Septuaginta, quam Rabbinis. Igitur hic Psalmus compositus est in persona Ecclesiæ, quæ hæreditatem salutis æternæ quotidie in suis membris consequitur, et in fine mundi tota Ecclesia similis

est columbæ. consequetur. Quia vero Ecclesia pro meliore sua parte, similis est columbæ, quæ perpetuo gemit, et innocentiam custodit, ideo in hoc Psalmo columbæ officium exercens, partim orat, partim peccatum detestatur. Quod ipsum facere debent omnes, qui pertinent ad columbam; sic enim unimur Deo, in quo consistit hæreditas, si oratione trahimus Deum ad nos, et puritate vitæ propinquamus ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. VERBA MEA AURIBUS PERCIPE, DOMINE, INTELLIGE CLAMOREM MEUM.

Vers. 2. 2. INTENDE VOCI ORATIONIS MEÆ, REX MEUS, ET DEUS MEUS.

Tribus modis fieri potest ut aliquis non audiatur ab aliquo : vel quia ille non percipit sonum verborum, vel quia non percipit significationem eorumdem verborum, vel quia non attendit intentus aliis rebus. Deus quidem omnia percipit, et intelligit, et semper attendit : sed dicitur aliquando non percipere, vel non intelligere, vel non attendere, quia sic orantem contemnit, ac si non perciperet, vel non intelligeret, vel non attenderet. Ideo sanctus Propheta, oraturus Deum, initio postulat ut Deus percipiat, intelligat et attendat. Porro Deus orantem contemnit, ac si non perciperet sonum verborum, quando is, qui orat, ita distrahitur, ut nec ipse verba sua percipiat; vel ita frigide orat, ut oratio sursum ascendere non possit. Tunc vero Deus ita se habet, ac si non intelligeret quid petatur, quando is qui orat nescit quid petat, petens ea quæ sibi non sunt utilia, etiamsi attente et ferventer oret, atque adeo clamet. Tunc denique Deus similis est non attendenti, quando orans non est dignus, qui audiatur, vel quod sine debita humilitate, fiducia, aliisque debitis circumstantiis oret, vel quod sit peccator, et de pœnitentia nondum cogitare inceperit. Propheta igitur miro artificio a Spiritu Sancto edoctus, orat Deum pro dono bene orandi, videlicet ut detur ei sic orare, ut opus est, ad hoc ut Deus non repellat orationem, sed percipiat sonum, intelligat clamorem, et intendat orationi. Addit autem, *rex meus*, ut facilius impetret : solet enim bonus rex audire populum suum; adjungit vero, *et Deus meus*, ut ostendat se non solum esse populum Dei quasi regis, sed etiam creaturam ejus, et in omnibus ab eo pendere, et sine eo nihil.

Vers. 3. 3. QUONIAM AD TE ORABO, DOMINE, MANE EXAUDIES VOCEM MEAM.

Reddit rationem cur petierit audiri a Domino : quoniam, inquit, ad te orabo, id est, quia studium meum præcipuum futurum est oratio, ideo tam sollicitus sum de auditione. Et quia studium orandi non solum est mihi præcipuum, sed etiam primum, ideo summo mane antequam aliud ullum opus aggrediar, tu, Domine, audies vocem meam : nulli enim loquar antequam tibi. « Tu labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam, » ut dicitur *Psalm.* L.

Vers. 4. 4. MANE ASTABO TIBI, ET VIDEBO, QUONIAM NON DEUS VOLENS INIQUITATEM TU ES.

Non solum, inquit, mane orabo, sed etiam adstabo tibi, id est, conabor me præsentem tibi exhibere; et contemplabor (id enim sonat vox Hebræa) in illo silentio matutino, antequam irruat turba negotiorum hujus vitæ. Materia vero præcipua contemplationis meæ erit considerare, nihil te magis odisse, quam peccatum; innocentiam, et justitiam tibi summopere gratam esse, cum tu sis lux, et justitia, et ideo si tibi placere volo, innocentiam et justitiam mihi sectandam esse, et iniquitatem odio habendam.

Vers. 5. 5. NEQUE HABITABIT JUXTA TE MALIGNUS, NEQUE PERMANEBUNT INJUSTI ANTE OCULOS TUOS.

Non solum Deus non vult iniquitatem, sed neque vult homines iniquos : ideo « non habitabit, inquit, juxta te malignus, » id est, non propinquabit tibi jure amicitiæ; « neque permanebunt injusti ante oculos tuos, » id est, non diu respicies oculo clementiæ injustos. Nunc enim Deus respicit etiam injustos oculo clementiæ, id est eis concedit multa temporalia bona, sed hoc non diu durabit. Brevi enim projiciet illos a facie sua in æternum interitum.

Vers. 6. 6. ODISTI OMNES QUI OPERANTUR INIQUITATEM ; PERDES OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.

Vers. 7. 7. VIRUM SANGUINUM, ET DOLOSUM ABOMINABITUR DOMINUS.

Non solum Deus non vult iniquitatem; nec solum non vult amicitiam cum iniquis, sed illos odit, et perdere vult, ac re ipsa perdet; et quoniam peccata committuntur opere, verbo et cogitatione, sive desiderio, ideo singula Psalmus enumerat, primo operantes iniquitatem, secundo loquentes mendacium, quod de pernicioso intelligitur; tertio virum sanguinum, id est crudelem, sanguinis appetentem; et dolosum, id est, qui dolos meditatur, et struit.

Vers. 8. 8. EGO AUTEM IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ INTROIBO IN DOMUM TUAM, ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM TUUM IN TIMORE TUO.

Dixerat Propheta, matutino tempore se contemplaturum quantopere Deus peccatum et peccatores aversetur. Exponit nunc fructum contemplationis, ac dicit : « Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, » id est confisus in multa misericordia tua, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, « introibo in domum tuam, »

quæ est domus orationis; « et adorabo ad templum sanctum tuum, » id est, prosternar coram tabernaculo tuo; « in timore tuo, » timens ac tremens implorabo auxilium tuum.

Vers. 9. 9. DOMINE, DEDUC ME IN JUSTITIA TUA, PROPTER INIMICOS MEOS : DIRIGE IN CONSPECTU TUO VIAM MEAM.

Hæc est oratio, qua orat in domo Dei, videlicet, ut Deus eum deducat in justitia sua, id est ut eum ducat per semitas justitiæ faciendo illum implere omnia mandata divina, et sic vitare omnia peccata, et quod idem est, dirigat in conspectu suo viam ejus, id est faciat eum ambulare per viam rectam, Deum semper præ oculis habendo. Id vero potissimum orat propter inimicos, sive (ut habetur in Hebræo) propter insidiatores suos; necessarium enim est divinum auxilium dirigens et protegens, prævenientes et subsequens propter multitudinem hostium, qui nobis insidiantur, et ad peccata pertrahere conantur, sive ii dæmones sint, sive homines terrentes, vel allicientes. Vocat enim inimicos, omnes, qui impediunt viam salutis, etiamsi aliqui amicissimi videantur; nam « inimici hominis domestici ejus, » ut est apud *Matth.* cap. x. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur : *Dirige in conspectu meo viam tuam*, quomodo etiam haberi in editione Septuaginta Interpretum testatur S. Hieronymus, in epist. *ad Suniam et Fretellam*, et in nostro Græco et Latino : *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Nam sensus in idem recidit, sive dicas secundum Hebræos codices : *Dirige in conspectu meo viam tuam*, id est, fac ut inveniam et videam viam tuam rectam; sive secundum Græcos et Latinos : *Dirige in conspectu tuo viam meam*, id est, fac ut ambulem coram te per viam rectam. Semper enim petitur gratia incedendi per viam mandatorum Dei.

Vers. 10. 10. QUONIAM NON EST IN ORE EORUM VERITAS : COR EORUM VANUM EST.

Vers. 11. 11. SEPULCRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT.

Reddit rationem, cur velit auxilium contra inimicos insidiantes, quia videlicet illi nihil intendunt, nisi decipere, et difficile est insidias eorum vitare. « Non est, inquit, in ore eorum veritas, » quia si terrent, decipiunt, persuadentes fugam exigui mali, ut inducant in maximum malum; si alliciunt, decipiunt, persuadentes prosecutionem exigui boni, ut adducant in jacturam summi boni. « Cor eorum vanum est » intus, et extra perversi sunt : non sapiunt, nec appetunt nisi vana, ideo non possunt loqui nisi vana. Idem autem repetit in versu sequenti, sed ordine mutato; nam quod dixerat : « Cor eorum vanum est, » repetit, dicens : « Sepulcrum patens est guttur eorum; » et quod dixerat : » Non est in ore eorum veritas, » repetit dicens : « Linguis suis dolose agebant. » Itaque cum dicitur guttur *sepulcrum patens*, significatur, guttur, seu os, et linguam, quæ sunt instrumenta loquendi, esse quasi os sepulcri; interiora vero sepulcri esse animam sive cor, ubi sunt desideria, et cogitationes horridæ, et fœtentes, quasi cadavera putrefacta, unde exhalat fœtor verborum mortiferorum. Et ideo addit : « Linguis suis dolose agebant, » hoc est, non solum falsa dicunt inimici mei, quia non est in ore eorum veritas, sed etiam dolosa, quia sub specie boni persuadent mala. In Hebræo est, *linguis suis blandiuntur*, quod in idem recidit.

Vers. 12. 12. JUDICA ILLOS, DEUS, DECIDANT A COGITATIONIBUS SUIS; SECUNDUM MULTITUDINEM IMPIETATUM EORUM EXPELLE EOS, QUONIAM IRRITAVERUNT TE, DOMINE.

Prophetia est potius quam imprecatio; significat enim Psalmus fore, ut inimici justorum, non solum non admittantur ad hæreditatem, de qua in titulo Psalmi, sed condemnentur ad æternas pœnas, et nihil obtineant eorum, quæ moliuntur. « Judica illos, » id est judicabis, vel, ut significantius habent Hebræa, *condemnabis illos*. « Decidant a cogitationibus suis, » id est frustrabuntur spe sua, qua sperabant se subvertere posse electos. « Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, » id est, pro meritis suis expellentur ab hæreditate in tenebras æternas. « Quoniam irritaverunt te, Domine, » id est, quoniam dum hominibus se nocere existimaverunt, non homines offenderunt, sed Deum, juxta illud : « Non te abjecerunt, sed me, » I *Reg.* VIII; et : « Non es mentitus hominibus, sed Deo, » *Act.* V.

Vers. 13. 13. ET LÆTABUNTUR OMNES QUI SPERANT IN TE : IN ÆTERNUM EXULTABUNT, ET HABITABIS IN EIS.

Vers. 14. 14. ET GLORIABUNTUR IN TE OMNES, QUI DILIGUNT NOMEN TUUM : QUONIAM TU BENEDICES JUSTO.

Vers. 15. 15. DOMINE, UT SCUTO BONÆ VOLUNTATIS TUÆ CORONASTI NOS.

Hic prædicit felicissimam hæreditatem electorum, quibus titulus Psalmi eam promiserat. Ac primo invitat justos ad lætitiam, ob spem bonam futurorum. « Lætentur omnes, qui sperant in te, » id est, etsi nunc in labore certaminis justi reperiuntur, tamen lætentur in spe, qui non sperant in vanitatibus, sed in Deo vero, et in tempore suo in æternum exultabunt laudantes Deum, qui habitabit in eis, id est, *super eos ad modum tentorii*, ut in Hebræo legimus; proinde ipsi in Deo erunt, et est Deus in eis, et erit Deus omnia in omnibus. Hæc autem exsultatio, et laus, quasi exterior, nascetur ex interna immensa lætitia et gloria. Nam « gloriabuntur in te, » o Deus, « omnes qui diligunt nomen tuum, » id est omnes vere justi. Charitas justos et amicos Dei facit. Charitas enim est, quæ justos et amicos, et filios Dei facit. Gloriabuntur autem, « quoniam tu benedices justo, » id est, unicuique justo benedices, et

benedicendo benefacies, reddendo eis coronam gloriæ, quam merentur. Et quoniam radix omnium bonorum est benevolentia Dei, qui nos elegit ante mundi constitutionem, cum ex illa procedat vocatio, justificatio, merita bona, et ipsa glorificatio; ideo concludit: « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, » id est, confiteor tibi, Domine, omnia nostra bona inde manare, quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, et undique protexit, ut scutum protegere solet milites. Cui simile est illud *Psal.* CII : « Qui coronat te in misericordia, et in mise- » rationibus. » Verbum Hebræum ambiguum est, quoad pronomen. Nam verti potest, *coronasti eum*, id est justum, cui benedixisti, et sic vertit S. Hieronymus. Potest etiam recte verti, mutatis punctis, *coronasti nos*, ut verterunt Septuaginta : sed sententia est omnino eadem.

PSALMUS VI.

V. V. — 1. *In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.*

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

4. Et anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo?

5. Convertere, Domine, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi?

7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

8. Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

9. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

10. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

11. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.

V. S. H. — *Victori in cantibus super octava. Psalmus David.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ego : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea conturbata est valde : et tu, Domine, usquequo?

Revertere, Domine, erue animam meam, salva me propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte recordatio tui : in inferno quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo : natare faciam tota nocte lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Caligavit præ amaritudine oculus meus : consumptus sum ab universis hostibus meis.

Recedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quia audivit Dominus vocem fletus mei.

Audivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Confundantur et conturbentur vehementer omnes inimici mei, revertantur et confundantur subito.

Argumentum.—Nihil in hoc Psalmo deprenditur, ait Hengstenberg, quod tituli fidem, *Carmen Davidis*, evertat. Quo autem tempore editus sit, vix certo definiri potest. Verosimile est, Davidem in gravissimas calamitates tunc incidisse, tum ex hostibus, tum ex morbo. Strophæ tres, vers. 2-4 : Quousque, Jova, patiere me tantis conflictari miseriis? Vers. 5-8 : Pereo, nisi succurras; vers. 9-11 : Spero firmiter, preces meas futuras esse ratas.

1. Præcentori, fidibus, ad modum instrumenti Scheminith, Davidis carmen.

2. Jova, ne in ira tua punias me,
neque in æstu tuo me castiges.
3. Miserere mei, Jova, nam tabesco;
sana me, Jova conquassata sunt ossa mea.

4. Et anima mea conquassata est valde;
et tu, Jova, quousque.....?
5. Revertere, Jova, libera animam meam;
serva me pro *insigni* tua gratia.
6. Nam non est in morte tui memoria;
in Orco quis te laudet?
7. Fessus sum gemitu meo,
omni nocte lectum meum madefacio,
lacrymis meis stratum meum humecto.
8. Marcuit præ mœrore oculus meus,
senuit propter omnes adversarios meos.

9. Recedite a me *insectando,* omnes *vos* facinorosi;
nam audiit Jova vocem fletus mei.
10. Audiit Jova supplicationem meam,
Jova precationem meam suscipiet.
11. Pudore afficientur et percellentur valde omnes hostes mei,
revertentur, pudore afficientur repente.

NOTÆ.

Vers. 1. *Ad modum Scheminith,* i. e. fidium gravioris soni. Alii, *ad octavam,* puta gravioris soni.— Vers. 3. *Tabesco,* languidus factus sum. *Conquassata,* et quasi soluta. *Ossa,* quæ sunt totius corporis fundamentum, pro *toto corpore.* — Vers. 4. *Quousque* in tantis miseriis me esse sines? — Vers. 5. *Revertere,* jam non a me aversus. — Vers. 6. *Memoria* et celebratio. *Orco,* animarum post mortem loco, quem Hebræi vates sibi fingunt a societate hominum in hoc mundo prorsus separatum, eumdemque tristem, tenebricosum, in quo perpetuum sit silentium: qualis revera erat ante Christum passum. — Vers. 7. *Gemitu meo,* gemendo. *Omni;* Rosenmullerus, *tota.* Cf. *Odyss.* XVII, 102 seq. — Vers. 8. *Mœrore;* alii, *indignatione.* — Vers. 11. *Percellentur* spe interitus mei frustrati. *Revertentur,* re infecta.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS VI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem in hymnis pro octava, Psalmus David.

Quod dicitur, *pro octava,* vel, ut habetur in Hebræo, על השמינית *hhal haschminith, super octavam,* videtur esse genus citharæ habentis octo chordas, vel aliquid simile. Nam in priore libro *Paralip.* cap. XV, ubi describuntur varia instrumenta, quibus canendi erant Psalmi, inter alia ponitur cithara super octavam. Non est tamen repudiandum, quod communiter dicitur, per *octavam* hoc loco significari diem ultimi judicii, quæ erit octava, quia sequetur post sex dies laboriosos hujus vitæ, et post septimam quietis animarum. Hic enim Psalmus est primus illorum septem, qui ad pœnitentiam pertinent. Neque verisimile est, quod Rabini, et eorum sectatores dicunt, hunc Psalmum compositum fuisse a Davide pro sanitate corporis recuperanda, quam videlicet amiserat ob adulterium et homicidium perpetratum. Scriptura enim satis declarat in II lib. *Regum,* quam pœnam exegerit Deus a Davide propter illius peccati reatum: neque usquam meminit morbi corporalis. Sed neque Ecclesia ab antiquissimis temporibus inter pœnitentiales hunc Psalmum, et primo etiam loco numerasset, nisi proprie, et ad litteram ad pœnitentiam pertineret. Itaque argumentum hujus Psalmi erit oratio peccatoris timentis divinum judicium, et ad reconciliationem aspirantis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME.

Petitio est hæc vere pœnitentis et contriti, qui super omnia peccatum odit. Nam tunc Deus arguit, id est accusat, et corripit peccatorem in ira et in furore, quando non castigat ut salvet ex amore paterno, sed castigat ut perdat, ac justitiæ

satisfiat. Quod facit in hac vita, quando percutit cæcitate et obstinatione, ut sit peccatum pœna peccati : in alia vero, quando perdit in gehennam. Iste igitur concussus horrore, et timens abyssum judiciorum Dei, non recusat flagellum pœnarum, quæ non separant a Deo, sed compellunt ad Deum; sed horret malum illud super omnia vere horrendum, id est tradi in desideria cordis sui, in passiones ignominiæ, obdurari et excæcari, et tandem in æternum separari a facie Dei. Porro ira et furor pro eodem hoc loco accipiuntur, sicut etiam argui et corripi : est enim (ut alias adnotavimus) familiare Prophetis id ipsum bis repetere, explicandi, vel inculcandi gratia.

Vers. 2. 2. MISERERE MEI, DOMINE, QUONIAM INFIRMUS SUM : SANA ME, DOMINE, QUONIAM CONTURBATA SUNT OSSA MEA.

Ad permovendum Deum, ut non in furore arguat, adducit pœnitens David aliquot argumenta; ac primum sumit ab infirmitate sua, quasi dicat : Non respicias, Domine, peccata mea, ut offensas tuas, sed ut miserias et ægritudines meas; proinde non punias, ut judex, sed cures ut medicus, ure et seca, si opus est, sed ex misericordia ad sanandum, non ex justitia ad perdendum. Vere enim peccata miseriæ sunt, et quo sunt magis ex malitia commissa, eo sunt majores miseriæ; et quo minus nos ea cognoscimus et timemus, eo miseriores sumus. Ergo, inquit, « miserere mei, quoniam infirmus sum, » id est, respice misericorditer peccata mea, quæcumque illa sint, ut ægritudines et morbos animæ meæ, quæ me debilem et imbecillem reddiderunt. « Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. » Idem repetit aliis verbis. Deus enim, si misereatur, miseriam tollit, et proinde sanat, atque ita idem est, « miserere mei » et « sana me. » Idem quoque est, « quoniam infirmus sum, » et « quoniam conturbata sunt ossa mea : » per ossa enim significatur robur, ac fortitudo; et tunc dicuntur ossa conturbari, quando fortitudo nutat, et robur frangitur, ac debilitatur. Poterant autem verba Græca et Hebraica sic etiam reddi : *Tremuerunt,* sive *tremefacta sunt ossa mea.*

Vere peccata miseriæ sunt.

Vers. 3. 3. ET ANIMA MEA TURBATA EST VALDE ; SED TU, DOMINE, USQUEQUO?

Alterum argumentum ducit a cognitione proprii peccati, sicut in *Psalm.* L : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. » Dicit igitur : Non solum miser sum, sed etiam miseriam meam agnosco, ac propterea anima mea se ipsam tam deformem ac miseram aspiciens, et horrens, turbata est valde, et conterrita salubriter, impatiens efficitur, et clamat : « Sed tu, Domine, usquequo » non misereris, non sanas? Habet vero magnam emphasim, illud, *usquequo,* sine alio verbo. Significat enim prolatum esse ab anima turbata, et non valente integram formare sententiam.

Vers. 4. 4. CONVERTERE, DOMINE, ET ERIPE ANIMAM MEAM : SALVUM ME FAC PROPTER MISERICORDIAM TUAM.

Hoc est argumentum tertium, quod a misericordia sumitur. « Convertere, » inquit, id est respice me. Nam respectus Dei est causa omnium bonorum nostrorum. « Converte faciem tuam, et salvi erimus. » Et alibi, *Psalm.* XXIX : « Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus. » Respexit Dominus Petrum, et flevit amare. Et Jacobus, cap. I, ideo vocat Deum *patrem luminum,* quia sicut sol aspectu suo illuminat, calefacit, vivificat corpora, sic Deus respiciens oculo pietatis, illuminat, accendit, vivificat animas. « Et eripe animam meam, » id est, educ de fovea, in quam cecidit; erue de laqueo venantium, quo capta et irretita tenetur; eripe de manibus inimicorum, quibus tradita est propter peccatum. « Salvum me fac, » id est, libera ab imminente damnatione ad infernum. Nam proprie salvare est liberare ab imminente mortis periculo. Notandus est autem ordo. *Primo,* Deus convertitur ad nos, ac nos respicit gratia sua. *Secundo,* nos convertimur ad illum, et sic anima eruitur a culpa. *Tertio,* liberati a culpa, salvamur a periculo imminentis damnationis. Hoc autem totum, quod fit in actu justificationis, non fit per ulla nostra merita precedentia (quid enim meretur impius, nisi pœnam?); sed per misericordiam Dei; ideo addit « propter misericordiam tuam, » quasi dicat : Audeo petere tam ingens donum, non quia dignus sum, sed quia tu misericors es.

Vers. 5. 5. QUONIAM NON EST IN MORTE QUI MEMOR SIT TUI : IN INFERNO AUTEM QUIS CONFITEBITUR TIBI?

Est hoc argumentum quartum a gloria Dei desumptum. Peto, inquit, non argui in furore, quia si ita fieret, ad mortem æternam sine dubitatione damnarer, et sic periret ex parte memoria tua et laus tua. Damnati siquidem ad gehennam, non recordantur Dei, ut eum laudent, neque ullus est in inferno, qui confiteatur Domino, id est laudet Dominum, confitendo ejus beneficia et mirabilia. Qui hunc locum intelligunt de morte corporali, et per infernum intelligunt sepulcrum, et sensum esse volunt, quod mortui in sepulcris jacentes Deum non laudant neque ejus memores sunt, cum nihil sentiant, allegant verba Ezechiæ apud *Isaiam* cap. XXXVIII : « Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; » et satis constat Ezechiam petivisse liberari a periculo mortis corporalis. Sed profecto locus etiam Ezechiæ debet intelligi de morte æterna, ac de inferno damnatorum. Nam tametsi Ezechias timebat mori corporaliter, timebat etiam mori in æternum, et cantavit canticum illud gratias agens Deo, quia intellexit ex dono corporalis sanitatis, tanquam ex signo divinæ benevolentiæ, sibi remissa fuisse peccata, et liberatum se esse a peri-

culo gehennæ, unde ait : « Tu autem eruisti animam meam, ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. » Et sane si de morte sola corporali hæc intelligerentur, valde exilia essent argumenta. Nam etsi mortui corporaliter, et in sepulcro jacentes non laudent Deum, tamen animæ eorum vivunt, et Deum laudant; et ipsa etiam corpora in sepulcro exspectant veritatem Dei, id est fidelitatem Dei de promissa resuscitatione. Soli illi sunt qui descendunt in lacum æternæ damnationis, qui non exspectant veritatem Dei, neque Dei recordantur in bonum, neque laudant, aut unquam laudabunt : atque ita hunc locum Ezechiæ intelligit S. Hieronymus in Commentario Isaiæ, et alii Patres.

Vers. 6. 6. LABORAVI IN GEMITU MEO, LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM, LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO.

Quintum argumentum ducit Propheta a fructibus dignis pœnitentiæ. Nam, ut Apostolus dicit, I *Cor.* XI : « Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, » id est, si nos ipsos damnaremus et puniremus, non damnaremur, nec puniremur a Domino. Parcit enim Deus iis, qui sibi non parcunt. Dicit igitur se non solum intelligere et detestari peccatum suum, sed etiam pro viribus punire et puniturum. « Laboravi, inquit, in gemitu meo, » id est, tam ingenti fletu peccata mea deploravi, ut fatigatus sim, nec tamen adhuc cesso. Nam « lavabo per singulas noctes lectum meum, » id est, singulis noctibus vice somni et quietis, ubertim peccata deflebo, et lacrymis stratum rigabo. Notanda est hoc loco abundantia et diuturnitas lacrymarum. Nam pro verbo *lavabo*, in Hebræo est, אשחה *asche, natare faciam*, ut etiam vertit S. Hieronymus ; et ipsum etiam Latinum *lavabo* non significat effusionem paucarum guttarum, sed tantam copiam, ut iis lectus lavari possit. Vox etiam *rigabo* insinuat ingentem copiam lacrymarum decurrentium instar rivuli. Illud autem, *per singulas noctes*, in Hebræo ambiguum est. Nam significare potest, per totam noctem, et sic vertit S. Hieronymus; potest etiam significare, in omni nocte, et sic acceperunt Septuaginta : utrumque mirabile est, et fortasse utrumque verum simul, id est, quod longo tempore singulis totis noctibus lacrymas copiosissimas fuderit. In quo speculo intueri se deberent, qui plurima et gravissima peccata committunt, et vix paucas lacrymæ guttas emittere valent, cum remissionem a Deo quærunt.

Vers. 7. 7. TURBATUS EST A FURORE OCULUS MEUS, INVETERAVI INTER OMNES INIMICOS MEOS.

Pertinent hæc ad effectum indicandum maximæ illius profusionis lacrymarum. Nam in Hebræo pro *turbatus est*, habetur *caligavit*, seu corrosus est oculus meus, ut sensus sit : oculus meus propter furorem et indignationem meam contra turpitudinem peccati, a fletu nimio corrosus caligavit, et turbatus est. Quod autem sequitur, *inveteravi*, in Hebræo refertur ad oculum, et est tertiæ personæ, inveteravit : tamen quia non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus vertit in prima persona, inveteravi, sive consumptus sum, credibile est lectionem Hebraicam nonnihil ab eo tempore immutatam, ut in voce עתקה *hatecha* desit unum *iod* in fine, et loco ה, debet esse ת, et legendum sit עתקתי *hatachti*, quæ mutatio facillime accidere potuit. Sensus igitur est : « Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos, » id est, quia inveterari inter omnes inimicos meos; et clarius : oculus meus caligavit præ fletu ex indignatione, quam concepi ex eo, quod tam diu in peccatis hæserim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos, quasi dicat : Non possum non vehementer mihi ipsi indignari, quod nullum vitium adhuc perfecte vicerim, nullumque hostem animæ meæ debellaverim, sed consenuerim inter omnes hostes meos. Vocat autem hostes, omnes, qui eum ad peccandum impulerunt, sive dæmones, sive homines, sive ipsa vitia et habitus malos.

Vers. 8. 8. DISCEDITE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM, QUONIAN EXAUDIVIT DOMINUS VOCEM FLETUS MEI.

Quia tam graviter ferebat se consenuisse inter hostes, ideo prorumpit in hanc vocem : « Discedite a me, » id est, nolo amplius consortium vestrum, non acquiescam tentationibus vestris, fretus divino auxilio. « Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei, » id est, quia Dominus misericordia motus ob lacrymas meas, non solum peccata dimisit, sed etiam virtutem auxit resistendi vobis.

Vers. 9. 9. EXAUDIVIT DEUS DEPRECATIONEN MEAM, DOMINUS ORATIONEM MEAM SUSCEPIT.

Explicat, quod dixerat, se exauditum, et idem repetit bis, terve, ad significandum certitudinem exauditionis, et ut ipse sibi hoc modo animum adderet, ad resistendum tentationibus.

Vers. 10. 10. ERUBESCANT, ET CONTURBENTUR VEHEMENTER OMNES INIMICI MEI : CONVERTANTUR, ET ERUBESCANT VALDE VELOCITER.

Concludit optans finem totalem bellorum spiritualium. « Erubescant, et conturbentur, » quia nihil profecerunt, sed in vanum laboraverunt; « convertantur » in locum suum, unde venerunt; « et erubescant, » id est, confusi discedant velocissime : quia nimirum nolo differre vitæ mutationem; sed ex hac hora, et hoc momento aggredior viam Domini rectam et perfectam. Potest

etiam hæc conclusio esse oratio pro conversione eorum hominum, qui vel persequendo, vel alliciendo causa peccandi illi fuerunt. Optat enim, et orat, ut illi erubescant et conturbentur per veram cognitionem et detestationem peccati, et sic ipsi quoque ad Deum velociter convertantur. Potest denique esse imprecatio implenda in die judicii. Tunc enim vere omnes impii, sive dæmones, sive homines, qui justos ad impatientiam, vel alia peccata inducere voluerunt, confundentur et erubescent, et convertentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter. Tunc enim dicent illud *Sap.* v : « Ergo erravimus a via veritatis, » etc. Erit autem id celeriter valde, quia dies Domini non tardat, etiamsi nobis nunc secus videatur. Sed cum venerit, et repentinus venerit, tunc sentietur quam celeriter venerit. In Hebræo habetur : *Erubescant, et conturbentur vehementer.* Quæ vox, *vehementer,* non habetur hoc loco in nostris codicibus Græcis et Latinis, sed fuisse in editione Septuaginta Interpretum, testatur S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam.* Sed si quis recte consideret, illa particula non deest in nostris codicibus, sed posita est paulo inferius. Nam ubi nos habemus, « convertantur, et erubescant valde velociter, » in Hebræo non habetur *valde,* sed solum *velociter.* Ex quo intelligimus non esse sensum : erubescant valde velociter, sed : erubescant valde, et erubescant velociter. Et hoc modo codices omnes concordes erunt.

PSALMUS VII.

V. V.—1. *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.*

2. Domine Deus meus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

3. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

4. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

6. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

7. Exsurge, Domine, in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti : 8. Et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere.

9. Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

11. Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

12. Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies?

13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum.

V.S. H.—*Psalmus David, quem cecinit Domino super verbis Chus filii Jemini.*

Domine Deus meus, in te speravi : salva me ab omnibus persequentibus me, et libera me.

Ne forte capiat ut leo animam meam, laceret, et non sit qui eruat.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :

Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos :

Persequatur inimicus animam meam, et apprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem collocet. Semper.

Surge, Domine, in furore tuo, elevare indignans super hostes meos, et consurge ad me judicio quod mandasti.

Et congregatio tribuum circumdet te, et pro hac in altum revertere.

Dominus judicabit populos : judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum simplicitatem meam quæ est in me.

Consummetur malum iniquorum, et confirmetur justus, probator cordis et renum Deus justus.

Clypeus meus in Deo, qui salvat rectos corde.

Deus judex justus et fortis, comminans tota die.

Non convertenti gladium suum acuet : arcum suum tetendit, et paravit illum.

14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

15. Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

16. Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam, quam fecit.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.

Et in ipso præparavit vasa mortis, sagittas suas ad comburendum operatus est.

Ecce parturiit iniquitatem : concepto dolore peperit mendacium.

Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in interitum quem operatus est.

Revertetur dolor suus in caput ejus : et super verticem ejus iniquitas sua descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et cantabo nomini Domini altissimi.

Argumentum. — Inscriptio docet, composuisse Davidem hoc carmen *propter Cuschum, Benjaminitam.* Quisnam vero is fuerit, difficile est dictu, quum ejus nomen in Samuelis Regumque historia nusquam occurrat. Sunt autem multæ ac variæ interpretum de hoc nomine conjecturæ, quarum potissimas breviter indicabimus. I. Atque primo quidem quum Cush Hebræum *Æthiopiæ* nomen sit, haud pauci illud pro nomine gentili *Æthiopis* habuerunt, totamque appellationem *Æthiopis Benjaminitæ* nominis proprii viri cujusdam periphrasin, seu circonlocutionem esse putarunt; sed cujusnam, iterum dissentiunt. 1. Quidam, Chaldæum secuti, *Saulem* regem, *Benjamine* ortum, putant innui, eique hoc Æthiopis nomen inditum sive κατ' ἀντίφρασιν, quod minime fuerit deformi aut nigro corpore, sed procero et pulchro; sive, quod ut Æthiops atro corpore, ita ille animo esset, sensu Horatiani illius : *Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto,* allusione simul facta in nomine *Cusch* ad *Kis*, quod nomen fuerit patris Saulis. Respicere autem hunc Psalmum ad illud tempus, quo Saules, Davidem proditionis insimulans, vitæ ejus insidiaretur. Sed Venema recte, meo judicio, Saulem ipsum hic intendi ideo potissimum dubitat, quod *calumniatoris* magis, quam *perseculoris* persona Cuscho hic aptetur. 2. Aliis Cuschi nomine *Semei* videtur intelligendus, notus ille insultor, obtrectator et persecutor Davidis (I *Sam.* XVI, 5), nomine dictus *Æthiops*, quod moribus et ingenio niger fuerit. Verum, ut taceam nullam facile cogitari posse rationem, cur *Semei* nomen Davides dissimularet, occurrunt in Psalmo ipso talia, quæ Absalonicæ persecutioni vix conveniant. II. Restat igitur, ut *Cush Benjaminita* accipiatur pro nomine proprio ignoti alicujus viri, Saulis contribulis, qui atrocis in criminis invidiam adduxerat Davidem. — Strophæ tres, vers. 2-6 : Defende me, o Jova, ab adversario meo, quem nullo modo provocavi. Vers. 7-10 : In publico tribuum conventu causam meam age. Vers. 11-18 : Spero fore, ut, si in consiliis suis perseverat adversarius, quod mihi paravit malum in ipsum recidat. In prima strophe querimoniæ sensus et vox maxime intenditur, in secunda paulatim sedatur animus æternæ Dei justitiæ consideratione, in tertia fidenter et secure instantia sibi pericula vates intuetur.

1. Carmen querulum Davidis, quod cecinit Jovæ propter Cuschum Beniaminitam.

2. Jova, mi Deus, in te fiduciam pono,
salva me ab omnibus insectatoribus meis et eripe me.
3. Ne dilaniet ut leo animam meam (me),
diffringens, nemine liberante.
4. Jova, mi Deus, si id feci,
si est pravitas in manibus meis;
5. Si rependi amico meo malum,
et *si* mihi immerito adversantem spoliavi :
6. Persequatur hostis animam meam (me), et assequatur,
Et proculcet ad terram vitam meam,
et gloriam meam ad pulverem habitare faciat !

7. Surge, Jova, in ira tua,
attolle te in furoribus hostium meorum,
et expergiscere ad me, *tu*, *qui* jus præcipis.
8. Et cœtus nationum te circumsistat,
et super illo (cœtu) in altum te converte :
9. Jova judicat populos :
judica me, Jova;
secundum justitiam meam et innocentiam meam *sit* super me !

10. Desinat tandem pravitas improborum,
et stabilias justum :
tu enim exploras corda et renes, juste Deus.

11. Clypeus meus apud Deum est,
qui servat rectos corde.
12. Deus est justus judex,
et Deus, qui irascatur omni die.
13. Si non reversus fuerit (resipiscat improbus), *si* gladium suum acuerit,
arcum suum calcaverit (intenderit), et aptaverit eum,
14. Sibique paraverit arma mortifera,
sagittas suas ardentes fecerit :
15. Ecce enitetur inanitatem,
et concepit ærumnam, et pariet mendacium.
16. Foveam fodit et excavavit eam,
et cadit in hiatum quem facit.
17. Revertetur ærumna ejus in caput ipsius,
et in verticem ipsius injuria ejus descendet.
18. Ego celebrabo Jovam secundum justitiam ejus,
et canam nomen Jovæ altissimi.

NOTÆ.

Vers. 1. *Querulum :* ita Maurer; alii, *erraticum*, gall. *dithyrambe :* ita Ewaldus; Hengstenberg vertit, *error, aberratio* (in sensu morali) *Davidis, quam cecinit,* pro *canticum Davidis de errore,* scil. hostium suorum. Cf. *Habac.* III, 1; I *Sam.* XXVI, 21. *Propter;* non male Septuaginta, *de verbis* (calumniis : conf. vers. 4-6) *chuschi.*—Vers. 3. *Dilaniet,* in singulari, sive figura orationis distributivæ, sive quia Saul præcipuus hostis præcipue intendatur. — Vers. 4. *Id,* quod sequitur, ait Jarchi; alii, quod Saul suspicabatur, vel quod Saulis adulatores de ipso suggerebant. — Vers. 5. *Spoliavi;* Maurer, *excitavi,* scil. ad iram et pugnam; Ewaldus, Aben-Esram secutus, *eripui,* ut posterius hoc membrum parenthesi includatur, hoc sensu : Imo Saulem mihi injuste adversantem e periculis eripui, I *Sam.* XXIV. — Vers. 6. Apodosis. *Gloriam meam :* alii, *regiam dignitatem* accipiunt; alii rectius, *animam* (et *vitam*), qua nihil præstantius habet homo. Cf. *Gen.* XLIX, 6; *Ps.* XVI, 9. — Vers. 7. *In furoribus ;* Maurer ; *furentibus adversariis meis ;* Crelier, *inter furores;* Rosenmullerus, *in* seu *contra furores;* Ewaldus ob parallelismum, *in furoribus* tuis contra hostes meos, seu *cum pœnis hostium.* Septuaginta, quos sequitur Vulgatus, confuderunt voces עברות et עבריס. *Jus præcipis,* quod justum est fieri vis, da exemplum : ita Maurer; Ewaldus, *ordinans,* seu *constituens judicium* solemne.—Vers. 8. *Te converte,* judicis sedem eminentem occupa : ita Maurer. Minus commode alii : absoluto judicio cœlos repete. — Vers. 9. *Justitiam meam* in hac particulari causa, quod non it contra *Ps.* CXLIII, 2. *Sit,* superveniat. Alii minus recte, *meam* quæ est *in me.* — Vers. 12. *Irascatur* adversus improbos : ita Maurer. Rosenmullerus post Aben-Esram membrum hoc cum versu seq. jungit hoc modo : ... *semper irascatur, Nisi resipiscat, qui ensem suum acuit, Arcum tendit et aptat. — Sed contra seipsum hic parat.* — Vers. 13. Aliis *Deus* est subjectum verborum *acuit,* etc., usque ad finem vers. 14. Ewaldus : *Equidem gladium suum* improbus *rursum acuet, Arcum suum calcabit,* etc. At *ecce enitetur,* etc. *Calcaverit,* pede imposito intenderit. — Vers. 14. *Ardentes,* ardente materia præcinctas, incendiumque spargentes, quales Ammian. Marcellinus lib. XXIII *Rer. gestar.* cap. IV describit. — Vers. 15. *Enitetur :* ὕστερον πρότερον. Metaphora *concipiendi, parturiendi* et *pariendi* pro animi proposito, moliminibus, conatu exsequendi, et denique effectu satis usitata et nota est. — Vers. 16. *Hiatus,* proprie *locus depressus,* de *fossa venatoria* capiendis leonibus non semel occurrit. — Vers. 17. *Ejus,* quam *is* mihi parat.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS VII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.

In Hebræo non est, *Psalmus*, sed שִׁגָיוֹן *sigaion*, quod proprie *ignorantiam* significat; tamen quia Septuaginta et S. Hieronymus reddiderunt, *Psalmus*, dicendum erit eam vocem esse ambiguam, et significare non solum ignorantiam, sed etiam genus aliquod cantici. Quis item fuerit Chusi, non est adeo certum. S. Augustinus, et alii qui non norunt linguam Hebraicam, existimant esse Chusi Archiitem amicum David, qui (ut legitur II *Reg.* XVI) misit nuntium ad Davidem, eique significavit consilium Achitophel. Sed ille Chusi scribitur per litteram *Chet*, iste de quo in hoc Psalmo, per litteram *Caph*, neque constat an ille Chusi fuerit filius Jemini. Denique David in hoc Psalmo refellit calumniam cujusdam filii Iemini, ut patet ex illis verbis: « Si feci istud; » Chusi autem Arachites nullam calumniam dixit contra David. S. Hieronymus existimat titulum intelligendum esse de Saule, qui vocatur Chus, id est Æthiops, ob nigredinem morum, et erat de tribu Benjamin, seu (quod est idem) filius Jemini, ut patet ex lib. I *Reg.* cap. IX. Saul enim, lib. I *Reg.* cap. XXII, dixit coram omnibus servis suis: « Non est qui vicem meam doleat, eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversus me insidiantem mihi usque hodie. » Hanc igitur calumniam refutat David in hoc Psalmo juxta opinionem S. Hieronymi. Sed potest etiam æque probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui erat etiam filius Jemini, et maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalonis, et ait: « Egredere, vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo, » II *Reg.* XVI. Ob hanc calumniam pessimam et falsissimam videtur hunc Psalmum composuisse, orans Deum, ut defendat innocentiam et justitiam suam, et ideo vocatur Psalmus, *ignorantia David*, quia vere ignorabat se mala illa fecisse, de quibus accusabatur a Saule, sive a Semei. Ideo etiam dicit in principio Psalmi: « Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, » etc. Videtur igitur Psalmus scriptus esse tempore persecutionis Absalon, ob verba maledictionis Semei, vel tempore persecutionis Saul, ob verba supradicta. Prophetice autem David gerit personam Christi, et cujuscumque justi calumniam sustinentis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE DEUS MEUS, IN TE SPERAVI, SALVUM ME FAC EX OMNIBUS PERSEQUENTIBUS ME, ET LIBERA ME.

« In te, inquit, speravi, » quia pene omnes deseruerunt me, ita ut etiam filius meus Absalon, vel socer meus Saul, quærant me occidere: non habeo cui fidam, nisi te Deum meum. « Salvum me fac ex omnibus persequentibus me. » Multi enim eum persequebantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello et armis.

Vers. 2. 2. NE QUANDO RAPIAT UT LEO ANIMAM MEAM, DUM NON EST QUI REDIMAT, NEQUE QUI SALVUM FACIAT.

Respicit ad principem persecutionis: ne forte, inquit, Saul, aut Absalon rapiat animam meam, id est vitam meam, ut leo solet absque ulla misericordia interficere animalia cætera. « Dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat, » id est, dum tu non redimis, neque salvas. Sciebat enim David omnem industriam humanam sine Deo esse vanam. Utitur Scriptura voce *redemptionis* pro quacumque liberatione, etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii. Sicut enim dicitur Deus vendere, quos alienat quodammodo a sua misericordia, et tradit ministris suæ justitiæ puniendos: ita dicitur Deus redimere, quos iterum a ministris justitiæ erutos misericorditer liberat.

Deus vendere et redimere quomodo dicatur?

In Hebræo habetur paulo aliter, videlicet: Ne forte rapiat ut leo animam meam, lacerans, et non sit salvans; sed in sententia non est varietas.

Vers. 3. 3. DOMINE DEUS MEUS, SI FECI ISTUD, SI EST INIQUITAS IN MANIBUS MEIS.

Vers. 4. 4. SI REDDIDI RETRIBUENTIBUS MIHI MALA, DECIDAM MERITO AB INIMICIS MEIS INANIS.

Reddit causam, cur petierit liberari a Deo, quia videlicet Deus novit innocentiam ejus, et sic refellit calumniam Saulis et Semei de insidiis in Saulem, et de invasione regni; nec solum dicit se non reddidisse malum pro bono, neque malum pro malo, sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono: « Si feci, inquit, istud, » id est, si insidiatus sum regi, vel si invasi regnum fraude aliqua, aut vi; « si est iniquitas in manibus meis, » id est, si operatus sum iniquitatem reddens malum pro bono, id est, cum receperim a Saule honorem magnum, ut essem gener ejus, et tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Addit se non reddidisse malum pro malo: « Si reddidi retribuentibus mihi mala, » id est, cum Saul, sive Semei retribuerint mihi multa mala pro beneficiis a me acceptis, ita ut me occidere voluerint, si reddidi eis vicem, procurando eorum mortem,

et non potius abstinuerim semper a nece ipsorum, cum facile et impune inferre eam possem. « Decidam merito ab inimicis meis inanis, » id est, si non sunt falsæ eorum calumniæ, non recuso cadere in prælio penitus inanis, id est sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, et maximo accepto. In Hebræo legitur hoc modo : *Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos;* sed vox *dimisi* potest significare etiam *recedam,* seu *discedam,* et tunc efficitur sententia quam reddiderunt Septuaginta. Idem enim est recedam ab inimicis inanis. Si autem legamus cum S. Hieronymo : *Et dimisi hostes meos vacuos,* tunc sensus erit, se reddidisse bona pro malis, ac si dicat : Si dimisi hostes meos non affectos a me aliquo insigni beneficio, eveniat mihi hoc, aut illud malum.

Vers. 5. 5. PERSEQUATUR INIMICUS ANIMAM MEAM, ET COMPREHENDAT, ET CONCULCET IN TERRA VITAM MEAM, ET GLORIAM MEAM IN PULVEREM DEDUCAT.

Hæc sunt mala quæ sibi ipse imprecatur, si sunt veræ calumniæ Saulis, aut Semei. Semper autem crescit oratio. *Primo,* inquit, « persequatur inimicus animam meam, » id est, conetur me occidere. *Secundo,* « comprehendat, » id est, non possim effugere manus ejus, quin capiat me ad interficiendum. *Tertio,* « conculcet in terra vitam meam, » ignominiose destruat vitam meam, quomodo destruuntur, quæ pedibus minutatim atteruntur. *Quarto,* « gloriam meam in pulverem deducat, » id est, post mortem detrahatur gloria mea de loco sublimi in quo nunc est, usque ad pulverem, ita ut memoria mea cum infamia et opprobrio vivat inter homines. *Quinto,* additur in Hebræo, *Sela,* id est *semper* infamis maneam.

Vers. 6. 6. EXURGE, DOMINE, IN IRA TUA, ET EXALTARE IN FINIBUS INIMICORUM TUORUM.

Demonstrata innocentia sua petit a Deo justam defensionem. Et quia Deus per metaphoram dicitur dormire, cum non adjuvat; surgere a somno, quando incipit adjuvare, juxta illud *Psalm.* XLIII : « Exurge, quare obdormis, Domine? » ideo nunc dicit : « Surge in ira tua, » id est, irascere inimicis meis, eosque repelle, ac terre, ne mihi noceant. Illud autem : « Et exaltare in finibus inimicorum tuorum, » idem fere significat; est enim sensus : Appare sublimis in finibus inimicorum, ut omnes te videant, id est, ut omnes præsentiam tuam sentiant. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur, *inimicorum meorum;* in Græco et Latino, *inimicorum tuorum.* Idem enim inimici erant Davidis et Dei.

Vers. 7. 7. ET EXURGE, DOMINE DEUS MEUS, IN PRÆCEPTO QUOD MANDASTI, ET SYNAGOGA POPULORUM CIRCUMDABIT TE.

Petierat simpliciter auxilium Dei contra inimicos; nunc addit rationem cur deceat Deum hoc facere. Et ratio est, quia Deus præcipit judicibus terræ, ut liberent innocentes de manibus opprimentium. Ex quo sequitur, ut ipsum quoque id facere deceat, qui est judex supremus super omnes judices. « Exurge, inquit, in præcepto quod mandasti, » id est juxta præceptum quod mandasti. In Hebræo habetur : *Judicio quod mandasti,* et idem est sensus, nimirum, juxta judicium quod fieri præcepisti. Porro in Hebræo habetur : *Exurge ad me,* pro eo quod nos habemus : *Exurge, Domine, Deus meus.* Sed facile apparet unde nata sit diversitas interpretationis : nam vox Hebræa potest legi, אלי *eli,* ac sic legerunt Septuaginta, et recte verterunt, *Deus meus;* potest etiam legi, אלי *elai,* et sic legerunt, qui addiderunt puncta, et S. Hieronymus; et ideo reddidit S. Hieronymus, *ad me,* et sic reddunt omnes qui recipiunt puncta. Sed, ut sæpe dixi, in ejusmodi varietatibus, magna debet esse auctoritas Septuaginta virorum. « Et Synagoga populorum circumdabit te, » id est, ex hac demonstratione præsentiæ tuæ in cohibendis inimicis meis, et in defensione mea, fiet ut multi alii cognoscant te, et confiteantur tibi, teque laudent, et sic circumdabunt te, quia ubi sunt aliqui congregati in nomine tuo, ibi tu es in medio eorum.

Vers. 8. 8. ET PROPTER HANC IN ALTUM REGREDERE, DOMINUS JUDICAT POPULOS.

Quia dixerat : « Synagoga populorum circumdabit te, » ideo nunc adjungit : « Et propter hanc in altum regredere, » id est, sicut propter me exaltatus es in finibus inimicorum meorum, terrens eos ex justitiæ tuæ solio : ita propter synagogam populorum laudantium te, quandocumque opus erit, in altum solium justitiæ iterum ascende, et appare conspicuus in finibus inimicorum ejus. Quod sequitur : « Dominus judicat populos, » in Hebræo conjungitur cum versiculo sequenti, et vere cum illo optime cohæret; sed optime etiam cohæret cum versiculo præsenti, ut distinxerunt Septuaginta Interpretes. Est enim redditio rationis, quasi dicat Propheta : Domine, pro synagoga populorum tibi adhærentium ascende in solium judicii adversus hostes eorum, quia Dominus judicat populos, id est, quia Domini supremi, qualis tu es, proprium est judicare populos. Neque refert si legamus *judicat* cum Græcis, vel *judicabit* cum Hebræis, quia idem est sensus, nimirum, ad Dominum pertinet judicare populos.

Vers. 9. 9. JUDICA ME, DOMINE, SECUNDUM JUSTITIAM MEAM, ET SECUNDUM INNOCENTIAM MEAM SUPER ME.

Hæc est conclusio totius superioris precationis. Quia enim conscius sibi erat falsam esse calumniam Saulis, sive Semei, et conscientiæ suæ testem habebat Deum; rogat ipsum Deum supremum judicem, ut judicet causam suam juxta

justitiam suam, et innocentiam, quæ est super se : et det unicuique prout meretur.

Vers. 10. 10. CONSUMETUR NEQUITIA PECCATORUM, ET DIRIGES JUSTUM, SCRUTANS CORDA ET RENES DEUS.

Hæc est quasi pars altera Psalmi, in qua docet Propheta eos, qui male agunt, adversus se ipsos agere, ac per hoc hortatur omnes, ut convertantur ab iniquitate ad justitiam. Ait igitur : « Consumetur nequitia peccatorum, » id est perficiatur, et ad summum perveniat nequitia peccatorum, tamen justo non nocebit, non enim inflectet ad dexteram, vel sinistram; quia tu « diriges justum, » id est, per tuam providentiam aderis justo, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram. Tu, inquam, hoc facies, qui solus nosti qui sint vere justi, cum scruteris corda, id est cogitationes, et renes, id est desideria. In Hebræo habetur verbum futuri temporis, יגמר *igmar*, id est *consumetur*, siva *consummabitur;* sed Septuaginta Interpretes legerunt sine littera י *iod*, quæ minutissima est, et potest postea esse addita : sensus tamen in idem recidit. Si enim legas : *Consumetur nequitia*, sensus erit : Nequitia peccatorum crescet usque ad summum, et tota consumetur in vexatione justorum, nec tamen eos dejiciet, neque inflectet, quia Deus eos diriget et stabiliet : utrumque enim significat vox Hebræa תכונן *theconen*.

Vers. 11. 11. JUSTUM ADJUTORIUM MEUM A DOMINO, QUI SALVOS FACIT RECTOS CORDE.

Ex universali sententia colligit in perticulari, se merito sperare adjutorium Domini. « Justum, inquit, adjutorium meum a Deo veniet, » quia justum est ut Deus justos adjuvet, quoniam ejus proprium est salvos facere rectos corde, id est eos qui vere sunt justi coram Deo, qui scrutatur corda. In Hebræo conjungitur prima vox hujus versiculi cum versu superiore, *scrutans corda et renes Deus* justus; et deinde incipit novus versus : *Adjutorium meum a Domino*. Res non est magni momenti, et in rebus dubiis præferenda videtur auctoritas Septuaginta virorum, et Vulgatæ nostræ editionis.

Vers. 12. 12. DEUS JUDEX JUSTUS, FORTIS, ET PATIENS; NUMQUID IRASCITUR PER SINGULOS DIES?

In hoc versiculo videntur dissidere codices Hebræi, Græci et Latini. Nam ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *Deus judex justus, et fortis, comminans tota die*. Ex Græco reddit S. Augustinus, *Deus judex justus, et fortis, et patiens, non iram adducens tota die*. Videntur autem plane contraria, *comminans*, sive *irascens* (utrumque enim significat vox Hebræa) *tota die;* et *non iram adducens per singulos dies*, id est non irascens omni die. Codex autem Latinus per interrogationem habet, *numquid irascitur per singulos dies?* sed facilis est concordia. Nam vox Hebræa si legatur אל *el*, ut legit S. Hieronymus, et ut nunc legitur secundum puncta Rabinorum, significat *fortem* ; si autem legatur אל *al*, ut potest legi cum aliis punctis, et ut legerunt Septuaginta Interpretes, significat *non*. Et hanc lectionem veriorem existimamus; et sic concordat Græcus codex cum Hebræo : uterque enim habet, *non irascitur*, sive non comminatur. Illud autem *fortis*, quod est in Græco, non est interpretatio vocis Hebraicæ אל *el*, sed est nomen superadditum a Septuaginta explicandi gratia, sicut etiam *patiens* : nam in Hebræo ad verbum habetur : *Deus judex justus non comminans*, sive *non irascens omni die*, sive *tota die*. Latinus autem Interpres secutus Græcam lectionem reddidit sensum, non verba, cum per interrogationem posuit, *numquid irascitur per singulos dies?* idem enim est, non irascitur, et numquid irascitur? Sententia igitur hujus versiculi est, Deum judicem justum, qui simul est fortis et patiens, non semper comminari, vel irasci, sed aliquando reipsa effundere iram suam gravissime puniendo; id quod dicitur adversus eos, qui videntes Deum sæpe minari multa mala peccatoribus, et tamen differre executionem, contemnunt minas Dei. Hunc autem sensum esse hujus versiculi colligitur ex sequenti.

13. NISI CONVERSI FUERITIS, GLADIUM SUUM VIBRABIT : ARCUM SUUM TETENDIT, ET PARAVIT ILLUM. Vers. 13.

Probat Propheta Deum non semper irasci, vel minari, sed aliquando effundere iram, et inferre mala quæ comminabatur : « Nisi conversi, inquit, fueritis, gladium suum vibrabit » (sic enim legendum est, non *vibravit*), id est, gladium agitabit cædendo, atque ita splendere eum faciet. Nec solum gladio percutiet, sed etiam arcu : jam enim arcum tetendit et paravit. Utitur autem similitudine gladii et sagittarum, ut significet Deum ferire tam prope, quam longe. Quando causa mali nobis illati proxima est et manifesta, tunc Deus ferit cominus. Quando causa mali remota et occulta est, tunc videtur Deus eminus jaculari sagittas suas.

14. ET IN EO PARAVIT VASA MORTIS, SAGITTAS SUAS ARDENTIBUS EFFECIT. Vers. 14.

Ne putaremus sagittas Dei facile posse repelli, aut vitari, addit Propheta eas sagittas esse « vasa mortis, » id est instrumenta mortifera, et sagittas effectas sive fabricatas ardentibus, id est ex ardenti materia, ut sint tela ignita, quæ velocissime et summa vi penetrant omnia. Porro nomen *vasis* passim accipitur in Scripturis pro instrumento, ut *Psalm.* LXX : « In vasis Psalmi; » *Isaiæ* XXII : « Vasa musicorum; » *Jeremiæ* L : « Vasa iræ, » et cap. LI : « Vasa belli. »

15. ECCE PARTURIIT INJUSTITIAM, CONCEPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQUITATEM. Vers. 15.

Tribus sequentibus versiculis ostendit Propheta sagittas Dei, ut vere ignitas, velocissime et summa vi ferri, ut vitari non possint. Nam illa ipsa

actione, Dei providentia sic disponente, qua peccatores nocere parant justis, seipsos occidunt. Hæc enim est mira Dei animadversio in peccatores, cum facit ut omnes eorum machinationes in ipsos convertantur. « Ecce, inquit, peccator concepit dolorem, et peperit iniquitatem, » et foveam aperuit, ac profunde fodit, ut justum, vel aperte, vel clam opprimeret; sed Deo sic operante, cecidit ipse peccator in suam foveam, et dolor quem conceperat, et iniquitas quam pepererat, in caput ejus reciderunt. Sed singula explicemus : « Ecce parturiit injustitiam, » peccator videlicet, injustum aliquod opus adversus justum effecit. Porro hoc loco, *parturiit* non est aliquid diversum a voce *peperit*, sed omnino idem; explicat enim statim clarius, quo semine parturierit, sive pepererit. « Concepit, inquit, dolorem, et peperit iniquitatem. » Concipitur enim semen, et pariter fœtus. Conceptio doloris est conceptio invidiæ, sive odii in proximum, quæ sunt semina malorum; et recte conceptio invidiæ, vel odii, dicitur conceptio doloris, quia invidia et odium torquent et disrumpunt animum invidentis, et odio habentis. Ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut cædes, rapina, detractio, falsum testimonium, et similia. Quamvis autem videantur nonnullis tria distincta : *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem*, et vere parturitio sit quid medium inter conceptum et partum, tamen dixi non esse hoc loco, nisi duo, tum quia duo sola respondent paulo infra cum dicitur : « Convertetur dolor ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet; » tum quia si *parturiit* hoc loco poneretur pro parturitione distincta a partu, poneretur post verbum *concepit*, non ante illud. Igitur *parturiit injustitiam* dictum est in summa et breviter; deinde explicatum est per illa, *concepit dolorem, et peperit iniquitatem.*

Vers. 16. **16.** LACUM APERUIT, ET EFFODIT EUM, ET INCIDIT IN FOVEAM QUAM FECIT.

Dixerat peccatorem peperisse iniquitatem contra justum; addit aperuisse etiam lacum, sive cisternam, ut est in Hebræo בור *bor*. Significat autem his similitudinibus, peccatorem aliquando aperte, aliquando occulte moliri malum justis; et quia tam partus, quam fossio sunt opera valde laboriosa, significatur opera mala, non sine dolore et labore fieri. Hinc illa vox perditorum, *Sap.* v : « Ambulavimus vias difficiles. » « Et incidit in foveam quam fecit. » Incipit jam Propheta ostendere mala illa hominum peccatorum ipsis peccatoribus solum nocere, et hunc esse gladium, sive sagittas Dei; et incipit ab ultimo malo, quia in illo desierat. Aperuit, inquit, lacum, seu cisternam, ut justus nesciens ibi esse foveam, in eam caderet; sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat.

17. CONVERTETUR DOLOR EJUS IN CAPUT EJUS, ET IN VERTICEM IPSIUS INIQUITAS EJUS DESCENDET. Vers. 17.

Non solum mala occulta, ut apertio foveæ, sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quæ multis signis prodit exterius; et ipsa mala ex odio et invidia profecta, ut cædes et rapinæ, et similia, in auctorem, Deo sic disponente, recident. Exemplo sunt Saul et David, Christus et Judæi, martyres et persecutores.

18. CONFITEBOR DOMINO SECUNDUM JUSTITIAM EJUS, ET PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI. Vers. 18.

Concludit Psalmum cum laude Dei : « Confitebor Domino, » id est laudabo Dominum. Sic enim passim accipitur in Scripturis confessio pro laude, quia videlicet, qui laudat confitetur eum, quem laudat, dignum esse laude; « secundum justitiam ejus, » id est, laudabo, prout meretur ejus justitia, quæ tam admirandis modis liberat justos, punit injustos. « Et psallam nomini Domini altissimi; » idem significatur aliis verbis : Hymnum dicam Domino altissimo, id est supremo judici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios judices.

PSALMUS VIII.

V. V. — **1.** *In finem pro torcularibus, Psalmus David.*

2. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

3. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas quæ tu fundasti.

V. S. H. — *Victori pro torcularibus, Psalmus David.*

Domine Dominator noster, quam grande est nomen tuum in universa terra! qui posuisti gloriam tuam super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter adversarios tuos, ut quiescat inimicus et ultor.

Videbo enim cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ fundasti.

5. Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum;

7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi.

9. Volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quid est homo, quoniam recordaris ejus? vel filius hominis, quoniam visitas eum?

Minues eum paulo minus a Deo, gloria et decore coronabis eum.

Dabis ei potestatem super opera manuum tuarum. Cuncta posuisti sub pedibus ejus :

Oves et armenta omnia, insuper et animalia agri ;

Aves cœli et pisces maris, qui transeunt semitas ponti.

Domine Dominator noster, quam grande est nomen tuum in universa terra!

Argumentum. — Sunt qui nocturnum hunc Psalmum, sive noctu factum a Davide suspicentur, ex mentione lunæ et stellarum in vers. 3, solis mentione omissa, ut qui cœlum spectans, in has pietatis commentationes excurrerit. Conjicit Estius, « probabile, Davidem ceciuisse hunc Psalmum, quum adhuc parvulus pascebat oves patris sui, idque noctu, ut illi *Luc* II, 13-14; ideoque non *solis*, sed *lunæ* et *stellarum* meminit. Huc facit, quod inter creaturas primo ponit *oves*, quarum scil. cura ipsi commissa erat. » Omnis vero hæc quæstio ejusmodi esse videtur, de qua nil quidquam certi possit definiri, neque, ad carminis intelligentiam quid conferat, facile perspicitur. Celebrat vates Dei magnificentiam, quæ in cœlis, quæ in terris elucet, vers. 2-3; maxime vero ejus benignitatem et φιλανθρωπίαν, qua hominem tam nobilem creaturam esse voluit, ut sibi ipsi similis sit, et præstet atque imperet reliquis, vers. 4-10. Dum autem *hominem* tanta dignitate a Deo ornatum canit vates, respicit etiam Christum, *primogenitum ex multis fratribus*, in quo natura humana integra permansit. Cf. I *Cor.* XV, 26; *Hebr.* II, 6; *Matth.* XXI, 16. Strophæ duæ.

1. Præcentori, ad modum *instrumenti* Gitthith, carmen Davidis.

2. Jova, Domine noster,
quam illustre *est* nomen tuum in universa terra,
tu, qui posuisti gloriam tuam super cœlos!
3. Ex ore puerulorum et lactentium fundasti laudem,
propter adversarios tuos,
ad compescendum hostem et refractarium.

4. Quando video cœlos tuos, digitorum tuorum opus,
lunam et stellas quas formasti, *dico :*
5. Quid *est* homo, quod memor es ejus;
et filius hominis, quod prospicis eum?
6. Et paulo minorem eum Deo facis,
et honore ac dignitate eum coronas.
7. Dominari facis eum in opera manuum tuarum,
omnia posuisti sub pedibus ejus,
8. Pecus (ovillum et caprinum) et boves, omnia,
atque etiam bestias agri (feras),
9. Aves cœlorum et pisces maris,
quidquid transit semitas marium.
10. Jova, Domine noster,
quam illustre *est* nomen tuum in universa terra!

NOTÆ.

1. Vers. 1. Hengstenberg censet *Gitthith* nomen esse feminin. τοῦ גִּתִּית, *Gitthæus*, denotantssive *instrumentum*, sive *tonum* vel *modum* ex urbe Géth allatum, eodem prorsus modo quo Græci numeros et instrumenta *Lydia*, *Phrygia*, etc., habebant, ut Gall. vertas, *sur la Gytthienne*. Maurero vocabulum *Gitthith* neque

ad *Gath* urbem, neque ad גת *cupam* earumque commnnem radicem יגן, sed potius ad *gath* infinitivum ex *negeth*, et illi plane congruum verbi *nagan, fidibus canere,* referendum videtur, hoc sensu : Fidibus canendum *ad modum* instrumenti *Gitthith* dicti. — Vers. 2. *Posuisti,* i. e. qui tuam ipsius gloriam in cœlis ornandis posuisti; *thenah*, infinit. *kal* constructum verbi *nathan* feminine desinens, pro *theneth,* contract. *theth* : ita Hengstenberg. Maurer, *quæ edit gloriam tuam ad cœlos,* quæ laudibus te ad cœlum effert; *thenah* defective scriptum pro *nathnah.* Ewaldus, *cujus gloria super cœlos se extendit,* effert; *thenah* pro *thanah* est verbum in perf., ἐπάρθη, ut Septuaginta verterunt a rad. תנה, *sese extendit,* quæ alias in bibliis non occurrit, licet in lingua Arab. frequens. — Vers. 3. *Pueruli,* jam grandiusculi, qui incipiunt ratione uti, et ludere in platea, *Jerem.* VI, 11 ; *lactentes,* infantes usque ad tertium annum. *Laudem,* gloriæ tuæ quasi ædificium : imago non inelegans poetisque Arabibus satis usitata. Alii, *robur.* Quis sit sensus ? Rosenmullerus : Ex ore infantium, qui etsi nondum loqui aut fari possunt, ipsi nihilominus multa ac magna beneficia tua prædicant, quippe quos foves, nutris, atque ut crescant facis. Crelier : Vel ex iis quas balbutiente ore parvuli edunt vocibus, dum universi pulchritudinem conspiciunt, gloria Deo datur, confunduntur athei. *Adversarios tuos,* atheos confundendos, qui statim *hostes* Dei et *refractarii,* i. e. insolenter se gerentes, vocantur. — Vers. 4. *Digitorum.* Non videtur argutandum in hoc tropo, quod quidam faciunt, qui ex hoc nomine eliciunt, cœlum summa *facilitate* esse a Deo creatum, aut valide *artificiose;* conditum et quasi *acu pictum.* Nulla hic fit *solis* mentio, sed subintelligur in priori commatis membro; nec magis id mireris, quam quod in celebri illa tempestatis descriptione *Æneid.* I, 85, inter ventos omissus fuerit Aquilo, cui tamen partes debuere præcipuæ tribui, quippe quo Æneas ad Africæ littora rejiceretur.— Vers. 5. *Prospicis,* proprie *visitas,* i. e. curas. —Vers. 6. *Deo.* Alii post Septuaginta et Chaldæum vertunt *Angelis,* inferioribus Elohim, vocemque מעט intelligunt, alii de *gradu,* alii de *temporis spatio,* vertentes *paulisper, ad breve tempus,* puta dum homo his in terris degit. Sed quum vates manifeste *Gen.* I, 26 seq. respiciat, ubi homo Deo similis creatus esse dicitur, τὸ *Deo* hic anteponendum videtur. S. Paulus, *Hebr.* II, 7, Septuaginta sequitur, imo sequi debebat, Judæos Hellenistas alloquens.— Vers. 9. *Semitas maris* : Cf. Homericum illud : ὑγρὰ κέλευθα.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS VIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro torcularibus, Psalmus David.

Vox *torcularibus* in Hebræo est הגתית *haggihtith*, quæ nihil significare videtur, et ideo moderni, qui ita legunt, dicunt esse genus instrumenti musici nobis incogniti. At Septuaginta et S. Hieronymus, qui reddiderunt *torcularibus*, legerunt sine dubio, הגתות *hagattoth*, quod significat *torcularia,* et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus. Quid autem sit, *pro torcularibus,* difficile est divinare; qui enim intelligunt Ecclesiam, vel martyria, vel crucem Christi, mystice exponunt. Animadverti titulum, *pro torcularibus*, haberi in tribus Psalmis, qui ad amorem Dei præcipue pertinent, videlicet in hoc octavo, qui exorditur a magno affectu : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! » et in octogesimo, qui similiter hortatur ad jubilum spirituale : « Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob; sumite Psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara; » denique in octogesimo tertio, qui plenus est affectu ardentissimi amoris divini : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine! concupiscit, et deficit anima mea. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Itaque ex materia horum psalmorum suspicor dici, « pro torcularibus, » quia sunt aptissimi ad exprimendum vinum divini amoris ex cordibus hominum, vel quia cum lætitia et cordis jubilo canendi sunt, quomodo lætari et canere solent, tempore vindemiæ, qui de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt. Fateor tamen me nondum assequi tituli hujus, ut etiam aliorum multorum, intelligentiam; est igitur argumentum hujus Psalmi, laudatio potentiæ, sapientiæ et benignitatis Dei, ac præcipue erga genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. DOMINE DOMINUS NOSTER, QUAM ADMIRABILE EST NOMEN TUUM IN UNIVERSA TERRA !**

Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur Propheta in admirationem, quod tantus Deus tanti faciat hominem qui est pulvis et cinis, ut eum visitare et ornare plurimis et maximis beneficiis dignatus sit. Illud, *Domine*, in Hebræo est יהוה, nomen proprium Dei, quod scribitur quatuor litteris, et deducitur ab *esse*, juxta illud : « Ego sum, qui sum, » quod nomen moderni exprimunt per vocem *Iehova;* sed Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus, imo Christus ipse et Apostoli pronuntiare non solebant, sed loco ejus dicebant, *Domine.* Illud autem, *Dominus noster*, est in Hebræo alia vox, אדני *Adonai,* Nomen ineffabile

nec Christus ipse pronuntiare solebat.

quæ proprie *Dominum* significat. Itaque sensus est : *Deus* qui es ipse fons essendi, unde omnia quæ sunt, derivantur, ac proinde *Dominus noster,* id est Dominus rerum omnium es, *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* id est, gloria tua, sive bona fama nominis tui, diffusa est per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium, qui illam considerare satagant. Quod Isaias cap. VI, aliis verbis dicit : « Plena est omnis terra gloria ejus. » Dicit autem nomen Dei esse admirabile, quia tametsi pauci reipsa mirentur, cum pauci sint, qui considerent opera Dei ; tamen ipsum nomen est admiratione dignissimum, cum omnes creaturæ assidue laudent Creatorem, ut omnia pulchra opera laudare dicuntur artificem. Et hoc modo plena est omnis terra gloria Dei, quia quidquid est in terra, etiam si minimum quid videatur, potentiam et sapientiam Creatoris infinitam manifestat.

Vers. 2. 2. QUONIAM ELEVATA EST MAGNIFICENTIA TUA SUPER CŒLOS.

Ratio redditur, cur sit tam admirabile nomen Domini in universa terra, quia videlicet magnificentia Dei est altior cœlo, id est non capitur cœlo ; tanta est, ut totus mundus eam capere non possit. Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra, inquit Habacuc in Cantico suo, cap. III. Porro magnificentia virtus est magnorum principum, qui magnis sumptibus, vel ingentia palatia, aut civitates ædificant, vel maximum numerum famulorum, aut etiam exercitus integros alunt, vel amplissima dona in alios conferunt. Deus autem ædificavit palatium hujus totius mundi, cujus pavimentum est orbis terræ, et tectum est cœlum. Alit autem omnia viventia, quæ sunt innumerabilia ; denique donavit Angelis sanctis, qui sunt in maximo numero, et donaturus est hominibus justis, regnum amplissimum, non temporale, sed æternum. Vere igitur magnificentia ejus maxima est.

Vers. 3. 3. EX ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM PROPTER INIMICOS TUOS, UT DESTRUAS INIMICUM ET ULTOREM.

Respondet objectioni quæ poterat fieri : si gloria Dei replet orbem terræ, et magnificentia ejus elevata est super cœlos, unde fit, ut non omnes eam cognoscant et laudent ? Respondet inde fieri, quod Deus non dignetur cognosci et laudari a superbis, qui de sua virtute præsumunt ; sed ab humilibus et parvulis, juxta illud *Matth.* XI : « Confitebor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Et hinc valde crescit gloria et magnificentia Dei, cum non cognoscatur, nisi a quibus ipse cognosci voluerit. Potest autem hic versiculus duobus modis intelligi. *Primo,* ut per infantes et lactentes, intelligantur homines, qui revera comparatione Angelorum sunt veluti infantes et lactentes, præsertim circa intelligentiam rerum divinarum : ergo, inquit, ex ore mortalium hominum perfecisti laudem, revelans eis gloriam tuam « propter inimicos tuos, » id est ad confusionem superborum Angelorum ; « ut destruas inimicum et ultorem, » id est, ut perdas sapientiam primarii inimici tui, diaboli, et defensoris, sive ultoris ejus, id est agminis Angelorum reproborum, qui illum secuti sunt. *Secundo,* per infantes et lactentes possunt intelligi homines humiles, et parvuli in oculis suis, et imperiti scientiarum sæcularium, quales fuerunt multi Prophetæ, et Apostoli, et ingens numerus monachorum, et virginum sanctarum, nec non vere puerorum, qui in tenera ætate adeo perfecte cognoverunt gloriam Dei, et admirabile nomen ejus, ut pro ipso mortem oppetere non dubitaverint. In hoc sensu allegavit Dominus hunc Psalmum in Evangelio : « Nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ? » *Matth.* XXI. Inimici autem dicuntur sapientes hujus mundi, et defensores ipsorum, qui quamvis Deum cognoverint, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut Apostolus docet *ad Rom.* 1. Quod dicitur, *ut destruas,* in Hebræo est, *ut quiescere facias* ; sed sensus est idem. Nam non loquitur Psalmus de destructione personæ, sed sapientiæ, juxta illud *Isaiæ* cap. XXIX, ut a D. Paulo citatur : « Perdam sapientiam sapientum ; » et illud Apostoli I *Cor.* 1 ; « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. »

Qui sunt infantes et lactentes ?

Vers. 4. 4. QUONIAM VIDEBO CŒLOS TUOS, OPERA DIGITORUM TUORUM, LUNAM ET STELLAS, QUÆ TU FUNDASTI.

Sanctus David ponit se in numero infantium et lactentium laudantium Deum, quasi dicat : Certe ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ovium eram, tuas laudes perficiam. « Quoniam videbo cœlos tuos, » id est, considerabo attente admirabile illud opus manuum tuarum, et inde laudabo te tanti operis creatorem. Illud, *tuos,* non est in Græco ; tamen est in Hebræo, שמיך *schameca,* et inde in editionem nostram recte translatum fuit. Cur autem dixerit *tuos,* declarat dicens, *opera digitorum tuorum* ; nec dicit opera brachiorum, sed digitorum, ut ostendat summa facilitate cœlos a Deo fuisse conditos ; tum quia digitis fiunt opera subtilia et pretiosa, ad quæ facienda ingenium, non labor requiritur. Non meminit solis, sed lunæ tantum et stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat David, quoniam tempus illud ob quietem contemplationi aptius est. « Media nocte, » inquit *Psalm.* CXVIII, « surgebam ad confitendum tibi. » Et alibi, *Psalm.* LXII : « In matutinis meditabor in te. » Sicut etiam Isaias cap. LXII : « Anima mea desideravit te in nocte. » Noctu autem cœlum videtur

luna et stellis ornatum. Denique verbum *fundasti*, significat cœlos, lunam et stellas ex nihilo creata, quasi dicat Propheta : Quæ tu a fundamento fecisti, cum antea nihil eorum exstaret.

Vers. 5. 5. QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS? AUT FILIUS HOMINIS, QUONIAM VISITAS EUM?

Ex magnitudine Dei jam declarata, accedit ad extollendum magnitudinem Dei erga homines. « Quid est, inquit, homo, » quod tu creator cœli et terræ dignaris ejus recordari? Quasi dicat : Maximum est hoc beneficium, quod altissimus Deus dignetur meminisse hominis, qui est pulvis et cinis. Quia vero istud recordari in Deo non est simplex memoria, sed est recordari ad benefaciendum, addit explicans : « Aut filius hominis, quoniam visitas eum? » Homo, et filius hominis hoc loco idem significant, nisi forte ponatur hæc distinctio ad significandum beneficia Dei non esse collata in solum primum hominem, qui fuit homo, sed non filius hominis; sed etiam in omnes posteros, qui ita sunt homines, ut sint etiam filii hominum. Visitatio autem significat specialem providentiam, quam Deus habet erga homines, sed præcipue illam, quam Deus ostendit, cum venit in hunc mundum, et assumpsit humanam naturam, et in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Hæc est proprie visitatio, de qua Zacharias in Cantico, *Luc.* I : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. » Et infra : « Visitavit nos oriens ex alto. » Hæc sane visitatio maxime meretur illam admirationem : « Quid est homo, » etc.

Vers. 6. 6. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS, GLORIA ET HONORE CORONASTI EUM, ET CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM.

Hæc duplicem habent sensum, litteralem et allegoricum. Secundum litteralem sensum commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam : primo quod homo sit conditus a Deo tam nobilis naturæ, ut non sit inferior Angelis, nisi modicum; deinde, quod sit ornatus gloria et honore præ omnibus aliis inferioribus creaturis, quia sit factus ad imaginem et similitudinem Dei, ratione et libero arbitrio præditus; denique, quod acceperit potestatem et dominium in omnia opera Dei, ac præsertim in animalia : ideo subjungit.

Vers. 7. 7. OMNIA SUBJECISTI SUB PEDIBUS EJUS, OVES, ET BOVES UNIVERSAS, INSUPER ET PECORA CAMPI.

Vers. 8. 8. VOLUCRES CŒLI, ET PISCES MARIS, QUI PERAMBULANT SEMITAS MARIS.

Per oves et boves intelliguntur omnia animantia domestica; per pecora campi animantia sylvestria, quæ libere vagantur per campos; per aves cœli, et pisces maris, non est dubium quid intelligatur. Illud est notandum in Hebræo post *pisces maris*, addi in singulari, *perambulans semitas maris*, et in Græco etiam mutari saltem genus : nam post *pisces maris* habetur in neutro, *perambulantia semitas maris*. Sensus igitur est, non solum pisces proprie dictos, sed omne perambulans, sive omnia perambulantia semitas maris, id est quidquid movetur in mari, sive sint pisces, sive monstra, sive quid aliud. Jam vero secundum allegoricum sensum, sed certum, et a Deo intentum Apostolo teste, *Hebr.* II, et I *Cor.* XV, significatur hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, id est Verbi incarnationem, minoratum aliquantulum ab Angelis propter passionem : tunc enim Christus visus est aliquo modo minor Angelis, cum ei apparuerit Angelus de cœlo confortans eum, et cum Angeli sunt impassibiles et immortales; Christus autem eo tempore passus et mortuus sit. Absolute autem semper fuit Christus Angelis superior, et omni ex parte superior. Quod apparuit, quando gloria et honore coronatus est, id est per resurrectionem circumdatus undique glorioso et immortali corpore, et constitutus per admirabilem ascensionem super omnia opera Dei, exaltatus videlicet ad ipsam Patris sui dexteram. Omnia quoque subjecta sunt ei, nulla re excepta, « præter illum, » ut Apostolus ait I *Cor.* XV, « qui subjecit ei omnia. » Res autem illi præcipue subjectæ, sunt primo homines, tam fideles, significati per oves et boves, subditos et Prælatos, minores et majores, quam infideles, significati per animantia sylvestria; deinde Angeli hominibus superiores significati per aves cœli, quæ in sublime feruntur, et canunt assidue laudes Dei; denique dæmones hominibus inferiores, significati per pisces maris, qui in imis et profundissimis locis habitant, et muti sunt ad laudes Dei, et luto ac humoribus delectantur. Hæc omnia allegorice variis modis exponi posse docet S. Augustinus in hunc locum; ubi aliam ponit expositionem, quæ apud eum legi poterit. Unum hoc loco addendum est, quod superius commemorandum fuisset : cum Psalmista dicit : « Minuisti eum paulo minus ab Angelis, » non esse in Hebræo nomen Angelorum, quos Hebræi vocant, מאלכים *malachim*, sed אלהים *Elohim*, quod interpretari solet *Deus*, vel *Dii*; sed quia nomen Dei in Scripturis sæpe tribuitur Angelis, et ipsis etiam hominibus, qui aliis præsunt, recte Septuaginta Interpretes respicientes sensum Prophetæ, posuerunt *ab Angelis*, et eam interpretationem approbavit Apostolus, *Hebr.* II.

Christus Angelis superior, et omni ex parte major.

Vers. 9. 9. DOMINE DOMINUS NOSTER, QUAM ADMIRABILE EST NOMEN TUUM IN UNIVERSA TERRA!

Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto Psalmo declarare et approbare intendebat, quasi dicat : Jure igitur, ac merito exclamavi : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! »

PSALMUS IX.

V. V.—1. *In finem pro occultis filii, Psalmus David.*

2. Confitebor tibi, Domine, in tote corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3. Lætabor et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime,

4. In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

5. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam: sedisti super thronum qui judicas justitiam.

6. Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.

7. Inimici defecerunt frameæ in finem: et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu: 8. Et Dominus in æternum permanet.

Paravit in judicio thronum suum: 9. Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

10. Et factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

12. Psallite Domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia ejus.

13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

14. Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

16. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

17. Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pau-

V. S. H. —*Victori super morte filii, Canticum David.*

Confitebor Domino in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et gaudebo in te: canam nomini tuo, Altissime,

Cum ceciderint inimici mei retrorsum, et corruerint, et perierint a facie tua.

Fecisti enim judicium meum et causam meam: sedisti super solium judex justitiæ.

Increpasti gentes, periit impius: nomen eorum delesti in sempiternum et jugiter.

Inimici completæ sunt solitudines in finem: et civitates subvertisti. Periit memoria eorum cum ipsis.

Dominus autem in sempiternum sedebit: stabilivit ad judicandum solium suum.

Et ipse judicabit orbem in justitia, judicabit populos in æquitatibus.

Et erit Dominus elevatio oppresso: elevatio opportuna in angustia.

Et confident in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

Cantate Domino habitatori Sion, annuntiate in populis cogitationes ejus.

Quoniam quærens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamoris pauperum.

Miserere mei, Domine, vide afflictionem meam ex inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis;

Ut narrem laudes tuas in portis filiæ Sion: exultabo in salutari tuo.

Demersæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In reti quod absconderunt, captus est pes eorum.

Agnitus est Dominus judicium faciens: in opere manuum suarum corruit impius. Meditatione. Semper.

Convertantur impii in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quoniam non in æternum oblivioni erit pau-

peris, patientia pauperum non peribit in finem.

20. Exsurge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes in conspectu tuo.

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

per: expectatio pauperum non peribit in perpetuum.

Surge, Domine, non confortetur homo; judicentur gentes ante faciem tuam.

Pone, Domine, terrorem eis: sciant gentes, homines esse se. Semper.

PSALMUS X

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v.—1. Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

2. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

3. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: et iniquus benedicitur.

4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

5. Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus: omnium inimicorum suorum dominabitur.

6. Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

7. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo: sub lingua ejus labor et dolor.

8. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

9. Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.

10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperum.

11. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12. Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum.

13. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret.

14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.

15. Contere brachium peccatoris et maligni; quæretur peccatum illius, et non invenietur.

V. s. H.—Quare, Domine, stas a longe, despicis in temporibus angustiæ?

In superbia impii ardet pauper: capiuntur in sceleribus quæ cogitaverunt.

Quia laudavit impius desiderium animæ suæ; et avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum.

Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret: nec Deus in omnibus cogitationibus ejus.

Parturiunt viæ ejus in omni tempore: longe sunt judicia tua a facie ejus: omnes inimicos suos despicit.

Loquitur in corde suo: Non movebor: in generatione et generatione ero sine malo.

Maledictione os ejus plenum est, et dolis et avaritia: sub lingua ejus dolor et iniquitas.

Sedet insidians juxta vestibula in absconditis, ui interficiat innocentem: oculi ejus robustos circumspiciunt.

Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili, insidiatur ut rapiat pauperem: rapiet pauperem, cum attraxerit eum ad rete suum.

Et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter.

Dixit in corde suo: Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum.

Surge, Domine Deus, leva manum tuam: noli oblivisci pauperum.

Quare blasphemat impius Deum, dicens in corde suo quod non requirat?

Vides, quia tu laborem et furorem respicis, ut detur in manu tua. Tibi relinquuntur fortes tui: pupillo tu es factus adjutor.

Contere brachium impii et maligni: quæres impietatem ejus, et non invenies.

16. Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi : peribitis gentes de terra illius.

Dominus rex sæculi et æternitatis : perierunt gentes de terra illius.

17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Desiderium pauperum audisti, Domine; præparasti ut cor eorum audiat auris tua.

18. Judicare pupillo et humili : ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

Ut judices pupillum et oppressum, et nequaquam ultra superbiat homo de terra.

Argumentum. — Hunc Psalmum Græcus Alexandrinus, et, qui eum semper sequitur, Latinus interpres, cum eo, qui proxime sequitur, unum faciunt. Quod probat Ewaldus, ea præsertim ratione, quod series litterarum in Psalmo IX, quamvis imperfecte, observata, continuetur in Psalmo sequenti, qui caret titulo, cujusque primum comma incipit per litteram ך; deinde post commata 2-11, aliena manu hic intercalata, ordo versuum alphabeticus iterum a vers. 12 ad calcem recurrit. Insuper, ait Ewaldus, utriusque Psalmi idem est argumentum, scil. alternantur in utroque gratiarum actiones et preces. E contra sentiunt Rosenmullerus et Hengstenberg, *duos* esse Psalmos, ab eodem auctore temporeque eodem editos. Quod si sumas, qua occasione Psalmus IX sit compositus, mitto quærere, estque præterea carminis argumentum, ignorato etiam hostis devicti nomine, satis in se perspicuum. Id tantum certo tenendum videtur, tunc temporis Sionium tabernaculum exstructum fuisse. Strophæ 5: vers. 2-7, laudat Jovam, quod hostes deleverit eorumque vastationibus finem fecerit; vers. 8-13, is qui populos recte judicat, in angustiis eximium adjutorem se exhibeat; vers. 14-15, sed adhuc in maximo periculo hærere se dicit, ex eoque ut liberetur orat; vers. 16-17, iterum exsultat de hostium ruina; vers. 18-21, sic fiat omnibus Jovæ repugnantibus!

1. Præcentori, *canendum* ad modum *instrumenti* Muth-labben, carmen Davidis.

2. Celebrabo Jovam toto corde meo,
enarrabo omnia mirabilia tua.
3. Lætabor et exsultabo in te;
canam nomen tuum, Altissime,
4. Convertentibus se hostibus meis retrorsum,
labentibus et prereuntibus præ facie tua.
5. Egisti enim judicium meum meamque causam;
sedisti in solio judex justus.
6. Increpasti gentes, perdidisti improbum;
nomen eorum delevisti in æternum.
7. Hostes omnino facti sunt ruinæ in perpetuum,
et urbes quas evertisti : eorum, eorum periit memoria.

8. At Jova in perpetuum sedebit,
constituit ad judicium thronum suum.
9. Et ipse judicat orbem in justitia,
jus dicit nationibus in æquitate.
10. Estque Jova contrito asylum,
asylum angustiarum temporibus.
11. Et confidunt in te, qui norunt nomen tuum,
quia non deseris quærentes te, Jova.
12. Canite Jovæ habitanti Sionem,
prædicate inter populos facinora ejus.
13. Quia *is*, cædium ultor, eorum memor fuit,
non oblitus est clamorem afflictorum.

14. Miserere mei, Jova, vide afflictionem meam ab osoribus meis,
tu qui elevas me a portis mortis :

15. Ut enarrem omnem laudem tuam,
in portis filiæ Sionis exultem in salute tua.

16. Demersæ sunt gentes in foveam, *quam* fecerunt;
reti, quod abscondiderunt, captus est pes eorum.
17. Notum se fecit Jova, judicium egit,
opere manuum suarum illaqueatus est improbus. — Meditatio. Pausa.

18. Vertentur improbi ad orcum,
omnes gentes oblitæ Dei.
19. Neque enim in perpetuum oblivioni tradetur pauper,
nec spes afflictorum peribit in æternum.
20. Surge, Jova! non invalescat homo;
judicentur nationes coram facie tua.
21. Para, Jova, terrorem eis;
sciant gentes se *esse* homines.

NOTÆ.

Vers. 1. *Muth-Labben:* ita Maurer. Alii, *in morte filii : Mors filii,* aiunt, sunt vocabula quæ reperiuntur in quodam cantico, ad cujus numerum Psalmum IX decantabant. Confer canticum II *Sam.* I, 18, cui titulus *Arcus.* Hengstenberg vertit, *de morte stulti* (לבן transpositis litteris pro נבל), et confert I *Sam.* XXV, ut hoc titulo tum hujus tum sequentis Psalmi argumentum denotetur. Quam tamen interpretationem rejicit Reinke. — Vers. 2. *Mirabilia,* divina beneficia in se populumque Israeliticum collata. *Celebrabo,* vel *celebrem:* ita de cæteris verbis. — Vers. 3. *In te* adjutore et protectore. — Vers. 4. *Facie tua,* indignatione vultus tui.—Vers. 7. *Hostes* (proprie *hostis* collective) *omnino,* etc.; ita Ewaldus. Alii *hostis* absolute positum putant, pro genitivo. Maurer, *o hostis, finem* jam *habent ruinæ in perpetuum,* i. e. jam satis est ruinarum, satis urbium a te dirutarum. *Eorum,* bis, emphatice. Maurer הֹמָּה *hemmah* vertit *periit,* a verbo *hamah.* — Vers. 10. *Estque;* alii, *et sit. Asylum,* propr. locus editus. —Vers. 13. *Eorum* occisorum; alii *eorum* ad *afflictorum* trahunt, in membro sequenti, quod Hengstenberg rejicit.—Vers. 14. *Tu qui elevas;* Maurer, *ita ut me eleves.* Inseritur hic et vers. seq. *clamor afflictorum,* de quo vers. 13. — *In portis,* ubi forum erat Judæorum, ideoque frequens populi conventus propter judicia, quæ ibi fiebant. Hengstenberg, contra plerosque, vult *in portis* hic sumi generaliter pro *intra urbem.* — Vers. 16. Quod versu præced. optaverat, id jam factum esse videt. Alii subaudiunt: Et dicam. — Vers. 17. *Notum se fecit Jova,* dum scil. *judicium egit. Noqesh.* præt. niph. verbi *iaqash;* Maurer vertit, *illaqueans improbum,* particip. cal verbi *naqash. Meditatio;* Maurer, *fidium cantus:* Præcentor, ait, cantum paululum intermittere solisque fidibus canere jubetur.—Vers. 18. Quod vers. 16 tanquam jam *factum* viderat, id nunc confidenter *sperat,* imo describit.—Vers. 20. *Invalescat,* prævaleat. *Homo,* proprie *mortalis,* isque insolens.—Vers. 21. מורה idem ac מורא. Septuaginta et Syrus legentes *morch,* vertunt *doctorem,* vel *legislatorem,* qui virga disciplinæ eos erudiat et castiget. Non male.

Si quis titulorum fidem minus penderet, hunc Psalmum non male existimaret ab Hiskia rege scriptum, scribendi autem occasionem præbuisse ea, quæ narrata legimus II *Reg.* XVIII, 13 seqq. Cf. *Isai.* XXXVI, 1 — XXXVIII, 3; II *Chron* XXXII, 1-24.

PSALMUS X

SECUNDUM HEBRÆOS.

Argumentum. — Vide argumentum Psalmo IX præmissum. Strophæ 2. Queritur Vates de vexationibus hostium insolentium, insidiosorum, Dei contemptorum, vers. 1-11; orat Jovam, ut afflictos sui cultores defendat, hostes in perniciem agat: quod illum facturum esse sperat, vers. 12-18. Cæterum hocce carmen non parum habet difficultatis, quæ partim ex ambiguitate verborum, partim ex concisis, et non usquequaque cohærentibus sententiis nascitur. Interrupta vero illa et minime continuata loquendi ratio proficisci potuit, non solum ex agitatione ingenii humani, quod ubi extraordinario aliquo angore conflictatur, singultit potius, quam loquitur; verum etiam ex nationum Orientalium methodo, quæ paulo fuerunt, quam Græci et Romani, in hoc genere solutiores, nec putarunt sibi esse necesse, cogitationes suas accurate componere. In quo rerum articulo constitutus David ad compositionem

hujus poematis accesserit, difficile dictu est. Vero absimile non est, has preces a Davide fuisse directas contra obtrectatores in aula Saulis, qui assentando, obtrectando et gloriose loquendo irritabant Saulem contra ipsum, multumque nocebant hoc modo ei et bonis omnibus; ut itaque hoc carmen σύγγραμμον sit cum XII, LII et LIV, in quibus eædem plane sint querelæ et preces.

1. Quare, Jova, stas in longinquo,
abscondis *oculos* temporibus angustiarum?
2. In fastu improbi æstuat afflictus;
capiuntur *justi afflicti* consiliis quæ illi *improbi* excogitarunt.
3. Nam gloriatur improbus de libidine animæ suæ,
et rapax exsecratur, spernit Jovam.
4. Improbus secundum altitudinem nasi sui : « Non requirit!
Non est Deus! » *Hæ sunt* omnes cogitationes ejus.
5. Firmæ sunt viæ ejus omni tempore;
alta (remota) *sunt* judicia tua ab eo;
omnes adversarii ejus (nomin. absol.), flat in eos.
6. Dicit in corde suo : « Non nutabo!
in omnes generationes ego qui non sim in malo! »
7. Exsecratione os ejus plenum, et fraudibus, et oppressione;
sub lingua ejus ærumna et iniquitas.
8. Sedet in insidiis pagorum :
in latibulis occidit insontem,
oculi ejus in pauperem speculantur.
9. Insidiatur in latibulo, ut leo in lustro suo;
insidiatur ad rapiendum afflictum;
rapit afflictum, trahens eum reti suo.
10. Conterit se, deprimit se (leo, *vel* improbus),
et labitur in ungulas ejus miser.
11. Dicit in corde suo : « Oblitus est Deus;
obvelavit faciem suam, non videt unquam. »

12. Surge, Jova; Deus, tolle manum tuam,
ne obliviscaris afflictorum.
13. Quare spernit improbus Deum?
Quare dicit in corde suo : « Non requiris? »
14. *Imo* vidisti; nam tu vexationem et ægritudinem spectas,
ad indendum *eas* in manu tua;
tibi rem suam committit pauper,
orphano tu es auxiliator.
15. Frange brachium improbi;
et malus (nomin. abs.) — quæres improbitatem ejus, et non invenies.
16. Jova *est* rex sæculi et æternitatis (in æternum);
evanescunt gentes e terra illius.
17. Desiderium afflictorum audisti, Jova;
eriges (firmabis) cor eorum; attentam præbebis aurem tuam,
18. Ad judicandum orphanum et afflictum :
ne pergat *improbus* proterrere hominem *miserum* e terra *patria*.

NOTÆ.

Vers. 2. *In fastu,* i. e. improbis insolenter se gerentibus. *Æstuat,* indignatione, ait Hengstenberg; alii, *angore.*—Vers. 3. *Gloriatur de,* proprie *laudat,* scil. seipsum; vel, *laudem dat libidini,* ut vertit Ewaldus. *Libidini,* pravis studiis. *Exsecratur,* ברך sumendo in *malam* partem. Crelier, *benedicit Jovæ,* post injustum aliquem quæstum, quod est revera Deum *spernere;* alii, *benedicit animæ suæ,* felicem se prædicat; alii, *valedicit, defugit.*—Vers. 4. *Secundum,* etc. pro elato naso, pro fastu suo.—Vers. 5. *Firmæ;* alii, *perversæ... remota a conspectu ejus judicia,* i. e. *leges Dei.* In priori sensu *judicia* sunt divinæ castigationes. *Flat,* quemadmodum Plautus in *Milite Glorioso* I, 1, 17 : « Cujus tu legiones difflavisti spiritu, Quasi ventus folia. » —Vers. 6. *Dicit,* cogitat. Alii *in omnes generationes* jungunt cum *nutabo.* — Vers. 7. *Exsecratione.* Vatablus : Improbi, ut probos facilius decipiant, pleno ore perjuria evomere solent. Alii aliter. *Ærumna et iniquitas,* i. e. vexatio et injustitia, seu mendacium. — Vers. 8. In hoc et seq. versu vates describit occultas sceleratorum molitiones, quibus vitæ et bonis innocentium insidiantur; in hoc versu quidem imagine *latronis,* in occultis insidiis subsidentis, ut viatores, ubi commodum erit, bonis ac vita spoliet; in altero autem versu imagine *leonis,* e lustris suis prospicientis, num qua se offerat præda, atque in eam summo impetu ruentis. *Pagorum,* muro circumdatorum. De Muis : Videtur Alexandrinus vel עשירים legisse, vel certe *chatserim* in significatione *atriorum,* quæ plerumque adhærebant *divitum* domibus ac magnatum palatiis accepisse, et ita quodammodo sensum expressisse. *Speculantur;* alii, *insidiantur.* חלכה, quod Masorethæ scriptum volunt pro חילך, *turba tua, populus tuus,* oritur e rad. חלך, *niger fuit;* vel, ut Hengstenberg, est quadrilitterum e חלה, *infirmus fuit,* et כאה, *tristis fuit,* compositum; vel, ut Maurer, ex inusitato לכה vel לכא, *percussus* seu *humi prostratus est,* præmissa gutturali ח, quæ haud raro quadrilitteris formandis adhibetur. —Vers. 9. *Reti suo.* Nova imago ab homine quodam venatore sumpta; nisi cum Schrædero dicas, leoni quoque, grandiori stylo, rete in insidiis expansum dari.—Vers. 10. *Conterit se,* colligit et contrahit se leo prædam invasurus, tum ne aspiciatur, tum ut potentius insiliat. Hengstenberg, *et contusus* (legit *vedakeh;* Maurer legit *vedakah,* contunditur, scil. in reti) *deprimitur et labitur. Ungulas,* proprie *ambo valida,* quo vocabulo sive *ungues* sive *membra* designantur. — Vers. 11. *Dicit* improbus. *Oblitus est,* vel obliviscitur, tum crudelitatis impiorum, tum justorum afflictionis. — Vers. 12. *Manum tuam,* instar fortissimi bellatoris, qui magno robustissimæ manus nisu graves ictus incutere molitur. *Afflictorum. Anavim* mansuetos, *anaiim* vero afflictos denotat; quanquam multi cum Schultensio utrumque vocabulum eodem sensu accipiunt.—Vers. 13. *Spernit,* repudiat. —Vers. 14. *Ægritudinem,* seu indignationem, sensu activo. *In manu tua* impressas, ut certius eas in memoria conserves.—Vers. 15. *Quæres,* ut vindices. *Non invenies,* quippe quæ jam perdomita, penitus deleta et e rerum quasi natura abolita fuerit. Hebræis *perquiri, nec inveniri* ea dicuntur, quæ derepente excisa et deleta ita disparent, ut nec vola, nec vestigium inveniri queat. Minus recte Maurer, *ne illa* improbitas *assequatur* aliquid, ne pervincat. — Vers. 16. *Rex* Israelitarum. *Terra* Canaan. — Vers. 18. *Ad judicandum,* causam agendam. *Proterrere.* Alexandrini, *ne pergat* tibi, o Deus, *insultare mortalis in terra* hac humili degens; alii, *e terra* ortus; alii, *ex* hac *terra insultare* tibi, qui cœlos habites. Cæterum notanda est paronomasia inter *laarots* et *aarets,* quæ vocabulis latinis etiam inest, *terrere* et *terra.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS IX

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro occultis filii, Psalmus David.

Hunc titulum Hebræi legunt : *Victori super mortem filii;* et quidem verba hebraica, ut modo leguntur, ita sonant Sed quia Psalmus hic est Psalmus lætitiæ, et David non lætitia, sed mœrore maximo affectus fuit ex morte filii, ideo aliqui volunt vocem illam, לבן *laben,* legendam esse ordine litterarum converso, videlicet נבל *nabal,* ut sensus sit, *pro morte Nabal.* Sed Psalmus non loquitur de morte unius hominis tantum, sed etiam de interitu magni alicujus exercitus. Ideo alii dicunt in hoc Psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, et fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius David, ut inscribere debuerit Psalmum, *pro morte filii.* Verissima est igitur lectio Septuaginta et Vulgatæ latinæ editionis, *pro occultis,* sive *arcanis filii.* Voces enim illæ, עלמות *almuth,* possunt legi *alamoth,* quod significat *occulta,* sive *arcana,* et credibile est excidisse præpositionem *al,* et legendum *al alamoth, pro occultis,* sicut legitur in titulo Psalmi XLV. Certe Septuaginta Interpretes, qui utrumque titulum eodem modo reddiderunt, videlicet *pro occultis,* sine dubio eodem modo legerunt, videlicet *al alamoth,* neque dubium esse potest quin libri eorum emendatiores fuerint quam nostri. Quia vero ponitur hoc loco nomen *filii* absolute, et præcedit nomen *arcani* sive *occulti,* id est mysterii reconditi, recte intelligimus in Psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, et novo bellandi genere pugnans, vicit diabolum et exercitum ejus, quod Apostolus *Coloss.* 1, vocat mysterium absconditum a sæculis. Ad quem sensum reduci potest lectio hebraica, *pro morte filii,* i. e. pro morte Christi Filii Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio principis tenebrarum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1.** CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO, NARRABO OMNIA MIRABILIA TUA.

Proponit materiam Psalmi, quæ erit laudatio Dei propter opera ejus mirabilia. Illud, *in toto corde*, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, et ideo totis viribus totoque affectu laudandam. Illud etiam, *omnia mirabilia*, significat, rem laudandam esse tam universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus summæ misericordiæ, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei, juxta illud Apostoli *ad Ephes.* I, 10 : « Instaurare omnia in Christo, » id est recapitulare, ut sonat vox græca, ἀνακεφαλαιώσασθαι, et in unam quasi summam omnia redigere.

Vers. 2. **2.** LÆTABOR ET EXULTABO IN TE : PSALLAM NOMINI TUO, ALTISSIME.

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat : Confitebor tibi lætabundus et exultans, ita ut lætitia sit in corde, exultatio in exteriori motu, atque ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomini tuo, Altissime, id est, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

Vers 3. **3.** IN CONVERTENDO INIMICUM MEUM RETRORSUM : INFIRMABUNTUR, ET PERIBUNT A FACIE TUA.

Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum et satellites ejus, et loquitur in persona totius Ecclesiæ : « In convertendo, inquit, inimicum meum retrorsum, » id est, cum convertetur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videlicet incipiens a facie tua; tunc omnes ejus milites infirmabuntur et peribunt, id est, cognita fuga ducis, debiles reddentur, et dilabentur, ac evanescent, ac si periissent. De hac fuga diaboli loquitur in Evangelio Dominus : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » *Joan.* XII, 31.

Vers. 4 **4.** QUONIAM FECISTI JUDICIUM MEUM ET CAUSAM MEAM : SEDISTI SUPER THRONUM, QUI JUDICAS JUSTITIAM.

Reddit causam quare futurum sit ut diabolus fugiat, et totus ejus exercitus dissipetur : « Quoniam, » inquit, tu Domine fili Dei, « fecisti judicium meum et causam meam, » id est, absolvisti judicium et litem (id enim proprie sonat vox hebræa דיני *dini*), et controversiam quæ erat generi humano, sive Ecclesiæ cum diabolo. Diabolus enim prætendebat genus humanum juste a se teneri captivum, et tyrannice illud vexabat; sed Christus in cruce absolvit hanc litem, satisfaciens pro homine; unde subditur : « Sedisti super thronum, qui judicas justitiam, » ubi crucem vocat thronum, juxta illud S. Leonis serm. 8 *De Passione Domini* : « O ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi ! » Atque hæc sunt vere occulta Filii Dei, ut habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, et cum summa ignominia pœnas luere, in illo ipso tempore in throno sedens justitiam judicabat, id est justissime judicabat, jam pretio persoluto, hominem liberandum, et diabolum dominio spoliandum, et re ipsa « chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, » ut scribit Apostolus *Coloss.* II, 14, « tulit de medio, affigens illud cruci, et exspolians principatus et potestates. »

absolvit litem generis humani cum diabolo.

Vers. 5. **5.** INCREPASTI GENTES, ET PERIIT IMPIUS : NOMEN EORUM DELESTI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Post debellatum diabolum per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpavit gentes, arguens « mundum de peccato, de justitia, et de judicio, » (ut ipse Dominus futurum prædixit *Joan.* XVI, 8), et eo modo periit impius, id est periit impietas idololatriæ, et homo de impio factus est pius. Nec solum periit impius, qui tunc erat; sed delevit Christus nomen eorum, id est gentilitatis et idololatriæ in æternum, ut non amplius sint redituræ, quasi stirpitus eradicatæ. Id quod jam videmus ita impletum, ut ne Judæi quidem colant amplius idola, qui ad ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in græco non est, *nomen eorum*, sed *nomen ejus*, id est impii; sed in hebræo est שמם *schemam*, *nomen eorum*, et latina interpretatio idem habet, vel quod olim in græco ita legeretur, et postea sit mutatum vitio librariorum; vel quod latino interpreti magis placuerit lectio hebraica; sed in sententia non est diversitas ullius momenti. Illud autem, *in æternum, et in sæculum sæculi*, in hebræo est לעולם ועד, *in sæculum et in æternum* : significatur autem ista additione vera æternitas, id est nunquam finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco æternum pro longo tempore, sed aliquando finem habituro.

Vers. 6. **6.** INIMICI DEFECERUNT FRAMEÆ IN FINEM : ET CIVITATES EORUM DESTRUXISTI.

Reddit causam, cur non sit reditura idololatria : quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita ut non habeat, nec unde offendat, nec ubi se defendat. Illud, *inimici*, est genitivi casus, ut patet ex græco : nam ex hebræo posset etiam verti, *o inimice !* sed rectissima est versio

græca et latina, et non repugnat hebraicæ. Pro *frameæ*, in hebræo nunc legitur *solitudines;* sed verbum חרבות *charaboth*, significat *gladios*, et *choraboth, solitudines* : utrumque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque Septuaginta legerunt *charaboth*; ideo recte verterunt *frameæ*, sive *gladii*, ut sensus sit: Defecerunt gladii hostis nostri diaboli, usque in finem, id est nullo remanente, sive in æternum. Illud etiam, *civitates eorum*, in hebræo et græco habetur sine pronomine *eorum* : *Et civitates destruxisti*, nimirum inimici, quasi dicat : Inimicus amisit gladios et civitates. Per *gladios inimici* intelligi possunt tentationes, sive suggestiones, et quasi verba diaboli, sicut *gladium spiritus* vocat Apostolus verbum Dei : unde etiam idem Apostolus tentationes diaboli esse dicit *tela ignea, ad Ephes.* v. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. In quo sensu allegavit hunc locum Psalmi S. Antonius apud Athanasium in Vita ipsius, probare volens tentationes diaboli signo crucis facillime repelli. Per civitates autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola sustulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait *Luc.* XI, 21 : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, » etc. Cum diabolus custodiebat atrium, in pace erant omnia quæ possidebat, id est, cum infidelitatem conservabat, secure possidebat omnia sua; quia dum homo est infidelis, semper est in manu diaboli, etiamsi moraliter bene vivere videatur, ut multi philosophi atque ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est infidelitate sublata, et cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

Vers 7. 7. PERIIT MEMORIA EORUM CUM SONITU : ET DOMINUS IN ÆTERNUM PERMANET.

In hebræo, ut nunc legitur, non habetur *cum sonitu*, sed *cum ipsis*, ut sensus sit : perierunt impii, et cum ipsis periit etiam memoria ipsorum. Cæterum vox hebraica potest legi *hemmah*, et significat *cum ipsis;* potest etiam legi המה *hamah*, et significat *sonitum* : et sic legerunt Septuaginta Interpretes, et addiderunt perspicuitatis gratia præpositionem *cum*, et ideo verterunt *sonitu;* sensus autem est, periisse memoriam idololatrarum, et ipsorum idolorum, et totius regni Satanæ cum magno strepitu et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi summi reges, et imperatores totis viribus conati sunt idola defendere : sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatria cadebat, et memoria ejus abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum, memoria quoque idololatriæ periit : Dominus autem Christus, et ejus memoria nunquam peribit.

Christus et ejus memoria nunquam peribit.

8. PARAVIT IN JUDICIO THRONUM SUUM : ET IPSE JUDICABIT ORBEM TERRÆ IN ÆQUITATE, JUDICABIT POPULOS IN JUSTITIA. Vers. 8.

Post Christi mortem et resurrectionem, « data est ei potestas in cœlo et in terra, » *Matth.* cap. ultimo. In hoc loco David commemorat, quasi dicat : Post certamen cum diabolo Dominus « paravit, » sive, ut sonat vox hebræa, חונן *chonen*, *stabilivit*, « thronum suum in judicio, » id est ad judicandum, et ipse, qui est princeps regum terræ, « judicabit orbem terræ, » id est populos omnes totius mundi, « in æquitate et justitia. » Idem est autem hoc loco æquitas et justitia; nam tam in hebræo quam in græco pro *æquitate* habetur *justitia*, pro *justitia* habetur *rectitudo*. Latinus interpres non accepit æquitatem proprie, sed, ut poni solet aliquando, pro justitia; et sicut in hebræo et græco res eadem bis repetitur diversis vocibus, ita credendum est latinum interpretem idem intelligi voluisse per æquitatem et justitiam. Dicitur autem Christus judicare orbem terræ, quamvis multi sint in mundo principes infideles et impii, qui contra Christum pugnant, quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse justo judicio facere eos sinit.

9. ET FACTUS EST DOMINUS REFUGIUM PAUPERI : ADJUTOR IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE. Vers. 9.

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus, et judicabit juste, colligit David magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent, quasi dicat : Non timeant amplius pauperes, quia Dominus in cœlo sedens factus est refugium pauperum; et rursus idipsum aliis verbis repetit : « Adjutor, inquit, pauperum in opportunitatibus, » id est temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum in tribulatione. Tunc enim opportune divinum præbetur auxilium, quando tribulatione urgemur, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem hæc promissio in omnibus, qui Deum vere quærunt et timent, et ideo subjungit :

10. ET SPERENT IN TE, QUI NOVERUNT NOMEN TUUM : QUONIAM NON DERELIQUISTI QUÆRENTES TE, DOMINE. Vers 10.

Mutatio personæ frequens est in Psalmis, et sæpe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur, dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in angustiis suis omnes, qui noverunt nomen tuum, id est, qui non solum sonant voce nomen Dei, sed probe intelligunt quam magnam rem significet, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam et misericordiam Dei. Ideo merito in te sperare possunt amici tui, « quoniam non dereliquisti, » id est, nunquam dereliquisti quærentes te. Dicuntur autem quærere Deum, qui cupiunt ejus gratiam, et student toto corde placere illi.

Vers. 11. 11. PSALLITE DOMINO, QUI HABITAT IN SION : ANNUNTIATE INTER GENTES STUDIA EJUS.

Post apostrophen ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans eos, ut ipsi quoque Deum laudent, et alios ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare in Sion, quia ibi erat arca testamenti, et locus orationis; et additur hæc periphrasis, ut distinguatur Deus verus a diis falsis, qui habitant in delubris, et fanis ethnicorum. Illud autem, *studia ejus*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quæ relucent in redemptione generis humani. Nam idem vocabulum hebraicum עלילות *hhaliloth*, quod hic vertitur *studia*, in *Psalm.* CIV vertitur *opera*, et *Isai.* XII, in cantico Isaiæ, vertitur *adinventiones*. Itaque sensus est : Cantate Deo vero Psalmum, laudantes eum, et annuntiate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, atque adeo mirabilia opera ejus, ut omnes gentes hæc audientes illum laudent.

Cur Deus in Sion dicatur habitare?

Vers. 12. 12. QUONIAM REQUIRENS SANGUINEM EORUM RECORDATUS EST : NON EST OBLITUS CLAMOREM PAUPERUM.

Redit Propheta ad id quod dicebat, Dominum justum judicem esse refugium pauperum in tribulatione; et respondet tacitæ objectioni, quæ poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi a potentioribus, et etiam innocenter occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam etiamsi videatur aliquando oblivisci pauperum suorum, tamen non ita est, sed « requirens, » id est, inquirens in vitam hominum, et discutiens acta singulorum, « recordatus est sanguinem » innocentium injuste effusum, et « non est oblitus clamorem » eorum, qui dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando et opprimentium pœna, et oppressorum gloria manifestabitur.

Vers. 13. 13. MISERERE MEI, DOMINE : VIDE HUMILITATEM MEAM DE INIMICIS MEIS.

Laudavit Deum de præteritis beneficiis; nunc implorat auxilium adversus præsentes et futuras angustias. Est autem vox Ecclesiæ contra persecutores tum visibiles, tum invisibiles. « Miserere, inquit, mei, Domine, vide humilitatem meam, » id est abjectionem meam (id enim sonat verbum græcum ταπείνωσις), sive afflictionem (quod significare solet verbum hebraicum עני *hhani*) de inimicis meis, id est ex inimicis meis provenientem.

Vers. 14. 14. QUI EXALTAS ME DE PORTIS MORTIS, UT ANNUNTIEM OMNES LAUDATIONES TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.

Prima pars hujus versiculi conjungitur cum superiore versu. Est enim sensus : « Miserere mei, et vide humilitatem meam, » tu Domine, « qui exaltas me de portis mortis, » id est, qui soles me longe facere a portis mortis; et quia portæ illæ intelliguntur esse in loco inferiori, et eædem cum portis inferi, quia non loquitur Propheta de morte corporis, sed de morte animæ per peccatum, sive de morte æterna; ideo exaltari se dicit, ut longe fiat ab illis. Per portas mortis, sive inferi, videtur intelligenda multitudo infernalium hostium nostrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire solebat apud Hebræos, sive ad judicium, sive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum significatur *Matth.* XVI, 18 : « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam; » *Eccli.* cap. ultimo : « De Portis tribulationum, quæ circumdederunt me. » pulchre autem opponuntur portæ mortis, portis filiæ Sion, id est portis Jerusalem : quia portæ mortis seu inferni in loco infimo sunt, portæ Jerusalem in monte excelso; in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Jerusalem populus Dei. Portæ mortis tentationes et bella emittunt, per quæ itur ad mortem; portæ Jerusalem in pace fundatæ sunt. Jerusalem enim posuit fines suos pacem, et ipsa visio pacis dicitur. Itaque exaltatur Ecclesia a portis mortis, ut annuntiet laudem Dei « in portis filiæ Sion, » id est, liberatur a tentationibus, ne cadat in mortem æternam, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram angelis Dei, qui sunt in portis cœlestis Jerusalem.

Porta mortis quid significent?

Vers. 15. 15. EXULTABO IN SALUTARI TUO : INFIXÆ SUNT GENTES IN INTERITU QUEM FECERUNT.

Exultabo, inquit, liberatus de portis mortis, « in salutari tuo, » id est in salute a te mihi donata. Quoniam (id enim subintelligitur, ut sæpe alias in Psalmis) gentes quæ mihi interitum fecerunt, id est paraverunt, in ipsum interitum infixæ sunt, tanquam in luto tenacissimo, unde evadere nequibunt : hoc est, persecutio inimicorum non mihi nocuit, sed ipsis.

Vers. 16. 16. IN LAQUEO ISTO, QUEM ABSCONDERUNT, COMPREHENSUS EST PES EORUM.

Nec solum aperta persecutio, sed etiam occulta, quæ veluti laqueus tendebatur, auctoribus perniciosa fuit, non mihi. Fortasse hic tanguntur persecutiones apertæ Diocletiani et similium, et occultæ Juliani apostatæ et imperatorum hæreticorum.

Vers. 17. 17. COGNOSCETUR DOMINUS JUDICIA FACIENS : IN OPERIBUS MANUUM SUARUM COMPREHENSUS EST PECCATOR.

Ex hoc mirabili judicio Dei, qui convertit arma et fraudes hominum impiorum in ipsos, colligit David fore, ut cognoscatur Deus : « Cognoscetur Dominus judicia faciens, » id est, cognoscetur

esse Deus verus et summus, dum judicia facit tam admiranda; nam per ejus providentiam « in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, » nimirum dum incidit in interitum quem aliis paraverat, et in laqueum quem aliis tetenderat. Similia habentur in *Psalm.* VII, vers. 15, et eumdem sensum habent. Post hunc versiculum in hebræo additur, הגיון סלה *higgaion selah,* quod verti potest, *meditatio semper*, quod significat, judicia Dei supradicta assidue ac jugiter esse meditanda.

Vers. 18. 18. CONVERTANTUR PECCATORES IN INFERNUM, OMNES GENTES, QUÆ OBLIVISCUNTUR DEUM.

Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. *Convertantur* positum videtur pro *revertantur,* ut vox hebræa ישובו *iashubu* sonat, et *revertantur* pro *revertentur*. Dicuntur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, qua peccatores sunt. Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. « Vos, » inquit Dominus *Joan.* VIII, « ex patre diabolo estis. » Quod sequitur : « Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum, » declarat qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes, qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum; nam omnis qui peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad creaturam.

Radix omnium peccatorum est oblivio Dei.

Vers. 19. 19. QUONIAM NON IN FINEM OBLIVIO ERIT PAUPERIS : PATIENTIA PAUPERUM NON PERIBIT IN FINEM.

In hebræo non habetur negatio in secundo membro, sed legitur : *Patientia pauperum peribit in æternum;* sed negatio prioris membri ex phrasi hebraica trahitur etiam ad membrum posterius, et ideo Septuaginta Interpretes recte verterunt, *non peribit.* Significat autem hic versiculus, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum dejiciendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum, tamen non obliviscetur eorum in finem; sed aliquando recordabitur, et proinde patientia sive exspectatio pauperum non peribit « in finem, » id est in æternum, ut sonat vox hebræa לעד. Dicitur autem patientia pauperum non peritura in æternum, non quoad se, sed quoad suum effectum, quasi dicat : Non frustrabitur in æternum, sed aliquando effectum suum sortietur.

Vers. 20. 20. EXURGE, DOMINE, NON CONFORTETUR HOMO : JUDICENTUR GENTES IN CONSPECTU TUO.

Posteaquam prædixit interitum impiorum, rogat Deum ut incipiat coercere impios : « Exsurge, inquit, Domine, non confortetur, » id est, non prævaleat homo, qui pulvis est, contra Deum factorem suum. « Judicentur gentes in conspectu tuo, » id est, judicium contra eos a facie tua prodeat. Quod in alio Psalmo legimus : « Judica illos, Deus. »

Vers. 21. 21. CONSTITUE, DOMINE, LEGISLATOREM SUPER EOS, UT SCIANT GENTES QUONIAM HOMINES SUNT.

Judicium contra gentes, quæ persequebantur Ecclesiam, manifestum fuit, quando subjectæ fuerunt principi christiano. Tunc enim intellexerunt Gentiles, se homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum prævalere non posse. Id prædicit Propheta per modum precantis. Nomen hebraicum מורה *morah,* vel *moreh, doctorem* significat, et etiam *terrorem*, ut vertit S. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de doctore terribili, qui cum imperio præcipit et docet, ideo recte *legislatorem* dixerunt Septuaginta Interpretes. Multi per hunc legislatorem intelligunt Christum, multi Antichristum. In re obscurissima quisque in suo sensu abundet. Ego Constantinum intelligo, Jovinianum, Valentinianum, Theodosium, et similes.

Vers. 22. 22. UT QUID, DOMINE, RECESSISTI LONGE, DESPICIS IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE ?

In hoc versu incipiunt Hebræi Psalmum decimum, sed hanc distinctionem Septuaginta Interpretes non habuerunt; et credibile est a posterioribus excogitatam fuisse distinctionem, propterea quod materia hujus partis Psalmi videatur diversa omnino a materia prioris partis, cum in parte priore exsultet Ecclesia pro victoria contra inimicos Dei et suos, in posteriore gemat ob eorumdem inimicorum prosperos successus adversus Ecclesiam. Sed non tam est diversa materia, quam diversa sunt tempora quæ David prophetando percurrit. In principio enim Psalmi exsultabat David in spiritu ob occulta mysteria Filii Dei, qui moriendo debellavit aereas potestates et Gentilitatem, atque idola destruxit; deinde in fine prioris partis, et in hac posteriore prædicit persecutiones Ecclesiæ, tum a gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatas, quæ interdum ita crescunt, ut videatur Dominus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat; et quia dixerat paulo ante : « Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, » ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait : « Ut quid, Domine, recessisti longe, » id est, ita permittis impios grassari in justos, ac si non adesses, sed longe recessisses? « Despicis, » tuos pauperes videlicet, « in opportunitatibus, » quando opportunum esset eos juvare, nimirum « in tribulatione. »

Vers. 23. 23. DUM SUPERBIT IMPIUS, INCENDITUR PAUPER : COMPREHENDUNTUR IN CONSILIIS, QUIBUS COGITANT.

Difficilis omnino versiculus; videtur hæc esse sententia : « Dum superbit impius, » id est, dum impius prospere agit, et gloriosus apparet, tunc

« incenditur pauper, » id est scandalizatur, et uritur æstu cogitationum justus pauper. « Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant, » id est, uterque, tam impius gloriosus, quam justus pauper, comprehenditur et illaqueatur consilio, id est cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam felicitatem, et ipse se decipit : justus vero videns impium prospere agere, cogitat quid hoc sibi velit, et magis ac magis se involvit. Quod ad grammaticam attinet, cum dicitur, « in consiliis, quibus cogitant, » græcismus est, et latinus interpres ad verbum vertere voluit. Nos enim diceremus : in consiliis, *de quibus* cogitant, vel *quæ* cogitant. Per consilia vero cogitationes intelligimus, ut magis proprie significat vox hebraica. Porro hæc videtur ratio versiculi superioris; ideo enim rogavit Propheta Deum, ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum et impiis et justis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

Vers. 24. 24. QUONIAM LAUDATUR PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMÆ SUÆ, ET INIQUUS BENEDICITUR.

Hebraica lectio, ut nunc se habet, ad verbum sic vertenda esset : *Quoniam laudavit impius desiderium animæ suæ, et avarus benedicens exacerbavit Dominum.* Sed remotis punctis et distinctionibus, quæ tempore Septuaginta Interpretum non aderant, clarissime cernitur sententia, quam Septuaginta rectissime expresserunt. Verbum enim הלל *hillel*, quod significat *laudavit*, si legatur *hullal*, ut Septuaginta legerunt, significat *laudatus est;* et verbum ברך *berech, benedicens,* si legatur *baruch*, significabit *benedictus est.* Illud autem, *exacerbavit Dominum,* pertinet ad versiculum sequentem, qui incipit : « Exacerbavit Dominum peccator. » Reddit igitur causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius, et uratur pauper : quia videlicet peccator male agit, et tamen quia dives est et potens, laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria animæ ejus, id est desideria ipsius (est enim phrasis hebraica, *desiderium animæ meæ*, pro *desiderium meum*), quamvis iniqua et injusta approbantur, et hinc fit ut iniquus benedicatur, cum maledici potius mereretur.

Vers 25. 25. EXACERBAVIT DOMINUM PECCATOR : SECUNDUM MULTITUDINEM IRÆ SUÆ NON QUÆRET.

Pergit explicare malitiam peccatoris superbi : « Exacerbavit, inquit, Dominum peccator, » et cum deberet omni studio quærere reconciliationem, « secundum multitudinem iræ suæ non quæret, » id est, propter magnitudinem iræ suæ in pauperes afflictos, non quæret Deum, vel reconciliationem cum Deo. Ita enim arrogantia excæcat ejus mentem, ut non cogitet peccator quam magnum sit malum exacerbare Deum omnipotentem.

Vers. 26. 26. NON EST DEUS IN CONSPECTU EJUS : INQUINATÆ SUNT VIÆ ILLIUS IN OMNI TEMPORE.

Excæcatus peccator non cogitat Deum. In hebræo majori emphasi legitur : *Non est Deus in omnibus cogitationibus ejus*, id est, in nulla ejus cogitatione est Deus, id est, cum tam multa cogitet, nunquam cogitationi ejus occurrit Deus. Ita funditus Deum oblitus est. « Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. » Hoc sequitur ex superiore, quia nunquam Deum cogitat; nullo tempore dirigit viam suam ad Deum, sed ad carnalia desideria explenda : et ideo omnes viæ, id est, omnia opera ejus sunt inquinata sorde concupiscentiæ.

Vers. 27. 27. AUFERUNTUR JUDICIA TUA A FACIE EJUS, OMNIUM INIMICORUM SUORUM DOMINABITUR.

Id quod eum convertere posset a via mala, cogitatio videlicet terribilium judiciorum tuorum, longe est a corde ipsius; et ideo sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, id est tyrannice opprimit omnes quos inimicos suos putat.

Vers. 28. 28. DIXIT ENIM IN CORDE SUO : NON MOVEBOR A GENERATIONE IN GENERATIONEM, SINE MALO.

Confidentia vana impii hic notatur; cogitat enim apud se nihil sibi nocere posse : « Dixit, inquit, in corde suo: Non movebor, » id est, nemo me commovere poterit, nec dejicere a statu meo; « a generatione in generationem sine malo, » supple, ero. Nam et in hebræo et in græco ponitur distinctio post verbum *movebor,* et in hebræo clare apparet sensus ille : a generatione in generationem sine malo ero, quomodo etiam vertit S. Hieronymus.

Vers. 29. 29. CUJUS MALEDICTIONE OS PLENUM EST, ET AMARITUDINE ET DOLO : SUB LINGUA EJUS LABOR ET DOLOR.

Descripsit Propheta quale sit cor impii, quod videlicet non cogitet Deum, nec judicia ejus, et speret nihil mali sibi eventurum : nunc describit quale sit os, descripturus postea qualia sint opera. Dicit igitur os impii esse plenum maledictione, amaritudine et dolo. Ad maledictionem pertinent blasphemiæ in Deum, et convicia in homines; ad amaritudinem detractiones, murmurationes, contentiones, et alia, odium et rancorem testantia; denique ad dolos calumniæ, mendacia, perjuria. Quod additur, *sub lingua ejus labor et dolor,* significat effectum superiorum malorum. Eo enim tendunt omnia verba impii, ut laborem et dolorem afflictis afferant. « Sub lingua ejus labor et dolor, » id est, id quod est sub lingua impii, id est, materia in qua exercetur lingua impii, est labor et dolor miserorum hominum, qui ei quoquo modo subjiciuntur.

Vers. 30. 30. SEDET IN INSIDIIS CUM DIVITIBUS, IN OCCULTIS, UT INTERFICIAT INNOCENTEM.

Hic jam describuntur mala opera, id est oppressiones pauperum. Est autem oratio metaphorica, ducta similitudine ab iis, qui latent intra vestibula domus, ut observent, quando transeunt, quos interficere cupiunt. Significat autem Propheta hac metaphora, viros impios et potentes, adjunctis sibi sociis aliis divitibus et potentibus, variis artibus et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem abducere. In hebræo non est, *in insidiis cum divitibus*, sed *in insidiis atriorum*, seu *vestibulorum*. Cæterum Septuaginta non legerunt חצרים *chatserim*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, sed עשרים *hhasirim*. Illud enim *atria*, hoc *divites* significat. Itaque probabile est post tempora Septuaginta textum hebraicum fuisse mutatum.

Vers. 31. 31. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT, INSIDIATUR IN ABSCONDITO, QUASI LEO IN SPELUNCA SUA.

Vers. 32. 32. INSIDIATUR, UT RAPIAT PAUPEREM, RAPERE PAUPEREM, DUM ATTRAHIT EUM.

Vers. 33. 33. IN LAQUEO SUO HUMILIABIT EUM, INCLINABIT SE, ET CADET CUM DOMINATUS FUERIT PAUPERUM.

Quod dixit in versiculo tricesimo, exponit in his tribus versiculis varians metaphoras. Nam in 30 versiculo comparavit oppressorem pauperum homini insidianti alteri homini; in vers. 31 comparat leoni insidianti aliis bestiis debilioribus; in vers. 32 et 33 comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Versiculi duo postremi sunt in hebræo multo clariores. Sic enim ad verbum reddi potest lectio hebraica, quomodo vertit S. Hieronymus : *Insidiatur, ut rapiat pauperem; rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum; et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter*. Nostra vero lectio sic explicanda est: « Insidiatur ut rapiat pauperem; » rapere autem pauperem insidiatur tunc, cum eum ad se attrahit alliciendo incautum. « In laqueo » vero suo jam captum « humiliabit, » id est opprimet, et « inclinabit se » super eum, atque in eum « cadet, » id est, super eum irruet, « cum dominatus fuerit pauperum, » id est, cum iis plane potitus fuerit. Et simul hæc verba pulchre alludunt ad casum interiorem impii : tunc enim horrende cadit in servitutem diaboli, cum dominari sibi videtur hominum miserorum.

Vers. 4 34. DIXIT ENIM IN CORDE SUO : OBLITUS EST DEUS, AVERTIT FACIEM SUAM, NE VIDEAT IN FINEM.

Repetit causam tantæ impietatis, nimirum quia impius cogitat apud se, Deum non curare res humanas, nec unquam esse curaturum.

35. EXURGE, DOMINE DEUS, EXALTETUR MANUS TUA : NE OBLIVISCARIS PAUPERUM. Vers. 35.

Rogat Deum, ut impios coerceat : « Exsurge, » inquit, quasi a somno, et « exaltetur manus tua, » ad percutiendum : manus enim dormientis, vel quieti hominis, demissæ et sæpe complicatæ esse solent. In græco adduntur duæ voces : post *Domine Deus*, additur *meus*, et post *ne obliviscaris pauperum*, additur, *in finem*. Sed in hebræo non habentur, nec in latinis emendatioribus.

36. PROPTER QUID IRRITAVIT IMPIUS DEUM? DIXIT ENIM IN CORDE SUO : NON REQUIRET. Vers. 36.

Iterum repetit causam, cur impius Deum irritet peccando, eam esse, quia cogitat Deum ista non requirere.

37. VIDES, QUONIAM TU LABOREM ET DOLOREM CONSIDERAS, UT TRADAS EOS IN MANUS TUAS. Vers. 37.

Refellit Propheta illam causam, quasi dicat : Imo vides, o Deus! et requiris, quod ex eo appareat, quia tu laborem et dolorem miserorum consideras, ut cum impleta fuerit mensura, tradas impios in manus tuas puniendos. In hebræo et græco habetur : *Quoniam tu laborem et furorem consideras*, et sic etiam legit S. Augustinus, et S. Hieronymus, et si ita legamus, sensus erit : Quoniam tu laborem oppressorum et furorem opprimentium consideras.

38. TIBI DERELICTUS EST PAUPER, ORPHANO TU ERIS ADJUTOR. Vers. 38

Merito ista consideras, quia tibi Patri omnium incumbit cura eorum, præcipue, qui sunt destituti omni alio auxilio.

39. CONTERE BRACHIUM PECCATORIS ET MALIGNI : QUÆRETUR PECCATUM ILLIUS, ET NON INVENIETUR. Vers. 39.

« Contere brachium, » id est potentiam et robur peccatoris, et sic humiliatus resipiscet, nec amplius peccabit : ideo quæres postea peccatum ejus, et non invenies. Nam, ut ait Isaias cap. XXVIII, 19 : « Sola vexatio dabit intellectum auditui; » et *Psalm.* LXXXII, 17 : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum. »

40. DOMINUS REGNABIT IN ÆTERNUM ET IN SÆCULUM SÆCULI : PERIBITIS, GENTES, DE TERRA ILLIUS. Vers. 40.

Prædicit futurum, quod ut fieret, oraverat. « Dominus, » inquit, semper « regnabit, » invitis inimicis ejus; imo ipsi inimici peribunt, et exterminabuntur « de terra illius, » id est de orbe terrarum universo, « quia Domini est terra et plenitudo ejus, » *Psalm.* XXIII, 1.

41. DESIDERIUM PAUPERUM EXAUDIVIT DOMINUS, PRÆPARATIONEM CORDIS EORUM AUDIVIT AURIS TUA. Vers. 41.

Quod futurum est, ponit tanquam præteritum Deside-

rium est præparatio ad orandum.

propter certitudinem, nec dicit orationem, sed « desiderium pauperum, » ut ostendat celerem exauditionem, *q. d.* Deus, qui scrutatur corda, non exspectabit orationem, sed ipsum desiderium, quod orationem præcedere solet, exaudiet. Idem vero est desiderium, et præparatio cordis : desiderium enim est præparatio ad orandum.

Vers. 42.

42. JUDICARE PUPILLO ET HUMILI, UT NON APPONAT ULTRA MAGNIFICARE SE HOMO SUPER TERRAM.

Exaudivit Dominus desiderium pauperum, « judicare pupillo et humili, » id est, ad hoc exaudivit, ut judicet causam pupilli et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo audeat superbire, « homo, » inquam, qui est « super terram, » contra Deum, qui est in cœlo. In hebræo significantius dicitur : *Ut nequaquam ultra superbiat homo de terra,* id est homo ex terra compositus, *q. d.* Ut non superbiat figmentum contra factorem suum. Hæc omnia quæ dicuntur in hoc Psalmo adversus impium oppressorem pauperum, attribuuntur Antichristo a SS. Hieronymo et Augustino; et sine dubio illi conveniunt per antonomasiam omnia quæ dicuntur in genere de impiis : sed si ad litteram dicantur hæc de oppressoribus pauperum in genere, ut nos existimamus, certe manifeste apparet quam ingens crimen sit, quod tot verbis, et tam significantibus a Spiritu Sancto reprehenditur.

PSALMUS XI.

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer?

3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

4. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : justus autem quid fecit?

5. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6. Dominus interrogat justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7. Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8. Quoniam justus Dominus et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

V. S. H. — *Victori, David.*

In Domino speravi; quomodo dicitis animæ meæ : Transvola in montem sicut passer?

Quia ecce impii tetenderunt arcum : posuerunt sagittam suam super nervum, ut sagittent in abscondito rectos corde.

Quia leges dissipatæ sunt : justus quid operatus est?

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo thronus ejus :

oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum.

Dominus justum probat; impium autem et diligentem iniquitatem odit anima ejus.

Pluet [Al. *pluit*] super peccatores [Al. *h. impios*] laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus tempestatum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus justitias dilexit : rectum videbunt [Al. *viderunt*] facies eorum.

Argumentum. — Amici, ut fuga sibi consulat, vatem hortantur, utpote cujus cum salute communis omnium proborum salus conjuncta sit, vers. 1-3; ille nihil timendum esse respondet; sperare se, fore ut Jova, qui cogitata hominum penitus perspicit, improborum consilia evertat, vers. 4-7. Hinc strophæ 2. Adversus terrores eorum, qui solliciti de Davide, in periculis a Saule, fugam ei suaderent, factum esse Psalmum censet Ewaldus; Mauter vero eum scriptum putat inter initia conjurationis Absalonicæ. Juxta Hengstenberg, David justos in genere suo exemplo docet, ne in rebus difficillimis desperent.

1. Præcentori, Davidis *carmen.*

2. In Jova fiduciam pono;
quomodo dicitis animæ meæ (mihi) :
« Fugite in montem vestrum, aves!
2. Nam ecce improbi tendunt arcum;

aptant sagittam suam ad nervum,
ad jaciendum *eam* in caligine in rectos corde.
3. Quando fundamenta collapsa sunt,
justus quid faciat? »

4. Jova est in palatio suo sancto,
Jova — in cœlis est ejus sedes.
Oculi ejus spectant,
palpebræ ejus explorant filios hominis.
5. Jova justum explorat;
at improbum, et injuriæ amantem odit anima ejus.
6. Pluat super improbos laqueos igneos et sulphur;
et ventus ardens *sit* portio calicis eorum.
7. Nam justus *est* Jova justitias diligens;
rectum spectat facies ejus.

NOTÆ.

Vers. 1. *Fugite*, etc. Locutio proverbialis, ab aviculis desumpta, quæ ad montes arbustis consitos periculo imminente confugiunt. Alii cum Alexandrinis, *fuge* (keri) *in montem sicut* (legerunt הָר כְּמוֹ) *passer*. Alii ante *aves* subaudiunt *ut*, aut *aves* appositione cohæret cum pronomine quod latet in *fugite*, scil. David cum suis asseclis. — Vers. 2. *Tendunt*, proprie *calcant*, ut supra animadvertimus. — Vers. 3. *Fundamenta* justitiæ. Aliis est locutio proverb. ab ædificiis sumpta, quæ dirutis fundamentis tota concidere necesse est. — Vers. 4. *Palatio*, cœlo. — Vers. 5. *Explorat*, ideoque amat et protegit. — Vers. 6. *Pluat*; alii, *pluet* vel *pluit*. *Laqueos*. Jova comparatur bellatori, qui laqueum in hostem injicit; laquei autem Jovæ sunt fulmina, hinc dicti *ignei* et *sulphurei*; ῥάστιγα de fulmine usurpat Homerus, *Iliad.* XIV, 812. *Ardens*, proprie *ardorum*, pestilens Eurus, juxta plerosque, Orientalibus notissimus, qui julio et augusto mensibus nonnunquam per octavam horæ partem spirans, obvia quævis necat. *Samoum* illum vocant Arabes, finguntque eorum poetæ, venenatum hunc ventum impios in suppliciorum æternorum loco pro aura vitali hausturos. Cf. Mislin, *Les Saints-Lieux*, edit. 2, tom. III, p. 84 et 291. *Calicis*, metaphora a more veteri mutuata, quo paterfamilias domesticis suis suam cuique potus portionem in calicem infundere solebat. Alii : Veteres vitam calici epotando comparabant. — Vers. 7. *Spectat*, et tuetur. Ewaldus, *probus* quisque *faciem ejus* (Jovæ) *aspicitet*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS X.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De titulo dictum est in præcedentibus. Argumentum hujus Psalmi est cohortatio ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum. Loquitur David in persona cujuslibet justi, prævidens quodammodo illud Apostoli : « Omnes qui pie vivere volunt, persecutiones patientur, » II *Timoth.* III.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. IN DOMINO CONFIDO, QUOMODO DICITIS ANIMÆ MEÆ : TRANSMIGRA IN MONTEM, SICUT PASSER?

Vox justi, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum : « In Domino, inquit, confido, » qui ubique est, et omnipotens est; « quomodo dicitis animæ meæ, » id est, cur mihi persuadere conamini. Jam enim supra diximus phrasim esse hebraicam, *animæ meæ*, pro *mihi*. Alloquitur autem vel dæmones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes a diabolo immissas. « Transmigra in montem sicut passer, » id est, desere vocationem, et hominum consor-

Nullus locus est, ubi non sint pericula, et tentationes.

tium, et abi ad locum, ubi nulla sint pericula, nullæ tentationes. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quæ aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cum tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum posse molestiam illam declinari; et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tanquam ad montem. Justus autem constans est, et locum suum non deserit, sciens ubique tentationes diaboli, et ubique adjutorium Dei esse. In hebræo habetur : *Transmigra in montem vestrum, passer;* sed vocem *chem*, quæ significat *vestrum*, Septuaginta legerunt *cha*, quod est *sicut;* et hæc sine dubio est lectio verior et clarior. Nam etiam S. Hieronymus sic vertit. Itaque post tempora S. Hieronymi videtur hic locus corruptus in hebræo, librariorum vitio.

Vers 2. 2. QUONIAM ECCE PECCATORES INTENDERUNT ARCUM, PARAVERUNT SAGITTAS SUAS IN PHARETRA, UT SAGITTENT IN OBSCURO RECTOS CORDE.

Hæc est ratio, cur sit fugiendum ad montem, id est deserenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio suggerit, videlicet, quia mali homines assidue persequuntur justos sive calumniis, sive alia ratione. Comparat autem calumnias, sive alias persecutiones, sagittis quæ jaciuntur in obscuro, ut significet eas calumnias, vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix posse caveri. In hebræo habetur : *Paraverunt sagittas suas in nervo;* et secundum hanc lectionem, idem est, *intenderunt arcum*, et *paraverunt sagittas in nervo*. At Septuaginta verterunt : *Paraverunt sagittas in pharetra*, ut significarent, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel jacerent sagittam, sed etiam implesse pharetram sagittis, ut sæpius jaculari possent. Quamvis autem vox hebræa *iether* nervum et chordam significet, et in dictionariis non inveniatur locus, ubi ponatur pro pharetra, tamen auctoritas Septuaginta Interpretum satis est, ut credamus etiam pro pharetra accipi posse. Quod latinus codex habet, *in obscuro*, et hebræus אפל *ophel*, *in caligine*, in græco est *in obscura luna;* sed in re nulla est discrepantia. Nam obscura luna significat noctem carentem lunæ splendore, sive sit nebulis tecta luna, sive sit cum sole conjuncta, aut soli vicina. Possent hi duo versiculi etiam hunc sensum habere : « In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. » Id est, non licet jam esse recto corde, quoniam undique tenduntur insidiæ rectis corde : ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest; vel cedendum est consuetudini, et deserenda via justitiæ. Sed huic tentationi respondet justus : « In Domino confido, » et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam justitiæ.

Vers. 3. 3. QUONIAM QUÆ PERFECISTI, DESTRUXERUNT : JUSTUS AUTEM QUOD FECIT ?

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores injuste persequuntur justos. Quasi dicat : Verum est quod audivi de impietate peccatorum. Nam peccatores « destruxerunt ea quæ tu perfecisti, » id est leges tuas perfectissimas, nec non consilia, et ordinationes omnes tuas, quas posuisti in populo tuo, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu jubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando et persequendo justos. « Justus enim quid fecit? » hoc est, justus non dedit illis ullam occasionem, sed ipsi oderunt justos gratis. Vox hebræa, quam Septuaginta verterunt *perfecisti*, valde obscura est. S. Hieronymus vertit *leges*, alii *fundamenta*, alii *retia*. Mihi verisimile videtur Septuaginta Interpretes non legisse, ut nunc habemus in hebræo, השתות *hashathoth*, quod habet formam nominis pluralis, sed legisse *hashatthotha*, quod significat *posuisti*, a verbo שתת in conjugatione *hiphil;* sunt enim eædem omnino litteræ, et solum additur punctum unum, sub ultima littera. Nam fere id observamus in Psalmis, ut Septuaginta legerint paulo aliter, quam legerint ii qui puncta addiderunt.

Vers. 4. 4. DOMINUS IN TEMPLO SANCTO SUO, DOMINUS IN CŒLO SEDES EJUS.

Incipit rationem reddere, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias hominum iniquorum : quia videlicet Dominus omnium in cœlo sedeat judex, unde omnia videat, et omnes subjectos habeat : « Dominus, inquit, in templo sancto suo, » subintellige, *sedet*. Vocat autem templum sanctum Dei, summum cœlum, quod est templum non manufactum. Idem significat clarioribus verbis, cum ait : « Dominus in cœlo sedes ejus, » hoc est Dominus in cœlo sedem, sive thronum habet. Est autem phrasis hebraica : « Dominus in cœlo sedes ejus, » pro : sedes Domini est in cœlo, vel : Dominus in cœlo sedem habet.

Templum sanctum Dei est cœlum.

Vers. 5. 5. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT, PALPEBRÆ EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM.

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperes; proinde nihil mali accidere potest hominibus Deo non sciente, aut non permittente, quæ est maxima consolatio justorum. Quod sequitur declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit, ac dijudicat bonos et malos, et omnia eorum opera. In hebræo non habetur *in pauperem*, sed simpliciter, *oculi ejus*

respiciunt; sed Septuaginta addiderunt *in pauperem,* explicandi gratia. Præterea, pro *interrogant,* habetur in hebræo *probant,* sed eadem sententia est. Metaphorice enim dicitur Deus interrogare, sive probare, id est tentare, sive examinare, quando perfecte discernit ac dijudicat, quod homines non possunt sæpenumero facere, nisi interrogando et examinando. Illud, *palpebræ ejus interrogant,* nihil significat aliud, nisi oculi ejus perfecte discernunt: quoniam enim Psalmi poetice scripti sunt, ideo figuris multis scatent. Itaque palpebræ ponuntur pro oculis, et oculi pro mente; et interrogare, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset et examinasset.

Vers. 6. 6. DOMINUS INTERROGAT JUSTUM ET IMPIUM: QUI AUTEM DILIGIT INIQUITATEM, ODIT ANIMAM SUAM.

Non solum Deus exacte cognoscit justum et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat, vel punit. Et ideo « qui diligit iniquitatem, odit animam suam, » id est se ipsum, quoniam propter iniquitatem gravissime punitur. Ex hebræo potest etiam reddi, *diligentem iniquitatem odit anima ejus,* id est, Deus odit eos, qui amant iniquitatem, et sic vertit S. Hieronymus. Uterque sensus est verus, et utrumque patiuntur verba hebraica. Mira sententia est et elegantissima: « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. » Nam qui diligit iniquitatem, videtur diligere animam suam, id est se ipsum, quia, ut sibi ipsi satisfaciat, peccat, et tamen revera odit animam suam, ac perdit. Hoc est quod Dominus *Joan.* XII, 25, ait: « Qui amat animam suam, perdet eam, » id est, qui male se amat, vere se odit.

Vers. 7. 7. PLUET SUPER PECCATORES LAQUEOS: IGNIS, ET SULPHUR, ET SPIRITUS PROCELLARUM PARS CALICIS EORUM.

Hæc est ratio, cur iniqui oderint animas suas, quia Dominus pluet, sive, ut in hebræo expressius legitur, *pluere faciet super peccatores laqueos,* id est, in hac vita immittet laqueos in maxima copia, quasi guttas pluviæ in peccatores, id est, sinet eos quotidie involvi pluribus et majoribus peccatis percutiendo eos cæcitate, et tradendo eos in reprobum sensum, quæ est pœna horrenda et gravissima; deinde in alia vita, « ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, » id est venti frigidissimi et vehementissimi in gehenna erunt pars calicis, id est portio et hæreditas ipsorum. Observandum est hoc loco, nomine calicis intelligi hæreditatem, ut etiam alibi sæpe in Scriptura, ut eo loco: « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, » ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis, et ideo addit: « Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. » Dicitur autem hæreditas calix, quia sicut calix in mensa, saltem in cœna paschali, dividebatur inter convivas; unde est illud *Luc.* XXII, 17: « Accipite, et dividite inter vos: » ita hæreditas dividitur inter filios ejusdem patris. Eadem quoque hæreditas interdum vocatur *pars,* vel *portio,* ut: *Pars mea Dominus;* et alibi: *Portio mea Dominus;* interdum, *Pars hæreditatis,* ut loco citato, *Dominus pars hæreditatis meæ:* ubi non significatur Dominum esse partem hæreditatis, ita ut aliunde sit quærenda alia pars, sed significatur Dominum esse partem, quæ sibi contigit ex hæreditatis divisione, ita ut idem sit hæreditas, et pars hæreditatis: sic etiam idem est calix, et pars calicis, id est portio illa, quæ uni debetur ex divisione calicis. Pulchre autem filiis diaboli, quibus Dominus ait *Joan.* VIII, 44: « Vos ex patre diabolo estis, » tribuitur hæreditas quam diabolus possidet, id est pœna horribilis significata per ignem, et sulphur, et spiritum procellarum.

Calix in Scriptura pro hæreditate sumitur.

Vers. 8. 8. QUONIAM JUSTUS DOMINUS, ET JUSTITIAS DILEXIT, ÆQUITATEM VIDIT VULTUS EJUS.

Hæc vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios puniat, quia justus est ipse in se: « Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, » I *Joan.* I; « et diligit justitias, » id est opera justa in omnibus aliis, quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit, dicens: « Æquitatem vidit vultus ejus. » Nam per æquitatem hoc loco intelligitur rectitudo, ut sonant vocabula, hebraicum ישר, et græcum ὀρθώτης; rectitudo autem est quasi declaratio justitiæ. Non enim hic agitur de justitia, quæ est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, quæ est justitia particularis ponens medium in commerciis hominum; sed de justitia universali, quæ complectitur omnes virtutes, et est quædam rectitudo totius hominis, cujus quasi compendium est charitas Dei et proximi; nam « finis præcepti charitas, » I *Timoth.* I; et: « Qui diligit, legem implevit, » *Rom.* XIII, 8. Illud autem, *vidit vultus ejus,* non significat simplicem visionem, sed visionem approbationis, juxta illud Psalmi primi: « Novit Dominus viam justorum. » Idem igitur est, justitiam dilexit, et æquitatem vidit, id est rectitudinem approbavit « vultus ejus, » id est oculus ejus.

PSALMUS XII (SECUNDUM HEBRÆOS.)

V. V. — 1. *In finem pro octava, Psalmus David.*

V. S. H. — *Victori pro octava, canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

2. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit

Salva, Domine, quoniam defecit sanctus

sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : labia dolosa in corde et corde locuti sunt.

4. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

5. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?

6. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari : fiducialiter agam in eo.

7. Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8. Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.

9. In circuitu impii ambulant : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

[*h. misericors*] : quoniam imminuti sunt fideles a filiis hominum.

Frustra loquuntur [Al. *loquitur*] unusquisque proximo suo, labium dolosum in corde, et corde locuti sunt.

Disperdat Dominus omnia labia dolosa, linguam magniloquam.

Qui dixerunt : Linguam nostram roborabimus, labia nostra nobiscum sunt : quis Dominus [*h. dominator*] noster?

Propter vastitatem inopum et gemitum pauperum, nunc consurgam, dicit Dominus : ponam in salutari auxilium eorum.

Eloquia Domini, eloquia munda : argentum probatum, separatum a terra, colatum septuplum.

Tu, Domine, custodies ea, servabis nos a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulabunt [Al. *ambulant*], cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.

Argumentum. — Strophæ 3. Vers. 2-5, David Deum precatur, ut suis adsit, cum in dies magis invalescat hominum improbitas. Vers. 6-7, auxilium promittit Jova, cui fides habenda sit. Vers. 8-9, Vates suam fiduciam exprimit.

1. Præcentori, ad modum scheminith (conf. *Ps.* VI, 1), carmen Davidis.

2. Salva, Jova, nam desinit pius,
nam evanescit fidelis a filiis hominum.
3. Falsa loquuntur unus cum altero;
labiis blandis, corde et corde, loquuntur.
4. Exscindat Jova omnia labia blanda,
linguam eloquentem magnalia.
5. Qui dicunt : « Linguam nostram potentem faciemus ;
labia nostra nobiscum sunt : quis dominus *erit* nobis? »

6. « Propter oppressionem afflictorum, propter gemitum pauperum,
nunc surgam, dicit Jova;
ponam in salute *eum qui* inhiat illi (saluti). »
7. Verba Jovæ *sunt* verba pura (sincera),
argentum liquatum in catino in terra *incluso*,
purgatum septuplum.

8 Tu, Jova, servabis eos;
custodies eum a generatione hac in æternum.
9. Circumquaque impii ambulabunt;
sed secundum altitudinem *eorum* sit (vel *erit*) opprobrium filiis hominum (illis).

NOTÆ.

Vers. 2. *Fidelis*, propr. *fidelitates*. — Vers. 3. *Labiis*; alii, *labia*. *Blanda*, litt. *blanditiarum*. *Corde et corde*, i. e. corde duplici. — Vers. 4. *Magnalia*, superba. — Vers. 5. *Linguam*, etc.; alii, *lingua nostra valebimus*. — Vers. 6. *Propter*; Ewaldus, *ex* vel *de oppressione*, etc. *Inhiat*; alii, eum *cui flat* impius, i. e. miserum, quem improbus uno quasi flatu dejicere gloriatur; vel : *eripiam ab eo qui flat in eum*. Alexandr. legit אופיע. — Vers. 7. *Catino*, gall. *creuset*; alii, *officina*, gall. *laboratoire*. *In terra* incluso; alii, *e terra*, quoad terrenas partes purgandum. Ewaldus, *purgatum in ardore e terrenis partibus*. Hengstenberg, *argentum depuratum domini terræ* (בעליל id. ac בעל) : ita et Vatablus, qui ait : « Verbum Jova est instar argenti purissimi, quod exacte summaque arte et cura omni fæce purgatum est, non in usum vulgarem, sed principis terræ. » *Septuplum*, multoties. — Vers. 8. *Eos*, inopes. *Eum*, quemque eorum. *A generatione hac*. Alii, *ab hoc sæculo* in æternum, ut temporis duratio tantummodo significetur. Melius alii, *ab hujus sæculi perversis hominibus*. — Vers. 9. *Sed secundum*, etc. Crelier : Sed *sicut altitudo est abjectio filiorum*, etc. Brevi enim Deus justos afflictos liberabit, et gloria donabit. Gesenius : *Quando* impii *efferuntur, abjectio*, vel *terror* est *filiis hominum*, pauperibus. Ewaldus, ... *ambulant prout crescit* vel *exsurgit perversitas* (morum corruptio) *inter homines*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro octava, Psalmus David.

De hoc titulo dictum est in *Psalm.* VI. Argumentum hujus Psalmi est, fidendum in Deo, et non in hominibus, quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima et fidelissima.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. SALVUM ME FAC, DOMINE, QUONIAM DEFECIT SANCTUS : QUONIAM DIMINUTÆ SUNT VERITATES A FILIIS HOMINUM.

Tu, Domine, a periculis omnibus salva me, quoniam non est alius in quo fidere possim : nam defecit sanctus, id est, vix invenitur in mundo aliquis vere *pius*, et *misericors* (id enim proprie sonat vox hebraica חסיד); nec solum defecit misericors, sed etiam verax : diminutæ sunt enim veritates a filiis hominum, id est, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque periit fere de terra misericordia et veritas. In hebræo habetur אמונים *emunim*, quod S. Hieronymus vertit *fideles*, ut hæc sit sententia : imminuti sunt fideles a filiis hominum; sed eadem vox significat etiam veritatem, seu veritates, et sensus est idem.

Vers. 2. 2. VANA LOCUTI SUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM : LABIA DOLOSA IN CORDE ET CORDE LOCUTI SUNT.

Probat defecisse sanctum, id est misericordem, quoniam homines, ut plurimum, non loquuntur proximis utilia et bona, sed vana, quæ a periculis eruere non possunt; unde etiam frustra loquuntur, quomodo vertit S. Hieronymus. Probat quoque defecisse veritatem, quoniam *labia dolosa*, id est homines, qui labia dolosa dici possunt, *in corde et corde*, id est duplici corde, locuti sunt, unum volentes loqui, et aliud volentes facere, et sic decipere. In hebræo ad verbum est, *labium divisionum*, id est labium divisum, unum sonans, aliud significans, labium autem divisum, seu duplex, ex corde diviso, seu duplici oritur. Quia vero quæ leniuntur, dividuntur, ideo eadem vox significat in Scripturis, *labium blanditiarum*, et *adulationum*; et quia omnis adulatio decipit, ideo recte verterunt tam Septuaginta, quam S. Hieronymus, *labia dolosa*, sive *subdola*. In græco additur *mala*, *in corde et corde locuti sunt mala*, sed ea vox neque in hebræo, neque in latinis emendatioribus habetur.

Vers. 3. 3. DISPERDAT DOMINUS UNIVERSA LABIA DOLOSA, ET LINGUAM MAGNILOQUAM.

Imprecatio prophetica est : per modum enim imprecationis prædicit fore, ut omnes, qui decipiunt, decipiantur, et dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, et ipsi etiam pereant in æternum. Illud, *et linguam magniloquam*, significat linguam se jactantem ob suos dolos et fraudes, ut patet ex versiculo sequenti. In hebræo et græco non habetur conjunctio *et*; ex quo intelligimus, hic non reprehendi duo ge-

nera hominum, dolosos et superbos, sed dolosos tantum, qui tamen confidunt in suis dolis, et ideo magni faciunt sua labia dolosa, et de illis magnifice loquuntur. Proinde editio latina, quæ habet conjunctionem, ad eumdem sensum reducenda est, et commode reducitur, ut nos explicuimus.

Vers. 4. 4. QUI DIXERUNT : LINGUAM NOSTRAM MAGNIFICABIMUS, LABIA NOSTRA A NOBIS SUNT, QUIS NOSTER DOMINUS EST?

Explicat cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt maxime in sua lingua, ita ut nulla re alia indigere se credant, nec ulli domino subjecti esse debeant. « Qui dixerunt, » inquit, videlicet apud se animo suo, « linguam nostram magnificabimus, » id est, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quæ per illam lucramur. Ex hebræo aliqui vertunt, *linguam nostram roborabimus;* verbum enim גבר *gabar* significat *gravem* et *robustum* esse, sed accipitur etiam pro quacumque magnitudine, et ideo נגביר *nagbir,* quod habetur hoc loco, recte vertitur *magnificabimus;* nam etiam apud Latinos vir gravis non solum refertur ad pondus molis, sed etiam ad magnitudinem virtutis. «Labia nostra a nobis sunt » ambiguum est in latino, sed ex hebræo et græco constat sensum esse : labia nostra nobiscum sunt, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, tanquam in instrumento optimo ad prævalendum aliis hominibus. Ideo subjungit eos dicere : «Quis noster Dominus est? » quasi dicat : Non agnoscimus ullum superiorem, cum per instrumentum linguæ omnes alios subjiciamus.

Vers. 5 5. PROPTER MISERIAM INOPUM, ET GEMITUM PAUPERUM NUNC EXURGAM, DICIT DOMINUS.

Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus : nunc docet esse confidendum in Deo, cujus promissa fidelissima sunt; docet autem hoc poetice introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus et afflictis. « Propter miseriam, inquit, inopum, » qui a dolosis decipiuntur atque affliguntur, unde et gemere necesse habent; non differam auxilium, sed « nunc exsurgam » quasi a somno, eisque adero.

Vers. 6. 6. PONAM IN SALUTARI, FIDUCIALITER AGAM IN EO.

Explicat quid sit facturus, cum surrexerit: « Ponam, inquit, in salutari, » id est, collocabo eos in salute, stabiliam eos in salute, ut semper salvi consistant. « Fiducialiter agam in eo, » id est, nemo me impediet, audacter et libere agam in hac re. Exprimit vox græca παῤῥησιάσομαι hoc loco confidentiam et libertatem, atque audaciam. Ex hebræo S Hieronymus vertit : *Ponam in salutari auxilium eorum.* Sed nescio quid in hac re secutus sit; nam vox hebræa יפיח לו *iapiach lo* significare potest, *sufflabit in eum,* vel *illaqueabit eum,* vel *aspirabit ei.* Cæterum interpretes videntur legisse in prima persona אפיח לו *aphiach lo, afflabo in eo,* sive *aspirabo ei,* id est, unicuique pauperum aspirabo et favebo, et quia « spiritus ubi vult spirat, et ubi spiritus Domini, ibi libertas, » ideo fortasse verterunt, « fiducialiter agam, » id est libere aspirabo et favebo.

Vers. 7. 7. ELOQUIA DOMINI, ELOQUIA CASTA, ARGENTUM IGNE EXAMINATUM, PROBATUM TERRÆ, PURGATUM SEPTUPLUM.

Docet jam Propheta promissionem Domini explicatam versibus duobus superioribus, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimam et fidelissimam. « Eloquia Domini, inquit, casta, » id est munda et pura, ut sonat vox hebraica, non fucata, non simulata, sincera, fidelia. « Argentum igne examinatum, » id est, sunt eloquia, sive promissa Dei veluti argentum verissimum in sono, pondere et candore, quale est argentum in igne probatum, nec solum probatum in igne, sed etiam « probatum terræ, » id est populis terræ, approbatum videlicet ab hominibus peritis metallorum; denique « purgatum septuplum, » id est non semel, sed sæpius per fusionem (ut exprimit vox hebræa) purgatum a scoria. In hebræo illud, *purgatum terræ,* est valde obscurum; S. Hieronymus vertit, *separatum a terra;* alii, *a Domino terræ,* nimirum *purgatum septuplum;* alii, *in vase* sive *in camino;* sed cum vox בעליל non habeatur nisi hoc loco, nulla est ratio, cur non debeamus acquiescere interpretationi Septuaginta Interpretum, quibus lingua hebraica notissima erat. Quidquid enim alii dicant, divinatio potius erit, quam interpretatio.

Vers. 8. 8. TU, DOMINE, SERVABIS NOS, ET CUSTODIES NOS A GENERATIONE HAC IN ÆTERNUM.

Colligit ex dictis, Deum facturum quod promisit: Tu, inquit, juxta promissa tua, « servabis nos, » id est custodies nos; non enim hic est verbum salvandi, vel salutis, neque in græco, neque in hebræo; sed simpliciter conservandi et custodiendi. In hebræo habetur תשמרם, *servabis ea,* nimirum eloquia tua, et custodies nos; sed Septuaginta legerunt תשמרנו *thishmerennu, servabis nos,* et facillima fuit mutatio, quia maxima est similitudo inter מ, quod significat *ea,* et נו, quod significat *nos;* sed uterque sensus est optimus.

Vers. 9. 9. IN CIRCUITU IMPII AMBULANT : SECUNDUM ALTITUDINEM TUAM MULTIPLICASTI FILIOS HOMINUM.

Quasi quæreret aliquis : Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet, impii interea, dum nos quieti sumus sub alis tuis in circuitu

ambulant, semper ambientes bona hujus mundi, et nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes; semper autem erunt impii ambientes, dum hic mundus durat; quia « secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum, » et « stultorum infinitus est numerus, » *Eccle.* I. Videntur in fine hujus Psalmi omnes editiones inter se dissidere. Hebræa ad verbum habet : *In circuitu impii ambulabunt, dum exaltantur vilitates filiorum hominum*, id est, dum exaltantur et regnant homines vilissimi, tunc impii ubique discurrunt. Græca vero sic habet : *In circuitu impii ambulant, secundum altitudinem tuam sollicitudinem gessisti de filiis hominum.* Sed græca et latina facile concordantur ; nam Deus secundum altitudinem suam maximam sollicitudinem gessit de specie humana, et ideo ne ea periret, præ omnibus aliis speciebus eam multiplicavit; proinde latinus Interpres reddidit sensum, cum ait, *multiplicasti*. Et quia in magna multitudine, paucorum est perfectio, ideo « stultorum, » ut citavimus ex Salomone, « infinitus est numerus, » et ideo impii semper et ubique inveniuntur in circuitu ambulantes. Hebraica et græca non videntur posse concordari, nisi Septuaginta aliter legerint; et fortasse non est improbabile eos legisse דללות *dallotha*, vel דלית *dillitha*, non זלות, ut nunc habemus : unica enim littera mutata fit aliud verbum, quod *exaltare* significat, vel *suscipere*, ut Septuaginta verterunt in primo versiculo Psalmi XXIX : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. » Sensus tamen semper est verus, et non contradicit una lectio alteri, quamvis diversa dicant.

PSALMUS XIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

4. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte : 5. ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.

6. Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

V. S. H. — *Victori Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Usquequo, Domine, oblivisceris me [Al. *mei*] penitus : usquequo abscondes faciem tuam a me?

Usquequo ponam consilia [Al. *consilium*] in anima mea, dolorem in corde meo per diem : usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

Convertere [*h. Aspice*], exaudi me, Domine Deus meus : illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum : hostes mei exultabunt, cum motus fuero.

Ego autem in misericordia tua confido, exsultabit cor meum in salutari tuo : cantabo Domino, qui reddidit mihi.

Argumentum. — Magnis ærumnis conflictans vates Jovam omnem sui curam abjecisse queritur, vers. 2-3; orat, ut ille sibi auxilium ferat, vers. 4-5; id eum facturum esse confidit, vers. 6. Hinc strophæ tres.

1. Præcentori, carmen Davidis.

2. Quousque, Jova, oblivisceris mei in perpetuum?
Quousque abscondes faciam tuam a me?
3. Quousque ponam consilia in anima mea,
mœrorem in corde meo toto die?

4. Respice, exaudi me, Jova, mi Deus;
collustra oculos meos, ne dormiam mortem;

5. Ne dicat hostis meus : « Prævalui ei ! »
Neque adversarii mei exsultent, ubi motus fuero.

6. Et ego in tua gratia (benignitate) fiduciam pono :
exsultet cor meum in salute tua.
Cantabo Jovæ, quod benefecerit mihi.

NOTÆ.

Vers. 2. *Abscondes*, nullo me dignaberis aspectu. — Vers. 3. *Consilia*, quibus periculum evadam. Sensus est : Quousque anxius ero. — Vers. 4. *Oculos*, tot miseriis ac calamitatibus, quasi tenebris, obcæcatos. *Mortem*, vel somnium *mortis*. — Vers. 5. *Exsultent*, glorientur me cadente. — Vers. 6. *Quod*, quia; alii, *quando*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De hoc titulo nihil occurrit dicendum. Argumentum Psalmi est oratio ad Deum tempore tentationis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. USQUEQUO, DOMINE, OBLIVISCERIS ME IN FINEM? USQUEQUO AVERTIS FACIEM TUAM A ME?

Qui tentatur, duo mala pati solet.

Qui tentatur, duo mala pati solet, prava desiderio in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent, tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam; quando tenebræ obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Ipse enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem; in tenebris relinquit, cum avertit. Propter primum dicit homo in tentatione positus : « Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? » Propter secundum dicit : « Usquequo avertis faciem tuam a me? »

Vers. 2. 2. QUAMDIU PONAM CONSILIA IN ANIMA MEA? DOLOREM IN CORDE MEO PER DIEM?

Inverso jam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur; secundo, de pravis desideriis, quæ invitus tolerat : « Quamdiu, » inquit, propter obscurationem intellectus, « ponam consilia in anima mea? » id est, varia consilia excogitabo, ut a malo præsenti liberari possim? Quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, « ponam dolorem in corde meo? » id est assumam dolorem, ac tristis ero, ne forte Deum meum offendam; atque id faciam per diem, id est tota die sine intermissione ulla. In græco additur, καὶ νυκτὸς, *et per noctem*. Sed hoc non habetur in hebræo, neque legitur a S. Augustino, proinde recte omissum est in editione latina.

Vers. 3. 3. USQUEQUO EXALTABITUR INIMICUS MEUS SUPER ME? RESPICE ET EXAUDI ME, DOMINE DEUS MEUS.

Prima pars hujus versiculi complectitur utrumque malum; tunc enim exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, quæ homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest dissipare. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum : « Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? » Deinde invocat auxilium contra utrumque malum : « Respice, » inquit, id est, converte faciem tuam, « et exaudi me, » id est, ne obliviscaris, ne deseras, adjuva exoratus.

Vers. 4. 4. ILLUMINA OCULOS MEOS, NE UNQUAM OBDORMIAM IN MORTE, NE QUANDO DICAT INIMICUS MEUS : PRÆVALUI ADVERSUS EUM.

Iterum clarius eamdem orationem repetit : « Illumina, » pelle tenebras mentis convertendo ad me faciem, meque respiciendo; « ne unquam obdormiam in morte, » id est, ne consentiens desideriis in mortem animæ incidam. Vocat Scriptura passim somnum ipsam mortem, sive corporalem, sive spiritualem : quia Deo tam facile est mortuum ad vitam revocare, quam nobis facile est dormientem a somno excitare. Præterea, il-

lud, *ne unquam obdormiam*, significat hominem, cedendo tentationi, quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione; sed quia ista quies non est salutifera, sed mortifera, ideo additur, *in morte*. Itaque cum duobus modis homo liberetur a molestia tentationis, vel per gratiam Dei fugato tentatore, vel per consensum in peccatum satiata libidine: petit liberari primo modo, ne forte cum suo maximo detrimento liberetur secundo modo, videlicet, obdormiendo per consensum in peccatum. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, dicens: « Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum, » id est, sic glorietur diabolus a se victum servum Dei, quod etiam in injuriam Dei cederet.

Duobus modis homo liberatur a tentatione.

Vers. 5. 5. QUI TRIBULANT ME, EXULTABUNT, SI MOTUS FUERO, EGO AUTEM IN MISERICORDIA TUA SPERAVI.

Explicat rationem superiorem, quasi dicat: Non sine causa dixi: « Ne quando dicat inimicus,» etc., nam « exsultabunt, qui tribulant me, si motus fuero, » id est, non solum si plane cessero tanquam victus, sed etiam si paulisper nutare cœpero: sicut enim majus « gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, » *Luc.* XV; sic etiam magis dæmones exsultant, si virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quam si multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint. Exemplum est apud S. Gregorium, lib. IV *Dialog.* cap. VII. Atque hinc apparet Psalmum hunc scriptum esse pro liberatione justi a tentatione diabolica, non, ut aliqui volunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis. David enim in illa persecutione quotidie loca mutabat. Itaque non dixisset: « Si motus fuero, exsultabunt inimici mei, » quasi pro magno haberet, non moveri. Quod sequitur: « Ego autem in misericordia tua speravi, » est altera ratio, cur deceat eum juvari a Deo, quia nimirum fretus misericordia Dei, et non viribus propriis, tentatori resistat.

Vers. 6. 6. EXSULTABIT COR MEUM IN SALUTARI TUO, CANTABO DOMINO, QUI BONA TRIBUIT MIHI, ET PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI.

Hæc est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore, et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinent prima illa verba: « Exsultabit cor meum in salutari tuo, » id est, præ lætitia gestiet cor meum cum salutem obtinuerit, eam a te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinent sequentia: « Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi. » In hebræo non habetur *bona*, sed solum verbum *tribuit*, vel potius *retribuit*. Sed Septuaginta declaraverunt illud *retribuit*, vertendo, *benefecit mihi*; et latinus Interpres adhuc clarius, « qui bona retribuit mihi; » sed sensus est idem: nam Deus fiduciæ retribuere solet protectionem; ideo David hebraica voce dixit, *retribuit mihi*, protectionem scilicet in se confidenti; et quia liberatio a tentatione est liberatio a verissimi et maximi mali periculo, ideo recte Græcus et Latinus addiderunt vocabulum *bona*, nimirum veri et maximi boni. Denique ad opera pertinent ultima verba, « et psallam nomini Domini altissimi; » nam psallere proprie est manu citharam pulsare. « David, inquit Scriptura, psallebat manu sua, » I *Reg.* XVIII, 10; et alibi: « In psalterio decachordo psallam tibi, » *Psalm.* CXLIII, 9. Itaque promittit se corde exsultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum, ut totus homo serviat Dei laudibus. Psallere autem nomini Domini, est psallere in gloriam Domini, id est ad celebrandas ejus laudes. In hebræo non habentur hæc ultima verba, « et psallam nomini Domini altissimi; » sed fortasse diuturnitate temporis exciderunt. Certe cum superioribus optime cohærent, et sunt in græcis codicibus, et citantur atque explicantur a Patribus, Hieronymo et Augustino, Theodoreto et Euthymio. Mystice, psallere nomini Domini, est opera consona cordi et verbis efficere, « ut videntes homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est, » *Matth.* V, 16.

PSALMUS XIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

V. S. H. — *Victori David.*

Dixit stultus in corde suo: Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt studiose: non est qui faciat bonum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, requirens Deum.

3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est ; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.

4. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut escam panis ?

5. Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

6. Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis : quoniam Dominus spes ejus est.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel ? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Omnes recesserunt, simul conglutinati sunt ; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum ut cibum panis ?

Dominum non invocaverunt. Ibi trepidabunt formidine ; quoniam Deus in generatione justa.

Consilium pauperum confudistis : quoniam Dominus spes ejus est.

Quis dabit de Sion salutem Israel ? quando reduxerit Dominus captivitatem populi sui : exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

Argumentum. — Strophæ 3. Summa barbarorum improbitas, vers. 1. Quod cum Deus homines de cœlo lustrans animadvertit, iram in impios effundit, ad quam increpationem illi exhorrescunt, sentientes et esse et piis adesse Deum, vers. 2-6. Utinam de *captivitate* nos Jova liberet, vers. 7. Epigraphe ad Davidem auctorem hunc Psalmum refert, neque in eo occurrit quidquam, quod illius ingenio aut tempori, nisi versum 7 excipias, repugnet. Sed hanc difficultatem dupliciter solvunt interpretes : alii nempe *captivitatem* (vers. 7) interpretantur gravem quamvis *calamitatem* seu *miseriam*, ut *Job.* XLII, 10 ; alii censent Psalmum XIV, excepto vers. 7, a Davide ipso Absalonicæ defectionis tempore compositum ; postea vero cum prisca carmina in templo publice decantari, et variis temporibus accommodari solerent, hic illic mutatum atque novo etiam versiculo 7 auctum fuisse (quod quidem sub exsilio Babylonico factum esse, ipsum illius additamenti argumentum satis arguit), atque inde efformatum esse Psalmum LII. Illud vero additamentum deinceps etiam carmini genuino (Psalmo XIV) assutum fuisse.

1. Præcentori, Davidis *carmen*.

Dixit stultus in corde suo : « Non est Deus ! »
Corruperunt, abominandum reddiderunt opus *suum*,
nullus qui faciat bonum.

2. Jova de cœlis despexit in filios hominum,
ut videret, num *quis* sit intelligens (recte sapiens),
quærens Deum.
3. « Numquid deflexerunt omnes ? una corrupti sunt ?
Non est qui faciat bonum, non est vel unus.
4. Numquid sensu destituti sunt omnes *isti* malefici ?
Qui vorant populum meum, vorant panem,
Jovam non invocant. »
5. Tunc tremuere tremorem,
quod Deus *sit* in generatione justa.
6. Consilium afflicti pudefaciatis !
nam Jova est perfugium ejus.

7. Utinam veniat e Sione salus Israelis!
Quando reduxerit Jova captivitatem populi sui,
exsultet Jacob, lætetur Israel.

NOTÆ.

Vers. 1. *Stultus;* commode quoque *nequam* reddas. *Corruperunt,* intellige *viam suam,* ex *Gen.* VI, 12; alii, *opus. Opus,* actiones suas. — Vers. 3. *Numquid,* pro simplici affirmatione. *Deflexerunt,* a via recta. *Una,* ad unum, hyperbolice dictum.— Vers. 4. *Sensu destituti sunt,* proprie *nonne sciunt,* scil., malos a Deo aspici et castigari. *Vorant panem,* subaudi *quasi.* Juxta Maurer, versus 3-4 sunt verba Jovæ impios lustrantis; sequitur in vers. 5 effectus divinæ increpationis : *tunc,* audita Jovæ voce. Alii aliter. — Vers. 5. *Tunc,* subito, vel eo ipso loco. *Sit,* adsit et auxilium præstet. — Vers. 6. *Pudefaciatis,* i. e. confundite, dirimite, si dirimere potueritis : sed nihil efficietis. Alii, *pudefacitis, quia Jova,* etc. — Vers. 7. *Sione,* Jovæ sede. *Reduxerit;* Hengstenberg, *quando sese converterit Jova ad captivitatem,* etc., i. e. *respexerit calamitatem,* etc. שוב, ait, nunquam active accipitur. Cf. *Job.* XLII, 10; *Ezech.* XVI, 53; *Jerem.* XXX, 18. *Exsultet,* vel *exsultabit.* De hoc versu conf. Argumentum.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus Davidi.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est deploratio naturæ humanæ corruptæ, qualis præcipue cernitur in infidelibus, in quibus nondum cœpit sanari per gratiam.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO : NON EST DEUS.

Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse, tamen in corde suo dixerit : « Non est Deus. » Non significat David unum certum hominem insipientem hoc dixisse, sed vult dicere homines mente corruptos ad tantam cæcitatem pervenire, ut fiant insipientes etiam circa ultimum finem, et cogitent nullum esse Deum, qui res humanas curet, et cui rationem reddere teneantur. « Dixit, inquit, insipiens, » id est homo ad summam insipientiam redactus, « dixit in corde suo : Non est Deus, » id est, cogitare cœpit nullum esse Deum.

Vers. 2. 2. CORRUPTI SUNT, ET ABOMINABILES FACTI SUNT IN STUDIIS SUIS : NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM.

Illud, *usque ad unum,* non habetur in editione hebræa et græca. In latino habetur, et citatur et exponitur a SS. Hieronymo et Augustino. Dixit Propheta corruptam fuisse mentem, et insipientem factam : nunc addit corruptam quoque fuisse voluntatem, ita ut plerumque homines peccent, bene autem nunquam faciant; aliud enim est non peccare, aliud benefacere, si loquamur de opere absolute et perfecte bono. Homines enim fide et gratia destituti, solis viribus corruptæ naturæ utentes, plerumque peccant; sed aliquando etiam faciunt opera quædam bona moralia, quæ peccata dici non possunt; sed non sunt perfecte et absolute bona, ut S. Augustinus disputat lib. IV *in Julianum,* cum ad summum bonum non perducant. Ait igitur David : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis, » id est in desideriis, sive affectibus suis : corrupta et abominabilia desideria habent, unde ipsi quoque corrupti et abominabiles sunt. « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; » corrupti quidem sunt homines in desideriis et iniquitate, sed non ita generatim, ut omnia desideria, et omnia opera sint corrupta et iniqua. Certe enim cum infidelis ex humana inclinatione miseretur pauperis, vel curam gerit filiorum, nihil mali facit. At bonum perfecte, et absolute, nullus omnino ex solis corruptæ naturæ viribus facit. Hinc habes, veram hujus loci intelligentiam nihil omnino facere pro hæreticis hujus temporis, qui testimonio Psalmi hujus abutuntur ad probandum, omnia opera hominis peccatoris, sive non renati, esse peccata.

Homines sine gratia opera quædam bona faciunt.

Non omnia opera hominis impii sunt peccata.

Vers. 3. 3. DOMINUS DE CŒLO PROSPEXIT SUPER FILIOS HOMINUM, UT VIDEAT, SI EST INTELLIGENS, AUT REQUIRENS DEUM.

Vers. 4. 4. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT; NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM.

Dixerat naturam humanam esse corruptam tum quoad mentem, tum quoad voluntatem : ostendit nunc unde id cognoverit, nimirum ex revelatione Dei. Deus enim, qui omnia novit, videt hoc ita esse, et Prophetis suis revelavit. Describit more humano Deum quasi respexisse de cœlo, id est de sublimi specula sua, ut videret, « an esset aliquis intelligens, » id est non corruptus, quoad mentem; « aut requirens Deum, » id est non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret, et amaret, atque adeo quæreret Deum, qui est summum bonum. Quid autem Deus cognoverit, id est nos cognoscere fecerit, explicat illis verbis : « Omnes declinaverunt, » sive aversi sunt, id est, vidit omnes omnino declinasse a lumine sapientiæ et a semitis justitiæ, imo aversos esse, ac terga vertisse sapientiæ et justitiæ. « Simul inutiles facti sunt; » id est, vidit omnes pariter inutiles Deo esse factos, quippe qui eum non colunt, neque ei serviunt, neque tributum gratiarum actionis rependunt. Denique vidit nullum esse, qui faciat opus perfecte atque absolute bonum. S. Hieronymus ex hebræo pro illis verbis : « Simul inutiles facti sunt, » vertit, *pariter adhæserunt*, sive *agglutinati sunt*. Sed nescio quid secutus sit. Nam vox hebraica נאלחו *neelachu* significat *putrescere* et *fœtere*, et verti potuisset, *putrefacti sunt*, ac proinde inutiles facti sunt. Res enim putrefactæ nulli usui sunt.

Vers. 5. 5. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM : LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT : VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM.

Vers. 6. 6. QUORUM OS MALEDICTIONE, ET AMARITUDINE PLENUM EST, VELOCES PEDES EORUM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM.

Vers. 7. 7. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM, ET VIAM PACIS NON COGNOVERUNT : NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EORUM.

Hi tres versiculi non sunt in hebræo, neque in translatione Septuaginta Interpretum, ut S. Hieronymus testatur, tum in præfatione lib. XVI *in Isaiam*, tum in commentario hujus loci. Imo nec habentur in editione latina Psalmi LII, qui est omnino idem cum hoc XIII. Sed quia B. Paulus *ad Rom.* III, ex diversis locis Scripturæ, videlicet *Psalm.* V, *Psalm.* CXXXIX, *Psalm.* IX, *Isai.* XXIX, et *Psalm.* XXXV, hos omnes versiculos simul citavit, posteaquam allegaverat duos versiculos proxime explicatos, arbitrati sunt aliqui veterum hos omnes versiculos ad hunc Psalmum pertinere, et casu aliquo excidisse; ideo eos ex Apostolo huc transtulerunt. Significatur autem his versiculis malitia hominum impiorum, qui verbo et opere nocent proximis suis. « Sepulchrum patens est guttur eorum, » id est, sicut ex aperto sepulcro exhalat fœtor corporum mortuorum, ita ex ore istorum prodeunt verba turpia testantia corruptionem cordis. « Linguis suis dolose agebant, » id est, non solum verba turpia, sed etiam dolosa loquuntur. « Venenum aspidum sub labiis eorum, » id est, non solum turpia et dolosa, sed etiam venenata et inficientia, atque ad malum provocantia verba effundunt. « Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, » id est, homines isti perditi non solum maledicunt, et amaris contentionibus jurgantur, sed etiam malefaciunt et reipsa nocent. Nam quorum os plenum est maledictione et amaris comminationibus, eorum pedes velocissime currunt ad lædendum et occidendum. « Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt, » id est, omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, et calamitate afficiendum spectant. Siquidem pacis viam, id est studia pacifica, omnino ignorant. « Non est timor Dei ante oculos eorum. » Hic est fons omnium supradictorum malorum, quia timorem Dei plane abjecerunt, dicentes in corde suo : « Non est Deus. » Redeamus nunc ad versiculos hujus Psalmi proprios.

Vers. 8. 8. NONNE COGNOSCENT OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM, QUI DEVORANT PLEBEM MEAM, SICUT ESCAM PANIS?

Ex hoc versiculo manifeste colligitur, quæ supra dicta sunt de universali corruptione generis humani, esse intelligenda de genere humano, quale est ex se, id est secundum vires solius naturæ corruptæ. Nam per gratiam Dei homines vere justi et pii efficiuntur, et hos vocat hoc loco plebem suam, quam impii illi persequuntur, et pro nihilo habent. « Nonne cognoscent, » etc., vox est increpantis, quasi dicat : Numquid semper erunt insipientes; numquid non aperient aliquando oculos; numquid tandem non incipient cognoscere? « Qui devorant plebem meam sicut escam panis, » significat impios ex hoc tanto malo potuisse admoneri suæ iniquitatis. Sicut enim panis quotidie comeditur, et semper sapit : ita impii semper et cum delectatione vexant pios, et nunquam satiantur.

Per gratiam Dei homines vere pii et justi efficiuntur.

Vers. 9. 9. DOMINUM NON INVOCAVERUNT, ILLIC TREPIDAVERUNT TIMORE, UBI NON ERAT TIMOR.

Reddit David rationem, cur impii tanta mala faciant, quia videlicet Deum « non invocaverunt, » id est, spem suam in Deo vero non posuerunt, sed in rebus creatis, et ideo « illic trepidaverunt ubi non erat timor, » id est non cognoscentes in quo

sit sperandum, et a quo sit timendum, trepidaverunt, ne incurrerent mala temporalia, vel ne amitterent bona temporalia, quæ non sunt materia justi timoris, cum parva et caduca sint; et etiam quia si sperarent in Domino, « et quærerent regnum Dei, et justitiam ejus, hæc omnia adjicerentur eis, » *Matth.* v.

Vers. 10. 10. QUONIAM DOMINUS IN GENERATIONE JUSTA EST : CONSILIUM INOPIS CONFUDISTIS, QUONIAM DOMINUS SPES EJUS EST.

Hic versiculus reddit rationem, cur impii amatores hujus sæculi timeant, ubi non est timor. Impii timuerunt ubi non erat timor, « quoniam Dominus in generatione justa est, » sive *justorum* (ut habet textus græcus), id est, sicut impii Deum non invocaverunt, nec in illo speraverunt : ita Deus eos deseruit, et in generatione justorum manet; deserti autem a Deo, a luce vera, ab ipsa veritate in tenebris ambulant: et ideo timent etiam, ubi non est causa timendi. Deinde facit apostrophen ad ipsos impios, dicens : « Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est, » quasi dicat : Adeo vos excæcati estis, ut non solum non invocetis Deum, sed irrideatis eos qui id faciunt. « Nam consilium inopis, » qui totus a Deo pendet, « vos confudistis, » id est irrisistis, ut inopem erubescere faceretis, quasi stultum sit in Deo spem ponere. Irrisistis autem inopis consilium, quasi stultum, « quoniam Dominus spes ejus est, » id est, quia ille pauper in Domino spem posuit. Videtur enim stultum consilium hominibus hujus mundi, sperare in Deo, qui non videtur, et non sperare in divitiis et aliis rebus, quæ videntur.

Vers. 11. 11. QUIS DABIT EX SION SALUTARE ISRAEL? CUM AVERTERIT DOMINUS CAPTIVITATEM PLEBIS SUÆ: EXULTABIT JACOB, ET LÆTABITUR ISRAEL.

Hic versiculus postremus orat Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum a captivitate diabolica, in qua erant omnes illi excæcati et perversi, quorum tenebras et malitiam toto Psalmo descripserat. « Quis dabit ex Sion salutare Israel? » id est, utinam cito veniat salus ex Sion ipsi Israeli! « Salus enim ex Judæis est, » ut ait Dominus Samaritanæ, *Joan.* IV; nec solum ex Judæis, id est ex tribu Juda, sed ex familia David, cujus civitas dicebatur Sion. Itaque exspectabatur et desiderabatur salus, sive Salvator promissus, ex Sion civitate David, id est ex stirpe David qui salvaret Israelem, id est populum suum. Dicitur autem Christus Salvator Israelis populi sui, quia tametsi pro toto mundo venerit, tamen reipsa non salvavit nisi certos quosdam qui dicuntur populus Dei, et spiritualis Israel. « Cum averterit, sive converterit captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel, » id est, oro ac peto salutem ex Sion, ac proinde Salvatorem, qui liberet a captivitate, quia, cum id factum fuerit, tunc vere et perfecte exsultabit et lætabitur populus Dei, qui dicitur spiritualiter Jacob et Israel : utrumque enim est nomen ejusdem hominis. Promissiones autem istas, et alias similes non pertinere ad solos carnales Israelitas, sed ad populum Dei partim ex Judæis, partim ex Gentibus congregatum, docet Apostolus in Epistola *ad Romanos*, et copiosius Augustinus in Epist. 200 *ad Asellicum*.

Christus cur Salvator Israelis dicatur?

PSALMUS XV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Psalmus David.*

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam :

3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos :

4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit :

Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem, non accepit.

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

V. s. H. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo, quis [al. *et quis*] habitabit in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, loquiturque veritatem in corde suo.

Qui non est facilis in lingua sua, neque fecit [al. *facit*] amico [*h. sodali*] suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicinum suum [*h. proximum*].

Despicitur in oculis ejus improbus : timentes autem Dominum glorificabit [al. *glorificat*] : jurat ut se affligat, et non mutat.

Pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera adversum innoxium non accepit : qui facit hæc, non movebitur in æternum.

Argumentum. — Nihil habet hic Psalmus, quod de certis quibusdam hominibus, aut certis rebus gestis cogitari jubeat. Facile tamen factus esse videri potest, quo tempore arca in Sionem montem magna cum solemnitate trans-

lata est a Davide, II *Sam.* VI, 12 seqq. I *Chron.* XV, 1 seqq. Ewaldus ait, in hoc Psalmo versum 4 Psalmi XXIV, evolvi. Juxta Hengstenberg ponitur hic Psalmus noster, ut post Psalmum XIV, in quo describitur impius, sequatur talis, in quo habeamus justi effigiem, ac doceamur qualis sit *generatio justa,* in qua habitat Dominus. Cæterum in eo docetur, qui sint veri Jovæ cultores, et ejus favorem ac tutelam sibi promittere possint. Strophæ 2. Quis est verus Jovæ cultor? vers. 1. Probitatis studiosus, verax, et qui amico in homines animo est, vers. 2-5.

1. Carmen Davidis.

Jova, quis commorabitur in tabernaculo tuo?
quis habitabit in monte tuo sancto?

2. Qui ambulat integer, et facit rectum,
et qui loquitur veritatem in corde suo.
3. Non calumniatur lingua sua,
non facit socio suo malum,
et opprobrium non elevat super proximum suum.
4. Contemptus *est* in oculis ejus reprobus *impius;*
qui vero Jovam colunt, eos honorat;
jurat proximo suo, et non mutat *mentem.*
5. Argentum suum non dat ad fœnus,
et munus adversus innocentem non accipit:
qui facit hæc, non nutabit in perpetuum.

NOTÆ.

Vers. 1. — *Commorabitur,* cui licebit commorari? *Tabernaculum* non illud erat quod Moses fecerat: conf. I *Chron.* XVI, 39; II *Chron.* I, 3, 5; sed aliud a Davide exstructum ad arcam recipiendam: conf. II *Sam.* VI, 17; I *Chron.* XV, 1; XVI, 1; II *Chron.* I, 4: quod dictum sit de omnibus Psalmorum locis ubi Jovæ tabernaculum memorabitur. — Vers. 2. *Integer* vitæ, scelerisque purus. *Veritatem,* verba, quæ conveniant tam cum rebus, quam cum animi sui sententia; qui non aliud in corde habet reconditum, aliud ore prodit, ut faciunt bilingues. — Vers. 3. Transit ab hoc versu e relativa sententia in absolutam. *Calumniatur,* vel falso affingendo, vel vera prodendo, aliumve in sensum prodendo, atque ab uno ad alium deferendo. *Lingua;* hebr. est *super lingua,* sive עַל ut בְּ denotet instrumentum, sive *q. d. Ponit calumniam super,* etc. *Socio,* quod Latini dicunt *alteri.* — Vers. 4. *Proximo suo,* si cum Septuaginta, Vulg. et Syro efferas *leharea,* servato post præfixum הַ articulo, cujus rei exempla non desunt. Ewaldus, *in damnum* suum (infin. hiphil verbi רוּעַ cum לְ: cf. *Levit.* V, 4), et locum de fidei constantia intelligit, ut cum vir probus quid juraverit, etiamsi postea contingat, id illi molestum et damnosum esse, præstet tamen, neque ullo periculo ab eo quod juraverit, animum deflectat: non male. — Vers. 5. *Fœnus* apud Hebræos a *mordendo* dicitur *neshec,* quod tecte hominem mordet, rodit et conficit res usuraria; sive quod ad usuram dans, eo pacto dat, ut aliquid de bonis ejus, cui dat, tanquam morsu auferat.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est scientia salutis: nam in hoc Psalmo describitur via ad vitam æternam.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, QUIS HABITABIT IN TABERNACULO TUO? AUT QUIS REQUIESCET IN MONTE SANCTO TUO?

Ex hebræo vertunt aliqui: *Quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, aut quis habitabit in monte sancto tuo?* Sed vox hebraica גּוּר *gur* significat utrumque, *peregrinari* et *habitare,* sicut etiam שָׁכַן *shacan* significat *habitare* et *quiescere.* Itaque non

potest reprehendi versio græca, neque latina. Alludit Propheta ad montem Sion, et ad tabernaculum Dei, quod in eo monte erat; sed revera per hæc nomina significat cœlestem Jerusalem, ubi est tabernaculum Dei non manufactum. Prophetæ enim prædicabant regnum cœlorum per hujusmodi figuras. Unde B. Paulus *ad Hebr.* VIII et IX, sæpius meminit tabernaculi cœlestis, et cap. XII vocat montem Sion, ipsum cœlorum habitaculum; et B. Joannes in *Apocalyp.* cap. XIV, meminit montis Sion cœlestis, et cap. XXI ait : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, » etc. Quærit igitur Propheta quis sit habitaturus, id est, stabili mansione potiturus in tabernaculo cœlesti, aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis, cum supra illum nihil sit? Hic enim in terris, neque stabilis mansio, neque vera quies esse potest.

Vers. 2. 2. QUI INGREDITUR SINE MACULA, ET OPERATUR JUSTITIAM.

Hæc est compendiosa et summaria responsio, quasi dicat : « Qui declinat » a malo, et facit bonum, sive qui neque commissione culpæ, neque omissione justitiæ Deum offendit. Dicitur ingredi sine macula, qui ambulat in via hujus vitæ, id est qui vivit sine culpa lethali. Veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dicitur operari justitiam, qui facit omnia ad quæ tenetur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

Veniale peccatum non proprie relinquit maculam.

Vers. 3. 3. QUI LOQUITUR VERITATEM IN CORDE SUO, QUI NON EGIT DOLUM IN LINGUA SUA.

Explicat magis in particulari quis habitaturus sit in tabernaculo Domini, ac dicit illum esse, qui neque corde, neque ore, neque opere malum operatur. De corde dicit : « Qui loquitur veritatem in corde suo. » Nam omnis qui res temporales pluris æstimat, quam valeant, non loquitur veritatem in corde suo, et quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia judicat expedire sibi id quod revera sibi non expedit. Ita omnia peccata cordis reduci possunt tanquam ad radicem ad falsum judicium. De ore dicit : Qui « non egit dolum in lingua sua; » nam tam detractiones quam adulationes, et alia id genus peccata linguæ, ad dolum revocari possunt. De opere dicit in sequenti versiculo :

Vers 4. 4. NEC FECIT PROXIMO SUO MALUM, ET OPPROBRIUM NON ACCEPIT ADVERSUS PROXIMOS SUOS.

Vers. 5. 5. AD NIHILUM DEDUCTUS EST IN CONSPECTU EJUS MALIGNUS : TIMENTES AUTEM DOMINUM GLORIFICAT.

Non solum non fecit ipse malum, qui habitaturus est in tabernaculo Domini; sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent. Ideo non accepit opprobrium adversus proximos suos, id est, non admisit ad aures suas vituperationes, detractiones, susurrationes, calumnias contra proximos, et non favit unquam malignis, sed eos contempsit, et pro nihilo duxit : contra autem glorificavit, honoravit, juvit viros bonos, qui Deum timent. Magna est hæc laus, non solum in se odisse malum, sed etiam in aliis.

Vers. 6. 6. QUI JURAT PROXIMO SUO, ET NON DECIPIT, QUI PECUNIAM SUAM NON DEDIT AD USURAM, ET MUNERA SUPER INNOCENTEM NON ACCEPIT.

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum, videlicet avaritiam, quo præcipue carere debet, qui cupit hæres fieri regni cœlestis. Cur autem hoc particulare vitium attingat, causa est, vel quia « radix omnium malorum est cupiditas, » ut ait Apostolus *ad Timoth.* cap. VI, et per cupiditatem intelligit avaritiam, quam vocat philargyriam, id est amorem pecuniæ; vel quia hoc vitium semper fuit, et est familiare Judæis. Porro avaritia locum habet vel in fraudibus, quæ committuntur in contractibus alioqui licitis, vel in contractibus genere suo illicitis, vel in muneribus. De primo genere dicit : « Qui jurat proximo suo, et non decipit. » De secundo dicit : « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. » De tertio dicit : « Et munera super innocentem, » id est ad opprimendum innocentem, « non accepit. » Ex hebræo S. Hieronymus vertit, *qui jurat, ut se affligat,* pro eo quod nos habemus, « qui jurat proximo suo; » sed vox hebræa potest legi להרע *leharah,* et significat *ad faciendum malum,* nimirum sibi, hoc est, ad se affligendum, et sic legit S. Hieronymus; potest etiam legi *lehareah,* et significat *proximo,* et sic legerunt Septuaginta, a quorum versione latina editio Vulgata profecta est, et certe magis cohæret cum superioribus verbis nostra lectio, quam S. Hieronymi. Ex hoc versiculo aperte colligitur errare Judæos, qui usuram licitam esse existimant.

Vers. 7. 7. QUI FACIT HÆC, NON MOVEBITUR IN ÆTERNUM.

Respondet quæstioni in primo versiculo propositæ, ac dicit eos qui ita vivunt, ut supra expositum est, habituros firmissimam in cœlesti tabernaculo mansionem. Itaque ait : « Qui facit hæc, » quæ supra dicta sunt, « non movebitur in æternum, » id est, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac requiescet in monte sancto ejus, sine ullo timore cadendi a tam felici loco.

PSALMUS XVI.

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Tituli inscriptio ipsi David.*

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.

2. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

3. Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

8. Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.

V. s. h. — *Humilis et simplicis David.*

Custodi me, Deus, quoniam speravi in te.

Dixi Domino : Dominus meus es tu, bene mihi non est sine te.

Sanctis qui in terra sunt, et magnificis, omnis voluntas mea in eis.

Multiplicabuntur idola eorum, post tergum sequentium : non libabo libamina eorum de sanguine; neque assumam nomina eorum in labiis meis.

Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu possessor [*h. restitutor*] sortis meæ.

Lineæ [al. *Linetæ*] ceciderunt mihi in pulcherrimis, et hæreditas speciosissima mea est.

Benedicam Dominum qui dedit mihi consilium; insuper et noctibus erudierunt me renes mei.

Proponebam Dominum [al. tac. *Dominum*] in conspectu meo [*h. coram me*] semper; quia a dextris meis est [al. *es*], ne commovear.

Propterea lætatum est cor meum, et exsultavit gloria mea; et caro mea habitabit confidenter.

Non enim derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum [*h. misericordem*] tuum videre corruptionem.

Ostendes mihi semitam vitæ, plenitudinem [*h. satietatem*] lætitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua æternos.

Argumentum. — Vates in extremo discrimine ac dimicatione fortunæ et vitæ ardentes ad Jovam preces fundit, ut velit ipsum conservare, periculumque ab ipsius capite propulsare; quibus consolationem miscet, a fiducia, quam in Jova ponit, petitam, prolixe testatus de eo, quod solum eum verum Deum colat, ipsumque et verum cultum ejus summum bonum esse statuat; tum ab omni falsorum deorum cultu se abhorrere profitetur, sibique gratulatur, quod Jovæ beneficio e populo ejus sit. Non dubitat autem hac in fiducia se exaudiri, et conservatum iri; qua spe erectus, exsultat, lætoque animo celebrat *satietatem deliciarum* quibus *in finem ad dexteram Dei* fruetur. Inscriptio Davidi hoc carmen assignat; nec reperitur in eo quidquam, quod ut fidem illi denegemus, nos moveat. Vero simillimum est, Psalmo LVI σύγχρονον nostrum esse, quum Davides, a Jonatha certior factus de implacabili Saulis odio, ad Philistæum regem prima vice confugisset (I *Sam.* XXI, 11-16), ubi agnitus statim a regis ministris, et ad regem adductus, admonitum hunc esse Davidem, Philistæorum hostem infestissimum, a rege sibi metueret, atque ægre tantum, dementia simulata, evaderet, pro qua liberatione Jovæ *Psalm.* XXXIV gratias agit. Alii tamen hunc Psalmum ad I *Sam.* XXVI, 19, referunt. Quatuor posterioribus hujus carminis versibus, post S. Petrum (*Act.* II, 25 seqq.) et S. Paulum (*Act.* XIII, 34 seqq.), Messiam ab inferis excitandum a Davide adumbratum Ecclesiæ SS. Patres una voce docuerunt. Qua de re notandum *a*), non posse cum rationalistis bene multis poni, Apostolos *accommodasse* tantummodo, sive deflexisse ad Christum, quæ sensu unico et proprio de *Davide* dicta existimassent; nam persuasissimum ipsis fuisse, Psalmum vere de *Christo* agere, manifeste patet ex rationibus, quibus evincere student, de *Davide* carmen *non* posse accipi. *b*) Non omnino rejiciendam esse eorum sententiam, qui cum Hengstenberg existimant, in nostro Psalmo Christum *vere* et *proprie*, sed *indirecte* tantum spectari. « Qui loquitur, ait Hengstenberg, in mortis periculo constituitur; sed non tantum

ex hoc certo periculo confidit se liberatum iri : altius assurgens, de morte ipsa et sepulcro sese triumphaturum præcinit. Hanc, qua hic et nunc premitur, calamitatem spe prætergreditur, ut τὸ *in finem* (vers. 11) pertingat. Atqui in solo Christo hæc spes et indubia exspectatio non delusa fuit, nam Davides, ut ait S. Petrus, *defunctus est et sepultus.* Porro, quia Christus, veluti *caput,* non sibi tantum, sed suis etiam *membris* omnibus, mortem devicit, potuit Davides in eo, licet sensu minus proprio et directo, eamdem victoriam sibi ipsi præstruere. » Cæterum, post exordium vers. 1, strophæ 2 : vers. 1-7, gratulatur sibi, quod Jova ipsi Deus obtigerit ; vers. 8-11, reposita in Jova fiducia securum se esse omnium casuum.

1. *Carmen* aureum Davidis.

Custodi me, o Deus,
nam fiduciam pono in te.

2. Dixi Jovæ : « Dominus *es* tu,
bonum meum non est præter te. »
3. Sancti qui in terra sunt,
Sunt illustres quibus unice delector.
4. Multiplices erunt eorum dolores, qui aliorsum (ad alios deos) festinant;
non libabo libationes eorum cruentas,
nec sumam nomina eorum labiis meis.
5. Jova est pars portionis meæ, et calicis mei;
tu es possessio sortis meæ (sorte mihi assignata).
6. Funes (pars dimensa) ceciderunt mihi in amœnis (locis);
imo hæreditas grata (placens) *est* mihi.
7. Benedicam Jovæ qui mihi consuluit,
noctu etiam monent me renes mei.

8. Pono Jovam coram me continuo;
quia a dextra mea *est,* non movebor.
9. Propterea lætatur cor meum, et exsultat gloria (anima) mea;
imo caro mea habitabit confidenter.
10. Etenim non derelinques animam meam orco,
nec dabis pium tuum videre corruptionem.
11. Monstras mihi viam vitæ;
saturatio gaudii coram facie tua *est,*
deliciæ ad dexteram tuam in finem.

NOTÆ.

Vers. 1. *Carmen aureum* : ita post Aben-Ezram, Dereser et Reinke; a כתם poet. pro זהב *aurum,* sive quia egregium (conf. Pythagoræ χρυσᾶ ἔπη), sive quia aureis litteris scriptum esset, et in sanctuario aliove loco suspensum, quemadmodum septem illa carmina veterum clarissimorumque poetarum, qui in Arabia ante Mohammedis tempora floruerunt, *Moallacat,* i. e. *suspensa* ad templi Meccani januam vulgo appellata, item *Aurea,* quod aureis litteris in bysso Ægyptia scripta essent. Nulla tamen hujus consuetudinis inter Hebræos indicia occurrunt. Hengstenberg vertit *secretum,* i. e. carmen altioris reconditique sensus. Rosenmuller, Gesenius, Maurer, *scriptum,* a rad. כתם στίζειν, *pungere.* Vicina forma כתב *scribere.* — *Dixi,* legendo *amarthi,* quod in codd. haud paucis a De Rossio editis reperitur; si legas *amarthe,* subaudi *anima mea,* scil. *dixisti. Dominus,* te Dominum agnosco. *Bonum,* felicitas, salus. *Præter,* proprie *supra.* Ewaldus : Nihil supra te æstimo, tu es summum meum bonum. Hengstenberg vertit, *bonum meum* es, *nihil præter te* est bonum meum. — Vers. 3. *Sancti* : proprie, *ad sanctos* quod attinet, nomin. absol. præmissa ל. *In terra* patria, quod indicare videtur scriptorem tunc fuisse exsulem. *Sunt illustres;* ו est consecutivum, apodosin incipiens, germanice transferendum so. Proprie, *et principes omnis meæ propensionis in eis.* Sen-

sus : Eos tantum magni facio, in pretio habeo, iisque delector, qui Jovam colunt. Rosenmullerus, pro *illustres* vel *principes*, vertit *amplitudines* seu *magnitudines*. Reinke cum præced. nectit : *Bonum meum non est extra te*; ita se res habet *de sanctis qui.... et principibus*, etc. Ewaldus nectit cum sequent. *Sancti... principes* (nominat. absol.)... multa sunt eorum idola... ; *ego autem non libabo*, etc. — Vers. 4. Ewaldus, *multa sunt eorum idola, alienos* deos *permutant*, eodem modo quo sponsa donariis quasi *emi* soleret (*Exod.* XIII, 15). Maurer, *ad alios* deos festinant. — Vers. 5. Agellius : « *Calicem* idem significare quod *partem*, Hebræi asserunt, et vere; sed si accurate verba perpendamus, nonnihil interest : *partem* enim continuæ alicujus rei vocant, ut agri et campi; at in numero seu multitudine dividenda, quæ pars ex supputatione alicui contingit, eam *calicem* vocant. » *Possessio*, substant. abstract. Hengstenberg, *magnificam fecisti sortem meam*, fut. hiphil verbi ימך, quod, ait Schultens, arab. est *amplus fuit*. Alii, *prehendisti, eduxisti* quasi ex urna, imo selegisti et assignasti *sortem meam* : hinc Vulgatus, *restituis*, id est constituis. — Vers. 6. *In amœnis* ; Hengstenberg, *in jucundis*, i. e. *in deliciis*, adject. plur. pro substant. abstracto. *Hæreditas*, forma poetica status absoluti. Sensus : Non solum optima portio mihi contigit, sed etiam ea est quæ mihi optima videatur. Alii simpliciter, *pulchra hæreditas* obtigit *mihi*. — Vers. 7. *Consuluit*, ut præclaram illam portionem, scil. Deum, mihi eligerem. *Renes*, interiorum affectuum sedes, ut *Ps.* VII, 10. *Monent*, ut gratias Deo agam, amorem meum tester, cultumque ejus observem. — Vers. 8. *Jovam*, viæ ducem, summumque bonum ac spem meam. — Vers. 9. Τὸ *non derelinques*, etc. significari potest, vel : Non ita destitues me, ut morti jam concedam, sed longam adhuc dabis mihi vitæ hujus usuram; vel : Non patieris me in orco (animarum post mortem sede) manere, sed inde me liberabis. Posteriorem sensum commendant tum quæ sequuntur vers. 11, tum Novi Test. doctrina, tum SS. Patrum veterumque interpretum consensus. — Vers. 10. *Pium*. In bibliis hebr. hodiernis scribitur *pios*, quod multi retineri volunt, ut sit universalis propositio. Sed Masorethæ legi jubent חסידך *pium*, quod idem exhibent libri et scripti et editi quam plurimi, exprimuntque veteres omnes. *Corruptionem*, a שחת : conf. *Job.* XVIII, 14; *Ps.* LV, 24. Alii vertunt *foveam, sepulcrum*, a שוח, eodem sensu. In hoc versu prius membrum Messiæ animam, posterius ejusdem corpus spectat; singula autem prius singulis commatis præced. respondent. — Vers. 11. *Monstras*, etc. in via vitæ me ambulare facis.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Tituli inscriptio ipsi Davidi.

Hic Psalmus obscurissimus est, atque ab ipso titulo incipit ejus obscuritas. Vox hebræa מכתם *mictham* ignota est. S. Hieronymus vertit, *humilis*, et *simplicis* David, forte quia מך *mac* significat *pauperem*, ac per hoc *humilem*, et תם *tham*, significat *simplicem* et *perfectum* ; alii volunt מכתם *mictham* esse *pretiosum* aliquid, quia חתם *chetem* significat *aurum*. Mihi probabile est Septuaginta Interpretes non legisse מכתם *mictham* sed מכתב *micthab*, ultima littera paululum immutata; nam a verbo *cathab*, *scribere*, fit nomen *micthab*, *scriptura*, sive *inscriptio*. Sed quia vox græca στηλογραφία non significat simplicem inscriptionem, sed inscriptionem incisam in columna ad memoriam sempiternam, propterea intelligere debemus inscriptionem hoc loco significare titulum memorabilem, dignum qui nunquam aboleatur. Argumentum Psalmi est oratio Christi ad Patrem : et eadem accommodari potest membris Christi, tum universis, tum singulis. De Christo enim, et non de Davide intelligendos esse quatuor versus postremos, ac præsertim illa verba : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, » docent apostoli Petrus *Act.* II, et Paulus *Act.* XII; et quia totus Psalmus est oratio quædam continuata, non possunt intelligi quatuor ultimi versus de Christo, quin totus Psalmus de Christo intelligatur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1.** CONSERVA ME, DOMINE, QUONIAM SPERAVI IN TE. DIXI DOMINO : DEUS MEUS ES TU, QUONIAM BONORUM MEORUM NON EGES.

In hebræo, ut nunc legitur, habetur : *Dixisti*; sed non est dubium debere legi אמרתי *amarthi*, non *amarth* : nam non solum Septuaginta verterunt *dixi*, sed etiam S. Hieronymus; si tamen utraque lectio defendi debeat, illud, *dixisti*, referendum erit ad animam, quia אמרת *amarth* est secunda persona generis feminini, et sensus erit : *Dixisti, o anima mea!* et idem est, *dixi ego*, vel *dixisti, anima mea*. Ait igitur Christus, et potest dicere quilibet christianus : « Conserva me, Domine, » id est custodi, protege ab imminente tribulatione, quoniam speravi in te solo, non in ulla re creata. Quod autem in te solo speraverim, et sperem, ex eo cognosci potest : « Quoniam

dixi Domino, » id est, confessus sum tibi Domino, ac dixi ex corde : « Deus meus es tu, » id est supremus Dominus meus es tu, ut clarius habet textus hebraicus et græcus; nam latinus posuit *Deus meus*, pro *Dominus meus*, ut variaret sermonem : « quoniam bonorum meorum non eges, » sed ego bonis tuis indigeo ; tu nulla ratione a me dependes, sed ego a te in omnibus pendeo : ideo tu solus verus, et summus Dominus meus es; et quia ego hoc cognosco et confiteor, ideo in te solo spero et confido. Hæc verba Propheta scripsit in persona Christi pro eo tempore, quo Christus non solum homo erat, sed etiam passioni et morti obnoxius. Quamvis enim in Christo homine et passibili non fuerit spes, quæ est virtus theologica, et respicit beatitudinem animæ, ut S. Thomas docet III part. *Quæst.* VII, art. 4, fuit tamen spes ut significat fiduciam, et exspectationem gloriæ corporis, et aliorum, quæ nondum habebat : et de hac spe loquitur David in Psalmis.

In Christo non fuit spes, sed fiducia, et expectatio gloriæ sui corporis.

Vers. 2. 2. SANCTIS, QUI IN TERRA SUNT EJUS, MIRIFICAVIT OMNES VOLUNTATES MEAS IN EIS.

In græco legitur sic : *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit Dominus omnes voluntates suas in eis.* Itaque dissentiunt græcus et latinus in illa voce *meas* et *suas*. Nam additio illa vocabuli, *Dominus*, non mutat sensum. In hebræo legitur ad verbum sic : *Sanctis qui in terra ipsi, et magnificis omnis voluntas mea in eis.* Quod ad græcum attinet, S. Augustinus in epist. 59 *ad Paulinum*, Quæst. 29, dicit codices electiores habere *meas*, quamvis alii habeant *suas*. Itaque probabile est in græco vitio librariorum irrepsisse mendum, præsertim cum in hebraico etiam habetur *meas*. Idem quoque Augustinus dicit, non esse dissonantiam alicujus momenti, cum opera Patris, et Filii, et Spiritus Sancti sint indivisa. Hebræus autem codex cum ait : *Qui in terra ipsi*, non differt a nostro codice, nisi quod omittit pronomen *ejus*. Cum autem dicit : *Et magnificis*, sciendum est vocem ואדירי *veaddire* videri omnino corruptam. Est enim nomen numeri multitudinis, in regimine, id est regens aliud nomen casus genitivi hebræi : siquidem aliter formant nomen absolute positum, et aliter nomen regens post se aliud nomen casus genitivi : hic autem non sequitur aliud nomen, quod regatur ab isto, *magnificis;* præterea si Septuaginta legissent ואדירי *veaddire*, non potuissent vertere *mirificant*, nisi imperitissimi fuissent. Itaque existimo eos legisse האדיר *heedir*, quod significat *mirificavit*. Illa vero, *omnis voluntas mea in eis*, non habent difficultatem, quia cum Hebræi non declinent nomina per casus, verti debent vocabula secundum exigentiam verborum. Recte igitur verti potest hic locus : *Sanctis qui sunt in terra, mirificavit omnem voluntatem meam in eis*, atque ita in concordiam rediguntur omnes lectiones. Sententia autem hæc esse videtur : Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis ejus : cujus meæ bonæ voluntatis ipse Deus mihi testis est, qui Sanctis, qui sunt in terra ejus, id est Sanctis, et electis suis qui sunt in terra ejus, mirificavit, id est mirabiles reddidit omnes voluntates meas in eis, id est omnem benevolentiam meam omniaque studia mea erga illos. Dicitur autem Deus mirabilem reddidisse benevolentiam Christi erga electos, declarando illam tum per Prophetas, et per varias figuras Testamenti veteris, tum etiam per miracula ipsius Christi et Apostolorum; mirabilis vero fuit Christi benevolentia erga electos, cum pro illis animam suam ponere voluerit.

3. MULTIPLICATÆ SUNT INFIRMITATES EORUM, POSTEA ACCELERAVERUNT. Vers. 3.

In hebræo habetur ירבו *irbu* in futuro, *multiplicabuntur*, sed accipitur futurum pro præterito. Illud etiam, *postea*, vertitur communiter ex hebræo, *alienum*; sed Septuaginta non legerunt אחר *acher*, *alienum*, sed אחר *achar*, quod significat, *postea*. Explicatur hoc loco effectus benevolentiæ Christi in electos, qui antea debiles erant ob vulnera gravissima peccatorum, ita ut ambulare non possent, et postea sanati per gratiam currere cœperunt viam mandatorum Dei : « Multiplicatæ sunt, inquit, infirmitates eorum, » id est ægritudines, ac morbi spirituales; unde Apostolus *ad Rom.* v : « Cum adhuc infirmi essemus, Christus pro nobis mortuus est; » et paulo post explicans infirmitates : « Cum, inquit, peccatores essemus. » Ex hebræo עצבותם *hatsbotham* multi vertunt *idola;* sed vox hebræa proprie significat *infirmitatem* et *dolorem;* et per figuram accipitur pro *idolis*, vel quia idola infirma sunt, et nullius potentiæ; vel quia peccatores, ac per hoc infirmos homines faciunt. « Postea acceleraverunt, » id est, antea infirmissimi erant multiplicatis peccatis usque ad summum, sed postea sanati per gratiam fortes effecti sunt, et ideo exsultaverunt ad currendam viam. Id apparuit in principio Ecclesiæ, quando conversi homines ab idololatria, ad martyria festinabant.

4. NON CONGREGABO CONVENTICULA EORUM DE SANGUINIBUS, NEC MEMOR ERO NOMINUM EORUM PER LABIA MEA. Vers. 4.

Ex hebræo vertunt communiter : *Non libabo libamina eorum de sanguine*, et vere verbum נסך *nasac* significat *libare* et *fundere;* sed significat etiam *tegere* et *operire;* et quia quæ teguntur congregantur, ut tegi possint, credibile est idem verbum significare etiam *congregare;* sententia vero est eadem, nam quia ad sacrificia celebranda cœtus congregari solent, ideo perinde est, si dicatur : *Non libabo libamina eorum de sanguine*, id est non placebunt mihi sacrificia eorum, quæ sanguinis effusione constant; et : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, id est non pla-

cebunt mihi congregationes eorum ad sacrificia cruenta celebranda, proinde non ego illas congregabo, non ero auctor, ut ejusmodi cœtus fiant. « Nec memor ero nominum eorum per labia mea, » id est, non solum non ero auctor talium congregationum et sacrificiorum, sed ea ne nominabo quidem. Cohæret autem hic versiculus cum superiore, quia rationem reddit, cur electi post multiplicata peccata, ac potissimum idololatriæ, acceleraverint currere viam Domini; ratio enim est, quia Dominus vehementer detestatur idola, et eorum venerationem, ut ne nominari quidem velit a suis : ideo, quos elegit in Christo, mundavit a peccato idololatriæ; et sic sanctos currere fecit viam mandatorum suorum.

Deus detestatur valde idola et eorum veneration-em.

Vers. 5. 5. DOMINUS PARS HÆREDITATIS MEÆ, ET CALICIS MEI, TU ES QUI RESTITUES HÆREDITATEM MEAM MIHI.

Quia dixerat se detestari idola et peccata, addit pro ratione, omnia sua bona in uno Deo habere. Vox propria Christi, qui omnino segregatus a peccatoribus, et Deo Patri summe amicus, omnia sua bona in Deo habet. Idem et nos pro modulo nostro sentire deberemus. Dicit igitur : « Dominus pars hæreditatis meæ, » id est pars, quæ mihi ex divisione hæreditatis contingere debet, hoc est, quidquid omnino exspecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia; « et calicis mei, » repetitio est ejusdem sententiæ : nam calix, qui dividi solebat inter convivas, pro hæreditate accipitur. Nisi magis placeat, per partem hæreditatis intelligere opes, per partem calicis delicias, ut sensus sit omnes meas opes atque omnes meas delicias in solo Deo constitui. « Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi : » hoc additur, quia cum Christus adhuc mortalis hæc diceret, nondum plene possidebat hæreditatem; et nos cum hæc dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum reipsa possidemus. Possessio autem ista interim deposita est apud Deum, et ille nobis eam restituet in die novissimo, sicut Christo restituit in die resurrectionis ejus. Huc alludit B. Paulus cum ait : « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, » II *Timoth.* I. In hebræo habetur, אתה תומיך גרלי *attha thomic gorali, tu sustentas hæreditatem meam,* et sensus est idem; nam ideo restituet Dominus hæreditatem, quia nunc eam sustentat, et conservat nobis, juxta illud D. Petri : « In hæreditatem incorruptibilem conservatam in cœlis, » I *Petr.* I.

Vers. 6. 6. FUNES CECIDERUNT MIHI IN PRÆCLARIS, ETENIM HÆREDITAS MEA PRÆCLARA EST MIHI.

Similitudine ducta a terrena hæreditate, declarat præstantiam hæreditatis æternæ, quam habebunt, qui Deum solum eligunt. Siquidem funiculis mensurari solebant campi, qui ex hæreditatis divisione obveniebant, et quia divisio sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in præclaram partem cadere, quando pars hæreditatis optima contingebat. « Funes ceciderunt mihi in præclaris, » id est, optimam hæreditatem sorte felicissima consecutus sum; etenim « hæreditas mea præclara est mihi, » idem dicit aliis verbis. Meminit autem sortis, quia principium hujus hæreditatis a prædestinatione ducitur; prædestinationis autem gratia respectu nostri sors quædam est, unde S. Paulus : « Sorte vocati sumus; » et : Elegit nos in partem sortis sanctorum, » epist. *ad Ephes.* II, et *ad Coloss.* I.

Prædestinatio nostra respectu nostri sors est.

Vers. 7. 7. BENEDICAM DOMINUM, QUI TRIBUIT MIHI INTELLECTUM; INSUPER, ET USQUE AD NOCTEM INCREPUERUNT ME RENES MEI.

Gratias agit Deo, qui inspiravit illi consilium, et accendit in eo desiderium, ut tam præclaram hæreditatem eligeret : « Benedicam, inquit, Dominum, » id est, laudabo Deum auctorem mihi tanti boni, « qui dedit mihi intellectum, » id est, qui me cognoscere fecit, et prudenter eligere; vox enim hebræa יעץ *iahats* significat proprie *dare consilium.* « Insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei. » Per *renes* in Scriptura intelligitur affectus et desiderium, unde sunt illa : « Scrutans corda et renes Deus; » et : « Proba cor meum et renes meos, » ubi per cor intelligitur cogitatio, et per renes affectio. Per *noctem* intelligitur tempus tribulationis; sicut per *diem,* tempus prosperitatis. Per verbum *increpuerunt* significatur potius *eruditio,* quam *reprehensio.* Nam et in hebræo יסרוני *isseruni,* et græco est verbum significans *eruditionem;* proinde verbum latinum interpretandum est pro *increpatione hortatoria,* qualis est : « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam confitebor illi, » *Psalm.* XLII. Denique illud, *usque ad noctem,* in hebræo est לילות *leloth,* erudierunt me *in noctibus,* ex quo intelligimus significari non solum tota die, sed etiam usque ad noctem totam, quod vulgo dici solet inclusive. Itaque sensus hic erit : « Insuper et usque ad noctem, » id est, non solum tempore prosperitatis, sed præterea usque ad tempus adversitatis, et in ipsa adversitate affectus meus in Deum accensus erudivit me, excitans et adhortans ad passionem æquo animo subeundam, ac semper de Deo bene sperandum.

Vers. 8. 8. PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER : QUONIAM A DEXTRIS EST MIHI, NE COMMOVEAR.

Ex intellectu, et affectu bono, de quo in superiore versu Deum laudavit, profectum est, ut semper Deum ante oculos haberet; anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. In hebræo habetur : *Posui Dominum in conspectu meo semper,* ex quo clarius declaratur Christum studiose egisse, ut semper Dominum præsentem haberet.

Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.

« Quoniam a dextris est mihi, ne commovear, » hoc est, nec falsa mea cogitatio fuit, qua Dominum mihi ante oculos cordis semper ponebam; nam vere a dextris mihi semper est, tanquam tegens latus meum, meque præcedens, ut adjutor fortis, ne commovear de gradu meo, sed persistam, et perseverem usque in finem.

Vers. 9. 9. PROPTER HOC LÆTATUM EST COR MEUM, ET EXULTAVIT LINGUA MEA, INSUPER ET CARO MEA REQUIESCET IN SPE.

Explicat nunc tandem hæreditatem præclaram, quam Deus restituet sibi, et aliis, qui Dominum elegerunt. « Propter hoc, » id est, quia Dominus a dextris meis est adjutor et protector fidelissimus, « lætatum est cor meum, » lætitia vera et solida, de qua Dominus in Evangelio *Joan.* XVI, 22 : « Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » « Et exultavit lingua mea, » quia gaudium æternum redundare solet etiam exterius. In hebræo habetur : *Exultavit gloria mea*, quod in idem recidit; gloria enim interior per linguam exultat exterius. « Insuper et caro mea requiescet in spe, » hoc est, animus lætabitur, et caro obdormiet in morte placida et secura, ob certam exspectationem celerrimæ resurrectionis.

Vers. 10. 10. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO, NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM.

Hæc explicata sunt ab apostolis Petro et Paulo, *Act.* II et XIII, et quamvis proprie de solo Christo hæc dicantur, cujus anima non est relicta apud inferos, in limbo videlicet sanctorum Patrum, neque caro in sepulcro experta est ullam putrefactionem; tamen nos omnes hæc dicere possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo, ut ait Apostolus *Ephes.* II, « conresuscitavit nos Deus; » tum quia animæ nostræ non relinquentur in inferno, id est in Purgatorio, neque caro nostra videbit æternam corruptionem.

Vers. 11. 11. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ, ADIMPLEBIS ME LÆTITIA CUM VULTU TUO; DELECTATIONES IN DEXTERA TUA USQUE IN FINEM.

Hic exponit perfectam hæreditatis promissionem : « Notas, inquit, mihi fecisti vias vitæ, » id est, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem; metaphora est pulcherrima, per quam modus per se resurgendi dicitur via usque ad illam diem ignota, quia nullus unquam per se resurrexit, Christo excepto. Nec solum, inquit, docuisti me resurgere ex mortuis, sed etiam « adimplebis me lætitia cum vultu tuo, » gloriosum, immortalem et beatum faciens me, vultum tuum mihi ostendendo; nam ex visione Dei, in qua consistit beatitudo essentialis, redundat etiam gloria in corpus, qua sola Christus carebat : gloriam enim animæ a conceptione habuerat. « Delectationes in dextera tua usque in finem. » Nec solum gloriosum me facies, sed ad dexteram collocabis in cœlis, ubi delectationes sunt sine ullo fine. Quæ omnia etiam electis suo modo conveniunt, quibus Deus ostendit vias vitæ, cum legis observationem docuit esse viam ad regnum cœlorum. Eosdem adimplet lætitia cum vultu suo, cum eis se videndum exhibet facie ad faciem, et demum delectationes usque in finem eis præbet dextera sua, cum eos ad dexteram partem collocat, et cum dextera manu sua tanquam inexhausto fonte bonorum eos indesinenter delectationibus replet. Ad finem hujus Psalmi annotare placet incredibilem temeritatem Theodori Bezæ, qui verba illa : « Non relinques animam meam in inferno, » ex textu græco, *Act.* II, sic interpretari ausus est : *Non derelinques cadaver meum in sepulcro* : quæ enim corruptio sacrarum litterarum est, si hæc non est? Vide, si placet, refutationem hujus paradoxi in nostris Controversiis, lib. *De Anima Christi*, cap. XII, ubi demonstramus voces tum hebraicas, tum græcas, quæ in hoc Psalmo et cap. II *Actorum* habentur, non *cadaver* et *sepulcrum*, sed *animam* et *infernum* proprie significare.

Bezæ incredibilis temeritas notatur.

PSALMUS XVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Oratio David.*

Exaudi, Domine, justitiam meam : intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

2. De vultu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitates.

3. Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne

V. S. H. — *Oratio David.*

Audi, Deus, justum [*h. Audi, Domine, justitiam*], intende deprecationem meam; auribus percipe orationem meam, absque labiis mendacibus [al. *mendacii*].

De vultu tuo [*h. De conspectu tuo*] judicium meum prodeat; oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, visitasti nocte : conflasti

me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

4. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

5. Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

6. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

7. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

8. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me, 9. a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt.

10. Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.

11. Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

12. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.

13. Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam 14. ab inimicis manus tuæ.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum; de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

15. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.

me, et non invenisti: cogitatio mea utinam non transisset os meum.

In opere Adam, in verbo labiorum tuorum, ego observavi vias [*h. semitas*] latronis.

Sustenta gressus meos in callibus tuis, et non labantur [al. *labentur*] vestigia mea.

Ego invocavi te, quia exaudies me, Deus; inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.

Mirabiles fac misericordias tuas, salvator sperantium, a resistentibus dexteræ tuæ.

Custodi me quasi pupillam [*h. filiam*] intus oculi:

In umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum vastantium me.

Inimici mei animam meam circumdederunt.

Adipe suo concluserunt: et ore locuti sunt superbe.

Incedentes adversum me nunc circumdederunt me; oculos suos posuerunt declinare in terram.

Similitudo ejus quasi leonis desiderantis prædam, et quasi catuli sedentis in absconditis.

Surge, Domine, præveni faciem ejus, incurva eum: salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus.

A viris manus tuæ, Domine, qui mortui sunt in profundo, quorum pars in vita, et quorum de absconditis tuis replesti ventrem. Qui satiabuntur in filiis, et dimittent reliquias suas parvulis eorum.

Ego in justitia videbo faciem tuam: implebor [*h. satiabor*], cum evigilavero, similitudine tua.

Argumentum. — Eorum sententia mihi probatur, qui carmen hocce a Davide eo tempore putant compositum esse, quum Saulis aulicorumque insidiis undique obsessus, saluti et vitæ fuga consulere coactus esset, ut itaque σύγχρονον sit septimo. Strophæ tres. Vers. 1-5, succurre, o Jova, sincero tuo cultori; vers. 6-12, defende me ab inimicis infestissimis, implacabilibus, fastuosis, insidiosis; vers. 13-15, ab hominibus ad voluptatem omnia referentibus, bonisque omnibus affluentibus, ut ipse ego *faciem tuam videam*, et *facie tua satier.*

1. Oratio Davidis.

Audi, Jova, justitiam,
attende clamorem meum, ausculta precem meam
non fraudulentis labiis *fusam.*

2. A facie tua (abs te) judicium meum exeat,
oculi tui respiciant rectum.

3. Explorasti cor meum, visitasti (illud) noctu;
igne me examinasti: non invenis (quicquam scoriæ);
cogitare meum non præterit os meum.

4. Ad opera hominum (vulgi) *quod attinet,* verbo labiorum tuorum *edoctus,*
ego observavi vias violenti (ut eas devitarem).
5. Inhæserunt gressus mei orbitis (viis) tuis,
non vacillarunt gressus mei.

6. Ego invoco te, nam exaudis me, Deus;
inclina aurem tuam mihi, audi sermonem meum.
7. Insignes redde misericordias tuas, qui salvas confidentes *tibi*
ab adversariis dextera tua.
8. Custodi me sicut pupillam, filiam oculi;
in umbra alarum tuarum occultes me,
9. A facie improborum qui vastant me,
hostium capitalium qui circumdant me.
10. Pingue cor suum occluserunt;
ore suo loquuntur cum fastu.
11. Quoad gressus nostros nunc circumdant me;
oculos suos dirigunt ad dejiciendum (nos) in terra.
12. Similitudo ejus *est* sicut leo, qui appetit discerpere,
et sicut leunculus sedens in occultis.

13. Surge, Jova, anteverte faciem ejus, prosterne eum;
libera animam meam ab improbo gladio tuo,
14. Ab hominibus manu tua, o Jova, ab hominibus mundanis;
portio eorum *est* in vita *præsenti,*
et thesauro tuo (rerum abundantia) imples ventrem eorum;
satiantur filiis,
et relinquent abundantiam suam parvulis suis.
15. Ego *vero* in justitia videbo faciem tuam;
satiabor in evigilando imagine tua.

NOTÆ.

Vers. 1. *Justitiam,* pro me clamantem, ait Crelier; Maurer : Me, qui sum justus; Hengstenberg vertit, *Jova,* qui es summa *justitia.* — Vers. 2. Maurer, *exit, respicit :* ita et Ewaldus. — Vers. 3. *Noctu,* quo tempore iis quisque maxime indulget, ad quæ fertur ejus animus; nisi quis malit hanc allegoriam ex more hominum mutuatam, qui eos, quorum secreta noscere cupiunt, nocte inopinatos, et omnium securos obruunt. *Præterit,* etc.; sensus : Non soleo aliud cogitare, aliud eloqui. Alii eod. sensu : *Cogitavi* aliquid, et id *non præteriit os meum.* Ewaldus aliter nectit, *non invenis me quicquam mali cogitantem* (זמה enim plerumque sensu malo usurpatur), *nec quod transgrediatur os meum.* — Vers. 4. *Hominum,* quorum *sensus et cogitatio in malum prona sunt, Gen.* VIII, 21 : cf. *Ose.* VI, 10; *Job.* XXXI, 33. — Vers. 7. *Insignes redde,* gall. *signale.* Alii, *discerne justos tuos.* Junge *dextera tua* cum *salves.* Ewaldus post Septuag. et Vulg., *resistentibus dexteræ tuæ :* non male. — Vers. 8. *Pupillam,* proprie *homunculum.* Arabes quoque pupillam *hominem oculi* appellant, ob imagunculam in oculi pupilla apparentem. Rosenmullerus vult *iscon* significari *nigredinem,* confertque *Prov.* VII, 9; XX, 20. *Filiam oculi,* ita quoque Arabes dicunt pupillam, cum, quidquid tanquam minus ad aliud refertur et pertinet, *filius* aut *filia* dicatur. — Vers. 9. *Capitalium,* proprie *in animam,* vitam. Maurer, qui *cum impetu,* i. e. ferocium, quod Euripidi est πνόας θέρμας πνεῖν. — Vers. 10. Proprie, *pinguedinem,* id est *adipata sua viscera,* adeo ut nullam sentiant *misericordiam.* Cf. *Deut.* XXXII, 15; *Job.* XV, 27. Adeps hominum carnalium et insensibilium symbolum est. — Vers. 11. Sensus : Quo me cumque verto cum amicis, ab impiis me video circumdatum. Alii, *inclinando in terram,* corpore ad terram inclinato, ut solent insidiatores : ita post Vulgat. Maurer. — Vers. 13. *Anteverte* impetus ejus te coram ipso sistens. *Libera... gladio tuo.* — Vers. 14. Junge *manu tua* cum *libera. Mundanis,* rerum

terrenarum, vanarum amantibus. *Portio*, etc. Felicitas eorum est in vitæ hujus deliciis. *Filiis* : Maurer, *filii* eorum, *et* hi *relinquunt*... — Vers. 15. *In justitia*, propter meam justitiam. *Videbo*, imagine sumpta a regibus, qui iis tantum quibus favent, sui dant copiam. *In evigilando*. Hinc Hengstenberg hocce carmen pro serotina oratione habet. At hæc verba melius cum SS. Patribus Schegg intelligit de expergiscendo e somno mortis.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Oratio David.

Hic Psalmus, ut ipse titulus indicat, est oratio justi persecutionem injuste patientis, qua precatur a Deo liberationem; ducit autem argumenta, primum ab innocentia sua, secundum a justitia Dei, tertium a misericordia ejusdem, quartum a malitia impiorum justos persequentium.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXAUDI, DOMINE, JUSTITIAM MEAM: INTENDE DEPRECATIONEM MEAM.

Vers. 2. 2. AURIBUS PERCIPE ORATIONEM MEAM, NON IN LABIIS DOLOSIS.

Hi duo versiculi conjunguntur in unum apud Hebræos; sed apud Græcos et Latinos distincti sunt. Res est parvi momenti, neque sententiam mutat. Primum igitur orat exaudiri justitiam suam : nam apud justum judicem magis clamat causa, quam persona. Addit deinde, ac postulat attendi etiam ad precationem suam, quia Deus non solum justitiam, sed etiam justos diligit, et ut S. Jacobus ait cap. v, 16 : « Multum valet oratio justi. » Postremo conjungit utrumque, justitiam et deprecationem, cum ait : « Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis, » hoc est orationem meam, quæ non prodit ex labiis dolosis, sed in justitia nititur. Itaque sensus est : Moveat te, Domine, justitia; moveat deprecatio; moveat justi deprecatio.

Vers. 3. 3. DE VULTU TUO JUDICIUM MEUM PRODEAT: OCULI TUI VIDEANT ÆQUITATES.

Alterum argumentum petit a justitia Dei, quasi dicat : Te appello, Domine, a te judicari volo, qui es Judex justissimus. « De vultu tuo, » id est ab ore tuo judicium meum prodeat, id est sententia pronuntietur. « Oculi tui videant æquitates, » id est, noli claudere oculos, et dissimulare calumnias impiorum, sed aperi oculos, et considera quid justitia exigat. Nam, ut alias monui, non ponitur hoc loco æquitas pro epicheia, sed pro ipsa vera justitia, ut sonant vocabula hebræa et græca. In græco habetur : *Oculi mei videant æquitatem*, et sic legit S. Augustinus, et exponit de judicio hominis justi, non de judicio Dei, ut sensus sit : De vultu tuo judicium meum prodeat, id est, illumina mentem meam, ut juste judicem, « oculi mei videant æquitates, » id est, mens mea non aberret in judicando. Sed si debeat convenire sententia græci codicis cum lectione hebraica et latina, hic debet esse sensus : Oculi mei videant æquitates, quas tu videlicet exerces, id est, videant justa judicia tua. Et sane lectio, quæ habet *oculi tui*, magis cohæret cum superioribus, et eamdem approbat S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam.*

Vers. 4. 4. PROBASTI COR MEUM, ET VISITASTI NOCTE: IGNE ME EXAMINASTI, ET NON EST INVENTA IN ME INIQUITAS.

Reddit causam cur velit judicari a Deo, quia videlicet ipse solus scrutatur corda, et perfecte novit innocentiam servorum suorum. « Probasti, inquit, cor meum, » id est, tentasti qualis sim intus, ubi nemo videt præter te, experimentum de mea sinceritate fecisti. Quomodo autem id fecerit declarat, dicens : « Visitasti nocte, et igne me examinasti. » Nam duo sunt tempora, quibus apparet quid sit in corde, occasio occulte agendi, et tempus tribulationis. Multi enim intus mali, exterius boni, si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum, ne detegantur, tunc malitia se prodit. Sic etiam tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis; sed cum ignis persecutionis advenerit, tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit : « Visitasti nocte, » id est cum in occulto occasiones peccandi habui. De secundo vero : « Igne me examinasti, » id est ardente tribulatione. « Et non est inventa in me iniquitas; » ad verbum sic legitur : *Non invenisti, cogitavi, non transibit os meum.* Quæ verba nullum sensum facere videntur. Sciendum igitur est Septuaginta Interpretes non legisse *zammothi*, quod significat *cogitavi;* sed *zimmathi*, mutatis tantum punctis, id est *iniquitatem meam*, et conjunxerunt hoc nomen

Tempora duo quibus apparet, quid sit in corde.

cum superiore verbo, et ideo reddiderunt : *Non est inventa in me iniquitas*, quod est idem cum eo : *Non invenisti iniquitatem meam*, ut ad verbum est in hebræo. Sequentia verba, nimirum *non transibit os meum*, conjunxerunt Septuaginta Interpretes cum verbis sequentibus, *in opera hominum*, et verterunt, *ut non loquatur os meum opera hominum*. Idem enim est : *Non transibit os meum in opera hominum*, et : *Non loquetur os meum opera hominum*.

Vers. 5. 5. UT NON LOQUATUR OS MEUM OPERA HOMINUM : PROPTER VERBA LABIORUM TUORUM EGO CUSTODIVI VIAS DURAS.

Ostendit unde factum sit, ut Deus non invenerit in eo iniquitatem ; et dicit ex eo factum esse, quia custodierit vias duras justitiæ propter præcepta Dei, non ob aliquam spem humanam. Nam qui ob spem humanam custodiunt viam justitiæ, exterius id faciunt, ubi homines vident, ac per hoc invenitur in eis latens iniquitas ; qui vero propter Dei mandatum viam justitiæ non deserunt, id faciunt exterius et interius, atque ideo nulla in eis iniquitas invenitur. Ait igitur : « Ego custodivi vias duras, » id est, permansi in via justitiæ, quamvis aspera et dura, neque me ulla tribulatio ab ea via declinare fecit. Permansi autem in hac via « propter verba labiorum tuorum, » id est propter mandata tua, sive propter promissiones et minas tuas. « Ut non loquatur os meum opera hominum, » id est, ut non cogar implorare humanam opem, neque ab spe humana pendeam, neque laudem opera hominum. In hebræo, pro eo quod nos legimus *vias duras*, habetur, *vias* פריץ, id est *latronis*, seu *dissipatoris* : sed mutatis punctis, illud, *parits*, potest legi *perets*, id est *ruptura*, sive *fractura* ; et sensus erit : Custodivi vias præruptas, ac per hoc periculosas et duras.

Vers. 6. 6. PERFICE GRESSUS MEOS IN SEMITIS TUIS : UT NON MOVEANTUR VESTIGIA MEA.

Agnoscens non suis viribus, sed auxilio Dei se permansisse in angusta semita justitiæ, rogat Deum, ut confirmet hoc beneficium : « Perfice gressus meos in semitis tuis, » id est, confirma et stabili gressus meos in hac via tua, ne forte declinem ab ea, si tuo adjutorio destituar. In hebræo ad verbum est : *Sustenta gressus meos, ne labantur vestigia mea* ; ubi declaratur id ipsum per similitudinem ductam a via lubrica. Itaque perfice gressus, significat, sustenta et stabili ; et ne moveantur vestigia mea, significat, ne labantur ob viæ lubricitatem. Vere enim infirmitas carnis, et illecebra mundi faciunt viam vitæ humanæ valde lubricam, et multi labuntur in ea.

Vers. 7. 7. EGO CLAMAVI, QUONIAM EXAUDISTI ME, DEUS : INCLINA AUREM TUAM MIHI, ET EXAUDI VERBA MEA.

Exposito argumento ab innocentia sua, et a justitia Dei, iterum repetit orationem initio Psalmi propositam, quæ est quasi conclusio, quæ colligitur ex duobus illis argumentis. Sententia igitur hæc est : « Ego clamavi, » ad te, Domine, « quoniam exaudisti me, » id est, cum fiducia clamavi, quoniam semper alias exaudisti me. Et ideo pro solita benignitate nunc etiam « inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. »

Vers. 8. 8. MIRIFICA MISERICORDIAS TUAS, QUI SALVOS FACIS SPERANTES IN TE.

Hoc est argumentum tertium, quod sumitur a misericordia Dei ; quasi dicat : Exposui innocentiam meam, appellavi justitiam tuam ; invoco nunc misericordiam, quoniam, etsi me innocentem existimem a crimine, ob quod tribulationem patior, tamen multa sunt alia fortasse peccata mea, ob quæ juste puniri possem. « Mirifica *ergo* misericordias tuas, » id est, ita manifeste misericordias tuas exerce in me liberando, ut omnes mirentur. Tuum est enim salvos facere omnes, qui in tua misericordia spem suam repositam habent.

Vers. 9. 9. A RESISTENTIBUS DEXTERÆ TUÆ CUSTODI ME, UT PUPILLAM OCULI.

In hebræo conjunguntur cum superiore versiculo illa verba, *a resistentibus dexteræ tuæ*, ut sensus sit : Qui salvos facis a resistentibus dexteræ tuæ eos qui sperant in te. Sed cohærent etiam optime cum verbis sequentibus in hunc modum : *Custodi me, ut pupillam oculi*, id est maxima diligentia ; *a resistentibus dexteræ tuæ*, id est ab impiis hominibus, qui resistunt dexteræ tuæ, vel lædendo quos tu protegis, vel non ambulando quo tu dicis. Neque hoc est contrarium ei quod legimus in lib. *Esther*, cap. XIII, 9 : « Non est qui possit tuæ resistere voluntati. » Nam illud intelligitur de voluntate beneplaciti, quæ semper impletur : hoc autem de voluntate signi, quæ non semper impletur, quia Deus permittit impios multa facere contra leges a se positas ; sed eos postea punit, ut merentur. Idcirco S. Petrus hortatur, dicens : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, » I *Petr.* V, 6. Similitudo illa, « ut pupillam oculi, » aptissima est, quoniam pupilla res est simul pretiosissima et infirmissima, et ideo diligentissime custodiri solet, et ab ipsa natura munita est, tum variis tunicis, tum etiam palpebris, et pilorum vallo.

Voluntas beneplaciti semper impletur, voluntas signi non item.

Vers. 10. 10. SUB UMBRA ALARUM TUARUM PROTEGE ME : A FACIE IMPIORUM, QUI ME AFFLIXERUNT.

Idipsum repetit alia similitudine. Sicut enim pulli teguntur alis gallinæ, et eo modo obumbrantur, et securi delitescunt, ut lædi non possint a milvis : sic optat justus protegi divino auxilio a persecutoribus suis. Illud, *a facie impiorum*, significare potest, a conspectu impiorum :

alæ siquidem dum pullos tegunt, faciunt ne videantur a milvis. Item, a morsu impiorum, sive ab ira impiorum : nam et dentes in facie sunt, et ira in facie demonstratur. Illud, *qui me afflixerunt,* significat justum jam expertum esse morsus impiorum, et ideo protectionem quærere, ne si sæpius mordeatur, tandem consumatur. Familiaris est hæc similitudo divinæ Scripturæ, *Psalm.* LXII, 8 : « In velamento, inquit, alarum tuarum sperabo ; » et rursus, *Psalm.* XC, 4 : « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis ; » et ipse Dominus in Evangelio : « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? » *Matth.* XXIII, 37.

Vers. 11. **11.** INIMICI MEI ANIMAM MEAM CIRCUMDEDERUNT, ADIPEM SUUM CONCLUSERUNT : OS EORUM LOCUTUM EST SUPERBIAM.

Est hoc argumentum postremum, quod sumitur a malitia inimicorum : « Inimici mei, inquit, animam meam circumdederunt, » id est, vitam meam, sive me ipsum undique premunt ; « adipem suum concluserunt, » id est, nulla misericordia moventur, etiamsi me videant ad extrema redactum ; « os eorum locutum est superbiam, » id est, non solum non miserentur, sed etiam insultant arroganter. Porro adipem concludere, significat viscera claudere, ac per hoc non misereri, juxta illud S. Joannis : « Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? » I *Joan.* III, 17. Quia vero viscera claudi solent, cum adeps crescit, ideo maluit Propheta dicere : « Adipem suum concluserunt, » quam viscera clauserunt, ut simul indicaret causam, unde viscera claudantur, quæ est multiplicatio adipis, id est opulentiæ temporalis. Sicut enim adeps naturalis claudit viscera carnalia : ita multiplicatio opum facit superbe sapere, et contemnere proximos, et claudit viscera spiritualia.

Viscera claudere idem quod non misereri.

Vers. 12. **12.** PROJICIENTES ME NUNC CIRCUMDEDERUNT ME : OCULOS SUOS STATUERUNT DECLINARE IN TERRAM.

Pergit narrare nequitiam inimicorum, et ait eos modo unam viam aggredi, modo contrariam, sic tamen ut semper noceant. « Projicientes me nunc circumdederunt me, » id est, antea projicientes a suo consortio, nunc circumdederunt me. In græco sensus est clarior, quia illud, *projicientes,* est temporis præteriti, ἐκβαλόντες, et significat, *cum projecissent me.* Itaque sensus est : cum antea projecissent me a suo consortio, ne fruerer communibus bonis, nunc iterum quærunt me, et circumdant, ut malis afficiant. Hujus autem malitiæ ipsorum causa est, quia « statuerunt oculos suos declinare in terram, » id est, firmiter decreverunt non aspicere ad Deum, qui est in cœlo, nec timorem ullum Dei admittere ; sed solum terram intueri, et ea quæ in terra sunt bona sectari. In hebræo pro illa voce, *projicientes me,* habetur אשורנו *ashurenu,* quod aliqui vertunt, *gressu meo* ; alii, *incendentes in me ;* alii aliter Sed Septuaginta Interpretes legisse videntur, הורישוני *horisuni,* quod significat, *expulerunt me ;* sunt enim litteræ fere eædem, sed transpositæ.

Vers. 13. **13.** SUSCEPERUNT ME SICUT LEO PARATUS AD PRÆDAM, ET SICUT CATULUS LEONIS HABITANS IN ABDITIS.

Non solum, inquit, circumdederunt me, sed crudelissime in me sævierunt : « Susceperunt *enim* me, » ea aviditate et sævitia, qua « leo paratus ad prædam, » suscipit occurrentem sibi oviculam. Dicitur autem leo paratus ad prædam, is qui famelicus, et in prædam intentus est. Idem repetit per verba sequentia : « Et sicut catulus leonis habitans in abditis, » id est, sicut leonis catulus latens in insidiis suscipit prædam sibi occurrentem. In hebræo pro *susceperunt me,* habetur דמיונו *dimiono, similitudo ejus,* videlicet impii, quasi leonis desiderantis prædam. Cæterum Septuaginta legerunt paulo aliter, ut legi potest vox illa, si removeantur puncta, nimirum videntur legisse דמונו *demauni,* ab eodem verbo *damah,* quod non solum *similem esse,* sed etiam *succidere* significat. Itaque intellexerunt hic significari, ὑπέλαβον, *succiderunt me,* sicut leo succidere solet prædam oblatam ; sed pro *succiderunt,* maluerunt vertere *susceperunt,* nimirum ad succidendum, quia non succiderunt reipsa, sed tantum voto : non enim Deus permisit ut reipsa succiderent, ut ex sequenti versiculo perspicuum est.

Vers. 14. **14.** EXURGE, DOMINE, PRÆVENI EUM, ET SUPPLANTA EUM : ERIPE ANIMAM MEAM AB IMPIO, FRAMEAM TUAM AB INIMICIS MANUS TUÆ.

Explicata malitia persequentium rogat Deum, ut adsit, et liberet ipse, qui solus potest : « Exurge, Domine, » non amplius differas auxilium ; « præveni eum, » id est impium, qui instar leonis me rapuit ad devorandum ; præveni dentes ejus, ne eos in me infigat, et occidat. Et vere solus Deus prævenire potest actionem cujuslibet causæ etiam velocissime agentis, sicut prævenit dentes leonum, ne læderent Danielem inter ipsos famelicos jacentem ; et sicut prævenit impetum ignis, ne combureret tres pueros in fornacem projectos : ex quo magna consolatio oritur justis, qui sciunt eam esse Dei sui potentiam, ut securos eos præstare possit inter dentes leonum et inter flammas ignis ardentis. « Supplanta eum, » id est decipe eum, mirabili providentia tua efficiendo, ut dum putat se dentes infigere in carnem justi, infigat in carnem propriam. « Eripe animam meam ab impio, » id est, ne sinas me occidi ab impio sæviente more leonis, sed libera, et salva me. « Frameam tuam ab inimicis manus tuæ. » In hebræo post *frameam tuam* finitur versiculus, et deinde inci-

Deus solus prævenire potest actionem cujuslibet causæ.

pit alius versus; et quia Hebræi non declinant nomina per casus, potest sic verti ea sententia: *Eripe animam meam ab impio, framea tua*, id est, ut vertit S. Hieronymus, *ab impio qui est framea tua*; vel, ut alii volunt, *eripe animam meam ab impio framea tua*, id est, per frameam tuam; sed versionem Septuaginta, et editionem Vulgatam sequendo, sensus erit: Eripe animam meam ab impio, ac, ut hoc facias, eripe frameam tuam, id est potestatem affligendi, ab inimicis manus tuæ, id est, ab iis qui ea non bene utuntur, qui sunt inimici manus tuæ, ac per hoc non sequuntur directionem manus tuæ, sed contra eam abutuntur potestate a te illis concessa: « Omnis enim potestas a Deo est; » sive, ut Apostolus loquitur: « Non est potestas nisi a Deo, » *Rom.* XIII. In hebræo pro *inimicis manus tuæ*, habetur, *a viris manus tuæ*, sive, *a mortuis manus tuæ*; nam vox hebræa מתים *methim* et *viros* et *mortuos* significat. Septuaginta Interpretes intellexerunt significari mortuos, et verterunt, ἀπ' ἐχθρῶν τῆς χειρός σου, *ab inimicis manus tuæ*; quoniam inimici manus Domini, id est, qui nolunt sequi directionem manus Domini, mortui sunt manui Domini, quomodo omnes peccatores dicuntur mortui Deo, et inimici Dei; verterunt autem potius *inimici*, quam *mortui*, quia id est multo clarius.

Vers. 15. 15. DOMINE, A PAUCIS DE TERRA DIVIDE EOS IN VITA EORUM: DE ABSCONDITIS TUIS ADIMPLETUS EST VENTER EORUM.

Imprecatio est prophetica, id est prædictio per modum imprecationis; prædicit enim futurum, ut dividantur impii a justis, et impiis quidem sola temporalia tribuantur, justis vero etiam æterna. « Domine, a paucis de terra divide eos, » id est separa multitudinem impiorum a pusillo grege tuo. In hebræo est eadem vox מתים *methim*, quæ in fine versiculi superioris. David enim sicut inimicos Dei vocaverat mortuos Dei, ita nunc amicos Dei vocat mortuos sæculo, sive terræ; vox enim חלד *cheled* significat *terram, mundum, sæculum*, et similia. Itaque verti poterat: Divide eos a mortuis mundo; sed maluerunt Septuaginta dicere a paucis de terra, quia vere mortui mundo sunt valde pauci, respectu amatorum mundi. Illud, *divide eos*, est in hebræo, *pars eorum*; sed mutatis punctis eædem voces significant, *divide eos*. Quod sequitur, *in vita eorum*, posset recte conjungi cum sequentibus, nisi obstaret particula *et, et de absconditis tuis*, etc., quæ particula est in hebræo et in græco, et in multis latinis: nec scio cur in editione Vulgata omissa sit. Sensus igitur est, non solum in vita futura, sed etiam in præsenti, quæ proprie est vita ipsorum, quam ipsi videlicet solum agnoscunt et amant, dividendos a viris justis, qui sæculo mortui sunt. In hoc autem divisio consistit, quod « de absconditis tuis adimpletus est venter eorum, » id est de bonis terræ a Deo creatis et conservatis, et quæ veluti de thesauro abscondito singulis annis emanant, adimplent ventrem suum, et hanc partem suam esse dicunt.

16. SATURATI SUNT FILIIS, ET DIMISERUNT RELIQUIAS SUAS PARVULIS SUIS. Vers. 16.

Hoc est, filiis abundant, et iis post mortem sua relinquunt bona, quæ ipsis supersunt; hæc enim censetur a filiis hujus sæculi perfecta felicitas, si et ipsi bonis terrenis circumfluant, et filios suos bonorum suorum relinquant hæredes. Ex græco S. Augustinus vertit: *Saturati sunt porcina;* sed etiam verti posse dicit: *Saturati sunt filiis.* Ratio hujus veritatis in promptu est: nam vox græca si scribatur per simplex ypsilon, ὑῶν, significat *porcum;* si scribatur per ypsilon et iota, υἱῶν, significat *filios;* sed ex hebræo perspicuum est legendum *filiis*, non *porcina.*

17. EGO AUTEM IN JUSTITIA APPAREBO CONSPECTUI TUO, SATIABOR CUM APPARUERIT GLORIA TUA. Vers. 17.

In hoc, inquam, divisio consistit, quod illi saturari cupiant in hac vita bonis terrenis, « ego autem, » ut etiam cæteri justi, in hac vita justitiam esuriam; et in alia, gloria et beatitudine satiabor. « In justitia apparebo conspectui tuo, » id est, juste coram te vivere studebo; « satiabor cum apparuerit gloria tua, » id est, sicut nunc tibi apparebit justitia mea, ita postea mihi apparebit gloria tua, et tunc demum vere satiabor nihil amplius expetens. In hebræo pro *apparebit gloria tua*, habetur, *cum excitabitur similitudo tua*, et sensus est idem; tunc enim apparebit nobis gloria Domini, quando excitabitur in nobis similitudo, de qua scriptum est I *Joan.* III, 2: « Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. » Quando enim videbimus eum sicuti est, tunc erimus ei similes in gloria; nam et ipse beatus est, quia seipsum videt. Hæc est enim vita, et gloria sempiterna, videre Deum sicuti est.

PSALMUS XVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit :*

2. Diligam te, Domine, fortitudo mea :

3. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus :

Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

4. Laudans invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero.

5. Circumdederunt me dolores mortis : et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6. Dolores inferni circumdederunt me : præoccupaverunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi :

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

8. Commota est, et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus in ira ejus : et ignis a facie ejus exarsit; carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cœlos, et descendit : et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super Cherubim, et volavit : volavit super pennas ventorum.

12. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus : tenebrosa aqua in nubibus aeris.

13. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis.

14. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam : grando et carbones ignis.

15. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

16. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum :

V. S. H. — *Victori, servo Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul. Et dixit :*

Diligam te, Domine, fortitudo mea :

Dominus [Al. *Domine*] petra mea, et robur meum, et salvator meus.

Deus meus, fortis meus, et sperabo in eo : scutum meum, et cornu salutis meæ, susceptor meus.

Laudatum invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me funes mortis : et torrentes diaboli [al. *Belial*] terruerunt me.

Funes inferni circumdederunt me : prævenerunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocabo [al. *invocavi*] Dominum, et ad Deum meum clamabo.

Exaudiet de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus ante faciem ejus veniet in aures ejus.

Commota est, et contremuit terra : et fundamenta montium concussa sunt, et conquassata sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in [al. *de*] furore ejus, et ignis ex ore ejus devorans : carbones accensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, et descendit : et caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherub [al. *Cherubin*], et volavit : et volavit super pennas venti.

Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus : tenebrosas aquas in nubibus aeris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis.

Et intonuit in cœlis [al. *de cœlo*] Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grandinem et carbones ignis.

Et misit [al. *emisit*] sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit illos.

Et apparuerunt effusiones aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis : ab increpatione

Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

17. Misit de summo, et accepit me : et assumpsit me de aquis multis.

18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me.

19. Prævenerunt me in die afflictionis meæ : et factus est Dominus protector meus.

20. Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.

21. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

23. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo ; et justitias ejus non repuli a me.

24. Et ero immaculatus cum eo ; et observabo me ab iniquitate mea.

25. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

26. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris :

27. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.

28. Quoniam tu populum humilem salvum facies ; et oculos superborum humiliabis.

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam : Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

30. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.

31. Deus meus impolluta via ejus ; eloquia Domini igne examinata : protector est omnium sperantium in se.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum ? aut quis Deus præter Deum nostrum ?

33. Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.

34. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me.

35. Qui docet manus meas ad prælium ; et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me :

Et disciplina tua correxit me in finem : et disciplina tua ipsa me docebit.

tua, Domine, ab inspiratione spiritus furoris tui.

Misit de alto, et accepit me, extrahet me de aquis multis.

Liberavit me de inimico meo potentissimo, et de his qui oderunt me ; quoniam robustiores me erant.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ : et factus est Dominus firmamentum meum.

Et eduxit me in latitudinem : liberavit me, quoniam placui ei.

Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam ; et secundum munditiam manuum mearum reddidit mihi.

Quia custodivi vias Domini, et non egi impie a Deo meo.

Omnia enim judicia ejus in conspectu meo ; et præcepta ejus non amovi a me.

Et fui immaculatus cum eo, et custodivi me ab iniquitate mea.

Et restituet [al. *restituit*] mihi Dominus secundum justitiam meam, secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter ages :

Cum electo electus eris, et cum perverso subverteris [al. *pervertes*].

Quia tu populum pauperem salvabis, et oculos excelsos humiliabis.

Quia tu illuminabis lucernam meam : Domine Deus meus, illustrabis tenebram meam [al. *tenebras meas*].

In te enim curro accinctus [*h. curram post accinctos*], et in Deo meo transiliam [al. *insiliam*] murum.

Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini examinatum : scutum est omnium sperantium in se.

Quoniam quis est Deus præter Dominum, et quis fortis præter Deum nostrum ?

Deus qui [al. tac. *qui*] accingit me fortitudine, et posuit immaculatam viam meam.

Coæquans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me.

Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.

Dedisti mihi clypeum salutis tuæ [al. *meæ*], et dextera tua confortavit [al. *confirmavit*] me, et mansuetudo tua multiplicavit me.

37. Dilatasti gressus meos subtus me : et non sunt infirmata vestigia mea.

Dilatabis gressum meum [al. *gressus meos*] subtus me, et non deficient tali mei [al. tac. *mei*].

38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar donec deficiant.

Persequar inimicos meos, et apprehendam et non revertar donec consumam eos.

39. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.

Cædam eos, et non poterunt surgere; cadent sub pedibus meis.

40. Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et accinxisti me fortitudine ad prælium, incurvabis resistentes mihi sub me.

41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

42. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.

Clamabunt, et non erit qui salvet; ad Dominum, et non exaudiet eos.

43. Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.

Delebo [*h. Comminuam*] eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum projiciam eos.

44. Eripies me de contradictionibus populi : constitues me in caput gentium.

Salvabis me a contradictionibus populi, pones me in caput gentium : populus quem ignoravi, serviet mihi.

45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.

Auditione auris obaudiet mihi : filii alieni mentientur mihi.

46. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

Filii alieni defluent, et contrahentur in angustiis suis.

47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.

Vivit Dominus, et benedictus Deus [*h. fortis*] meus, et exaltabitur [al. *exaltetur*] Deus salutis meæ.

48. Deus, qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

Deus, qui das vindictas mihi, et congregas populos sub me :

49. Et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me.

Qui servas me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me : a viro iniquo liberabis [al. *libera*] me.

50. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine : et nomini tuo psalmum dicam.

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine : et nomini tuo cantabo [*h. psallam*] :

51. Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum.

Magnificanti salutes regis sui, et facienti misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in æternum [*h. sæculum*].

Argumentum. — Magnificum eucharisticon, quod Vates orditur celebratione numinis, cujus auxilio et ope insigni fuerit liberatus, vers. 1-4. Sua igitur pericula et hostium ingentem vim poetice describit et depingit potius; moxque suam liberationem ac vehementem præpotentis Dei in hostibus evertendis iram eo scribendi genere, et iis figuris amplificat, ut pene adhuc inter legendum cœlum ipsum et terram Dei fulminandis ictibus conquassari ac prope incendio ardere videamus, vers. 5-20. Liberationis rationem ab ipsius pietate ducit, vers. 21-27. Et postea victorias, quas de hostibus reportavit, ita describit, ut qui legit, illas sub oculis habere se putet; regni quoque mirum in modum prolatos terminos prædicat, vers. 28-46. Tandem læta cum acclamatione Jovam celebrat, quem peculiarem sui curam gerere agnoscit, vers. 47-51. Hinc strophæ 5. Carmen, ut ipsa testatur inscriptio, a Davide editum fuit serioribus vitæ annis, quum domi bellique potens, hostibus circumquaque devictis, et regno constituto, in altissima pace degeret. Legitur aliud carminis exemplar II *Sam.* cap. XXII, sed verbis, imo sententiis, discrepantibus haud paucis. Neutrum per omnia ad veritatem descriptum est. Habet potius utrumque veris admixta falsa, scribarum tribuenda incuriæ atque arbitrio. Sitne vero, ubi inter se differunt, hic an istic erratum, quanquam sunt quibus videatur posse dici, tamen rarius dici potest, quum sæpissime utraque scriptura commodum sensum fundat. Videtur tamen quod præ manibus est exemplum, rarius, quam alterum a genuino fonte aberrare. Istius generis diversitates in omnibus omnino monumentis scriptis, priscis præsertim, deprehendere, quæ rarissime ab auctoribus ipsis proficiscuntur. Ac nostri carminis si tertium exstaret exemplar, sane et huic suas fore varietates, nulla potest esse dubitatio. Nec id divinæ providentiæ repugnat, quæ non unum bibliorum locum ex hebræo græcove fonte in Vulgata versione haud recte expressum fuisse permisit. 50 versiculis carmen constat, qui numerus, quum jubilei annos complectatur, perfectionisque sit symbolum, hymno, quo David pro beneficiis per totam vitam acceptis gratias agit, perquam apte congruit.

1. Præcentori, *carmen* servi Jovæ, Davidis, qui locutus est ad Jovam verba cantici hujus, quo tempore eripuerat Jova eum e manu omnium hostium ejus, et *speciatim* e manu Saulis. Et dixit:

2. Diligo te, Jova, robur meum;
3. Jova *est* rupes mea, et vertex meus, et liberator meus,
Deus meus, petra mea, in quam confugio;
clypeus meus, et cornu salutis meæ, altitudo mea.
4. Laudabilem invoco Jovam,
et ab hostibus meis servatus sum.

5. Circumdederunt me laquei mortis,
et torrentes exitii terruerunt me,
6. Funes orci circumdederunt me,
occupaverunt (præverterunt) me laquei mortis:
7. In angustia mea invocavi Jovam,
et ad Deum meum vociferatus sum;
audivit e palatio suo (cœlo) vocem meam,
et vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus.
8. Et commota est terra, et contremuit,
et fundamenta montium quassa sunt,
et concussa, nam exarserat ei *Jovæ ira*.
9. Adscendit fumus in nares ejus,
et ignis ex ore suo vorat;
prunæ ardent ex eo.
10. Et inclinavit cœlos, et descendit,
et caligo *nubium* sub pedibus ejus.
11. Et vectus est super cherubo, et volavit,
et volavit super alis venti.
12. Posuit tenebras latibulum tuum,
circa se *quasi* tugurium (vel *tabernaculum*) suum;
item tenebras aquarum (nubes aquosas), caligines nubium.
13. Ex fulgore *qui* coram eo nubes ejus processerunt (proruperunt),
grando et carbones ignis (fulmina).
14. Et tonuit in cœlis Jova,
et Altissimus edidit vocem suam,
grandinem et prunas ignis.
15. Et misit sagittas suas (fulmina), et dispersit eos (hostes);
et fulgura multa, et conturbavit eos.
16. Et apparuerunt alvei (gall. *lits*) aquarum,
et retecta sunt fundamenta orbis *terrarum*,
ab increpatione tua, Jova,
ab anhelitu spiritus nasi tui.
17. Extendit *manum suam* ex alto, et prehendit me,
extrahit me ex aquis multis.
18. Liberat me ab hoste meo valido,
et ab osoribus meis, nam (alii, *quando*) validiores me erant.

19. Irruerunt in me tempore calamitatis meæ,
et exstitit Jova fulcrum mihi.
20. Et eduxit me in latitudinem,
extraxit me qui a me delectatur.

21. Rependit mihi Jova secundum justitiam meam,
secundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.
22. Nam servavi vias Jovæ,
nec impie egi (deficiendo) a Deo meo.
23. Etenim omnes leges ejus in conspectu meo,
et statuta ejus non removi a me.
24. Et fui integer cum (vel *coram*) eo,
et cavi mihi ab iniquitate mea.
25. Et retribuit Jova mihi secundum justitiam meam,
secundum puritatem manuum mearum *quæ* coram oculis ejus.
26. Cum pio pium (benignum) te exhibes,
cum homine integro integre agis.
27. Cum puro purum te exhibes,
et cum perverso dolose agis.
28. Nam (vel *sane*) tu populum afflictum servas,
oculosque elatos deprimis.
29. Nam tu accendis, (lucere jubes) lucernam meam;
Jova, Deus meus, splendere facit tenebras meas.
30. Nam per te curro in turmas,
et per Deum meum transilio muros.
31. Deus (nominat. absol.), integra (verax) *est* via ejus;
verbum Jovæ est liquatum;
clypeus est ille omnibus qui in ipso fiduciam ponunt.
32. Nam quisnam *est* Deus, nisi Jova;
et quis petra, nisi Deus noster?
33. *Ille*, *inquam*, Deus, qui me accingit robore,
et fecit integram (expeditam) viam meam.
34. Reddit pedes meos sicut *pedes* cervorum,
et super excelsa mea stare me facit.
35. Instituit manus meas ad bellum,
et tendit arcum æneum brachium meum.
36. Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ,
et dextera tua suffulcit me,
et benignitas tua magnum me facit.
37. Latum facis gressum meum sub me,
nec vacillant tali mei.
38. Persequor hostes meos, et assequor eos,
nec revertor, usque dum consumpserim.
39. Percutio eos, nec surgere possunt;
cadunt sub pedes meos.
40. Et accinxisti me robore ad bellum;
curvas insurgentes adversum me sub me.

41. Et hostes meos facis mihi tergum (propr. *cervicem*) *præbentes;*
et osores mei (nominat. abs.), perdo eos.
42. Vociferantur, neque adest salvator;
ad Jovam (vociferantur), neque exaudivit eos.
43. Et comminui eos instar pulveris ante faciem venti;
instar cœni platearum effundo eos.
44. Eripis me a contentionibus populi;
constituis me caput gentium :
populus, quem non cognovi, servit mihi.
45. Ad auditionem auris obediunt mihi;
filii τοῦ alieni adulantur (propr. *mentiuntur*) mihi.
46. Filii τοῦ alieni emarcent,
et trepidant ex claustris *suis*.

47. Vivus est Jova, et benedictus petra mea,
et exaltatur Deus salutis meæ :
48. Deus *ille* qui dat ultiones mihi,
et subjecit populos sub me;
49. Qui me eripit ex hostibus meis,—
imo præ adversariis meis exaltas me,
ab homine violento liberas me.
50. Ideo celebrabo te inter gentes, Jova,
et nomini tuo psallam :
51. Qui magnificat salutem regis sui,
et facit gratiam uncto suo,
Davidi et semini ejus in perpetuum.

NOTÆ.

Vers. 1. *Servi Jovæ*, divinorum consiliorum ministèr, ut Moses et Josue : honoris, non humilitatis causa dictum.— Vers. 2. Non sine vi ab uno tantum hemistichio carmen incipit, quod quidem hemistichium in Samuelis libro integrum abest. *Diligo*. Recte Venema : « Radix *racham*, quæ in origine dicit *molliter fovit*, v. g. ova, et inde ad uterum, quo fœtus molliter fovetur, transiit, hinc cum ad *misericordiam*, tum ad *intimam dilectionem* sese flexit, cum fœtus intime ab utero comprehendatur, et matris ardentissimum affectum excitet. » — Vers. 3. Ewaldus, *tu, Jova, rupes mea*, et sic deinceps, in casu vocat. *Vertex*, inaccessa montium, in quæ se receperit David. Alii, *arx* : minus recte. *Deus meus, petra*, etc. Hengstenberg, *Deus meus* est *petra*. *Cornu*. Rosemnullero placet *keren* hic esse *montis verticem* : conf. *Isai.* v, 1. — Vers. 4. *Laudabilem*, proprie *laudatum*, i. e. laudandum, gall. *digne objet de louanges*.

Vers. 5. *Laquei*. I *Sam.* xxii, reperitur *fluctus*, quod videtur esse lectio genuina. In τῷ *laquei* metaphora sumitur a feris quas laqueo venator cepit, vel a damnatis ad mortis supplicium, vinculisque jam constrictis. *Exitii* : ita Ewaldus; Hengstenberg, *iniquitatis*, proprie *nihilitatis* in sensu morali, quod Latini dicunt *nequam*, Galli vero *vaurien*. Et Theodoretus : « Torrentes iniquitatis injustos atque frequentes inimicorum impetus appellat. » — Vers. 6. *Laquei*, tendicula, gall. *lacets*. — Vers. 7. *Mea*, proprie *mihi*, in angustiis cum versarer. *Coram eo*, scil. prolata. — Vers. 9. Fumus vehementi flatu e naribus propulsus egregiam iræ et indignationis gravioris sistit imaginem, metaphora ducta ab equis, leonibus aliisque generosi spiritus animalibus, quæ furore concitata, fortiter naribusque dilatatis solent anhelare, concitatoque motu spiritum reciprocare atque fremere. Hinc veteribus *nasus* iræ sedes. *Ardent*, pro *ardentes exeunt*. — Vers. 10. Habitum cœli describit sæviente tempestate : demissum videtur, et terræ incumbere. — Vers. 11. *Cherubo*, in singul. Hengstenberg collective sumit pro *Cherubim*. *Volavit*; liber II *Sam.* habet *apparuit* : perperam. — Vers. 12. *Caligines*, vel *densitates*; alii, *nubes ætheris*. — Vers. 13. Sensus : A Jova prorumpunt nubes fulmina parturientes. Sensum commodiorem exhibet quod II *Sam.* legitur, *præ* vel *ex fulgore* qui *coram eo ardent prunæ ignis* : vivida imago fulminum perpetuo micantium. Ewaldus, *præ fulgore* qui

coram eo evanescunt nubes ejus — grando et carbones ignis! absol. positum; subaudi *cadunt*, vel *ecce* : item in tertio versiculi 14 hemistichio. — Vers. 15. *Multa*, רב adv. tanquam adjectivum appositione cohærens cum substant. : ita Maurer. Ewaldus, *ejaculatus est*, a rad רבב : cf. *Gen.* XLIX, 23; alii, *multiplicavit*. — Vers. 16. *Increpatione*, vi horridæ tempestatis excitatæ ab irato numine.—Vers. 17. *Prehendit me* jamjam occubiturum. *A quis*, torrentibus, i. e. calamitatibus, de quibus vers. 5.—Vers. 19. *Irruerunt in me* derepente.

Vers. 21. Affert jam liberationis rationem a sua pietate ductam. — Vers. 23. *Leges* et *statuta* proprie quidem ita differunt, ut illæ sint leges *forenses*, hæc *cæremoniales*. Pro *etenim* Hengstenberg vertit, *sed*. — Vers. 24. *Integer*, sincero animo. *Mea*, ad quam natura pronus sum, ait Vatablus. Vogel : Ne quid *ego* mali agerem, ut sit hebraismus, ex breviloquentia Hebræorum ortus. — Vers. 25. *Coram oculis*, ipsi probe notam. — Vers. 26. *Integre agis*, non frustraris eum spe in te collocata. — Vers. 27. Sensus : Gerit se Jova erga homines pro eorum moribus : benefacit bonis, plectit malos.

Vers. 28. Denuo prædicat opem sibi divinitus illatam. Hemistichium alterum II *Sam.* sonat, *oculos tuos* iratos *in superbos demittis*. — Vers. 29. Sensus : Te auctore res meæ prosperantur. — Vers. 30. *Per te*, tuo auxilio. *Curro*. a rad. רוץ; sed quum hoc verbum alias particularum על vel אל ope jungi soleat, alii vertunt *confregi turmas*, a rad. רצץ. — Vers. 31. Ewaldus sic nectit :... *muros*, *Deum*, inquam, *cujus integra*, etc. *Liquatum*, i. e. exploratissimæ veritatis, ut argentum igne probatum. — Vers. 32. *Petra*, Dei nomen, ideoque Deus ipse. — Vers. 33. II *Sam.* : *Deus est munimentum meum firmum. Et cinxit*, vel *coronavit perfectam viam meam* : eodem sensu. — Vers. 34. Et Achilles ab Homero πόδας ὠκὺς dicitur. *Cervarum*. Animalium vocabulis citra formationis respectum, nunc de meliore, nunc de sequiore sexu uti scriptores sacros, ad *Jerem.* II, 24, observat Kimchi; Græci quoque in quibusdam masculam formam frequentius, in aliis femineam familiarius usurpant. *Excelsa mea*, loca inaccessa in quæ recipere me solebam. Alii *arces* hostium intelligunt.—Vers. 35. *Tendit*, pih. a rad. נחת, *depressit*. Verbum singul. fem. cum nomine plur. fem., ut sæpe alias. Alexandrinus legit *nathatthah*. De armis ære factis apud veteres cf. Hesiodum, *Opera et Dies*, 149; Lucretium, *De Rer. Nat.* V, 1282. Arcum æneum intendere posse, summarum virium signum semper habitum est. Nota est in hanc rem e profanis de Ulysse historia, *Odyss.* XXI. — Vers. 36. *Benignitas*; Ewaldus, *humilitas* passive, qua scil. ad meum auxilium te demissiti : non male. — Vers. 43. *Effundo*, i. e. everro. II *Sam.* habet *contundo*, quod præferendum videtur. — Vers. 44. *Populi* mei, ut habetur II *Sam.* Bella civilia memorat. — Vers. 45. *Ad auditionem auris*, simul atque de me audierunt : ita plerique. Crelier, *ad auditum auris audiuntur mihi*, i. e. fama tantum eos novi. Ita *Job.* XLII, 5, auditus oris oculorum visioni opponitur : *ad auditum auris* (gall. *par ouï d'oreille*) *audiveram* quidem *de te, nunc* vero *conspicit te oculus meus*. — Vers. 46. *Emarcent* præ metu. Alii, *concidunt*, vel *deficiunt*, exhaustis viribus. *Trepidant*, trepidantes exeunt. II *Sam.* habetur, *accingunt se* ad fugiendum *ex arcibus suis*.

Vers. 47. Hodiernis formula hæc est fausta acclamantis : *Vivat Jova.... exaltetur*. — Vers. 50. *Et nomini*, etc. Alii, *et nomen tuum canam*. — Vers. 50. *Magnificat*, magnifice operatur, beneficiis magnis et multis auget et conservat. *Gratiam facit*, benevolentiam præstat. *In perpetuum*. Cf. II *Sam.* VII, 12. Inde patet hunc psalmum saltem ex parte esse Messianicum.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit.

Hic titulus indicat Psalmum hunc a Davide compositum fuisse in gratiarum actionem, quando liberatus fuit ab omnibus inimicis suis, et potissimum a Saule, qui nominatim ea de causa exprimitur. Habetur hic idem Psalmus in lib. II *Regum*, cap. XXII, paucis mutatis. Mutatio autem illa, incertum est an ab ipso Davide facta fuerit, an ab Esdra, qui Psalmos collegit. Quia vero David figuram Christi gessit, potest Psalmus hic etiam de Christo recte exponi.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. DILIGAM TE, DOMINE, FORTITUDO MEA : DOMINUS FIRMAMENTUM MEUM, ET REFUGIUM MEUM, ET LIBERATOR MEUS.**

Diligam te, Domine, id est, merito te diligere debeo, cum tot beneficiis me tibi devinxeris. Exponit deinde beneficia a Deo accepta : ac primum unico verbo, tum pluribus nominibus, postremo rerum gestarum enarratione. Unico verbo exponit, cum dicit : « Fortitudo mea, » id est causa

totius roboris mei, quo de hostibus omnibus triumphavi. Quod autem uno verbo dixit : « Fortitudo mea, » explicat per partes, dicens : *Firmamentum, refugium,* et *liberator,* quasi dicat : Merito dixi Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, et liberator meus. Cum in tuto sum, ipse mihi est firmamentum; cum in periculo versor, ipse mihi refugium præbet; cum forte in manus hostium incido, ipse me liberat. Itaque omnibus modis ipse mihi fortitudo et robur est. In hebræo pro voce *diligam*, non est verbum אהב *ahab*, quod simpliciter *amare* significat; sed רחם *racham*, quod significat *amare ex intimis visceribus*. Pro vocabulo *firmamentum*, est סלעי *salhhi, petra*, id est stabile ac solidum fundamentum. Pro *refugium*, est מצודתי id est *arx*, sive munitio, sive munitissima arx, ad quam tuto quis confugere possit. Sed Septuaginta Interpretes metaphoras exponere voluerunt, ideo non petram et arcem, sed firmamentum et refugium dixerunt. In lib. II *Reg.* cap. XXII, deest illud principium : « Diligam te, Domine, fortitudo mea. » Incipit enim Psalmus : « Dominus petra mea, » etc. Sed pulcherrimum illud principium videtur non ab alio, quam ab ipso Davide fuisse additum.

Vers 2. 2. DEUS MEUS, ADJUTOR MEUS, ET SPERABO IN EUM.

Vers. 3. 3. PROTECTOR MEUS, ET CORNU SALUTIS MEÆ, ET SUSCEPTOR MEUS.

In his duobus versiculis, qui in hebræo continuantur cum primo versiculo, ex vehementia affectus in Deum repetit Propheta, et inculcat epitheta benefactoris sui. Respondent autem tria hæc : *Adjutor, protector,* et *cornu salutis*, tribus illis : *Firmamentum, refugium*, et *liberator*. In hebræo pro voce *adjutor,* habetur צורי *tsuri, petra,* sicut pro voce *firmamentum,* erat etiam *petra,* sed alia, et alia voce. Itaque vocat Deum adjutorem, quia præbet stabilimentum, ut non cadat, juxta illud *Psalm.* XXXIX : « Statuit supra petram pedes meos. » Et merito adjungit : « Sperabo in eo, » tanquam in firmissimo fundamento. Pro voce *protector,* habetur in hebræo מגיני *maghinni, scutum,* sive *clypeus;* sic pro voce *refugium,* erat *arx* : utrumque enim protegit et defendit. Itaque voluerunt Septuaginta Interpretes explicare metaphoras nominum hebraicorum. *Cornu salutis* est tam in hebræo, quam in græco, et significat robur ad salvandum. Metaphora sumpta ab animantibus cornigeris familiaris est Scripturæ divinæ. *Psalm.* CXXXI : « Producam cornu David, » id est, faciam ut David robustus sit, ac potens instar tauri cornibus armati, non imbecillis, ac debilis more vituli nondum cornua producentis. *Ezech.* XXIX, 21 : « In illa die pullulabit cornu domui Israel. » *Micheæ* IV, 13 : « Ponam cornu tuum ferreum. » *Luc.* I, 69 : « Erexit nobis cornu salutis in domo David. » Dicitur igitur Deus cornu salutis Davidi, et omnibus justis, quia justi robustissimi sunt contra omnes hostes; sed robur eorum non in viribus propriis, sed in Dei adjutorio et favore consistit : « Omnia possum, » dicebat Apostolus, « in eo qui me confortat. » Respondet autem *cornu salutis meæ* particulæ illi, *et liberator meus.* Liberat enim Deus per cornu salutis, id est per salutiferam potentiam suam. Denique illud, *et susceptor meus,* est nomen complectens omnia alia, et respondet primo illi nomini : *Fortitudo mea.* Quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

4. LAUDANS INVOCABO DOMINUM : ET AB INIMICIS MEIS SALVUS ERO. Vers. 4.

Est hæc quasi conclusio quædam superiorum verborum, quasi dicat : Ego deinceps assidue Deum laudabo pro tot acceptis beneficiis, et magna fiducia in tribulationibus meis, eumdem Deum invocabo, et sine dubio a quibuscumque hostibus liberabor. In hebræo habetur מהלל *mehallal*, quod recte S. Hieronymus vertit : *Laudatum invocabo Dominum.* Sed si puncta mutentur, eædem litteræ faciunt *mehallel*, quod significat *laudans invocabo*, ut verterunt Septuaginta. Sententia semper est eadem, nimirum laudabo, et invocabo, gratias agam pro peccatis, et invocabo pro futuris.

5. CIRCUMDEDERUNT ME DOLORES MORTIS, ET TORRENTES INIQUITATIS CONTURBAVERUNT ME. Vers. 5.

6. DOLORES INFERNI CIRCUMDEDERUNT ME : PRÆOCCUPAVERUNT ME LAQUEI MORTIS. Vers. 6.

Incipit Propheta jam enarrare accepta beneficia. Ac primum dicit se quondam fuisse in apertissimo periculo vitæ, quando videlicet Saul eum quærebat, ut interficeret. Sed hoc periculum vitæ poetice describit variis metaphoris adhibitis : « Circumdederunt me dolores mortis, » id est, undique talia pericula me oppresserunt, ut de salute corporali desperarem; et ideo tali dolore, id est mœrore animi affectus fui, quali affici solent, qui mortem sibi imminere vident. « Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me, » id est, inde periculum, et dolor, de quo dixi, proficiscebantur, quod multitudo iniquorum instar torrentis me invaserant et conturbaverant, quomodo conturbari solent, qui a torrente aquarum deferuntur et circumvolvuntur. « Dolores inferni circumdederunt me; » repetit quod dixerat, « circumdederunt me dolores mortis. » Idem enim est hoc loco, dolor mortis, et dolor inferni. Nam quia ante Christi passionem omnes qui moriebantur ad infernum descendebant, quamvis non ad eamdem partem inferni, ideo pro eodem accipiebatur, mori, et ad infernum descendere. « Circumdederunt, inquit, me dolores inferni, » id est mœror animi, qualem patiuntur, quibus imminet discessio ex hoc mundo ad locum mortuorum, qui est infernus. « Præoccupaverunt me laquei mortis; » repetit quod dixerat : « Torren-

Ante Christi passionem mortui omnes ad infernum descendebant.

tes iniquitatis conturbaverunt me. » Sicut enim conturbatio ex multitudine iniquorum in eum insurgentium erat causa Davidi dolorum mortis : ita præoccupatio laqueorum mortis erat causa eidem Davidi dolorum inferni. Vocat laqueos mortis insidias iniquorum, quibus petebatur ad mortem. Itaque sensus horum duorum versiculorum est, Davidem occupatum fuisse ingenti dolore ob imminens mortis periculum, tum ex invasione manifesta inimicorum instar torrentis violenter rapientis et involventis, tum ex insidiis eorumdem inimicorum, instar laqueorum incautos capientium. Quod attinet ad verba, pro *dolores*, in hebræo habetur, חבלי *cheble*, quæ vox *dolores* et *funes* significare potest. Ideo S. Hieronymus vertit : *Funes mortis*, et *funes inferni*. At Septuaginta Interpretes verterunt : *Dolores mortis*, et *dolores inferni* : quæ lectio posterior clarior est. Pro *torrentes iniquitatis*, in hebræo habetur נחלי בליעל *nachale beliahhal* quod S. Hieronymus vertit, *torrentes Diaboli*, et Septuaginta Interpretes, *torrentes iniquitatis*. Utrumque recte se habet; nam *Beliahhal* ad litteram sonat, *absque jugo*, et in Scripturis sanctis passim invenitur hæc vox usurpata ad significandos viros iniquos, qui excusserunt jugum legis ; vel ipsam iniquitatem, quæ est contraria legi : et quia iniquorum caput est Diabolus, ideo Diabolum quoque hac voce significare solent Hebræi.

Vers. 7. 7. IN TRIBULATIONE MEA INVOCAVI DOMINUM, ET AD DEUM MEUM CLAMAVI.

Vers. 8. 8. ET EXAUDIVIT DE TEMPLO SANCTO SUO VOCEM MEAM : ET CLAMOR MEUS IN CONSPECTU EJUS, INTROIVIT IN AURES EJUS.

Dixerat se in maximo periculo constitutum fuisse; nunc dicit se confugisse per orationem ad Deum, et exauditum. « In tribulatione mea, » id est in illis magnis angustiis, in quas me conjecerat persecutio Saulis, et in aliis similibus multis. « Invocavi Dominum, » in quo tota mea fiducia posita esse solet. « Et ad Deum meum clamavi. » Repetitio est Davidi familiaris. « Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, » id est, oratio mea pervenit usque ad summum cœlum, quod est templum Dei non manufactum, et vere sanctum, quod violari polluique nulla ratione potest. « Et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. » Repetitio est, et aliquo modo declaratio superioris versiculi, quasi dicat : Clamosa oratio mea, id est magno affectu prolata, et in conspectu ejus effusa, id est, quam effudi Deum pro oculis habens, « introivit in aures ejus, » id est exaudita est. In hebræo habentur in futuro omnia verba, *invocabo, clamabo, exaudiet, introibit*. Sed Septuaginta Interpretes recte verterunt in præterito : *invocavi, clamavi, exaudivit, introivit*, quoniam lex hebraicæ grammaticæ id permittit, ut futurum ponatur pro præterito.

Vers. 9. 9. COMMOTA EST, ET CONTREMUIT TERRA : FUNDAMENTA MONTIUM CONTURBATA SUNT, ET COMMOTA SUNT, QUONIAM IRATUS EST EIS.

Incipit jam describere effectum exauditionis divinæ, qui fuit auxilium de cœlo adversus inimicos suos, ex quorum interitu ipse tandem non solum pericula evasit, sed etiam regnum adeptus est. Describit autem iram Dei adversus hostes suos poetico more : sicut enim cum irascitur rex aliquis, et bellum parat, totum ejus regnum turbatur; ita cum irascitur Rex totius mundi, totus mundus turbatur, ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aer et aqua. Non significat hoc loco David re ipsa terram, et aerem, et aquam, ita perturbata fuisse, ut verba sonare videntur; sed significat talem esse Dei iram, ut possit continuo tremefacere terram usque ad ima fundamenta; et in aere continuo excitare ventos nubesque tenebrosas, et tonitrua, atque fulgura; denique fontes, et flumina, et maria ita siccare, ut appareant cavernæ terræ, et fontium origines. Incipit ab elemento terræ, ac dicit : « Commota est, contremuit terra, fundamenta montium commota sunt, quoniam iratus est eis, » hoc est, quando Deus irascitur terræ, continuo tota movetur, et contremiscit, non solum in superficie, sed usque ad ima montium fundamenta. Nec solum quando Deus irascitur, sed etiam quando præsentiam suam manifestat in terra, concussio terræ consequitur, quasi trementis et reverentis majestatem Creatoris. Sic in resurrectione Christi terræ motus factus est magnus; et cum idem Christus moriens infra terram descensurus erat, terra mota est. Et David in alio Psalmo : « A facie Domini mota est terra, » *Psalm.* CXIII. In hebræo non habetur, *quoniam iratus est eis*, sed *quoniam ira ei*, id est, quoniam iratus est. Itaque secundum textum hebraicum, terra et montes contremiscunt, non quia Deus ipsis montibus iratus est, sed quoniam absolute iratus est. At Septuaginta vertentes, *quoniam iratus est eis*, significare voluerunt iram Dei esse contra terram et terræ montes, ratione hominum, qui in terra habitant; alioqui nulla est ratio cur Deus terræ et montibus irascatur.

Vers. 10. 10. ASCENDIT FUMUS IN IRA EJUS, ET IGNIS A FACIE EJUS EXARSIT : CARBONES SUCCENSI SUNT AB EO.

Adhuc pergit explicare operationem Dei in terra, quando vult Deus ostendere in ea præsentiam suam; non enim solum terram tremere facit, sed etiam ardere ac fumare, quod accidisse describitur *Exod.* XX, *Hebr.* XII, quando Deus in monte Sina legem dedit. « Ascendit, inquit, fumus in ira ejus, » id est, ira Dei excitavit in terra calorem vehementem, unde ingens fumus ascendit. « Et ignis a facie ejus exarsit; » nec solum calorem et fumum, sed etiam incendium magnum excitavit. « Carbones succensi sunt ab eo, » id est, ira Dei, sive facies Dei terram respi-

ciens ita fecit eam ardere, ac si totam in carbones ardentes convertisset. Alibi etiam dicit: « Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant, » *Psalm.* CIII, 32.

Vers. 11. 11. INCLINAVIT CŒLOS, ET DESCENDIT, ET CALIGO SUB PEDIBUS EJUS.

Transit a terra ad aerem: et describit ea quæ fiunt in aere, quando Deus iram, vel præsentiam suam demonstrare vult. Dicitur Deus inclinare cœlos, quando demittit nebulam, in qua ipse apparet: videtur enim nebula quasi pars cœli; ordinarie autem Deus per nebulam se ostendere solitus est, ut patet ex lib. *Num.* cap. IX; III *Reg.* VIII; *Matth.* XVII, et alibi. Ait igitur: « Inclinavit cœlos, et descendit, » id est, demissa nebula, per eam se manifestavit; « et caligo sub pedibus ejus, » id est, ita Deus in nebula habitavit, quasi caliginem sub pedibus haberet: sunt omnia metaphorica, ex quibus intelligimus Deum invisibiliter præsentem nobis se facere.

Vers. 12. 12. ET ASCENDIT SUPER CHERUBIM, ET VOLAVIT, VOLAVIT SUPER PENNAS VENTORUM.

Pergit describere operationem Dei in aere, quando iram suam manifestare hominibus vult. Ponit autem nobis ante oculos Deum, quasi hominem armatum, insidentem currui velocissime discurrenti, et ex eo sagittas in hostes suos emittentem.

Dei mirabilis descriptio. Currus Dei sunt nubes, juxta illud *Psalm.* CIII, 3: « Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. » Equi velocissimi sunt venti, qui nubes huc, illucque deferunt. Aurigæ sunt angeli, quos Cherubim vocat. Sagittæ sunt fulgura et fulmina, quæ ex nubibus jaciuntur. Et vere mirabilis est ista descriptio. Nulli enim sunt currus agiliores nubibus, nulli equi velociores ventis, nulli aurigæ peritiores angelis, nulla jacula, quæ cœlestibus fulminibus conferri possint. Et præterea currus isti ex eo loco superiore pugnant, ut lædere possint et lædi non possint: « Ascendit, inquit, super Cherubim, » id est non solum Deus utitur nebula, quasi domo, vel tentorio, sed etiam utitur nubibus, quasi curribus; et angelis Cherubim, quasi aurigis et ventis, quasi equis. Dicitur autem ascendere super Cherubim, ut intelligamus Deum non regi ab auriga, sed ipsum præsidere aurigæ, et principalem esse, tum ipsius currus, tum aurigæ motorem atque rectorem. Itaque dicitur Deus ascendere super Cherubim, et volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio angelorum in movendis nubibus, quæ sunt veluti currus aerei et velocissimi, quippe qui trahuntur a ventis, veluti equis pennigeris, ac per hoc non ambulant, sed volant, et volant celerius omni volucre.

Vers. 13. 13. ET POSUIT TENEBRAS LATIBULUM SUUM, IN CIRCUITU EJUS TABERNACULUM EJUS: TENEBROSA AQUA IN NUBIBUS AERIS.

Ne putaretur Deus visibiliter in nubibus, tanquam in curru eminere, declarat Propheta Deum invisibiliter adesse, et ea de causa tenebrosis nubibus uti, ut eo veluti symbolo invisibilem se esse demonstret. Est etiam in his verbis elegantissima et poetica metaphora: « Posuit, inquit, tenebras latibulum suum, » id est, latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito, sive effecit ut nubes tenebrosæ pro latibulo sibi deservirent. « In circuitu ejus tabernaculum ejus, » id est, eædem nubes sunt quasi tabernaculum Deo, quo ipse undique tegitur. « Tenebrosa aqua in nubibus aeris, » id est, tabernaculum, de quo dixi, nihil est aliud, nisi nubes tenebrosa, qualis est, cum est disposita proxime, ut in aquam vertatur. Tunc enim est nubes valde densa et aquea, ut non improprie aqua dici possit in nube existens.

Vers. 14. 14. PRÆ FULGORE IN CONSPECTU EJUS NUBES TRANSIERUNT, GRANDO ET CARBONES IGNIS.

Declarat quomodo Deus ex nubibus, quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit, jubente Deo nubem scindi, et inde prodire grandinem et fulgura, instar carbonum ignitorum. Elegantissime autem dicit: « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, » quasi scissura nubium procedat a fulgore Dei intus latentis, quasi nubes ferre non possit divinum fulgorem, et ideo in conspectu Dei rumpatur et dissolvatur, atque ex ea parte evanescat et transeat. « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, » id est, a fulgore Dei præsentis concussæ nubes, in conspectu ejusdem Dei, transierunt disruptæ et dissolutæ. « Grando et carbones ignis, » supple, ex ea scissura processerunt grandines et fulgura. Reipsa hoc accidit tempore Pharaonis, ut habemus in lib. *Exod.* cap. IX, 24: « Et grando, inquit, et ignis mixta pariter ferebantur. » Similia in bello Josue contra quinque reges, *Jos.* cap. X; nec non in bello M. Antonini imperatoris contra Germanos, de quo vide Tertullianum in lib. *ad Scapulam*, et in *Apologet.* cap. V.

Vers. 15. 15. ET INTONUIT DE CŒLO DOMINUS, ET ALTISSIMUS DEDIT VOCEM SUAM, GRANDO ET CARBONES IGNIS.

Idem repetit aliis verbis: ex nubis dissolutione oritur fragor ingens, qui dicitur tonitru, cum quo sæpe fulmina conjuncta esse solent. Fragorem illum eleganter vocat Propheta vocem Dei, non solum quia Deus est causa fragoris illius, sed etiam quia tam ingens et tam terrificus est sonus ille, ut soli Deo tribuendus videatur, quasi propria vox ejus. Hinc est illud ipsius Dei ad Job: « Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, » *Job.* XL, 4. Illud autem, *grando et carbones ignis*, in nonnullis græcis textibus non habetur; in hebræo habetur et posset legi, *grandinem et carbones ignis*, ut aliqui legunt; sed noster Interpres recte vertit, *grando et carbones ignis*, quia sunt omnino eædem voces, quæ in versiculo superiore.

Itaque oportet hic etiam aliquid subintelligere, ut sensus sit : « Altissimus dedit vocem suam, » ex qua voce processit etiam grando et fulmina, quasi carbones igniti.

Vers. 16. 16. ET MISIT SAGITTAS SUAS, ET DISSIPAVIT EOS ; FULGURA MULTIPLICAVIT, ET CONTURBAVIT EOS.

Explicatio est superiorum, ac præsertim illius vocis *carbones ignis*, quasi dicat : Carbones ignis prodierunt ex nubium scissione, quia Deus *misit sagittas suas*, id est fulgura, eaque « multiplicavit, » et eo modo inimicos suos « dissipavit et conturbavit. »

Vers. 17. 17. ET APPARUERUNT FONTES AQUARUM, ET REVELATA SUNT FUNDAMENTA ORBIS TERRARUM.

Hic jam loquitur de operatione Dei in aquis, quæ operatio est mirabilis, et repentina exsiccatio aquarum; qualis facta est in mari Rubro et Jordane flumine, ut habemus *Exod.* XIV, et *Jos.* IV, ex qua exsiccatione patuit profundum maris et fluminum, quod profundum vocat Propheta *fundamentum orbis terrarum*, quia est pars infima totius terræ. Pro voce *fontes*, in hebræo est אפיקי *aphike*, quod significat *decursus*, seu *torrentes*. S. Hieronymus vertit, *effusiones aquarum*; sed cum sit nomen generale, recte potuerunt Septuaginta Interpretes reddere, *fontes*. Sensus igitur est : « Et apparuerunt fontes aquarum, » id est, jussu Dei siccatis aquis apparuit fundum fontium, sive fluminum, sive etiam maris, et sic « revelata sunt, » et discooperta, « fundamenta, » id est, partes imæ « orbis terrarum. »

Vers. 18. 18. AB INCREPATIONE TUA, DOMINE, AB INSPIRATIONE SPIRITUS IRÆ TUÆ.

Explicat causam exsiccationis aquarum. Apparuerunt, inquit, fontes, seu decursus aquarum, « ab increpatione tua, Domine, » id est, quia tu, Domine, increpasti aquas, et illæ continuo disparuerunt. Quomodo autem increpaverit, explicat, dicens : « Ab inspiratione spiritus iræ tuæ. » Mirabili metaphora, et plane poetica vocat Propheta ventum, cujus ministerio siccatæ sunt aquæ, spiritum iræ Dei, et increpationem Dei. Nam vento urente siccatas fuisse aquas maris Rubri a Deo, testatur Scriptura *Exod.* XIV. Itaque quod proprie dici poterat : Tu, Domine, immisso vento vehementi, siccasti aquas maris, dicit elegantissima metaphora : Tu, Domine, increpasti aquas, quia impediebant transitum populi tui, et spiritu iræ tuæ sufflasti in eas, et illæ continuo fugerunt, ut alibi dicit, *Psalm.* CXIII, 5 : « Quid est tibi, mare, quod fugisti? » Hunc versiculum cum superiore conjungunt codices hebraici, quia sententia prioris ab hoc posteriore pendet; sed recte Septuaginta Interpretes separaverunt, quia viderunt ex ratione metrica ita esse faciendum; neque enim absurdum est, ut una sententia duobus versibus contineatur.

Vers. 19. 19. MISIT DE SUMMO, ET ACCEPIT ME, ET ASSUMPSIT ME DE AQUIS MULTIS.

Jam redit ad beneficium Dei enarrandum, id est, ad liberationem suam ab inimicis. Omnia enim quæ dicta sunt a versiculo nono, usque ad hunc decimum nonum, pertinent ad declarationem potentiæ Dei. Et quia dixerat initio : « Torrentes iniquitatis conturbaverunt me, » et in versiculo præcedente dixerat Deum spiritu suo siccare solitum aquas, et facere ut appareat fundum fluminum et maris, ideo in eadem metaphora persistens dicit : « Misit de summo, et accepit me, » id est, misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, et inde accepit me, et sic eduxit me de aquis multis, id est, oppressum tribulationibus mirabiliter liberavit. In hebræo habentur verba futuri temporis, *mittet de summo, et accipiet me*, ישלח יקחני *ishlach, ikkacheni*; sed, ut sæpe diximus, non ignorabant Septuaginta Interpretes tempora confundi secundum regulas linguæ hebraicæ, et unum pro altero sæpe poni. Hic certe magis quadrat tempus præteritum.

Vers. 20. 20. ERIPUIT ME DE INIMICIS MEIS FORTISSIMIS, ET AB HIS QUI ODERUNT ME : QUONIAM CONFORTATI SUNT SUPER ME.

Quod metaphorice dixerat versu superiore, propriis verbis dicit in hoc versiculo. Illud, *quoniam confortati sunt super me*, debet exponi per tempus imperfectum, id est, quoniam robustiores me erant, et sic vertit S. Hieronymus; redditur enim ratio, cur necessarium fuerit auxilium Dei potentius, quia videlicet inimici Davidis ipso Davide fortiores erant. In hebræo et græco codice habetur futurum, *eripiet me*, יצילני *itsileni* : cæterum nostra lectio habetur etiam in antiquis libris, et eam exponunt SS. Hieronymus et Augustinus. Quare verisimile est in græco ῥύσεταί με, fuisse olim in præterito. Hebraicum autem recte potest accipi pro præterito.

Vers. 21. 21. PRÆVENERUNT ME IN DIE AFFLICTIONIS MEÆ, ET FACTUS EST DOMINUS PROTECTOR MEUS.

Inculcat aliis verbis beneficium Dei. « Prævenerunt me in die afflictionis meæ, » id est, nulla injuria a me lacessiti, ipsi primi fuerunt ad nocendum, vel, antequam præcavere possem, me adorti sunt, prævenerunt que incautum : sed Dominus pro me vigilavit, et fecit ut eorum diligentia nihil mihi nocere posset.

Vers. 22. 22. ET EDUXIT ME IN LATITUDINEM : SALVUM ME FECIT, QUONIAM VOLUIT ME.

Iterum atque iterum repetit liberationem suam, ut ostendat sibi alte in memoria infixum Dei beneficium. « Eduxit me in latitudinem, » id est de angustiis tribulationum liberatum quasi in latum campum eduxit, ut libere jam spatiari pos-

sim sine metu ullo insidiatorum. « Salvum me fecit, quoniam voluit me, » id est, salvum me fecit a tot imminentibus periculis, ob id potissimum, quia complacuit ei, id est, ob immensam ejus misericordiam, quia me dilexit. Nam etiamsi paulo post allegabit merita sua, tamen ipsa merita nostra dona Dei sunt; quod sanctus Propheta non ignorabat.

Merita nostra sunt dona Dei.

Vers. 23. 23. ET RETRIBUET MIHI DOMINUS SECUNDUM JUSTITIAM MEAM, ET SECUNDUM PURITATEM MANUUM MEARUM RETRIBUET MIHI.

Vers. 24. 24. QUIA CUSTODIVI VIAS DOMINI, NEC IMPIE GESSI A DEO MEO.

Vers. 25. 25. QUONIAM OMNIA JUDICIA EJUS IN CONSPECTU MEO, ET JUSTITIAS EJUS NON REPULI A ME.

Vers. 26. 26. ET ERO IMMACULATUS CUM EO, ET OBSERVABO ME AB INIQUITATE MEA.

Vers. 27. 27. ET RETRIBUET MIHI DOMINUS SECUNDUM JUSTITIAM MEAM, ET SECUNDUM PURITATEM MANUUM MEARUM IN CONSPECTU OCULORUM EJUS.

Laudavit Deum de beneficio liberationis ab inimicis. Nunc addit, etiam in futurum se perpetuo liberandum, neque id ex sola misericordia, sed etiam ex justitia futurum, propterea quod juste vixerit, et vivere deinceps in animo habeat. Deus enim justus est, et justos amat, et adjuvat, ac protegit. « Et retribuet mihi, inquit, secundum justitiam meam, » id est, retribuet mihi, ut hactenus fecit, multa bona, prout justitia mea meretur. « Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, » id est, sicut ego justitiam habeo non solum in corde, sed etiam in manibus, id est justus sum interius et exterius, justum habeo cor, et justa opera : ita Deus mihi bona retribuet coram se et coram hominibus, interius exteriusque custodiet. At præsumptio videtur justitiam suam prædicare. Non est præsumptio, quando sincere id agitur, et agnoscitur Deus auctor bonorum nostrorum. Sic etiam merita sua coram Deo pronuntiavit Nehemias II *Esdr.* V, Ezechias *Isai.* XXXVIII, Esther cap. XIV. At videtur falsum, quod David hoc loco dicit. Nam cum hæc diceret, commiserat adulterium et homicidium. Et præterea ipse alibi *Psalm.* XVIII, dixit : « Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine. » Et alibi *Psalm.* CXLVIII : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » Aliqui propter hanc objectionem existimant Davidem non loqui de justitia sua absolute, sed de justitia causæ, quam habebat cum adversariis. Alii existimant Davidem loqui solum de justitia religionis, id est, quod semper permanserit in vera religione, nec unquam idolis cultum adhibuerit. Sed repugnant his opinionibus verba illa : « Quia custodivi vias Domini ; » item : « Omnia judicia ejus in conspectu meo ; » item : « Ero immaculatus cum eo, » etc. Dicendum igitur est Davidem commemorare justitiam suam, quæ in eo sita erat, ut sincero corde Deum coleret, et propositum stabile haberet nunquam prævaricandi legem Domini, et si forte secus ageret, continuo resipisceret, et ex corde reverteretur ad Deum. Illud autem, *delicta quis intelligit?* de peccatis venialibus intelligi potest, quæ justitiæ non repugnant. Illud vero, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, intelligitur de justitia quæ sine gratia Dei præveniente haberi credatur. Sic enim nullus coram Deo justificabitur, quia quicumque justus est, gratia Dei justificatus est.

Merita sua enim tiare coram Deo licet.

Quicumque justus est, gratia Dei justificatus est.

Vers. 28. 28. CUM SANCTO SANCTUS ERIS, ET CUM VIRO INNOCENTE INNOCENS ERIS.

Vers. 29. 29. ET CUM ELECTO ELECTUS ERIS, ET CUM PERVERSO PERVERTERIS.

Reddit rationem, cur secundum justitiam suam sibi retribuendum a Deo dixerat, quia nimirum Deus reddit unicuique secundum opera sua. Alloquitur autem ipsum Deum, et ait : « Cum sancto sanctus eris, » id est, cum homine misericordi et pio, pie ac misericorditer ages, sive pium ac misericordem te præbebis. Nam vox hebræa חסיד *chasid*, pro qua nos habemus *sanctum*, proprie *misericordem* significat. Et pro *sanctus eris*, in hebræo est verbum unicum conjugationis *hitpael*, תתחסד, quod proprie significat *misericordem se reddere*, vel *exhibere*. Itaque non est sensus : si nos erimus sancti, Deum quoque fore sanctum ; sed : si nos erimus sancti, Deum nobiscum sancte, id est misericorditer, acturum. Eodem modo intelligenda sunt cætera : « Cum innocente innocens eris, » id est, ei qui nemini nocet, Deus se innocentem præbebit, id est non ei nocebit, neque noceri ab aliis sinet. « Cum electo electus eris, » id est, cum homine sincero et puro, id enim proprie significat vox hebræa נבר *nabar*, purum te exhibebis, id est, sincere et candide ages. « Et cum perverso perverteris, » id est, ei qui non est misericors, misericordiam non præstabis; ei qui nocet, nocebis ; qui non sincere agit, sed callide supplantat, eum tu callide, id est sapienter supplantabis. Est autem hic observandum, ubi dictum est : « Cum sancto sanctus eris, cum innocente innocens eris, cum electo electus eris, » eamdem vocem Deo tributam fuisse; at ubi dictum est, cum perverso perverteris, in hebræo non esse eamdem vocem. De homine dictum est עקש *hhikesh*, quod proprie *perversum* significat. De Deo autem, תתפתל *thithpattel*, quod significat *luctari*, et *conari in contrarium*. Itaque sensus est : si homo perversus fuerit, Deus non erit in se perversus, vel perverse aget; sed contra perversum hominem luctabitur magno molimine, ut illum plane evertat, et ab omni spe sua cadere faciat.

Vers. 30. 30. QUONIAM TU POPULUM HUMILEM SALVUM FACIES, ET OCULOS SUPERBORUM HUMILIABIS.

Explicat Propheta duos superiores versiculos,

quasi dicat : Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens, et cum electo electus, « quia populum humilem salvum facies, » id est, quia humilitas, quæ est custos omnium virtutum, tibi gratissima est, et omnibus humilibus das gratiam ; cum perverso autem perverteris, quia oculos superborum humiliabis, id est, quia superbia, quæ est regina vitiorum, tibi summopere displicet : et ideo superbis omnibus resistis, eosque dejicis et humilias. Nominat autem oculos, præter cætera membra, quia in oculis, ac potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

Humilitas custos virtutum omnium.

Vers. 31. 31. QUONIAM TU ILLUMINAS LUCERNAM MEAM, DOMINE; DEUS MEUS, ILLUMINA TENEBRAS MEAS.

Quia propheta David videbatur satis magnifice de sua justitia et puritate locutus, ostendit unde habuerit justitiam et alia dona : et hinc maxime Deum laudat, quod ab illo sit lumen, et fortitudo, et omnia bona. « Quoniam, inquit, tu illuminas lucernam meam, Domine, » id est, a te habeo principium omnis boni, quod est lumen ad discernenda vera bona a falsis, et vera mala a falsis. Primum enim vulnus ex peccato originali naturæ inflictum est ignorantia veri boni : et ideo prima curatio a lumine divino incipit. « Tu, inquit, illuminas lucernam meam, » id est, oculum interiorem cordis mei tu solus illustras. « Deus meus, illumina tenebras meas, » id est, tu Pater luminum, tu lux vera, in quo tenebræ non sunt ullæ, sicut hactenus cœpisti illuminare interiores oculos cordis mei : ita perge illuminare tenebras meas, id est expellere omnes tenebras meas. Nam sine gratia Dei illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, meræ tenebræ sunt in corde nostro. Nam « non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis. » In græco habetur φωτίσεις τὸ σκότος μου, *illuminabis tenebras meas*; in hebræo, *illuminabit tenebras meas*. Nostra lectio, *illumina tenebras meas*, habetur in antiquis libris SS. Hieronymi et Augustini; sensus autem semper est idem.

Ignorantia veri boni vulnus inflictum a peccato originali.

Vers. 32. 32. QUONIAM IN TE ERIPIAR A TENTATIONE, ET IN DEO MEO TRANSGREDIAR MURUM.

Particula *quoniam* sæpe redundat in oratione hebraica, sicut etiam particula *et*, quæ sæpe ponitur initio versuum, vel etiam librorum. Id admonendum fuit, ne anxie nimis quæratur ratio harum particularum. Dixerat Propheta se a Deo habuisse lumen, quod est principium operum bonorum, veræque justitiæ : nunc addit, habuisse fortitudinem et robur ad vitanda mala et facienda bona, quæ ex divino lumine cognoverit vitanda, vel facienda. « In te, inquit, eripiar a tentatione, » id est, fretus auxilio tuo, quo fortis efficior, superabo omnes tentationes, omniaque mala vitabo. « In Deo meo transgrediar murum, » id est, ejusdem Dei confisus auxilio, atque ab eodem accepta fortitudine, omnia potero, quantumvis difficilia, quale esset transcendere altissimum murum. In hebræo pro illis verbis, *eripiar a tentatione*, habetur ארץ גדוד *aruts gedud*, id est *percurram exercitum*, sive (ut S. Hieronymus reddit) *percurram accinctus*. Videntur Septuaginta Interpretes sensum reddidisse, non verba. Nam percurrere exercitum adversariorum, et nullum vulnus accipere, idem est quod eripi a jaculis hostium, quæ jacula tentationes significant, ut Apostolus interpretatur, cum ait *Ephes.* VI, 16 : « In quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. » Sic etiam : Percurram accinctus inter medios hostes illæsus, idem significat quod : Eripiar a tentatione, quando maxime opus erit.

33. DEUS MEUS IMPOLLUTA VIA EJUS : ELOQUIA DOMINI IGNE EXAMINATA, PROTECTOR EST OMNIUM SPERANTIUM IN SE. Vers. 33.

Reddit rationem, cur a Deo acceperit lumen et vires, et cur in eo tantopere confidat, quia Deus bonus, et verax, protector est omnium in se confidentium, et quia ipse idem est solus verus Deus et verus Dominus, a quo bona ista exspectari possunt. « Deus meus impolluta via ejus, » id est, Deus meus, cujus via impolluta est, id est, Deus qui sanctissimus est, et viam impollutam ambulat, id est operatur justissime. « Eloquia Domini igne examinata, » id est promissa Domini certissima et probatissima, ut aurum igne examinatum : iste, inquam, Deus impollutus, et cujus promissio est certissima, « protector est omnium sperantium in se. » Ex hebræo clarior sensus habetur, in quo textu legitur *eloquium* in numero singulari, et pro voce *protector*, est *scutum*. Ex quo apparet, tam Deum, quam ejus eloquium dici scutum confidentium in Deo. Sic enim ad litteram verti posset lectio hebraica, *Deus immaculatus in via sua, eloquium Domini igne examinatum, scutum est omnium sperantium in se*. Sed quia Septuaginta Interpretes posuerunt *eloquia* in numero multitudinis, et pro voce *scutum*, posuerunt *protector*, inde obscurata est sententia, quæ ex hebræo dilucidanda est.

34. QUONIAM QUIS DEUS PRÆTER DOMINUM? AUT QUIS DEUS PRÆTER DEUM NOSTRUM? Vers. 34.

Est altera ratio, ut paulo ante diximus, cur in Deo sit confidendum, et cur ab eo solo lumen et robur exspectandum sit, quia ipse solus est verus Deus. In hebræo habetur : *Quis Deus præter Dominum? aut quis petra præter Deum nostrum?* ex quo intelligimus Deum nostrum solum esse verum Deum, et quia solus est verus Deus, solum ipsum esse veram petram, firmam et stabilem, in qua tuto confidere et quiescere possimus ; et omnes, qui in re alia confidunt, necesse esse ut decipiantur et confundantur.

Deus noster solus est verus Deus.

35. DEUS QUI PRÆCINXIT ME VIRTUTE, ET POSUIT IMMACULATAM VIAM MEAM. Vers. 35.

Declarat nunc in particulari dona a Deo ac-

cepta per quæ ab hostibus omnibus liberatus ad regnum pervenit. Ac primum dicit se a Deo accepisse robur et innocentiam, quæ duo rarissime conjunguntur. Viri enim robusti proni sunt in injurias inferendas. David autem vere fortissimus et innocentissimus erat, ut ne hostem quidem suum Saulem occidere vellet, cum facillime posset. « Deus, inquit, præcinxit me virtute, » id est, simul probitatem vitæ mihi concessit.

Vers. 36. 36. QUI PERFECIT PEDES MEOS TANQUAM CERVORUM, ET SUPER EXCELSA STATUENS ME.

Vers. 37. 37. QUI DOCET MANUS MEAS AD PRÆLIUM, ET POSUISTI UT ARCUM ÆREUM BRACHIA MEA.

Describit in particulari fortitudinem suam de qua dixerat : « Qui præcinxit me virtute, » ac dicit se accepisse a Deo miram celeritatem in pedibus, et miram artem bellandi in manibus, et mirum robur in brachiis. Dicit sibi pedes ad currendum perfectos, quasi cervorum, et super excelsa collocatum, id est, ea celeritate pedum facile montes altissimos conscendisse, quod verificatum est, quando Saulem fugiens, habitabat in altissimis et præruptis montium cacuminibus. Addit se doctas manus ad prælium habuisse, et brachia quasi ærea, in quibus robur et ars militaris significatur. De quibus nemo dubitare potest, qui legerit primum et secundum librum Regum. Nam de arte manuum testis esse potest lapis et funda in fronte Goliath infixus ; de viribus brachiorum testes sunt ursi et leones, quos sola vi brachiorum David interfecit. In hebræo habetur נחתה, *conteritur,* ubi nos habemus *posuisti.* Sed Septuaginta Interpretes non legerunt *nichathah,* sed *natthatha,* quod est *dedisti,* sive *posuisti.* Itaque corrupta videtur casu aliquo lectio hebraica moderna : neque enim dubitari potest, quin Septuaginta Interpretes emendatos codices habuerint, eosque rectissime intellexerint.

Davidis mira fortitudo describitur.

Vers. 38. 38. ET DEDISTI MIHI PROTECTIONEM SALUTIS TUÆ, ET DEXTERA TUA SUSCEPIT ME.

Declarat nunc innocentiam, de qua dixerat : « Posuisti immaculatam viam meam. » Nam quia dono Dei innocenter David vivebat, ideo illum Deus assidue protegebat, ut nunc dicit : « Dedisti mihi protectionem salutis tuæ. » Parum enim profuisset celeritas pedum, et robur brachiorum, et ars pugnandi adversum regem et regium integrum exercitum, nisi adfuisset protectio salutis Dei, id est protectio divina salvans, et dextera Dei suscipiens et sustentans.

Vers. 39 39. ET DISCIPLINA TUA CORREXIT ME IN FINEM, ET DISCIPLINA TUA IPSA ME DOCEBIT.

Hoc etiam pertinet ad innocentiam, sive immaculatam viam Davidis ostendendam. Non solum, inquit, protectio tua mihi adfuit, sed etiam disciplina tua me correxit, id est, eruditio, quæ ex lege tua habetur, illa me direxit, ne errarem, et si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta et considerata « me correxit, » idque perseveranter usque in finem. Eadem quoque « disciplina » legis tuæ deinceps « me docebit. » Posset etiam hæc disciplina significare paternam castigationem, qua Deus per aliquas temporarias calamitates Davidem correxit, si quando ob humanam fragilitatem deliquit. In hebræo non habetur hic versiculus, sed loco totius hujus versiculi habentur hæc pauca verba : *Et mansuetudo tua multiplicavit me.* Fortasse idem est sensus ; potest enim sic exponi lectio hebraica, *mansuetudo tua,* id est lenis et paterna castigatio, *multiplicavit me,* id est, auxit me scientia. Nam a verbo רבב *rabab*, quod hic habetur, dicuntur *rabbim, magistri* et *doctores,* quod sunt multi in scientia.

Vers. 40. 40. DILATASTI GRESSUS MEOS SUBTUS ME, ET NON SUNT INFIRMATA VESTIGIA MEA.

Pergit narrare victorias suas, quæ sunt omnia beneficia Dei. « Dilatasti, inquit, gressus meos subtus me, » id est, fecisti me magnis passibus progredi ; « et non sunt infirmata vestigia mea, » id est, nec propterea fatigatus destiti a cursu. In hebræo habentur hæc in futuro, *dilatabis,* etc. ; sed ex more linguæ sæpe futurum ponitur pro præterito.

Vers. 41. 41. PERSEQUAR INIMICOS MEOS, ET COMPREHENDAM ILLOS, ET NON CONVERTAR DONEC DEFICIANT.

Vers. 42. 42. CONFRINGAM ILLOS, NEC POTERUNT STARE : CADENT SUBTUS PEDES MEOS.

Hæc non videntur proprie pertinere ad futurum tempus, sed ad præteritum, ut ex præcedentibus et sequentibus colligitur. Et sicut Septuaginta Interpretes, *dilatabis gressus meos,* verterunt, *dilatasti gressus meos,* ita potuissent reliqua vertere, et ex futuris præterita facere. Sed retinenda est lectio, ut jacet, et subintelligendum verbum *dixi*, ut sensus sit : « Dilatasti gressus meos, et non sunt infirmata vestigia mea, » ideo magna spe concepta dixi apud me : « Persequar inimicos meos. »

Vers. 43. 43. ET PRÆCINXISTI ME VIRTUTE AD BELLUM, ET SUPPLANTASTI INSURGENTES IN ME SUBTUS ME.

Hinc apparet Prophetam loqui de præterito. Sicut, inquit, dixi : « Persequar inimicos meos, » etc., ita factum est Deo adjuvante. Tu enim, Deus, « præcinxisti me virtute, » id est robore ad bellum, et tu « supplantasti, » id est cadere fecisti, « subtus me eos qui in me insurgebant. » Illud, *præcinxisti virtute,* est frequens in Scriptura. « Accinctus potentia, qui conturbas profundum maris, » *Psalm.* LXIV. « Induere fortitudinem brachium Domini, » *Isai.* LI. « Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se, » *Psalm.* XCII. « Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto, » *Luc.* XXIV. Significat autem præcipua arma non consistere in gladio et lorica, sed in viribus et robore ; et ideo non est auctor victoriæ, qui militem in-

duit gladio et lorica, sed qui viribus et robore illum induit.

Vers. 44. 44. ET INIMICOS MEOS DEDISTI MIHI DORSUM, ET ODIENTES ME DISPERDIDISTI.

Idem repetit aliis et aliis verbis, ut magis declaret et laudet beneficium Dei. Sensus versiculi perspicuus est; significat enim a Deo factum esse, ut inimici David fugerent, et eo modo dorsum feriendum præberent. Sed verba duriuscule sonant. S. Hieronymus vertit, *et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum.*

Vers. 45. 45. CLAMAVERUNT, NEC ERAT QUI SALVOS FACERET, AD DOMINUM : NEC EXAUDIVIT EOS.

Reddit aliam causam victoriæ : quia non solum Deus exaudiebat orationes ejus, sed non exaudiebat orationes adversariorum ipsius, quamvis ipsi quoque Dominum invocarent.

Vers 46. 46. ET COMMINUAM EOS, UT PULVEREM ANTE FACIEM VENTI, UT LUTUM PLATEARUM DELEBO EOS.

Videtur de reliquiis inimicorum suorum loqui, quasi dicat : Jam victoriam de inimicis meis retuli; sed si quæ forte reliquiæ supersunt, comminuam eas in minutissima frusta, et projiciam, ut projici solet pulvis a vento, et auferam eos de terra, ut siccari solet lutum platearum flante vento vehementi.

Vers. 47. 47. ERIPIES ME DE CONTRADICTIONIBUS POPULI, CONSTITUES ME IN CAPUT GENTIUM.

Jam hoc factum erat; nam antequam hunc Psalmum David componeret, liberatus fuerat a variis populi contradictionibus et defectionibus, et constitutus erat in caput gentium, id est, in regni solium elevatus. Itaque vel exponenda sunt verba futuri temporis, pro verbis temporis præteriti, quod est usitatum in lingua hebraica; vel certe significatur continuatio beneficii. Quasi Propheta dicat : In posterum, quod hactenus fecisti, « eripies me a rebellionibus, et constitues in solio meo, si forte dejici ab eo contingat. »

Vers. 48. 48. POPULUS QUEM NON COGNOVI, SERVIVIT MIHI : IN AUDITU AURIS OBEDIVIT MIHI.

Vers. 49. 49. FILII ALIENI MENTITI SUNT MIHI, FILII ALIENI INVETERATI SUNT, ET CLAUDICAVERUNT A SEMITIS SUIS.

Non sine causa postulat se eripi a contradictionibus populi sui, quia majorem fidem et obedientiam expertus erat in quibusdam Gentilibus, quam in filiis populi Israel. Quæ est etiam prophetia manifesta de Christo, cui Gentiles adhæserunt, et a quo Hebræi defecerunt. « Populus quem non cognovi, » id est Gabaonitæ, Gethæi et alii, quos non cognovi pro fratribus, cum essent Gentiles, serviunt mihi; « in auditu auris obedivit mihi, » id est, promptissime mox audito imperio obedierunt. « Filii autem alieni, » id est filii adulterini quoad mores, « mentiti sunt mihi, » id est, deceperunt me, ficto corde servierunt. « Inveterati sunt, » id est, deflexerunt a me tanquam folia arentia : id enim significat vox hebræa; « et claudicaverunt a semitis, » id est, non recte et fideliter mecum incesserunt. Hæc significant rebelliones sub Absalone, sub filio Bochri, et alias. In hebræo, pro *claudicaverunt a semitis suis*, habetur, *contrahentur in angustiis suis*, ut vertit S. Hieronymus; vel, *expavescent a carceribus suis*, ut vertit Pagninus. Sed sciendum est vocem יחרגו *iachregu* non haberi nisi in hoc Psalmo; ideo si licuit Pagnino vertere, *expavescent*, et S. Hieronymo, *contrahentur*, multo magis licuit Septuaginta Interpretibus vertere *claudicaverunt*. Imo mirum est cur posteriores ausi sint recedere a versione antiquissimorum Interpretum in ea voce, quæ non habetur alibi in Scripturis, præsertim cum interpretatio Septuaginta maxime cohæreat cum reliquis partibus hujus versiculi. Porro altera vox מסגרות *misgheroth* significat proprie *locum angustum*, vel *clausum*, a verbo סגר *sagar*, quod est *claudere*; et propterea S. Hieronymus vertit, *angustias*, Pagninus *carceres*, et Septuaginta *semitas* : nam semitæ sunt viæ angustæ. Itaque sensus est, filios adulterinos, qui ficto corde serviunt, claudicare a semitis, id est, declinare a semitis, per quas recto pede ambulandum fuisset.

Vers. 50. 50. VIVIT DOMINUS, ET BENEDICTUS DEUS MEUS, ET EXALTETUR DEUS SALUTIS MEÆ.

Concludit Psalmum laudans Deum. « Vivit Dominus, » id est, nunc apparuit Dominum vivere, et sicut vivit, ita semper vivat, et « exaltetur Deus » auctor « salutis meæ. »

Vers 51. 51. DEUS QUI DAS VINDICTAS MIHI, ET SUBDIS POPULOS SUB ME, LIBERATOR MEUS DE INIMICIS MEIS IRACUNDIS.

Exaltetur, inquit, Deus, qui vindicavit injurias mihi factas, et subjecit mihi populos, qui rebellaverunt, et liberavit me de insidiis et impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul et Absalon. Pro voce *iracundi*, habetur in hebræo, אף *af*, quam moderni vertunt *et*, vel *etiam*. Sed cum ea vox sæpe significet *nasum*, et nasus in Scriptura passim ponatur pro *iracundia*, quæ ex nasi immutatione cognoscitur, recte Septuaginta Interpretes verterunt, *iracundi*; idem est enim phrasi hebraica, *ab inimicis meis nasi*, id est *iracundiæ*, et *ab inimicis iracundis*.

Nasus pro iracundia frequens in Scriptura.

Vers. 52. 52. ET AB INSURGENTIBUS IN ME EXALTABIS ME, A VIRO INIQUO ERIPIES ME.

Precatur sibi conservationem divinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insurgentibus in se, ut frustra nitantur, cum pertingere tam alte non possint, et liberari ab omni homine iniquo. Particula *et* in principio versiculi potuisset

omitti; nam in hebræo et græco non habetur, nec eam habet S. Augustinus. Videtur in nostro textu hæsisse ex altera interpretatione vocis *af*, quæ *nasum* significat, et etiam particulam *et*; et fortasse erat in margine : sed nihil officit sensui.

Vers. 53. 53. PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN NATIONIBUS, DOMINE, ET NOMINI TUO PSALMUM DICAM.

Hac de causa, inquit, « confitebor, » id est, laudabo confitens beneficia tua, idque non clam, sed palam, et coram multitudine populi, ut omnes discant confidere in Domino.

54. MAGNIFICANS SALUTES REGIS EJUS, ET FACIENS MISERICORDIAM CHRISTO SUO DAVID, ET SEMINI EJUS USQUE IN SÆCULUM. Vers. 54.

Hæc conclusio per se manet, et sensus est : sit Dominus « magnificans salutes regis sui, » id est, augeat et multiplicet salutem corporis et animæ, et omnium rerum regis, quem ipse Deus sibi legit ; et faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in regem, et omnibus successoribus ejus usque in æternum. Quæ precatio impleta est in Christo Jesu Domino nostro, qui regnat et regnabit in omnem æternitatem. Amen.

PSALMUS XIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

3. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

4. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

5. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

6. In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo :

Exultavit ut gigas ad currendam viam.

7. A summo cœlo egressio ejus :

Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.

8. Lex Domini immaculata convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda ; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi : judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

11. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.

12. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me :

14. Et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.

V. S. H. — *Victori Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Cœli enarrant gloriam Dei, et opus manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

Non est sermo, et non sunt verba, quibus non audiatur vox eorum.

In universam terram exivit sonus eorum, et in finem orbis verba eorum.

Soli posuit tabernaculum in eis.

Et ipse quasi sponsus procedens [al. *procedit*] de thalamo suo : exsultavit ut fortis ad currendam viam [*h. semitam*].

A summitate cœli egressus ejus; et cursus [al. *recursus*] ejus usque ad summitatem illius : nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animam : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulo [al. *parvulis*].

Præcepta Domini recta, lætificantia cor ; mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini mundus, perseverans in sæcula [*h. æternum*] : judicia Domini vera, justificata in semetipsis.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum [*h. obryzum*], et dulciora super mel et favum redundantem.

Unde et servus tuus docebit ea, in custodiendis eis fructus multus.

Errores quis intelligit? ab occultis munda me.

A superbis quoque libera servum tuum.

Si non fuerint dominati mei, tunc immaculatus ero, et mundabor a delicto maximo.

15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine, adjutor meus, et redemptor meus.

Sint placentes sermones oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo; Domine, fortitudo mea, et redemptor meus.

Argumentum. — Est duarum stropharum Psalmus, quarum una canit admirandam Dei qualis in cœlorum opificio sese exserit magnitudinem, vers. 2-7; altera legis divinæ laudat præstantiam, vers. 8-15. Rosenmullerus et Ewaldus hunc Psalmum ex duobus diversis carminibus, aut certe diversorum carminum particulis, casu vel consilio conflatum existimant, tum ob subitum ab una ad alteram partem transitum, tum quod prioris partis oratio sublimior est oratione posterioris partis atque ad vividiores alligata rhythmos. Sed recte Maurer : « Haud rari sunt apud lyricos vates subitanei ab uno ad alterum argumentum transitus; ad orationem autem quod attinet, ea in utraque parte apta est ad argumentum. Nam cœli contemplationem granditas decet verborum numerorumque vigor, de lege meditationem oratio pacata atque placida. » Adde, carminis *unitatem* in eo posse deprehendi, quod Dei sapientia et magnitudo tum ex miro cœli opificio, tum ex legum divinarum præcellentia æque demonstretur. Cæterum conf. *Psalm.* VIII, et II *Sam.* VII.

1. Præcentori, carmen Davidis.

2. Cœli enarrant gloriam Dei,
et firmamentum prædicat opus manuum ejus.
3. Dies diei nuntiat dictum,
et nox nocti indicat scientiam.
4. Non est dictum, neque sunt verba,
quorum non audiatur vox.
5. In universam terram pervadit sonus eorum,
et in fines orbis verba eorum :
in quibus soli posuit tabernaculum.
6. Estque *ille* instar sponsi, qui procedit e thalamo suo *nuptiali*,
gestit, herois instar, viam *suam* currere.
7. Ab extremo cœlorum *est* egressus (ortus) ejus,
et circuitus ejus ad extremum illorum;
interea nihil *est* quod lateat æstum ejus.

8. Lex Jovæ *est* perfecta, reducens animam;
præceptum Jovæ *est* fidum, sapientem efficiens imperitum
9. Mandata Jovæ *sunt* recta, lætificantia cor;
justum Jovæ *est* purum, illustrans oculos.
10. Timor Jovæ *est* sincerus, perstans in perpetuum;
statuta Jovæ *sunt* veritas, justa sunt ad unum omnia.
11. Illa auro pretiosiora gemmarumque copia,
et dulciora melle ac distillatione favorum.
12. Etiam servus tuus iis illuminatur;
in observatione eorum *est* merces magna.
13. Errores quis intelligit?
de occultis purifica me.
14. Etiam a protervis serva servum tuum, ne dominentur in me;
tunc integer ero, et purus a delicto magno.
15. Sint *tibi* grata verba oris mei,
et meditatio cordis mei coram te *sit* (accepta),
Jova, petra mea et redemptor meus.

NOTÆ.

Vers. 2. *Cœli*, in orientalibus plagis præsertim. Cf. *Niebuhr's Leben*, von B. C. Niebuhr in *Klein. Schrift.* tom. I, p. 78.—Vers. 3. *Dictum*, verba laudis divinæ. *Scientiam*, puta divinæ laudis.—Vers. 4. Sensus : Quæ dies noctesque sine intermissione nuntiant, tam clara sunt, ut ab omnibus percipi possint atque intelligi. Cf. illud Ciceronis : « Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cœlum, deos esse non sentiat; et ea quæ tanta mente fiant, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi posset, casu fieri putet? » Hengstenberg cum multis, *non est quidem sermo, nec sunt verba* voce expressa, *sine auditione* est *vox eorum*, ut emolliat Poeta superiorem prosopopœiam : quod friget omnino, nexumque interrumpit. Vulgatus : In omni quavis lingua sine interprete e cœlorum conspectu percipitur Dei gloria. Vers. 5. *Sonus*, proprie *tensio* vocis, a קוה, *strinxit*, ut τόνος a τείνω : ita Ewaldus. Alii, eod. sensu, propr. *chorda*, metonym. pro *sonus* chorda tensa expressus. Male Gesenius legi vult קולם; male et Hengstenberg vertit *funiculus*, seu terrarum extensio, in quibus laudes Dei enuntiat. *In quibus*, puta cœlis. Minus recte Maurer cum quibusdam : *In quibus*, scil. finibus, Deus soli posuit nocturnum domicilium, quod vespere ingreditur. Vulg. versionem ita explica, tantam soli inesse majestatem, ut videatur in eo Deus suummet constituisse habitaculum, et quasi tabernaculum imperatorium, unde omnia gubernat. Sed longe commodior prodit sensus ex eo quod nos in codd. hebræis legimus. — Vers. 6. Rosenmullerus : « Quemadmodum splendidissimis ornatum vestibus amici progredientem e cubili sponsum hilares et gratulabundi excipiunt (*Joan.* III, 29), et nuptiarum festum incipitur : sic exoriente sole, et mane os aureum orbi proferente, omnes lætantur, universi orbis facies miram in modum recreatur et velut innovatur. Videtur autem vere pulchrior et clarior quodammodo sol in ortu, seu quod ex intervallo noctis jucundius aspicitur; seu quod caligo illa noctis, cum solis radiis dispellitur, ex ipsa lucis orientis comparatione decorem illi adjicere videatur. Sed fortasse sponso prodeunti eam ob causam Poeta comparat solem orientem, quia inter cætera ornamenta *corona* sponsi utebantur, ut colligere licet ex *Cant.* III, 11. » — Vers. 7. Quanta sit solis *via*, nunc declarat. *Circuitus* hic videtur esse *decursus*. *Nihil est quod*; alii, *nullus est qui*. — Vers. 8. *Perfecta*, suis omnibus absoluta numeris, cui nihil addi, nihil demi potest, vel ἄμωμος, vitiorum carens. *Reducens*, in corpus, seu ad vitam, vigorem aut lætitiam, i. e. recreans. *Præceptum*, propr. *testimonium*, adversus peccatum, ait Hengstenberg. *Fidum*, verax. — Vers. 9. *Recta*, εὐθεῖα, nihil habent fallax aut anceps. *Purum*, clarum, dilucidum, nulla macula fuscatum. *Oculos*, tristitia caligantes. — Vers. 10. *Timor Jovæ*, i. e. per metonymiam religio ea, quæ Jovam colendum et præcepta ejus observanda jubet. *Sincerus*, omnis labis expers. — Vers. 11. *Gemmarum* : ita Veteres. Hodierni non pauci vertunt, *aurum purum*, ἄπυρον. — Vers. 12. Suo ipsius testimonio vim legis declarat vates, et de se loquitur in tertia persona, per apostrophen sermonem ad Deum convertens. *Illuminatur*, i. e. quidquid habeo prudentiæ, id totum habeo a lege tua. Vulgatus post Alexandr. *custodit* : hebræum verbum significatione *cavendi* sibi accepisse videtur, qua Chaldæis in *ithpehal* usurpatur. — Vers. 13. Sensus : Ego pro virili, et quantum possum, tua lege edoctus atque illustratus, mihi ipse caveo; sed vereor tamen ne forte in errorem aliquem imprudens ac nesciens incurram : quis enim errores, i. e. delicta per imprudentiam commissa, intelligit? *De occultis* delictis, quæ me ipsum latent. — Vers. 14. *Protervis*, contemptoribus doctrinæ tuæ. Ita plerique. Rosenmullerus *zedim* sensu neutro accipit, ut vim substantivi obtineat, oppositumque sit erratis, quæ nos ipsos latent. Erunt igitur *zedim* peccata *proœretica*, i. e. scienter commissa. Non male. Alexandrinus *mizarim* videtur legisse, vertitque *alienis*, quo *homines* vel *dii* indicantur. — Vers. 15. *Verba*, puta preces proxime vers. 13 et 14 antecedentes. Alii sensu magis absoluto : Dicta cogitataque mea tibi semper grata sint. Alii pro *sint* vertunt *erunt*. « Quod autem *vindex* vel *redemptor meus* addidit, videtur ad id respexisse, quod sola ejus bonitate a peccatis eorumque pœnis liberari se posse sentiret. » Ita Rosenmullerus.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum Psalmi est laudatio divinæ legis. Comparat Propheta legem divinam cum cœlesti corpore, quo nihil videtur esse in rebus corporalibus pulchrius, utilius, potentius. Potest idem Psalmus exponi de Christo et Apostolis, ut S. Augustinus facit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. CŒLI ENARRANT GLORIAM DEI, ET OPERA MANUUM EJUS ANNUNTIAT FIRMAMENTUM.

Comparaturus legem cum cœlo, atque inde eam mirifice celebraturus, dicit tantam esse majestatem cœli, ut inde maxime eluceat gloria Dei, qui cœlum fecit. « Cœli enarrant gloriam Dei, » id est, præ cæteris operibus Dei, quæ omnia artificem laudant, cœli sunt, qui sua magnitudine et pulchritudine gloriam Dei manifestam faciunt. « Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, » idem repetit aliis verbis; idem enim hoc loco significant cœli et firmamentum, videlicet totum illud cœleste corpus in quo sunt stellæ, et ipse etiam sol et luna. Nam in I cap. *Gen.*: « Deus vocavit firmamentum cœlum, » et in eo posuit solem, lunam et stellas. Nihil autem refert, sive cœlum, sive cœlos dicamus. Nam apud Hebræos nomen est habens formam numeri multitudinis, et conjungitur cum verbis numeri multitudinis. Sed Interpretes modo vertunt *cœlum*, in numero singulari, modo *cœlos*, in numero multitudinis. Firmamentum igitur, in quo, secundum modum loquendi Scripturæ sanctæ, sunt omnia cœlestia lumina, « annuntiat, » et declarat hominibus « opera manuum Dei, » id est, primaria et nobilissima opera manuum Dei, ex quibus ingens colligitur gloria Conditoris.

Vers. 2. 2. DIES DIEI ERUCTAT VERBUM, ET NOX NOCTI INDICAT SCIENTIAM.

Admirabilis plane est prædicatio, qua cœli enarrant gloriam Dei. Id quod ostenditur tribus modis. *Primo*, quia sine intermissione cœlum prædicat; *secundo*, quia prædicat verbis omnium idiomatum; *tertio*, quia prædicat toti orbi terrarum. In hoc versiculo declaratur prædicatio sine intermissione; et quia cœlum prædicat per dies et noctes, cum interdiu conspiciatur pulchritudo solis, et noctu pulchritudo stellarum; et quia dies ac noctes non permanent, sed labuntur, ac sibi invicem succedunt, ideo poetico artificio fingit Propheta, unum diem, peracto cursu et prædicatione sua, tradere diei sequenti verbum prædicationis, et noctem quoque peracto cursu, et quasi hymno cantato, tradere nocti sequenti munus canendi. « Dies, inquit, diei eructat verbum, » id est, dies cum finitur, tradit alteri diei verbum laudis divinæ. « Et nox nocti indicat scientiam, » id est, et nox similiter cum finitur, « indicat, » id est, annuntiat nocti succedenti scientiam laudandi Deum, atque ita jugiter, et sine ulla intermissione dies et noctes quasi choreas ducunt, et Deum laudibus celebrant.

Prædicatio cœlorum admirabilis propter tria.

Vers. 3. 3. NON SUNT LOQUELÆ, NEQUE SERMONES, QUORUM NON AUDIANTUR VOCES EORUM.

Hic jam demonstrat Propheta prædicationem cœlorum fieri omnibus linguis, id est, intelligi ab omnibus nationibus, ac si cœli omnium nationum linguis loquerentur, quia videlicet omnes vident pulchritudinem et præstantiam cœli, et inde venire possunt in cognitionem pulchritudinis et excellentiæ Conditoris. « Non sunt loquelæ, neque sermones, » id est, nulla sunt idiomata, quorum idiomatum non audiantur « voces eorum, » id est cœlorum, id est, quæ idiomata non exprimantur vocibus cœlorum.

Vers. 4. 4. IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, ET IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORUM.

Explicatur tertia laus eloquentiæ cœlorum, quod non solum sine intermissione, et omnibus linguis, sed etiam in universa terra audiantur cœli enarrantes gloriam Dei. Per *sonum* non intelligitur concentus aliquis corporalis, qualem in cœlis philosophi aliqui posuerunt; sed prædicatio illa gloriæ, quæ oritur ex pulchritudine cœli considerata ab hominibus. Idem quoque est, *in omnem terram*, et *fines orbis terræ;* sæpissime enim Prophetæ rem eamdem bis repetunt. In hebræo legitur, pro *sonus eorum, kavam,* quod significat *linea*, sive *regula eorum*. At videntur Septuaginta legisse, non קום *kavam,* sed קולם *kolam,* unica littera addita, quod est, *sonus eorum*. Nam si legissent *kavam,* nunquam vertissent φθόγγος αὐτῶν, id

est, *sonus eorum*, nisi imperitissimi fuissent. Adde, quod S. Hieronymus quoque ex hebræo vertit, *sonus eorum*. Et sic etiam citavit Apostolus *ad Rom.* x; et congruit *sonus eorum*, cum eo quod sequitur, *verba eorum*, ubi idipsum aliis verbis repetitur. Ex quo intelligimus textum hebraicum esse corruptum vitio scriptorum, idque post S. Hieronymi tempora. Porro S. Paulus citat hunc locum *ad Rom.* x, probare volens prædicationem Christi ad omnes gentes pervenisse. Ex quo intelligimus per cœlos exponi debere Apostolos, saltem in sensu allegorico. Et revera SS. Apostoli, ut etiam alii sancti prædicatores, rectissime comparantur cœlis, quod elevati a terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrime moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationes, fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes, et nihil ab eis quærentes per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitæ sanctitatem, denique habitaculum summi Regis per justitiam perfectam sint. Nam anima justi sedes est sapientiæ.

Textus hebraicus est corruptus.

Vers. 5. 5. IN SOLE POSUIT TABERNACULUM SUUM, ET IPSE TANQUAM SPONSUS PROCEDENS DE THALAMO SUO.

Quamvis totum cœlum enarret gloriam Dei, tamen præcipue id facit pars nobilissima cœli, quæ est sol. Proinde in sole, tanquam in parte totius mundi præstantissima, « Deus posuit tabernaculum suum. » Recte autem dicit tabernaculum, non domum, quoniam in sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostræ, quo eum videmus per speculum creaturarum; inter corporales autem creaturas sol, ut diximus, obtinet principatum. Sed cum pervenerimus ad patriam, non in tabernaculo solis Deum videbimus, sed in propria ejus domo, quæ videlicet æternitas ejus est. In hebræo habetur : *Soli posuit tabernaculum in eis*, id est, Deus posuit in cœlis tabernaculum soli, constituit solem in cœlo tanquam in tabernaculo. Posset quidem utcumque lectio græca revocari ad hebræum, si cum dicitur, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, illud αὐτοῦ accipiatur pro αὐτόδι, id est, *illic*, quod non est inusitatum. Tunc enim sensus esset : *In sole*, id est soli, *posuit tabernaculum illic* id est in cœlis. Sed dura est interpretatio, *in sole*, id est *soli*. Quia vero non apparet in textu hebræo ulla verborum ambiguitas, vel obscuritas, et tamen certum est Septuaginta Interpretes, viros doctissimos, non potuisse reddere id quod reddiderunt, si legissent verba, quæ in hebraicis codicibus habentur, cogimur dicere eos aliter legisse. Utraque sententia vera est, Deum videlicet in sole posuisse tabernaculum suum, et soli posuisse tabernaculum in cœlis. Probat autem Propheta Deum in sole posuisse tabernaculum suum tanquam in excellentissima creatura tribus rationibus, quarum prima ducitur a pulchritudine, altera a robore, tertia a beneficentia. « Et ipse, inquit, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Hæc est ratio ducta a pulchritudine : Ipse, inquit, decorus, nitidus, ornatus exoritur, tanquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet; et vere nihil pulchrius et lucidius sole inter omnia corpora reperitur.

Vers. 6. 6. EXULTAVIT UT GIGAS AD CURRENDAM VIAM, A SUMMO CŒLO EGRESSIO EJUS.

Vers. 7. 7. ET OCCURSUS EJUS USQUE AD SUMMUM EJUS, NEC EST QUI SE ABSCONDAT A CALORE EJUS.

Altera ratio ducitur a robore et viribus, quod sine fatigatione, summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem. « Exultavit ut gigas, » vel ut *fortis* et *robustus* (ut ad verbum in hebræo legitur כגבור), « ad currendam viam. » Exultatio alacritatem significat, quam habere solent, qui sine labore, imo cum voluptate aliquid faciunt. Itaque significatur hoc loco solem immensum cœli spatium, velocissimo cursu, sine ulla fatigatione, vel labore peragere. « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. » Per summum cœlum Oriens designatur. Non enim hoc loco per summum intelligitur altum, sed extremum, ut verbum hebraicum קץ *kets*, et græcum ἄκρου significat. Dicitur autem extremum, ubi res incipit, et ubi desinit. Incipit autem cœlum ab Oriente, quia inde surgit ejus motus, et ibidem etiam desinit. Sensus igitur est, solem exoriri ab Oriente, et per Occidentem toto cœli ambitu decurso, ad Orientem reverti. Parum refert quod in hebræo et græco habetur in futuro *exultabit*, ubi nos habemus *exultavit*. Nam tempus futurum sæpe accipitur pro præterito. Itaque S. Hieronymus vertit ex hebræo, *exultavit;* et sic etiam legunt in Commentario tam ipse quam S. Augustinus. « Nec est qui se abscondat a calore ejus. » Hæc est postrema ratio ducta ab utilitate quam capiunt omnia inferiora a sole, siquidem ita fovet sol omnia calore suo vivifico, ut dici possit communis quidam parens omnium rerum, quæ nascuntur in terra et in mari. Et ea causa est, cur sol tam assidue et tam sollicite totum orbem circumeat et visitet, ut res nulla se abscondat, id est, excludatur a participatione tam insignis beneficii.

Vers. 8. 8. LEX DOMINI IMMACULATA CONVERTENS ANIMAS : TESTIMONIUM DOMINI FIDELE, SAPIENTIAM PRÆSTANS PARVULIS.

Applicat nunc Propheta comparationem, quasi dicat : Pulchrum est cœlum, pulcherrimus sol, sed lex Domini multo pulchrior ; lucidum cœlum, lucidissimus sol, sed lex Domini multo lucidior ; utile cœlum hominibus, utilissimus sol, sed lex Domini multo utilior. Ponit autem ordine sex encomia legis divinæ. Primum est : « Lex Domini immaculata convertens animas, » id est, lex Domini pulcherrima est, utpote sine ulla me-

Sex encomia legis divinæ.

cula, vel fœditate, cum nullum peccatum permittat, sicut permittunt leges humanæ, et ideo ubi lex Domini considerata et perspecta fuerit, « convertit animas, » id est, convertit ad se amandam animas, easque rapit consequenter ad Deum, tam pulchræ legis auctorem. Ad illud, *convertens animas*, subintelligitur *est*, et ideo explicuimus, *convertit*. Alterum encomium est in illis verbis : « Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis, » ubi per testimonium intelligitur eadem lex. Siquidem in Scripturis, et potissimum in Psalmis, lex Domini non solum vocatur lex, præceptum, mandatum, statutum, et similia, quæ apud alios quoque scriptores legem significant; sed etiam vocatur testimonium, justitia, vel justificatio, et judicium, ut perspicuum est præcipue ex *Psalm.* CXVIII. Dicitur lex Domini testimonium, quia testificatur hominibus, quæ sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas pœnas prævaricantibus, et quæ præmia observantibus præparaverit. Ait igitur : « Testimonium Domini fidele, » id est lex Domini, quæ certissime bonos præmiis, et malos pœnis afficiet. « Sapientiam præstans parvulis, » id est, præstans est, sive præstat sapientiam parvulis, hoc est, hominibus parvulis sensu dat lumen prudentiæ, ut sciant bona opera facere, et peccata vitare; parvulos enim hoc loco vocat Propheta homines, qui non pollent judicio spirituali, quales sunt omnes amici hujus sæculi. Et per *sapientiam* intelligit prudentiam spiritualem, quæ corrigit mores, et format ad præscriptum divinæ legis.

Vers. 9. 9. JUSTITIÆ DOMINI RECTÆ, LÆTIFICANTES CORDA : PRÆCEPTUM DOMINI LUCIDUM, ILLUMINANS OCULOS.

Tertium encomium divinæ legis est, quod posteaquam cœpit amari, ut habet primum encomium, et observari, ut habet secundum, mirabili lætitia perfundit hominem : nihil enim jucundius bona conscientia. « Justitia, inquit, Domini, » id est lex Domini, sive præcepta Domini, quæ dicuntur justitiæ, quia justissima sunt, et quia justum faciunt observatorem, ista, inquam, præcepta, cum recta sint, lætificantia sunt, id est, « lætificant corda; » corda enim recta valde bene conveniunt cum rectis præceptis, et ideo lætantur et gaudent, cum observandorum præceptorum occasio venit. Quartum encomium est : « Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, » id est, lex Domini lucida luce divinæ Sapientiæ, illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei, et quæ sint vera bona, et vera mala. Docet etiam cæremonias Dei plenas divinis mysteriis. Illuminat etiam lex Domini per modum dispositionis; nam in malevolam animam non introibit sapientia, nihil enim magis impedit cognitionem Dei, in qua vera sapientia consistit, quam impuritas cordis. « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » ut ait Christus *Matth.* V.

Vers. 10. 10. TIMOR DOMINI SANCTUS, PERMANENS IN SÆCULUM SÆCULI; JUDICIA DOMINI VERA, JUSTIFICATA IN SEMETIPSA.

Quintum encomium est, quod superiora bona non temporalia, sed æterna facit esse lex Domini. « Nam timor Domini sanctus, » id est, timor Domini, quo quis Deum offendere trepidat, qui alio nomine *pietas* dicitur, « manet in sæculum sæculi, » quoad præmium suum; non terminantur in morte bona quæ producit observatio legis, sive timor castus legem observare faciens, sed manent in æternum. Quo modo alibi dicitur, *Psalm.* IX : « Patientia pauperum non peribit in finem. » In hebræo est, *timor Domini* טהורה *tehorah*, id est *mundus*; et in græco similiter est ἁγνός, non ἅγιος. Itaque significatur timor filialis, qui non habet admixtam servilitatem, de quo dicitur in alio *Psalm.* CXI : « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. » Nam qui timet timore servili, servat mandata non volens, sed invitus : at qui timet timore filiali, « in mandatis ejus cupit nimis, » id est, cupit valde, et vult omnino ea servare. Ultimum encomium est, quod lex Domini sit vera, et justa per se ipsam, non egens aliunde justificari. « Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, » id est, mandata Domini, quæ dicuntur judicia, quia per ea Deus judicat homines, et quæ sunt norma ac regula discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis : ista, inquam, mandata verissima, justificata sunt in semetipsa, id est, non egent ut ab aliquo demonstrentur justa : hoc enim ipso, quod sunt mandata Dei, justa esse probantur. Et præterea decem præcepta, de quibus potissimum David loquitur, cum sint prima principia juris naturalis, continent in se talem justitiam, ut in omni loco et tempore, et casu particulari sint justa, et nullam admittant dispensationem; cum aliæ leges sæpe indigeant circumstantiis loci, temporis et personarum, ut justæ sint. Itaque sola lex Domini justificata est in semetipsa. In hebræo habetur, *judicia Domini* אמת, *veritas*, id est verissima, justa sunt, sive justificata sunt, יחדו, quod significat *pariter, simul, in idipsum;* sed recte noster Interpres vertit, *in semetipsa*. Hoc enim loco, *justificari simul,* vel *pariter,* nihil est aliud, nisi non egere, ut aliunde justificentur.

Vers. 11. 11. DESIDERABILIA SUPER AURUM, ET LAPIDEM PRETIOSUM MULTUM, ET DULCIORA SUPER MEL ET FAVUM.

Hæc est conclusio ex superioribus, quasi dicat Propheta : Cum tam bona sint præcepta Domini, certe præponenda sunt omnibus divitiis et deliciis hujus mundi : nam « desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum, » id est, in maxima copia habitum; et « dulciora super mel et favum, » id est, non solum super mel quodcumque, sed etiam super favum plenum, et

redundans melle purissimo. Positum est enim illud, *et favum*, ad significandam copiam, ut correspondeat ei, quod dictum erat, lapidem pretiosum multum. In hebræo est, *super aurum et topazion multum, et super mel et redundantiam favorum;* sed Interpretes sensum verterunt. Est autem topazius species lapidis pretiosi : sed Propheta posuit speciem pro genere. Quam longe remota est hæc veritas a sensu carnalium hominum! quotusquisque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione non contemnat omnia divina præcepta! Et tamen verissimum est utiliorem et jucundiorem esse legis observationem omnibus thesauris, atque omni voluptate.

Judicia carnalium, diversa a sanctorum judiciis.

Vers. 12. 12. ETENIM SERVUS TUUS CUSTODIT EA, IN CUSTODIENDIS ILLIS RETRIBUTIO MULTA.

Probat exemplo, sive experientia sua, verum esse quod dixit. Nam, inquit, « servus tuus custodit ea » præcepta, « et in custodiendis illis retributio multa » illi contingit, id est, experimento probavit servus tuus, se multa bona percipere, dum præcepta custodit. Ex hebræo S. Hieronymus vertit, *servus tuus docebit ea.* Pagninus autem vertit, *servus tuus illustratur in eis.* Sed Septuaginta rectissime verterunt, *custodit ea.* Nam vox hebræa נזהר *nizhar*, tametsi in aliis conjugationibus *docere*, vel *splendere* significet, tamen in passiva conjugatione, qualis est hoc loco, significat *custodire se,* sive *cavere,* vel *seipsum admonere.* Itaque ad verbum sic verti potuisset, *servus tuus custodit se in eis,* id est, abstinet a peccando, præcepta tua custodiens, quod est idem cum eo, *servus tuus custodit ea,* id est præcepta.

Vers. 13. 13. DELICTA QUIS INTELLIGIT? AB OCCULTIS MEIS MUNDA ME, ET AB ALIENIS PARCE SERVO TUO.

Dixerat se custodire mandata Dei, corrigit se atque excipit peccata ex ignorantia, quæ vix caveri possunt. Quasi dicat : Servus tuus cavet a peccatis, legem tuam servando, non omnino, sed quantum patitur humana fragilitas. Pulchre in hebræo legitur ad verbum, *ignorantias quis intelligit?* Ubi opponit ignorantiam intelligentiæ, demonstrare volens esse difficillimum cavere peccata, quæ ex ignorantia committuntur; et tamen quia vere peccata sunt, et caveri potuerunt, addit orationem : « Ab occultis meis munda me. » Quod sequitur, « et ab alienis parce servo tuo, » non significat, ut Deus nobis ignoscat peccata aliena, ut vulgo hic locus citari solet; sed, ut Deus custodiat nos a sodalitate perversorum hominum. Homines enim bonæ voluntatis, qualis erat S. David, ab ignorantia propriorum delictorum, et a seductione pravorum sodalium imprimis cavere debent. Pro voce *alienis,* habetur in hebræo זדים *zedim*, quod *superbos* significat. S. Hieronymus vertit, *a superbis libera servum tuum.* Sed Septuaginta legerunt *zarim*, non זדים *zedim* : significat autem זרים *alienos.* Sensus est fere idem, nisi quod secundum hebræum, ut nunc se habet, significatur liberatio ab uno genere malorum, id est a superbis : at secundum græcum textum, et veram hebraicam lectionem, significatur liberatio generalis ab omnibus perversis amicis. Nostra igitur lectio sic exponenda est : Ab alienis, id est, ab iis qui alienis moribus sunt, parce servo tuo, id est, parcendo remove illos ab amicitia servi tui.

Vers. 14. 14. SI MEI NON FUERINT DOMINATI, TUNC IMMACULATUS ERO, ET EMUNDABOR A DELICTO MAXIMO.

Reddit rationem, cur tantopere timeat improborum familiaritatem : Nam, inquit, si isti alienis moribus prædíti, « non fuerint dominati mei, » id est, si per nimiam familiaritatem non me sibi subjecerint, et ad suam voluntatem me non redegerint; « tunc immaculatus ero, et emundabor, » id est mundus ero, « a delicto maximo, » id est a peccato gravi et mortali; omne enim mortale crimen maximum dici potest, cum a Deo bono maximo avertat, et ad pœnam gehennæ plane maximam perducat. S. Augustinus legit, *a delicto magno,* ut habetur in græco, sed parum refert.

Mortale peccatum cur sit maximum?

Vers. 15. 15. ET ERUNT, UT COMPLACEANT ELOQUIA ORIS MEI, ET MEDITATIO CORDIS MEI IN CONSPECTU TUO SEMPER.

Non solum tunc immaculatus ero, sed etiam tunc « erunt, ut complaceant, » id est, fiet ut complaceant eloquia oris mei, « et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, » id est, hymni, quos in laudem tuam corde et ore decanto, placebunt tibi semper, quia de mundo corde et simplici ore prodibunt.

Vers. 16. 16. DOMINE, ADJUTOR MEUS, ET REDEMPTOR MEUS.

Placebunt, inquam, tibi cantica mea, ex gratia tua, non ex meritis meis : quia ut sim immaculatus, mundus a delicto maximo, et proinde placeant tibi verba mea, dono tuo habeo, qui es « adjutor meus, et redemptor meus, » adjutor in bonis, et redemptor a malis

PSALMUS XX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob.

3. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.

4. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.

5. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

6. Lætabimur in salutare tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.

7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo; in potentatibus salus dexteræ ejus.

8. Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

9. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus.

10. Domine, salvum fac regem : et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

V. s. h. — *Victori Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion roboret te.

Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum [al. tac. *tuum*] pingue fiat. SEMPER.

Det tibi secundum cor tuum, et omnem voluntatem tuam [*h. omne consilium tuum*] impleat.

Laudabimus in salutari tuo, et in nomine Dei nostri deducemus.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc scio, quoniam salvabit Dominus Christum suum.

Exaudiet eum de cœlo sancto suo, in fortitudine salutis dexteræ suæ.

Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri recordabimur.

Ipsi curvati [al. *incurvati*] sunt et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salva; rex exaudiet nos in die qua invocaverimus eum.

Argumentum. — Davidi ad bellum contra Syros proficiscenti (II *Sam.* x, 15 seqq.; I *Chron.* xx, 16 seqq.) inter sacrificia populus omnia fausta et prospera apprecatur, vers. 2-6; simulque gratulatur de salute et victoria divinitus illi data, vers. 6-9; atque ut in posterum etiam Jova eum salvum et incolumem servare velit, orat, vers. 10. Hinc strophæ 3. Ewaldus cum multis existimat alternis choris Psalmum decantatum esse, et primam quidem strophen a populo, secundam a Pontifice, tertiam iterum a populo. Quod Maurero minus placet : « Ubique vates, ait Maurer, populi nomine loquitur, nunc singularem, nunc pluralem personam adhibens. »

1. Præcentori, carmen Davidis.

2. Exaudiat te Jova die angustiarum (prælii),
exaltet te nomen Dei Jacob.
3. Mittat auxilium tuum e sanctuario,
et ex Sione suffulciat te.
4. Memor sit oblationum tuarum,
et holocaustum tuum pingue habeat.
5. Det tibi secundum cor tuum,
et omne consilium tuum impleat.
6. Jubilemus propter salutem tuam,
et in nomine Dei nostri aciem instruamus:
implebit Jova omnia desideria tua.

7. Nunc novi quod Jova salvavit unctum suum (regem);
exaudit eum de cœlis suis sanctis
potentia salutis (salutifera) dexteræ suæ.
8. Isti (hostes) curribus, isti equis,
et nos nomine Jovæ, Dei nostri, gloriamur.
9. Illi incurvati sunt (procubuerunt) et ceciderunt,
et nos surreximus, et erecti stetimus.

10. Jova, salva (nos);
Rex (Deus) exaudiat nos quo die invocaverimus (eum).

NOTÆ.

Vers. 2. *Exaltet,* propr. in loco alto te constituat, tutum te præstet. *Nomen Dei Jacob,* Deus populi Israelitici præses et custos. *Nomen,* i. e. potentia ad juvandum parata. — Vers. 3. *Tuum,* tibi necessarium. *Sanctuario,* tabernaculo in monte Sion erecto, ubi tunc erat arca sacra. — Vers. 4. *Oblationem* farrearum, quæ libis oleo conspersis, additoque thure constabant. *Holocaustum,* victimæ. *Pingue,* acceptum ut pingue. Solebant, ut alii populi, graviora negotia, ac præcipue bella, sacrificiis auspicari Hebræi. — Vers. 5. *Cor,* animi tui desiderium. — Vers. 6. *Nomine,* ductu et auspicio. *Aciem instruamus* : דגל enim est vexillum ternarum tribuum, quæ singulis castrorum lateribus instruebantur. Ewaldus, *celebremus nomen,* etc. : *degel* enim, ait, est vexillum *elatum;* hinc *dagal extollere, celebrare,* cum ב objecti nota. Maurer, *vexilla erigamus,* ad bellum proficiscamur. Alexandrinus legit *negouddal,* magnificabimur. *Implebit,* vel impleat. — Vers. 8. *Curribus* bellicis, fortasse falcatis. — Vers. 10. Ita Masorethæ dispungunt. Verum commodior haud dubie sensus nascitur, si Alexandrinum et Vulg. secuti, post *hammeleck* demum interpunctionem ponimus, atque sic vertimus : *Jova, salva regem! Exaudiat* (vel *exaudiet*) *nos quo die invocaverimus* eum

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Psalmus hic videtur cantatus a Davide prævidente Christi adventum ad debellandas aereas potestates, quo etiam pertinent duo Psalmi sequentes.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1 1. EXAUDIAT TE DOMINUS IN DIE TRIBULATIONIS : PROTEGAT TE NOMEN DEI JACOB.

Cum David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur sine dubio illum, in quem omnia justorum desideria et omnium Prophetarum vaticinia respiciebant. Ac quasi Christum videret in bellum adversus diabolum prodeuntem, et oratione se armantem, imminente passionis tribulatione, acclamat illi : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis, » id est passionis, in qua, ut dicit Apostolus *ad Hebr.* v, 7, « cum clamore valido et lacrymis preces, supplicationesque offerens ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, exauditus est pro sua reverentia. » Exauditus est autem, non ut mortem evaderet, sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet; et confusio in gloriam, mortalitas in immortalitatem verteretur, sicut ipse ait *Joan.* XVII, 1 : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum; » de hac exauditione loquitur Propheta. Quo etiam pertinet, quod sequitur : « Protegat te nomen Dei Jacob. » Per *nomen* intelligi potest invocatio, sicut in eo loco : « In nomine meo dæmonia ejicient, » *Marc.* cap. ult. Potest etiam intelligi potestas, sive auctoritas, ut *Joan.* v : « Ego veni in nomine Patris mei. » Potest denique simpliciter per nomen Dei, Deus intelligi : sæpe enim in Scripturis ponitur nomen pro persona cujus est nomen, ut cum dicit B. Petrus *Act.* IV, 12 : « Non est

Nomen Dei est Deus ipse.

aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri; » et cum S. Lucas ait in *Actis*, in græca editione, cap. I : « Erat autem turba hominum simul fere centum viginti. » Addidit Propheta *nomen Jacob*, quia Jacob significat populum Dei, cujus populi Christus est caput, quasi diceret : Protegat te Deus populi sui, ut protegendo te, qui es caput ejus populi, consequenter totus populus salvus fiat. Protectio vero petitur a telis inimicorum, ut non noceant; tunc autem vere nocuissent, si vel Christi resurrectionem, vel Christi fidem et nomen, vel Ecclesiæ propagationem impedire potuissent.

Vers. 2. 2. MITTAT TIBI AUXILIUM DE SANCTO, ET DE SION TUEATUR TE.

Per *sanctum* intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, ut explicatur in secunda parte versiculi. Dicebatur autem sanctus mons ille, propter præsentiam arcæ Testamenti. Sed hoc loco videtur accipiendus mons Sion cœlestis, de quo loquitur Apostolus *ad Hebr.* XII, 22 : « Accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, » etc. Nam meminit hoc loco Propheta montis Sion, ut ostendat Deum ex altissimo monte suo omnia speculari (nam et Sion *specula* interpretatur), ac proinde posse commode Christum præliantem videre, atque inde illi suppetias mittere; locus autem tam altus, ut inde omnia videantur, non est mons Sion terrestris, sed cœlestis. Itaque ait : « Mittat tibi auxilium de sancto monte, » id est, de celsissimo cœlorum habitaculo, unde omnia cernit; « et tueatur de Sion, » id est, de altissima illa specula, unde omnia prospicit.

Vers 3. 3. MEMOR SIT OMNIS SACRIFICII TUI, ET HOLOCAUSTUM TUUM PINGUE FIAT.

Quia Dominus præliaturus cum hoste generis humani, non solum oravit, sed etiam sacrificavit, id est, non solum obtulit orationem verbalem, ut sic loquar, sed etiam realem, quæ est sacrificium; ideo Propheta sicut de oratione verbali dixerat : « Exaudiat te Dominus, » ita nunc dicit de oratione reali : « Memor sit omnis sacrificii tui, » id est, non contemnat, sed semper in memoria habeat, et respiciat omnia sacrificia tua. « Et holocaustum tuum pingue fiat, » id est acceptetur, ut solent acceptari holocausta ex animalibus pinguibus. Eo siquidem holocaustum est gratius, quo animal immolatum est melius et perfectius. Hinc est illud *Daniel.* III, 40 : « Sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi. » Porro Christus obtulit multa sacrificia, et ad extremum holocaustum; ideo dicit Propheta : « Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. » Sacrificia multa, sunt passiones multæ, quas pertulit Dominus pro gloria Dei, dum viveret; holocaustum quo se ipse totum obtulit, est ipsa mors crucis. Additur hoc loco סלה *sela*, in hebræo textu, quod significat *semper*. Itaque sensus est : Memor sit Dominus semper omnium passionum, et ipsius mortis Christi. Videtur autem precatio Davidis, prophetia potius, quam precatio : vere enim semper viget, semperque vigebit coram Deo, passio Christi; imo etiam ab initio mundi semper viguit, ac per eam nobis omnia bona donantur.

Christus obtulit multa sacrificia.

Vers. 4. 4. TRIBUAT TIBI SECUNDUM COR TUUM, ET OMNE CONSILIUM TUUM CONFIRMET.

Declarat finem orationis et sacrificii, quasi dicat : Ad hoc te Deus exaudiat, et sacrificium tuum accipiat, ut pervenias quo pervenire cupis, et finem tibi propositum consequaris, nemoque sit, qui te ab illo prohibere valeat. « Tribuat tibi secundum cor tuum, » id est, det tibi quod est secundum cor tuum, id est, quod cupis. « Et omne consilium tuum confirmet, » id est, et omne quod deliberasti stabiliat, ratum esse velit, et executioni mandari permittat et concedat. In hebræo habetur, *omne consilium tuum impleat*, quod est idem. Itaque sensus est : Exaudiat te Deus, et accipiat sacrificium tuum, ut destruas opera diaboli, ut hominem de captivitate liberes, ut vitam æternam in te credentibus præbeas, etc. Hoc enim fuisse desiderium cordis Christi, et consilium, et deliberationem, docent sacræ Litteræ. « Filius Dei, inquit Joannes, venit, ut dissolvat opera diaboli, » I *Joan.* III. Et B. Paulus : « Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, » I *ad Timoth.* I. Et ipse Dominus : « Venit Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat, » *Luc.* XII.

Vers. 5. 5. LÆTABIMUR IN SALUTARI TUO, ET IN NOMINE DEI NOSTRI MAGNIFICABIMUR.

Cum id factum erit quod petimus, videlicet, ut tu rex noster victoriam de inimicis reportaveris, tunc « lætabimur » non solum corde, sed etiam voce (id enim significat vox hebræa רנן *ranan*), « in salute tua, » id est ob salutem tuam, id est, quia incolumis ex bello redieris, quæ salus et incolumitas in nos redundabit; « et in nomine Dei nostri, » a quo tanta victoria processit, « magnificabimur, » magnos videlicet nos esse ducemus et dicemus, non propter magnitudinem, quæ in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus. In hebræo est נדגל *nidgal*, id est *vexillum erigemus;* sed Septuaginta legerunt ניגדל *nigdal*, una littera transposita, id est *magnificabitur*. Itaque in hebræo irrepsit error vitio scriptorum, tametsi illa etiam lectio optimum sensum habeat.

Vers. 6. 6. IMPLEAT DOMINUS OMNES PETITIONES TUAS : NUNC COGNOVI QUONIAM SALVUM FECIT DOMINUS CHRISTUM SUUM.

Iterum repetit faustam precationem, quasi dicat : Impleat ergo Dominus omnes petitiones tuas, ex quibus tam multa bona secutura sunt. « Nunc

cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum, » id est, ideo audacter repeto, ut Dominus exaudiat te, et impleat petitiones tuas, quia nunc Domini illustratione cognovi omnino fore implendas : cognovi enim, quod « Dominus salvum fecit, » id est, certissime salvum faciet « Christum suum, » et jam in prædefinitione sua salvum illum fecit, a morte excitavit, in cœlo collocavit, hostes sub pedibus ejus subjecit.

Vers 7. 7. EXAUDIET ILLUM DE CŒLO SANCTO SUO, IN POTENTATIBUS SALUS DEXTERÆ EJUS.

Quia dixerat : « Salvum fecit, » declarat illud esse dictum de salute in prædefinitione, non in executione. Nam, ut quod prædefinitum est, tempore suo impleatur, « exaudiet illum de cœlo sancto suo, » et sic salvum faciet Dominus Christum suum. Illud, *in potentatibus salus dexteræ ejus*, potest habere duplicem sensum; potest enim accipi *potentatus* pro potentia et robore, et hoc magis proprie sonat vox hebræa גבורה *gheburah*, et tunc sensus erit, *in potentiis*, id est, in magna potentia aderit Christo salus dexteræ Dei. Et quamvis verbum græcum *dynastia*, et latinum *potentatus*, proprie significent *imperium* sive *principatum*, tamen possunt accipi pro *potentia* et *robore*, quomodo accipiuntur eadem vocabula in *Psalm.* LXXXIX : « Si autem in potentatibus octoginta anni, » etc.; in *Psalm.* XX, vers. ult.: « Cantabimus, et psallemus virtutes tuas, » ubi in græco est δυναστείας. Potest etiam accipi *potentatus* pro principatu et imperio, ut verbum græcum *dynastia*, et latinum *potentatus* proprie significant, et tunc sensus erit: « Exaudiet illum de cœlo sancto suo, et in potentatibus, » id est, quia in principatibus nimirum constituendis, vel conservandis, præcipue necessaria est salus dexteræ ejus. Quamvis enim multa præsidia ad salutem principes habere videantur, ut equos et currus, arma et milites, arces et munitiones, tamen ista omnia nihil sunt, si absit salus dexteræ Dei; ideo recte subjungit :

Vers. 8. 8. HI IN CURRIBUS, ET HI IN EQUIS; NOS AUTEM IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI INVOCABIMUS.

Pergit explicare victoriam Christi, quam futuram prævidebat, et ait : « Hi in curribus, et hi in equis, » id est, alii adversariorum in curribus armatis confident, alii in equis ferocibus; et per hæc duo nomina, intelligi vult omnia alia humana præsidia, quibus olim in bellis, tum ad prælium, tum ad fugam utebantur. « Nos autem » cum capite nostro et rege Christo, non tam in curribus et in equis, quam « in nomine Dei » omnipotentis per devotam precem invocato, fiduciam nostram collocabimus. Porro idem est, nomen Domini invocare, et in nomine Domini invocare, secundum Scripturæ sanctæ phrasim. Neque multum refert, quod in hebraico textu habetur נזכיר *nazchir, commemorabimus :* non enim loquitur David de qualicumque Dei commemoratione, sed de ea quæ fit ab iis, qui ejus nomen implorant, ab eoque auxilium petunt.

9. IPSI OBLIGATI SUNT, ET CECIDERUNT : NOS AUTEM SURREXIMUS ET ERECTI SUMUS. Vers. 9.

Ostendit quanto sit utilius in nomine Domini, quam in curribus equisve confidere. Illi, qui in curribus, vel in equis confidebant, « obligati sunt, et ceciderunt; nos autem, » qui in Deo confidimus, « surreximus et erecti sumus. » Et simul indicat miram rerum conversionem. Nam ante Christi victoriam, hostis humani generis sublimis, quasi in curribus et equis, minabatur dejectis hominibus ob originale peccatum; et similiter principes Judæorum, Herodes et Pilatus, aliique visibiles Christi hostes, quasi erecti insultabant Christo patienti, humilibusque ejus discipulis; sed paulo post illi omnes colligati et impediti corruerunt, isti vero surrexerunt, atque erecti in æternum stabunt. In hebræo habetur כרעו *carehu, incurvati sunt* : unde aliqui putant latinam vocem esse corruptam, et legendum, *obliquati sunt*, et non *obligati sunt*, sed falluntur. Nam latina lectio græcam imitatur; in græco autem est, συνεπεδίσθησαν, id est *colligati sunt*, quasi compedibus, quod Noster recte vertit, *obligati sunt*, id est ligati et impediti, ne pugnare vel consistere possent, *ceciderunt*. Itaque Septuaginta non tam ad verba, quam ad sententiam respexerunt.

10. DOMINE, SALVUM FAC REGEM, ET EXAUDI NOS IN DIE QUA INVOCAVERIMUS TE. Vers. 10.

Concludit conjungendo finem cum principio. Initio dixerat : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis; » nunc idem confirmat convertendo orationem ad Deum : « Domine, salvum fac regem » de tribulatione sua; et eodem modo « exaudi nos, » et salvos fac « in die, qua invocaverimus te, » id est, in die tribulationis nostræ, in qua non alium, quam te invocabimus. In hebræo sunt eadem verba, sed interpunctio est alia. Itaque S. Hieronymus et moderni ita legunt : *Domine, salva; rex, exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Sed cum nomen המלך *hammelech* possit verti *rex* et *regem*, quia Hebræi non declinant nomina per casus, et Septuaginta Interpretes verterint, τὸν βασιλέα, id est *regem*, et sic legerint omnes veteres Patres; non est magni facienda lectio modernorum Hebræorum, cui post tempora Septuaginta interpunctio addita est. Porro S. Hieronymus fideliter vertit, sed textum habuit minus emendatum. Posset hic Psalmus commode recitari, quando christiani principes proficiscuntur ad bellum contra infideles.

PSALMUS XXI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.

3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

4. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

5. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

6. Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.

7. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8. Quoniam rex sperat in Domino : et in misericordia Altissimi non commovebitur.

9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

11. Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a filiis hominum.

12. Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

13. Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

14. Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.

V. s. H. — *Victori Canticum [h. Psalmus] David.*

Domine, in fortitudine tua lætabitur rex, et in salutare tuo exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus dedisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. SEMPER.

Quoniam prævenies eum benedictionibus bonitatis; pones in capite ejus coronam obrizam.

Vitam petivit a te, dedisti ei longitudinem dierum in sæculum et in æternum.

Magna gloria ejus in salutari tuo : gloriam et decorem pones super eum.

Pones enim eum benedictiones in sempiternum : exhilarabis eum lætitia apud vultum tuum.

Quia rex confidet in Domino, et in misericordia Excelsi non decipietur.

Inveniet [al. *inveniat*] manus tua omnes inimicos tuos : dextera tua inveniet odientes te.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui :

Dominus in furore suo præcipitabit [al. *præcipitavit*] eos, et devorabit [al. *devoravit*] eos ignis.

Fructum eorum [al. tac. *eorum*] de terra perdes, et semen eorum de filiis hominum,

Quoniam inclinaverunt super te malum : cogitaverunt scelus quod non potuerunt.

Quoniam [al. *Quia*] pones eos humerum, funes [*h. nervos*] tuos firmabis contra facies eorum.

Exaltare, Domine [al. *Deus*], in fortitudine tua : cantabimus et psallemus fortitudinem tuam. [al. *fortitudines tuas*].

Argumentum. — Populus felicem prædicat regem, divina ope tam mirifice adjutum, ut omnium votorum compos factus, prospere et summa cum gloria regnum administraret, vers. 2-8; confiditque fore, ut Jehova in posterum etiam regem tueatur, ab omnique detrimento integrum conservet, hostibus suis cunctis excisis, penitusque deletis, vers. 8-14. Hinc strophæ duæ. Maurero hoc carmen est ἐπινίκιον, ob victoriam a Rabba Ammonitarum urbe reportatam : conf. inter se vers. 4 et II *Sam.* XII, 30, vers. 10, et II *Sam.* XII, 31. Alii censent illud factum esse, ut in anniversaria solemnitate, qua regiæ consecrationis dies festus celebrari solebat, decantaretur : atque Davidici quidem regni tempora bellica satis produnt versus 9-13. Melius Hengstenberg hunc Psalmum a Davide editum putat, postquam a Nathan propheta promissio de regni perpetuitate (II *Sam.* VII, 12 seqq.) ipsi fuisset data, ad quod quidem promissum respicit poeta vers. 5-7.

1. Præcentori *canendum*, carmen Davidis.

2. Jova, de virtute tua lætatur rex,
et de auxilio tuo quam impense exsultat!

3. Desiderium cordis ejus ei dedisti,
et petitionem labiorum ejus non negasti. — Selah.
4. Nam prævenis eum benedictionibus bonitatis (bonis optimis),
imponis capiti ejus coronam auream.
5. Vitam abs te petiit, dedisti ei *eam*,
longitudinem dierum ad sæculum et æternitatem.
6. Magna est gloria ejus per salutem tuam,
splendorem et decorem ei imponis.
7. Nam fecisti eum benedictionem in perpetuum,
exhilarasti eum lætitia cum facie tua.
8. Nam rex confidit in Jova,
et gratia (bonitate) Altissimi non nutabit.

9. Assequetur manus tua omnes hostes tuos,
dextera tua assequetur osores tuos.
10. Pones eos instar fornacis ignis tempore vultus tui;
Jova in ira sua eos vorabit eos,
et absumet eos ignis.
11. Fructum (posteros) eorum de terra perdes,
et semen eorum ex hominibus.
12. Nam tetenderunt contra te malum,
excogitarunt consilia perniciosa: — non pervincent.
13. Nam facies eos dorsum *dantes* (fugientes);
in nervis tuis (arcus tui) diriges *tela* ad facies eorum.

14. Surge, Jova, cum robore tuo!
cantu et fidibus celebrabimus potentiam tuam.

NOTÆ.

Vers. 2. *De virtute*, i. e. ob virtutem qua eum protexisti. — Vers. 3. *Desiderium*, metonym. pro re desiderata. *Petitionem*, ab inus. אָרַשׁ, arab. *varasha*, *concupivit*, i. e. precatio ore prolata, dum *desiderium* animo concipitur. — Vers. 4. *Nam*; Ewaldus, *sed*. *Prævenis*, ita ut, quocumque se vertat, undique illi bona obvient. *Coronam*, regiæ dignitatis insigne. *Auream*, ex auro purissimo; alii minus recte, *gemmeam*. — Vers. 5. *Petiit*, scil. rex ille in periculis constitutus. *Longitudinem*, i. e. eamdemque longam et diuturnam. Alii, *dedisti ei longitudinem*, etc. Cf. *Rom.* VI, 9. — Vers. 6. Vocabulis *splendor* et *decor* vestem regiam Hebræi designant, qua Jova quoque indutus nonnunquam sistitur. — Vers. 7. *Benedictionem*, fortunatissimum : conf. *Gen.* XII, 2. *Facies* Dei ejusdem favorem et gratiam testatur. — Vers. 8. *Non nutabit*, semper manebit in sua dignitate. Cf. *Luc.* I, 33. — Vers. 9. Populus nunc ipsum Davidem compellat. *Assequetur*; alii, *assequatur*, et ita deinceps, ut quæ sequuntur populi sint vota. ל voci כֹּל præfixa proprie indicat, *ad* quem locum res, de qua sermo est, contendat, hicque *accusativo* notando inservit, ut Syris vulgo, nec raro etiam Hebræis. — Vers. 10. *Instar fornacis ignis*, forsan breviata locutio, ait Agellius, pro hac pleniore : pones eos tanquam si mitteres eos in fornacem ignis. *Vultus tui*, i. e. iræ tuæ, ait Rosenmullerus; melius Maurer et Ewaldus : simul atque apparuerit facies tua. *Vorabit*; Alexandrini legisse videntur יִבְהָלֵם, quod minus congruit incœptæ cum igne similitudini. Cf. *Malach.* III, 19. — Vers. 12. *Tetenderunt*, metaphora petita a retibus. Alii, *tendant*, *excogitent*. *Pervincent*; minus recte quoad grammaticam Rosenmullerus explicat, consilia *quæ* non poterunt *perficere*. Ita et Symmachus : ἐλογίσαντο ἐννοίας ἀδυνάτους. — Vers. 13. Pro *dorsum* Rosenmullerus vertit *exitium*, collata Samarit. סכם; pro *diriges* vero, ponit idem *aptabis*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Psalmus XX connexus est cum præced. XIX. Hic petebat a Deo, ut Christum Regem cum hoste generis humani præliaturum protegeret. Iste gratias agit, quod protexerit, exaltaverit et coronaverit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, IN VIRTUTE TUA LÆTABITUR REX, ET SUPER SALUTARE TUUM EXULTABIT VEHEMENTER.

Adepta victoria, rex noster Christus « lætabitur in virtute tua, » id est ob virtutem potentiamque tuam, per quam de hostibus suis feliciter triumphavit. « Et super salutare tuum, » id est, de salute a te illi præstita gaudebit, et voce etiam « exultabit vehementer. » Itaque una pars versiculi aliam declarat.

Vers. 2. 2. DESIDERIUM CORDIS EJUS TRIBUISTI EI, ET VOLUNTATE LABIORUM EJUS NON FRAUDASTI EUM.

Respondent hæc verba eis, quæ in Psalmo superiore dicta fuerant : « Tribuat tibi secundum cor tuum, » etc. Phrasis hebraica est dare petitionem, pro eo quod est dare rem petitam, quomodo in lib. I *Regum*, cap. I, 17, dicit Heli sacerdos Annæ : « Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. » Sic igitur hoc loco dicitur : « Desiderium cordis ejus tribuisti ei, » id est, tribuisti quod desiderabat. « Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum, » id est, non fraudasti eum ea re quam volebant labia ejus, id est, quam se velle et desiderare, labiis orationem fundendo, demonstravit. In summa dicit, datum fuisse Christo, quod corde desideraverat, et labiis expetiverat.

Vers. 3. 3. QUONIAM PRÆVENISTI EUM IN BENEDICTIONIBUS DULCEDINIS, POSUISTI IN CAPITE EJUS CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO.

Magna vere fuit Christo causa lætandi, quod non solum habuerit quod petiit, sed quod Deus prævenerit ejus desideria, et dederit ei maxima dona antequam peteret. « Prævenisti, inquit, eum in benedictionibus dulcedinis » : in hebræo est *tob*, *bonitatis*, et similiter in græco, χρηστότητος. Itaque sensus est, Christum fuisse præventum donis bonitatis Dei, quæ fuerunt conceptio de Spiritu Sancto, unio ad personam Verbi, infusio omnium scientiarum et virtutum, et ipsa Dei visio : quæ omnia in primo instanti conceptionis illi data fuerunt; proinde præventus fuit benedictionibus dulcedinis. Quod vero sequitur, *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, vel, ut habetur in hebræo, *de auro* פז, *perfecto*, videtur referendum ad regnum et sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quæ Christi cognomen accepit; corona enim aurea insigne est regium et sacerdotale.

Dona Dei quibus Christus præventus est.

Vers. 4. 4. VITAM PETIIT A TE, ET TRIBUISTI EI LONGITUDINEM DIERUM IN SÆCULUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Beneficia superiora præventus accepit : at corporis gloriam, et immortalitatem, et alia deinceps petiit et obtinuit. « Petiit vitam, » cum imminente passione « preces et supplicationes obtulit ei, qui possit eum salvum facere a morte, » ut dixit Apostolus *ad Hebr.* V, 7. Deus autem tribuit ei « longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi, » id est vitam sempiternam, « ut resurgens a mortuis jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur, » *ad Rom.* VI, 9. Ex hoc loco manifeste convincuntur, qui hunc Psalmum ad litteram exponunt de Davide, quod facit Jansenius; vel de Ezechia, quod facit Euthymius, et ante eum Theodoretus : nam nec David, nec Ezechias habuit longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Vers. 5. 5. MAGNA EST GLORIA EJUS IN SALUTARI TUO, GLORIAM ET MAGNUM DECOREM IMPONES SUPER EUM.

Non solum vitam in sæculum sæculi dedit ei Deus, sed etiam « exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, » *Philipp.* II, 9. Hæc enim est vere « magna gloria, quam habuit in salutari Dei, » id est in salute, qua illum salvum fecit Deus : et hinc « gloriam et magnum decorem, » id est immensum honorem, « impones super eum, » pro eo quod imposita illi fuit ab inimicis spinea corona tantæ ignominiæ, ut eo tempore « non esset species ei, neque decor, » ut cecinit Isaias cap. LIII, 2.

Vers. 6. 6. QUONIAM DABIS EUM IN BENEDICTIONEM IN SÆCULUM SÆCULI, LÆTIFICABIS EUM IN GAUDIO CUM VULTU TUO.

Post exaltationem ad dexteram Patris, et nomen super omne nomen, sequetur universalis

benedictio, « cœlestium, terrestrium et infernorum; » quæ nunquam deficiet, de qua loquitur B. Paulus *ad Philip.* II, et Joannes *Apocal.* V. Verba illa, *dabis eum in benedictionem,* significant : pones eum, ut communem benedictionis materiam, id est, facies ut omnes illi benedicant. Græcus codex clarior est; habet enim, *dabis ei benedictionem*; sed in hebræo habetur, *pones eum benedictionem*; sensus est idem. Quod autem additur, *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, significat lætitiam consequentem illa omnia bona jam dicta; semper enim lætitia sequitur adeptionem boni. Illud, *cum vultu tuo,* significat *coram te,* et *in præsentia tua.*

Vers. 7. 7. QUONIAM REX SPERAT IN DOMINO, ET IN MISERICORDIA ALTISSIMI NON COMMOVEBITUR.

Bona jam dicta prædicit fore omnino stabilia, et firma in æternum : « Quoniam, inquit, rex sperat in Domino, » id est, confidit in potentia infinita Dei, non in viribus humanis; « et in misericordia Altissimi, » id est, bonitate illius qui super omnes est, et cui subjiciuntur omnia; ideo « non commovebitur, » sive non nutabit, sed permanebit securus in æternum.

Vers. 8. 8. INVENIATUR MANUS TUA OMNIBUS INIMICIS TUIS, DEXTERA TUA INVENIAT OMNES QUI TE ODERUNT.

Probat non commovendum Christum, neque regnum ejus, quoniam inimici ejus omnes peribunt. « Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, » id est, invenietur manus tua super omnes inimicos tuos, ut eos videlicet punias. Idem repetit dicens : « Dextera tua inveniat, » pro *inveniet,* « omnes qui te oderunt. » Textus hebræus clarissimus est : *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet odientes te.* Sed Interpretes variare voluerunt. Videtur autem Propheta nunc alloqui Christum, non Patrem : Christus enim proprie est, quem Judæi, aliique persecutores oderunt, et de eo dicitur in *Psalm.* CIX, 1 : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. »

Vers. 9. 9. PONES EOS UT CLIBANUM IGNIS IN TEMPORE VULTUS TUI, DOMINUS IN IRA SUA CONTURBABIT EOS, ET DEVORABIT EOS IGNIS.

Describit pœnam inimicorum : « Pones, inquit, eos, » tuos videlicet inimicos, « ut clibanum ignis, » id est, facies eos undique æstuare, quomodo æstuat clibanus ardens, « in tempore vultus tui, » id est, in die iræ tuæ, quæ in ultimo judicio manifestabitur. Idem repetit in tertia persona, quasi dicat : Vere dixi : « Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui. » Nam Dominus Christus « in ira sua conturbabit inimicos suos, » et tunc ad imperium Christi devorabit eos ignis æternus, et sic efficientur quasi clibanus ardens. Verbum hebræum בלע *balah* significat proprie *deglutire,* vel *perdere,* ac *dissipare.* Ideo S. Hieronymus : *Dominus in furore suo præcipitabit eos.* Fortasse *conturbabit eos* positum est pro *exturbabit eos,* videlicet a facie sua in gehennam, et devorabit eos ignis. Sic enim cohærebit lectio hebraica cum græca et latina. Fortasse enim vox hebraica בלע *balah,* significat non solum *deglutire* et *perdere*, sed etiam *conturbare*; nota enim erat Septuaginta Interpretibus vis hebraicarum vocum magis, quam posterioribus Rabbinis. Sensus autem semper est bonus.

Vers. 10. 10. FRUCTUM EORUM DE TERRA PERDES, ET SEMEN EORUM A FILIIS HOMINUM.

Ne forte objiceret aliquis, posteros inimicorum Christi aliquando pro patribus surrecturos, et molestiam Christo illaturos, addit Propheta, non solum inimicos Christi, sed omnes eorum filios ac nepotes, atque adeo omne semen eorum perituram. « Fructum, inquit, eorum, » id est filios et posteros, « de terra perdes, » et eliminabis, « et semen eorum a filiis hominum, » nimirum perdes.

Vers. 11. 11. QUONIAM DECLINAVERUNT IN TE MALA; COGITAVERUNT CONSILIA, QUÆ NON POTUERUNT STABILIRE.

Juste punies eos, quoniam illi injuste tibi nocere conati sunt. Videtur David valde proprie et subtiliter dixisse : « Declinaverunt in te mala, » quoniam mala pœnæ directe ad Christum non pertinebant, in quo nulla fuit culpa; sed iniqui homines detorserunt, et declinaverunt mala, id est contumelias, vulnera, plagas, mortem ipsam, a suo quasi itinere in Christum innocentem. « Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, » id est, mala voluntas in ipsis fuit perdendi Christum, et impediendi regnum ejus; sed non potuerunt perficere, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, et fidelium servorum ejus.

Mala pœnæ directe ad Christum non pertinebant.

Vers. 12. 12. QUONIAM PONES EOS DORSUM, IN RELIQUIIS TUIS PRÆPARABIS VULTUM EORUM.

Hic describitur summa impiorum calamitas, quod videlicet sunt destinati ad sola flagella, et ad majorem calamitatem visuri sint electos Dei in summa gloria et felicitate. « Pones eos dorsum, » id est, facies ut nihil sint nisi dorsum, pars videlicet flagellis exposita : sic nimirum totos flagellabis, quasi toti sint dorsum. « In reliquiis tuis præparabis, » seu *diriges*, ut sonat vox hebræa תכין, « vultum eorum, » id est, diriges vultum eorum in reliquiis tuis, hoc est, ad considerandos electos tuos, quos tibi reliquisti, de quibus scriptum est, *Rom.* IX : « Reliquiæ salvæ fient. » Vocem hebræam מיתריך S. Hieronymus vertit, *funes tuos*, sed Septuaginta Interpretes recte verterunt, *reliquiis tuis*, quia vox illa utrumque significat. Locus hic obscurus est admodum; si cui nostra interpretatio minus placeat, audiat alias. Theodoretus et Euthymius sic exponunt : « Pones eos dorsum, » id est, in fugam eos convertes, faciens

ut terga vertant. « In reliquiis tuis præparabis vultum eorum, » id est, in reliquias eorum, hoc est in filios eorum, « præparabis vultum tuum, » id est, iram tuam. Volunt enim isti auctores hyperbaton esse in verbis Prophetæ, et propterea invertenda esse verba eo modo, quo diximus. An hæc interpretatio litteræ et verbis inhæreat, lectores judicent. S. Hieronymus et S. Augustinus, nec non moderni, quisque suam interpretationem excogitaverunt.

Vers. 13. 13. EXALTARE, DOMINE, IN VIRTUTE TUA, CANTABIMUS ET PSALLEMUS VIRTUTES TUAS.

Concluditur Psalmus sancta acclamatione ad Christum regem, et simul prædictione eorum quæ futura sunt post ultimum exitium omnium impiorum. « Exaltare, Domine, in virtute tua, » id est, qui aliquando apparuisti humilis, et tanquam infirmus crucifigi passus es, nunc in fortitudine et potentia devictis hostibus, et in gehennam detrusis, « exaltare » usque ad summum cœlum; interim nos electi tui « cantabimus » voce, et instrumentis musicis resonabimus potentiam tuam, ut aliquando ad te perveniamus, et in sæculum sæculi te laudemus. Hic solum est observandum, per *virtutem* in utraque parte versiculi, non intelligi virtutes morales, sed potentiam et robur, ut ex hebraicis et græcis manifeste colligitur.

PSALMUS XXII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V.—1. *In finem, pro susceptione matutina Psalmus David.*

2. Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

3. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi.

4. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

5. In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos.

6. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.

7. Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.

8. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

9. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

10. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.

11. In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

12. Ne discesseris a me: Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

13. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

15. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.

V. S. H. — *Victori pro cervo matutino Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? longe a salute mea verba rugitus mei.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, nec est silentium mihi.

Et tu sancte: habitator, laus [*h. laudes*] Israel.

In te confisi sunt patres nostri: confisi sunt et salvasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvati sunt: in te confisi sunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo [*h. vir*]: opprobrium hominum, et despectio plebis [*h. populi*].

Omnes videntes me subsannant [al. *subsannabant*] me: dimittunt labium, movent caput.

Confugit ad Dominum [*h. Revelat Domino*], salvet eum: liberet eum, quoniam vult eum.

Tu autem propugnator meus ex utero: fiducia mea ab uberibus matris meæ.

In te projectus sum ex vulva: de ventre matris meæ Deus meus tu.

Ne longe fias a me, quoniam tribulatio proxima, quoniam non est adjutor.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues [*h. Basan*] vallaverunt me.

Aperuerunt super me os suum: leo capiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, et separata sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum sicut cera liquefacta in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.

17. Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos.

18. Dinumeraverunt omnia ossa mea :

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.

19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

20. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.

21. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.

24. Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob, glorificate eum.

25. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis :

Nec avertit faciem suam a me; et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

26. Apud te laus mea in ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.

27. Edent pauperes, et saturabuntur; et laudabunt Dominum qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.

28. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ :

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

29. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

30. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.

32. Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Aruit velut testa fortitudo mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis detraxisti me.

Quoniam circumdederunt me venatores [*h. canes*], consilium pessimorum vallavit :

Fixerunt manus meas et pedes meos : numeravi omnia ossa mea : quæ ipsi respicientes viderunt in me.

Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestimentum meum miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne longe fias [al. *facias*] : fortitudo mea, in auxilium meum festina.

Erue a gladio animam meam, et de manu canis solitariam meam.

Salva me ex ore leonis, et de cornibus unicornium exaudi me.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.

Timentes Dominum laudate eum : omne semen Jacob glorificate eum; et metuite eum, universum semen Israel.

Quoniam non despexit neque contempsit modestiam pauperis, et non abscondit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum, exaudivit.

Apud te laus mea in ecclesia multa : vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Comedent mites, et saturabuntur; laudabunt Dominum quærentes eum : vivet cor vestrum in sempiternum.

Recordabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt coram te universæ cognationes gentium.

Quia Domini est regnum, et dominabitur gentibus.

Comederunt et adoraverunt omnes pingues [al. *principes*] terræ ante faciem ejus; curvabunt omnes qui descendunt in pulverem, et anima ejus non vivet.

Semen serviet ei, narrabitur Domino in generatione.

Venient et annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit.

Argumentum. — Lugubris lamentatio hominis, gravissima calamitate atque miseria conflictantis. Strophæ tres : Jovam, cujus tutelæ sit, omnem sui curam abjecisse queritur, vers. 2-12; periculi in quo versatur, accuratior descriptio : velit Deus ex eo ipsum eripere, vers. 13-22; gratiarum promissio, vers. 23-32. Christi in crucem acti

et jam morientis fata in hoc carmine adumbrari, nullo catholico unquam dubium fuit. Vide Bossueti *Explication littér. du Ps.* XXI, tom. III, part. 31 edit. Lebel.

1. Præcentori, in cervam auroræ, carmen Davidis.

2. Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti,
remotus ab auxilio meo, *a* verbis rugitus mei?
3. Deus meus, clamo (voco) interdiu, neque exaudis;
et noctu, nec quies (levatio) mihi.
4. Et *tamen* tu es sanctus,
sedens inter hymnos Israelis.
5. In te confisi sunt patres nostri:
confisi sunt, et liberasti eos.
6. Ad te clamarunt, et erepti sunt;
tibi confisi sunt, nec erubuerunt (sua spe delusi).
7. Ego vero vermiculus sum, nec vir;
opprobrium hominum et propudium populi.
8. Omnes qui me aspiciunt, subsannant me;
hiatum faciunt labio, motitant caput (dicentes):
9. « Devolvat *res suas* in Jovam, liberet eum,
eripiat eum, quia delectatur *Jova* eo! »
10. Nam tu is es qui me extraxisti ex utero,
securum me reddens ad matris meæ ubera.
11. In te rejectus sum (me rejeci, tanquam in gremium) ex utero;
ab utero matris meæ Deus meus es tu.
12. Ne sis remotus a me, nam prope accessit angustia,
Nec ullus est adjutor.

13. Circumdant me tauri multi;
validi (tauri) Basanitidis me cingunt.
14. Distendunt contra me os suum,
ut leo discerpens et rugiens.
15. Instar aquarum effusus sum (viribus exhaustus),
et disjunxerunt se omnia ossa mea;
factum est cor meum ut cera,
liquefactum in visceribus meis.
16. Exaruit, ut testa, vis mea *vitalis*,
et lingua mea adhæret faucibus meis,
et ad pulverem mortis redigis me.
17. Nam circumdant me canes,
turba maleficorum cingunt me,
transfoderunt manus meas et pedes meos.
18. Numero omnia ossa mea (præ macie);
illi (hostes mei) *me* intuentur, et considerant me.
19. Dividunt vestes meas inter se,
et de vestimento meo jaciunt sortem.
20. Tu vero, Jova, ne sis remotus;
robur meum, in auxilium meum festina.

21. Eripe a gladio animam meam,
e manu canis unicam meam (vitam).
22. Salva me ab ore leonis,
atque e cornibus bubalorum *eripiens* exaudias me.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis (Judæis),
in media concione te collaudabo (dicens) :
24. « Cultores Jovæ, collaudate eum;
omnis Jacobi progenies, glorificate eum;
eum revereamini, omne semen Israelis.
25. Neque enim contempsit, nec aversatus est miseriam miseri,
neque occultavit faciem suam ab illo,
quumque vociferaretur (miser) ad eum, audivit. »
26. A te laus mea in concione magna;
vota mea persolvam coram colentibus ipsum.
27. Edent afflicti, et saturabuntur;
laudabunt Jovam qui quærunt eum. —
Vivat (hilare sit) cor vestrum in perpetuum!
28. Recordabuntur et convertent se ad Jovam omnes fines terræ,
et prosternent se coram te omnes familiæ gentium.
29. Nam Jovæ est regnum,
et ipse in gentes dominatur.
30. Edent (sacrificales epulas) et prosternent se omnes pingues terræ,
coram eo incurvabunt se omnes descendentes in pulverem,
et *ille qui* animam suam non vivificat.
31. Posteri servient ei;
narrabitur de Domino per omnes ætates.
32. Venient, et annuntiabunt justitiam ejus
populo *ex se* genito, quoniam *potenter et feliciter Deus* egit.

NOTÆ.

Vers. 1. Τὸ *in cervam auroræ* varie explicatur. Plerique hæc verba accipiunt pro cantione aliqua, ad cujus numeros compositus et decantatus fuerit hic psalmus, ita autem dicta, quia in ea *cerva auroræ* commemorabatur. Sciunt omnes, solem orientem primosque radios emittentem apud orientales poetas dictione figurata appellari *dorcadem*, seu *cervam* (*gazelle*). « Postquam promicuisset cornu dorcadis, » ait Hariri *Consessu* V, i. e. cum radii solis emicantis sese sparsissent. Item sæpe *cornu* pro *radiante luce* ponitur. Sensus igitur est, *initium auroræ*, ait Rosenmullerus, forsan quia hic psalmus ad sacrificii matutini oblationem decantabatur, ut vult Chaldæus. Aliter Hengstenberg : Τῷ *cerva auroræ*, ait, ænigmatice indicatur argumentum psalmi. *Cerva* enim est symbolum *justi* : « In eum, non in cervam exitium cadat, » inquit Meidanius (Arab. poeta), i. e. in nocentem, non in innocentem. *Aurora* vero felicitatis, quæ post calamitatem oritur, symbolum est. Maurerus vertit, *præcentori* canendum *ad modum* instrumenti *Aiieleth-Hashshabar* (cerva auroræ) dicti. Alexandrini verterunt, *pro susceptione*, i. e. auxilio, *matutino*, i. e. cito et mature ferendo : cui interpretationi illud maxime obstat, quod *eiialeth* ex linguæ usu semper *cervam* sive *capream* denotet, nec unquam pro *eiialouth, auxilium*, usurpetur. — Vers. 2. Pro *Deus* consulto vates usurpat *el*, proprie *fortis*, quæ vox geminatur, ut sit ab iisqui premuntur angustiis; videntur tamen Alexandrini secundum *eli* legisse, *elai, ad me*, addidisseque declarationis causa, προσχες, quod Vulgatus vertit *respice*. Pro *azabthani* Christus in cruce usus est chald. *shebaqthani*. *Remotus* : Rosenmullerus ante hanc vocem repetit *quare*. Alii in ea enallagen numeri esse dicunt, vertuntque, *procul a mea salute sunt verba rugitus mei*, vel *delictorum* (legendo שגיאתי a שגה, *erravit*) *meorum*. — Vers. 3. *Quies*, proprie *silentium*, quod homini angustiato index est liberationis. Vulgatus explicari potest ita : Quod clamo, non mihi ad *impotentiam animi* im-

putes, quasi de te conqueri videar, sed hæ voces ex maxima animi afflictione procedunt. — Vers. 4. *Sanctus* denotat *numen venerandum.* Cf. *Levit.* XXVI, 11; I *Reg.* VIII. — Vers. 8. *Hiatum*, etc. i. e. diducunt labia, qui mos est irridentium. Cf. *Matth.* XXVII, 39. — Vers. 9. Rosenmullerus, *lætatur de Jova,* ut patrono,.... *quia* Davides eo (Deo) delectatur. Cf. *Matth.* XXVII, 43. — Vers. 10. Proprie, *tu* es *prodire meum.*

Vers. 13. *Tauri,* imago hostis potentis et ferocis. *Basam* regio erat trans Jordanem pascuis abundans. — Vers. 15. Ovidius *e Ponto,* lib. I, epist. 2 :

> Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis,
> ignibus admotis ut nova cera solet.

Vers. 17. *Transfoderunt :* ita Alexandrini, sive כארו, sive כארי *transfodientes,* legerint; quos secuti sunt SS. Patres, scriptoresque ecclesiastici omnes. Recentiores legunt *caari,* vertuntque *sicut leo,* subaudientes *discerpturi,* quod quam coactum sit, nemo non videt. — Vers. 18. *Intuentur,* misera mea specie oculos pascunt. — Vers. 21. Vitam, seu animam suam vocat *unicam,* sive quia bonum est pretiosissimum atque irreparabile, sive ut significet se esse miserum omnique ope humano destitutum. — Vers. 22. *Bubalorum;* alii, *orygum.* Pro *exaudias me,* Alexandrini legisse videntur *anivathi, humilitatem meam :* nec id quidem male. — Vers. 25. *Miseriam,* seu *afflictionem;* Rosenmullerus, *precationem,* tum ob parallelismum, tum quia ענה est *loqui.* — Vers. 26. *A te* argumentum erit *laudis meæ. Colentibus* hic, et supra (vers. 24) *cultores,* proprie *timentibus, timentes. Persolvam :* sacrificia intelligit gratiæ testandæ causa solemniter offerenda. — Vers. 27. Ad ea sacrificalia convivia multi invitabantur, ibique et pauperibus cedebat portio. *In perpetuum :* vates ea non semel, sed iterum statis temporibus celebranda promittit. *Vestrum;* Vulgatus legit *lebabam, cor eorum.* —Vers. 28. Exteri quoque populi, cum iis innotescet, quam mire Jova me servaverit, a diis falsis ad ipsum se convertent. — Vers. 30. *Descendentes in pulverem.... non vivificat,* etc. i. e, *mortales* simpliciter; vel, ad *extremam miseriam* redacti. Alexandrini videntur legisse ונפשי לו, *anima mea ipsi vivit,* i. e. me totum Jovæ consecro. Vers. 31. *Narrabitur;* alii, *annumerabuntur* Deo populus et hæreditas. — Vers. 32. *Venient,* etc. i. e. nascentur alii adhuc et novi denuo homines, descendent ex illis alii, qui Jovæ benignitatem celebrent.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro susceptione matutina, Psalmus David.

Psalmus hic de passione et resurrectione Domini tam aperte loquitur, ut plane temerarium sit ad alium sensum eum velle detorquere. Titulus respicit resurrectionem, quæ significatur in illa voce, *susceptio matutina.* Resurrectio enim facta est tempore matutino, et per virtutem Dei suscipientis quodam modo Christum de sepulcro, et educentis eum ad auram vitalem, juxta illud Psalmi tertii, *et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Vox hebræa אילם *aielem* significat *cervum,* vel, ut alii volunt, *stellam.* Sed Septuaginta Interpretes recte verterunt *susceptionem,* quoniam apud ipsos verbum איל *aial, suscipere* significat. Quod planum est ex Psalmo CVI, vers. 17, ubi vocem אוליכם *avilim,* ipsi legerunt אילם *aialem,* et verterunt, *et suscepit eos.* Neque longe absunt ab eodem sensu lectiones ex hebræo, *pro cerva matutina,* sive *pro stella matutina.* Sensus enim est : pro Christo resurgente. Ipse enim resurgens recte comparatur stellæ, quia surrexit plenus gloria, accinctus lumine, sicut vestimento, et de se ipse ait *Apocal.* ult.: *Ego sum stella splendida matutina.* Ipse quoque similis est cervo, sive cervæ, tum quia cervo nihil nocent animantia venenata, imo ipse halitu suo serpentes de cavernis educit, et occidit, ut S. Hieronymus in hunc locum, et Basilius in *Ps.* XXVIII, dicunt : Christus autem *spiritu oris sui interficiet impium,* et nihil ei nocere poterunt omnes impiorum persecutiones. Tum etiam, quia cervus velocissime salit in altissimos montes, unde in Canticis sæpe comparatur Christus hinnulo cervorum salienti in montes. Ipse enim in die resurrectionis velocissimo saltu ab inferis, et a morte ad vitam immortalem et gloriosam ascendit. Tum denique, quia cervus dicitur arte quadam naturali a senio se defendere, et vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab inferis revocare, ut scribit Gilbertus serm. 14 *in Cantica :* Christus autem in die resurrectionis arte omnipotentiæ, et infinitæ sapientiæ suæ vere corpus suum jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva vero potius, quam cervus dicitur, quia resurrectio proprie ad carnem pertinet. Sicut enim Christus in carne passus est, ita et in carne resurrexit.

Accommodatur Christo titulus.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS DEUS MEUS, RESPICE IN ME : QUARE ME DERELIQUISTI? LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM.

Loquitur David in persona Christi pendentis in cruce, et in summo passionis dolore constituto, ut patet ex Evangelio, *Matth.* XXVII, in quo legimus Christum morti proximum dixisse : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » quæ sunt prima Psalmi hujus. Illud enim, *respice in*

me, non habetur in hebræo, sed fuit additum a Septuaginta Interpretibus declarationis causa. Quod autem Christus queritur se derelictum a Deo, non significat eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi esset dissoluta unio hypostatica : vel destitutum a gratia, et benevolentia Patris; sed significat permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta, et mortem ignominiæ plenam; a qua, si Deus voluisset, eum facillime liberare potuisset. Neque orta est querimonia illa ab impatientia, vel ab ignorantia, quasi Christus ignoraret causam suæ passionis, aut non libenter ferret se a Patre in illis doloribus derelictum; sed fuit querimonia illa, protestatio quædam acerbissimæ passionis. Quia enim in toto progressu passionis tanta animi æquitate Dominus omnia pertulerat, ut ne gemitus quidem exaudiretur; potuissent homines credere illum, superiore aliqua virtute impassibilem redditum, dolores non sensisse. Ideo igitur vicinus morti protestatur se verum esse hominem, vereque passibilem et a Patre derelictum in doloribus, passionis acerbitatem sensu doloris intimo et maximo hausisse. Ait igitur : « Deus, Deus meus. » Christus in forma servi vocat Patrem Deum suum, quia in illa hora proprie eum colebat ut verum Deum, sacrificans illi sacrificium corporis sui, sacrificium omnium, quæ unquam facta fuerant, præstantissimum. « Respice in me; » rogat ut videat, ubi pro honore suo constitutus sit, recognoscat obedientiam Filii sui, acceptet sacrificium pro genere humano oblatum. « Quare me dereliquisti? » non solum protestatio veræ passionis, ut diximus, sed etiam admiratio quædam esse videtur, quasi dicat : Fierine potest, ut dilectissimum et unigenitum Filium in hunc doloris abyssum devenire permiseris? Similia sunt illa : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, » *Joan.* III; et illa *Rom.* VIII : « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » « Longe a salute mea verba delictorum meorum. » Multi, timentes ne Christo peccati notam inurant, coacte exponunt. Aliqui legunt cum interrogatione : *Longe a salute mea verba delictorum meorum?* Sed talis interrogatio gratis fingitur, cum in nullo textu inveniatur. Alii exponunt : *Peccata mea*, cum nulla sint, *longe sunt a salute mea*, id est, non impediunt salutem meam. Sed facilius dixisset Propheta : *Longe a morte mea verba delictorum meorum*, si delicta non fuissent causa mortis Christi. Alii conjungunt cum superioribus partem hujus sententiæ, sic : *Deus meus, quare me dereliquisti longe a salute mea?* Sed omnes textus habent interpunctionem aliam. Et deinde quid significabit illud : *verba delictorum meorum?* Alii denique considerant verbum hebraicum שגאתי significare *rugitum*, non *delictum*, et interpretantur : *Longe a salute mea verba rugitus mei*, id est rugitus meus, sive clamor meus, quo auxilium imploro, longe est a salute mea, id est, non potest impetrare mihi salutem. Cæterum Septuaginta Interpretes sine dubio non legerunt שאגתי, sed שגאתי, unica littera transposita, et recte verterunt *delicta*, non *rugitum*. Sententia igitur simplex et vera hæc est : « Longe a salute mea verba delictorum meorum, » id est, merito me dixi derelictum in doloribus, quia delicta totius mundi, quæ in me suscepi, non possunt conjungi cum mea salute. Necesse enim est ut patiar et moriar, si ea purgare volo. Christum autem sibi tribuere posse nostra peccata, ac si sua essent, Scripturæ passim docent, *Joan.* I : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; » I *Petr.* II : « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; » *Isaiæ* LIII : « Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum; » II *Cor.* V : « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, » id est hostiam pro peccato. Sicut igitur hostia pro peccato non potest non immolari, si peccata purgari debeant : ita Christus hostia pro peccatis totius mundi factus, recte dicit : « Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum, » id est, non possum mortem evadere, cum peccata totius mundi in me sint posita, ut pro eis pœnas luam. Porro, *verba delictorum* phrasis est hebraica. Hebræi enim utuntur nomine *verbi*, ad *rem*, sive *negotium* in genere significandum. Itaque sensus est : « Verba delictorum meorum, » id est, hæc ipsa res, quod tot peccata super me acceperim, pro quibus satisfaciam, « longe est a salute mea, » id est, non potest conjungi cum salute mea, ac per hoc, in causa est, ut mortem non evadam.

Christus nunquam a Deo derelictus.

Christus hostia pro peccatis totius mundi.

2. DEUS MEUS, CLAMABO PER DIEM, ET NON EXAUDIES : ET NOCTE, ET NON AD INSIPIENTIAM MIHI. Vers. 2.

Iterum alia ratione se derelictum ostendit sine spe salutis temporalis : « Clamabo, inquit, per diem, et non exaudies; et nocte, » supple, *clamabo*, « et non exaudies. » Est autem sensus : Etiamsi clamem die ac nocte, non exaudies me, ut liberer a morte corporali. Videtur alludere ad duas orationes, quas fecit, unam de nocte in horto, alteram de die in cruce; sed non servat ordinem, quia sensus est ille, quem dixi, etiamsi clamem die et nocte, non exaudies. Quod sequitur, *et non ad insipientiam mihi*, in hebræo est, *et non silentium mihi;* sed Septuaginta non videntur per דומיה *dumiah* unquam intellexisse *silentium:* nam in *Psalm.* LXI, vers. 1, vertunt *subjecta;* in *Psalm.* LXIV, vers. 1, vertunt *decet;* hoc loco, *insipientiam*. Igitur vel aliquid aliud legerunt, vel noverunt hanc vocem recipere omnes istas intelligentias. Sensus autem hic esse videtur : « Clamabo die et nocte, et non exaudies; » et tamen hoc « mihi ad insipientiam » adscribi non poterit, quia licet sciam me non exaudiendum, ut mortem temporalem evadam, tamen prudenter clamo, quia scio me exaudiendum quoad principalem intentionem meam, quæ est, ut genus humanum redimatur, et ego non

detinear in morte, sed resurgam ad vitam immortalem. Occurrit mihi alia expositio, in qua per diem intelligatur tempus vitæ, per noctem tempus mortis, et hic sit sensus : « Clamabo per diem, et non exaudies, » id est, clamabo, dum vivo, ut a morte liberer temporali, et hunc clamorem non exaudies; « et nocte clamabo, et non ad insipientiam mihi, » id est, clamabo postea, cum mortuus fuero, ut resurgam, et non ero insipiens, quia clamorem hunc nocturnum exaudies, in quem sensum recidit etiam lectio hebraica, *et noctu, et non silentium mihi*, id est, clamabo de nocte, et tunc non silebis sicut siluisti ad clamorem diurnum; sed respondebis mihi, ac per hoc exaudies me. Et quia illud, *non exaudies*, potest etiam reddi, *non respondebis :* utrumque enim significat verbum ענה *hana*, clarissime verti potuisset versiculus in hunc modum : *Clamabo per diem, et non respondebis mihi, clamabo per noctem, et tunc respondebis mihi*; vel, secundum Septuaginta: *Clamabo per diem, et non exaudies; clamabo per noctem, et non ero insipiens*, quia tunc exaudies.

Vers. 3. 3. TU AUTEM IN SANCTO HABITAS, LAUS ISRAEL.

Probat se non insipienter de nocte clamaturum, etiamsi de die non sit exauditus, et se omnino exaudiendum, idque quatuor rationibus. *Primo*, quia Deus sanctus et misericors sit; *secundo*, quia soleat invocantes se benigne audire; *tertio*, quia ipse in maxima pressura sit; *quarto*, quia in Deo ab ipsa sua nativitate confisus sit, eique soli adhæserit. Prima ratio est in præsenti versiculo. « Tu, » inquit, Domine, omnino exaudies me, quia « in sancto, » i. e. in sanctitate « habitas, » totus sanctus, et pius es, et ad te malitia, vel crudelitas accedere non potest; et ideo tu es « laus » populi tui « Israel » tum quia te laudat populus tuus Israel, tum quia propter te laudatur populus tuus Israel. Hæc enim est maxima laus populi tui, quod habeat Deum omni ex parte sanctissimum. In hebræo habetur sic, *tu autem sancte, inhabitas laudes Israel*, id est, tu sanctus es, et ideo versaris assidue in ore populi tui te laudantis. Sed credibile est Septuaginta Interpretes non legisse קדוש *sanctus*, sed קודש *sanctitas*, una littera transposita; et tunc verti debet, *tu autem sanctitatis habitator*, quod est idem, cum eo quod nos habemus : *Tu autem in sancto habitas*. « Laudes Israel » in numero multitudinis est in hebræo, תהלות ישראל *theilloth Israel;* sed quia id conjungitur cum Deo, ut sententia esset clarior, maluerunt Septuaginta vertere, *laus Israel*, quam *laudes Israel*.

Vers. 4. 4. IN TE SPERAVERUNT PATRES NOSTRI, SPERAVERUNT, ET LIBERASTI EOS.

Vers. 5. 5. AD TE CLAMAVERUNT, ET SALVI FACTI SUNT, IN TE SPERAVERUNT, ET NON SUNT CONFUSI.

Hæc est altera ratio ab exemplis; et sententia perspicua est. Habentur autem multa ejusmodi exempla in libro *Judic.* Quotiescumque enim filii Israel clamaverunt ad Dominum, misit ejus Dominus salvatorem unum ex Judicibus, ut Gedeonem, Samsonem, Samuelem, etc.

6. EGO AUTEM SUM VERMIS, ET NON HOMO, OPPROBRIUM HOMINUM, ET ABJECTIO PLEBIS. Vers. 6.

7. OMNES VIDENTES ME DERISERUNT ME, LOCUTI SUNT LABIIS, ET MOVERUNT CAPUT. Vers. 7.

8. SPERAVIT IN DOMINO, ERIPIAT EUM : SALVUM FACIAT EUM, QUONIAM VULT EUM. Vers. 8.

Hæc est tertia ratio ducta a pressura Christi crucifixi. « Ego autem, inquit, sum vermis, et non homo, » id est, in tali statu sum hoc tempore, ut non solum minoratus ab angelis, sed ab hominibus minoratus videar; nimirum « novissimus virorum, » ut dixit Isaias cap. LIII, imo infra omnes homines factus, cum et Barabbæ et latronibus postpositus sim. Itaque adeo factus sum vilis, ut vermis potius videar esse quam homo. « Opprobrium hominum, » de quo videlicet homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso, quod impletum est quando Petrus ipse juravit se non nosse hominem illum, *Matth.* XXVI, « Et abjectio plebis, » id est, quem etiam plebs vilissima populi pars, ita abjecit, ut diceret, « non hunc, sed Barabbam. » « Omnes videntes me deriserunt me, » id est, qui me in eo statu viderunt, irriserunt omnes, omnia videlicet hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, laici, Hebræi, Gentiles, quod impletum est, quando, ut scribit S. Lucas cap. XXIII, 35 : « Stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis; » et infra : « Illudebant autem ei et milites. » « Locuti sunt labiis, et moverunt caput. » Hoc etiam impletum fuisse docet S. Matthæus cap. XXVII : « Blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei! » « Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. » Easdem voces Judæorum fuisse testatur S. Matthæus in eodem loco : « Confidit, aiebant, in Deo, liberet nunc eum, si vult. » Nec multum refert, quod Propheta dicit, « quoniam vult eum, » et Evangelista refert eos dixisse, « si vult. » Nam cum Propheta dicit, « salvum faciat eum, quoniam vult eum, » subintelligitur, ut ipse dicit, quod perinde est, ac si dixisset : « Liberet eum si vult eum, » id est, si amat eum, ut ipse dicit, liberet eum; vel, quando quidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus Prophetæ illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba prænovit et prædixit, quæ Judæi in passione Christi dicturi fuerant. Pro *speravit in Domino*, habetur nunc in hebræo, גל *gol*, id est, *volve ad Dominum*. Sed Rabbini male collocarunt puncta. Debet enim legi גל *gal*, id est *volvit*, ut legit S. Hieronymus, qui vertit, *confugit ad Dominum*, quod est idem cum eo quod verterunt Septuaginta : *Speravit in Domino*. Idem enim est,

volvit, sive *revolvit se ad Dominum, confugit ad Dominum*, et *speravit in Domino*.

Vers. 9. 9. QUONIAM TU ES, QUI EXTRAXISTI ME DE VENTRE, SPES MEA AB UBERIBUS MATRIS MEÆ.

Vers. 10. 10. IN TE PROJECTUS SUM EX UTERO, DE VENTRE MATRIS MEÆ; DEUS MEUS ES TU, NE DISCESSERIS A ME.

Hæc est ratio postrema ducta ab innocentia perpetua ipsius Christi. Illud, *quoniam*, non est ubique nota causæ, sed sæpe ponitur loco conjunctionis *et*, vel *autem*. Aliquando etiam nihil significat, sed additur ornatus gratia. « Tu es, qui extraxisti me de ventre, » id est, a nativitate tuus sum, præsertim cum revera non naturali modo, sicut cæteri homines, sed virtute tua singulari natus sim non reseratis claustris pudoris, sicut etiam absque virili semine in utero Virginis conceptus fui. S. Hieronymus vertit ex hebræo : *Tu autem propugnator meus ex utero*. Sed verbum גוחי *gochi*, a radice גוח *guach*, proprie nihil significat aliud nisi, *eductor meus ex utero*. Quid S. Hieronymus secutus sit, fateor me nescire. « Spes mea ab uberibus matris meæ, » id est, sicut tu me eduxisti ex utero, ita tu es qui præcipue me aluisti : ubera quidem matris suxi, sed intelligo lac de cœlo matri subministratum, et ideo in te ab uberibus matris confidere et sperare didici. « In te projectus sum ex utero, » id est, prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia curam mei geris. « De ventre matris meæ Deus meus es tu, » id est, sicut ab incipiente vita mea tu mihi singulari providentia adstitisti, ita et ego ab exordio vitæ meæ te colere cœpi, ut Deum meum. « Ne discesseris a me : » hæc verba sunt apud Hebræos initium sequentis versiculi; sed recte etiam ponuntur in textu græco et latino in fine superioris versiculi. Sunt enim veluti conclusio superioris rationis, ac si Christus diceret : Quandoquidem in te projectus sum ex utero, et ab eo tempore Deus meus es tu, ideo jure a te requiro, ut non discedas a me, præsertim cum jam instet gravisima et ultima tribulatio mea, id est, mors corporis mei.

Christus vere de Virgine natus.

Vers. 11. 11. QUONIAM TRIBULATIO PROXIMA EST, QUONIAM NON EST, QUI ADJUVET.

Posset fortasse hic versus exponi de propinquante passione ac de mœrore, et timore quem Dominus in horto pati voluit. Sed certe multo probabilius est totum hunc locum de propinquante morte esse intelligendum, tum quia Dominus in præterito statim adjungit : « Foderunt manus meas, et diviserunt sibi vestimenta mea; » tum etiam quia paulo ante voces Judæorum expressit, quas in se jam cruci affixum jactaverunt; tum denique quia primum Psalmi versiculum Dominus in cruce pendens, ac morti proximus recitavit. Igitur juxta id quod dixerat, « non ad insipientiam mihi, » nimirum clamabo ad te, precatur nunc ut Deus sibi adsit in ultima tribulatione, non ut liberetur a morte, sed ut non detineatur in morte. Peto, inquit, ut non discedas a me, « quoniam tribulatio, » videlicet ultima et gravissima, « proxima est, et quoniam non est » alius, qui *adjuvare* me possit, ut sic moriar, ut mortem occidam.

Vers. 12. 12. CIRCUMDEDERUNT ME VITULI MULTI, TAURI PINGUES OBSEDERUNT ME.

Narrat crudelitatem hostium suorum, quos comparat tauris, leonibus et canibus. Intelligit per inimicos pontifices et pharisæos, qui veluti tauri insultabant ei, quasi cornibus eum peterent, dicentes : « Vah qui destruis templum Dei, » etc, *Matth.* cap. XXVII; et qui veluti leones aperto ore famem suam demonstrabant, id est, desiderium ingens perdendi eum, unde et rugiebant dicentes : « Tolle, tolle, crucifige eum, » *Joan.* XIX; et qui veluti canes mordebant eum, detrahentes videlicet ei, dum dicerent : « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, » *Luc.* XXIII. Et : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. » Ex quibus detractionibus, falsisque calumniis tandem factum est, ut Dominus crucifigeretur; ideo statim subjungit : « Foderunt manus meas, » etc. Sed singula videamus : « Circumdederunt me vituli multi; » per vitulos non intelligit hoc loco vitulos quoscumque, sed vitulos grandiores, et cornigeros, qui etiam tauri dici possint. Nam quod sequitur : « Tauri pingues obsederunt me, » est explicatio, sive repetitio; præsertim cum in hebræo ad verbum habeatur, *fortes Basan obsederunt me*. Vocat vitulos *fortes Basan*, quia erant robusti et pingues; nam Basan erat regio abundans optimis pascuis, unde pinguissimi tauri et arietes prodibant. Dicuntur autem pontifices et pharisæi fortes et pingues, quia erant potentes et divites. Aliqui distinguunt vitulos a tauris, et per vitulos intelligunt plebem indisciplinatam et imbellem; per tauros, pontifices et pharisæos. Non est improbabilis expositio, sed probabilius arbitror id quod dixi.

Vers. 13. 13. APERUERUNT SUPER ME OS SUUM, SICUT LEO RAPIENS ET RUGIENS.

Eosdem significat pontifices et pharisæos, qui miro desiderio inhiabant morti ejus, ut supra diximus.

Vers. 14. 14. SICUT AQUA EFFUSUS SUM, ET DISPERSA SUNT OMNIA OSSA MEA.

Vers. 15. 15. FACTUM EST COR MEUM TANQUAM CERA LIQUESCENS IN MEDIO VENTRIS MEI.

Vers. 16. 16. ARUIT TANQUAM TESTA VIRTUS MEA, ET LINGUA MEA ADHÆSIT FAUCIBUS MEIS, ET IN PULVEREM MORTIS DEDUXISTI ME.

In his versiculis declarat quomodo se gesserit contra inimicorum suorum crudelitatem; ac dicit

se non restitisse illorum violentiæ, sed in omnibus humilitatem, patientiam et mansuetudinem servasse, juxta illud *Isaiæ* cap. L, 6 : « Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me ; » et illud S. Petri, I *Epist.* cap. II : « Cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur ; tradebat autem judicanti se injuste. » Itaque, inquit, « sicut aqua effusus sum, » id est, non restiti ullo modo, sed instar mollissimæ aquæ me præbui versandum, et impellendum in omnem partem. « Et dispersa sunt omnia ossa mea, » id est, omnis fortitudo dilapsa est a me, non quod vere potentiam amiserim, sed quod ea uti noluerim, et adversariis meis potentia sua uti permiserim, juxta illud *Luc.* XXII : « Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. » Itaque debilem, atque imbecillum me præbui ad resistendum, quasi solam carnem sine ossibus haberem. « Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei, » id est, non solum exterius patientem et mitem me præbui, sed etiam interius humilis corde fui ; non intumuit, neque obduruit cor meum contra persecutores nolens ignoscere, et ulcisci parans, sed contra potius factum est sicut cera liquescens ex affectu pio erga illos, miserans illorum cæcitatem, et pro eis rogans, *Luc.* XXIII : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Illud, *in medio ventris mei,* significat, in medio viscerum meorum. Sumitur enim in Scriptura *venter* pro *interioribus,* ut *Joan.* VII : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; » et *Cant.* V : « Venter meus contremuit ad tactum ejus. » « Aruit tanquam testa virtus mea, » id est, robur meum quasi exaruit omni virore exhausto, quia videlicet ita me ligari et vulnerari permisi, quasi impotens essem ad resistendum. « Et lingua mea adhæsit faucibus meis, » id est, ne verbis quidem adversarios lædere, aut de ipsorum injustitia conqueri volui. « Et in pulverem mortis deduxisti me, » id est, et sic tandem illis persequentibus, et me non resistente, tu Deus meus, sine cujus permissione nihil fieri potest, in mortem et sepulturam adduxisti me. Vocatur enim pulvis mortis ipsa sepultura, quia mortui pulvere tegi solent.

Sepultura vocatur mortis pulvis.

Vers. 17. 17. QUONIAM CIRCUMDEDERUNT ME CANES MULTI, CONCILIUM MALIGNANTIUM OBSEDIT ME.

Vers. 18. 18. FODERUNT MANUS MEAS ET PEDES MEOS, DINUMERAVERUNT OMNIA OSSA MEA.

Declarat modum quo in pulverem mortis deductus est. « Quoniam, inquit, circumdederunt me canes multi, » id est, detractores multi, pontifices videlicet, et pharisæi, qui falsis criminationibus subversionis populi, tributi denegati, regni affectati, et similibus Pilatum coegerunt ut me crucifigendum militibus traderet. « Concilium malignantium obsedit me. » Declaratio est verborum superiorum. Canes enim multi nihil sunt aliud, nisi concilium, id est, cœtus malignantium. Isti, inquam, malignantes « foderunt manus meas et pedes meos, » non quidem manibus, sed auctoritate sua. In hebræo legitur כארי *caari,* quod significat, *quasi leo,* sed Septuaginta legerunt כארו *caaru,* quod est *foderunt.* Et sic omnino esse legendum non dubium est, quia Septuaginta nunquam vertissent *foderunt,* si legissent *caari.* S. Hieronymus quoque ex hebræo vertit *foderunt,* ac per hoc legisse credendus est *caaru.* In ipso etiam libro Massoreth ad cap. XXIV *Num.,* disserentes Rabini de illis verbis, *accubuit ut leo,* quod est hebraice *caari,* monent in Psalmo hoc legendum quidem esse *caari,* sed juxta codices emendatiores scribendum *caaru.* Quamvis enim ex perfidia sua legere velint, *quasi leo,* tamen fatentur scriptum esse *caaru,* id est *foderunt.* Denique sententia multo est clarior, *foderunt manus meas,* quam, *quasi leo manus meas.* Neque multum refert quod *foderunt* hebraice scribendum esset כרו *caru,* non כארו *caaru,* quoniam littera *aleph* sæpe redundat, et ideo paragogica vocatur ab Hebræis. « Dinumeraverunt omnia ossa mea, » id est, ex corporis extensione in cruce factum est, ut omnia ossa numerari possent. Addidit vero David hoc de extensione et numeratione ossium, ut intelligeremus crucifixionem. Alioqui enim per fossionem manuum et pedum potuissent intelligi vulnera gladio facta, non clavis. In hebræo habetur אספר *assappar,* in prima persona, *numeravi omnia ossa mea.* Sed facile est unius, vel alterius litteræ mutatione contigisse errorem. Certe sensus est clarior, si legamus *numeraverunt,* quo modo sine dubio legerunt Septuaginta Interpretes, et lectionem illam secuti sunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Theodoretus et Euthymius in expositione hujus loci.

Vers. 19. 19. IPSI VERO CONSIDERAVERUNT, ET INSPEXERUNT ME ; DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA, ET SUPER VESTEM MEAM MISERUNT SORTEM.

Addit ad supplicium crucis, ignominiam nuditatis : Ipsi, inquit, curiose inspexerunt totum corpus meum, quoniam nudatum erat omnibus vestibus, siquidem eas vestes diviserunt milites inter se, et super tunicam quæ supererat, sortem miserunt. Quæ omnia impleta esse ad litteram Joannes Evangelista cap. XIX testatur.

Vers. 20. 20. TU AUTEM, DOMINE, NE ELONGAVERIS AUXILIUM TUUM A ME, AD DEFENSIONEM MEAM CONSPICE.

Revertitur ad orationem, quam inchoaverat in principio Psalmi, et rursum repetierat versiculo decimo et undecimo. Itaque jam tota passione sua exposita, rogat Deum pro celeri resurrectione : nam per eam perfecte liberabitur ab omni persecutione, et injuria adversariorum. « Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, » id est, adversarii mei ad summum malitiæ pervenerunt, atque in me omnes vires suas exercuerunt ; jam tuum est non differre amplius auxi-

lium, sed meam defensionem paterne suscipere. In hebræo ad verbum sic legitur: *Et tu, Domine, ne longe fias; fortitudo mea, ad auxilium meum festina.* Possent aliquo modo paucis mutatis concordari hæc ipsa verba cum verbis græcæ et latinæ editionis, sed non videtur operæ pretium in hac re laborare, cum sensus omnino sit idem.

Vers. 21. 21. ERUE A FRAMEA, DEUS, ANIMAM MEAM, ET DE MANU CANIS UNICAM MEAM.

Vers. 22. 22. SALVA ME EX ORE LEONIS, ET A CORNIBUS UNICORNIUM HUMILITATEM MEAM.

Declarat in quo velit auxilium sibi adesse. « Erue, inquit, a framea, sive gladio animam meam, » id est, libera ab instrumento mortis vitam meam. Ponit enim gladium, qui mortis est instrumentum, pro quolibet instrumento mortis, quod in Scriptura frequens est, II *Reg.* XII : « Non recedet gladius de domo tua. » *Ezech.* XXXIII : « Si viderit gladium venientem super terram, » etc. *Rom.* VIII: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an gladius? » Ponit vero animam pro vita, quod similiter in Scriptura usitatissimum est. « Et de manu canis, unicam meam. » Per canem intelligit canes illos, de quibus supra dixerat, sed utitur numero singulari, vel per figuram collectionis, vel ad significandam unionem in malum inimicorum suorum. Per *unicam* vero intelligit eamdem vitam suam, quam unice diligebat, sicut par erat diligi vitam Verbi incarnati. « Salva me ex ore leonis, » illius, de quo supra dictum est : « Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. » « Et a cornibus unicornium humilitatem meam. » Antea dixerat : « Tauri pingues obsederunt me ; » nunc loco taurorum ponuntur unicornes, qui sunt indomitæ bestiæ, et tauris etiam ferociores, ut significet nequitiam et crudelitatem inimicorum suorum non imminutam tot suppliciis fuisse, sed auctam. Porro his omnibus verbis non petit Dominus vitam temporalem suam salvari, sed (ut sæpe diximus) petit vitam suam celeriter reparari, et ita reparari, ut non amplius pateat morsibus canum, vel unguibus leonum, vel cornibus unicornium, aut taurorum. Illud, *humilitatem meam,* in hebræo est עניתני, quod S. Hieronymus vertit, *exaudi me ;* Pagninus autem, *respondisti mihi.* Sed Septuaginta Interpretes non legerunt עניתני, sed עניתי *honithi*, una littera dempta, id est *humilitatem meam.*

Anima Christi cur unica dicta sit, et quare Christus eam diligeret?

Vers. 23. 23. NARRABO NOMEN TUUM FRATRIBUS MEIS, IN MEDIO ECCLESIÆ LAUDABO TE.

Jam incipit narrare fructum resurrectionis suæ, qui est conversio mundi ad Deum : « Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, » id est, postquam resurrexero, mittam apostolos in mundum universum, et per eos « narrabo nomen tuum, » id est, notitiam divinitatis tuæ manifestam faciam omnibus hominibus, qui fratres mei sunt propter assumptam carnem, et sic « in medio Ecclesiæ laudabo te, » id est, non amplius in angulo Judææ, sed in medio Ecclesiæ magnæ ex Judæis et Gentibus adunatæ laudabo te, per ministros meos videlicet. Hunc locum adducit Apostolus *ad Hebr.* II, 11 : « Propter quod, inquit, non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. »

Vers. 24. 24. QUI TIMETIS DOMINUM, LAUDATE EUM; UNIVERSUM SEMEN JACOB, GLORIFICATE EUM.

Vers. 25. 25. TIMEAT EUM OMNE SEMEN ISRAEL, QUONIAM NON SPREVIT, NEQUE DESPEXIT DEPRECATIONEM PAUPERIS.

Quia dixerat : « In medio Ecclesiæ laudabo te, » quod erat implendum per fideles suos, ideo nunc ipsos fideles hortatur, ut Deum laudent. « Qui timetis Dominum, » id est, qui notitiam ejus habetis, eumque colitis. Timere enim Deum in Scriptura accipitur pro colere. Ita *Jonæ* I, Jonas interrogatus de populo suo : « Ego, inquit, Hebræus sum, Deum qui fecit cœlum et terram ego timeo ; » et *Daniel.* VI : « Paveant omnes Deum Danielis; » et *Judith* I, dicitur de Judith, « quod timebat Dominum valde. » Itaque sensus est : Vos qui Deum verum cognoscitis et colitis, laudate eum. Et ne putemus fideles, quos alloquitur, esse paucos, utpote unam gentem Judæorum, addit : « Universum semen Jacob, glorificate eum, et timeat eum omne semen Israel, » id est, glorificent, et timeant Deum omnes Israelitæ, non tantum ii, qui sunt Israelitæ secundum carnem, sed etiam qui sunt Israelitæ secundum promissionem, quales sunt omnes gentiles ad Christum conversi. Vide S. Augustinum in epist. 200, alias 187, *ad Asellicum*, ubi demonstrat christianos esse veros Israelitas, non carne, sed spiritu, fide et promissione. Verba sequentia : « Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis, » Hebræi faciunt novum versiculum, eique adjungunt totum versiculum sequentem. Sed Septuaginta aliter interpunxerunt. Reddit igitur rationem Dominus, cur velit ab omnibus laudari Deum, quia videlicet exaudivit orationem, quam fuderat pro resurrectione et gloria sua, pro victoria contra diabolum, et redemptione generis humani. Vocat autem se pauperem, quia talis erat tempore passionis, cum nudus, ac derelictus, fame sitique laborans penderet in cruce. In hebræo, pro *deprecationem pauperis*, habetur עניות, quod S. Hieronymus vertit *modestiam*, et posset etiam verti *afflictionem, humilitatem, clamorem,* etc.

Timere Deum in Scriptura est colere.

Vers. 26. 26. NEC AVERTIT FACIEM SUAM A ME, ET CUM CLAMAREM AD EUM, EXAUDIVIT ME.

Idem repetit aliis verbis. In hebræo legitur, *nec avertit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad*

eum, exaudivit. Verisimile est Septuaginta legisse *iod,* ubi nunc habetur *vau,* cum sint litteræ similes, et *iod* sit nota pronominis primæ personæ, *vau* autem tertiæ. Sed sententia est omnino eadem. Nam si dicatur : *Nec avertit faciem suam ab eo,* per illud, *ab eo,* intelligitur *a paupere,* de quo dictum est, *non despexit deprecationem,* sive *afflictionem pauperis* : pauper autem ille, Christus ipse est.

Vers. 27. 27. APUD TE LAUS MEA IN ECCLESIA MAGNA, VOTA MEA REDDAM IN CONSPECTU TIMENTIUM EUM.

Hortatus fuerat fideles suos, ut Deum laudarent, nunc prædicit id omnino futurum. « Apud te laus mea in Ecclesia magna, » id est, laus, quam ego tibi canam per fideles meos, erit apud te, sive coram te in Ecclesia magna, non in cœtu paucorum Hebræorum, sed in Ecclesia omnium gentium. Posset etiam hic locus exponi de laude, qua laudatur Christus in Ecclesia coram Deo. Euthymius legit, *a te laus mea;* unde videtur legisse, ἀπὸ σοῦ ; sed in textu nostro habetur παρὰ σοῦ, *apud te,* et sic legunt Hieronymus, Augustinus, Theodoretus et alii. Hebraica vox מאתך vertitur a S. Hieronymo, *apud te;* ab aliis, *a te.* Utramque enim expositionem recipit. « Vota mea reddam in conspectu timentium eum : » per vota intelligenda videntur hoc loco vota sacrificiorum et oblationum, juxta illud *Isai.* XIX, 21 : « Colent eum in hostiis et muneribus : vota vovebunt Domino, et reddent. » Christus enim cum videret holocaustum mortis suæ gratissimum Deo fuisse, videtur quodammodo promisisse, se holocaustum illud per ministros suos frequentissime oblaturum eo quo deceret modo, atque hoc est quod nunc dicit : « Vota mea reddam in conspectu timentium eum, » id est, per ministros meos sacerdotes novi Testamenti assidue immolabo sacrificium Deo gratissimum, idque « in conspectu timentium, » id est, colentium eum, ac per hoc verorum fidelium. Non enim licet hoc sacrificium coram infidelibus immolare.

Sacrificium novi Testamenti per sacerdotes offerendum promittitur.

Vers. 28. 28. EDENT PAUPERES, ET SATURABUNTUR, ET LAUDABUNT DOMINUM QUI REQUIRUNT EUM : VIVENT CORDA EORUM IN SÆCULUM SÆCULI.

De hoc sacrificio « edent pauperes, » qui suam paupertatem et egestatem spiritualem agnoscunt, « et saturabuntur, » quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum, « et laudabunt Dominum, » gratias agentes Deo pro tam insigni beneficio, illi omnes, « qui quærunt eum, » qui esuriunt, et proinde avide requirunt Dominum. « Vivent corda eorum in sæculum sæculi. » Hic erit fructus illius refectionis, ut corda tam nobili cibo refecta vivant vita spirituali, vita gratiæ interim, ac postea vita gloriæ in sæculum sæculi. Sic enim Veritas ait *Joan.* VI : « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Sicut enim cibus corruptibilis vitam conservat ad tempus, ita cibus incorruptibilis vitam æternam præbet. In hæbreo habetur, *vivet cor vestrum in æternum,* sed una littera mutata, ex לבבכם, *cor vestrum,* fit לבבם, *cor eorum.*

Vers. 29. 29. REMINISCENTUR, ET CONVERTENTUR AD DOMINUM UNIVERSI FINES TERRÆ.

Reddit causam, cur in Ecclesia magna sit laudaturus Deum, quia videlicet convertentur ad Deum merito sacrificii crucis omnes gentes. « Reminiscentur, » inquit, principii unde prodierunt, id est, recordabuntur se olim a Deo in primo parente conditos, quod per originale peccatum jam dudum oblivioni mandaverant, et ideo ligno et lapidi dixerant : « Pater meus es tu, » *Jerem.* III ; « reminiscentur, » inquam, primæ creationis, et « convertentur ad Dominum universi fines terræ, » id est, omnes gentes, quæ habitant orbem terrarum, usque ad ultimos ejus fines. Significantur autem per omnes gentes, non singuli homines totius mundi, sed ex omnibus gentibus aliqui.

Vers. 30. 30. ET ADORABUNT IN CONSPECTU EJUS UNIVERSÆ FAMILIÆ GENTIUM.

Declaratio est versiculi superioris. Id est enim converti ad Dominum omnes fines terræ, adorare Dominum, relictis idolis, omnes familias gentium, quæ usque ad fines terræ propagatæ inveniuntur. Porro adorare coram Domino, idem est, quod adorare Dominum, quoniam vox hebræa ישתחוו, quam nos vertimus *adorare,* proprie significat *incurvari.* Incurvari autem coram Domino, idem est, quod adorare Dominum.

Vers. 31. 31. QUONIAM DOMINI EST REGNUM, ET IPSE DOMINABITUR GENTIUM.

Merito convertentur ad Dominum, et adorabunt eum omnes gentes, quoniam ipse est verus et naturalis Rex omnium, ideo ipse deinceps, non dæmones, dominabitur gentium.

Vers. 32. 32. MANDUCAVERUNT, ET ADORAVERUNT OMNES PINGUES TERRÆ; IN CONSPECTU EJUS CADENT OMNES, QUI DESCENDUNT IN TERRAM.

Quia dixerat : « Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, et adorabunt eum universæ familiæ gentium; » ne quis putaret solos pauperes et plebeios convertendos ad Dominum, adjungit de divitibus et potentibus : « Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ, » id est, ipsi etiam pingues terræ, qui abundant terrenis bonis, ipsi principes, imperatores, reges manducabunt de mensa Domini, et adorabunt, ac laudabunt communem Dominum, cujus est regnum super omnes gentes. Ponitur autem more prophetico præteritum pro futuro, *manducaverunt et adoraverunt,* pro *manducabunt et adorabunt.* Et denique omnes, « qui descendunt in terram, » sive, ut sonat vox hebræa, *qui descendunt in pulverem,* id est, omnes mortales, qui tandem per mortem resolvuntur in pulverem, « omnes, in-

Conversio gen-

Finem generalis fructus passionis Christi.

quam, cadent in conspectu ejus, » id est, genua flectent et adorabunt. Atque ita vere generalis erit conversio gentium, quæ est fructus Dominicæ passionis et resurrectionis.

Vers. 33. 33. ET ANIMA MEA ILLI VIVET, ET SEMEN MEUM SERVIET IPSI.

Concludit Psalmum, dicens se deinceps perpetuo victurum ad gloriam Dei, et eidem Deo posteritatem suam fideliter servituram. Ponit autem animam pro toto homine, quod in Scripturis, et præsertim in Psalmis est frequens. « Anima mea, » id est ego, illi vivam, « et semen meum, » id est posteritas mea, regenerata per aquam et Spiritum Sanctum, « serviet illi. » In hebræo habetur, *et anima ejus non vivet*; sed manifeste apparet, Septuaginta non legisse נַפְשׁוֹ, *anima ejus*, sed נַפְשִׁי, *anima mea*. Solum enim extendenda est particula unius litteræ, ut ex una voce fiat alia. Sic etiam certum est Septuaginta non legisse לֹא, *non*, sed לוֹ, *ei*. Et cum sententia lectionis, quam habuerunt Septuaginta, longe clarior sit, imo cum sententia lectionis modernorum Hebræorum nihil plane significet, non videtur posse dubitari quin textus hebraicus sit corruptus vitio librariorum.

Vers. 34. 34. ANNUNTIABITUR DOMINO GENERATIO VENTURA, ET ANNUNTIABUNT CŒLI JUSTITIAM EJUS POPULO QUI NASCETUR, QUEM FECIT DOMINUS.

Declarat, quod dixit : « Semen meum serviet ipsi, » dicens : « Generatio ventura, » id est, populus novi Testamenti suscipiet bonum nuntium de Domino, et de justitia ejus, quæ est justitia fidei. Illud, *annuntiabitur generatio ventura*, significat, *annuntiabitur generationi venturæ*, sive *nuntium accipiet generatio ventura*. Est enim phrasis græca qualis habetur etiam *Matth.* XI : « Pauperes evangelizantur, » id est, pauperibus evangelizatur; et I *Timoth.* I : «Secundum Evangelium, quod creditum est mihi; » nam in græco ad verbum est, *quod creditus sum;* sed Interpres mutavit phrasim græcam, quam reliquit *Matth.* XI. Itaque non est sensus : « Annuntiabitur Domino generatio ventura, » id est, adscribetur Domino generatio ventura; sed : *Annuntiabitur de Domino*, sive *Dominus generationi venturæ*. Quod colligitur tum ex hebræo, ubi habetur לְדוֹר *laddor*, id est *generationi*; tum quia idem repetitur, vel declaratur in sequentibus verbis, de more Davidis : « Annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur. » Idem enim est, *generatio ventura*, et *populus qui nascetur*. Annuntiabitur ergo Dominus generationi venturæ, quia « annuntiabunt cœli, » id est cœlestes homines, « justitiam Dei populo, qui nascetur. » Vocatur autem justitia Dei, justitia fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quæ vere facit homines justos. Hoc enim præcipue docuit Evangelium, omnes esse peccatores, nec posse viribus propriis justificari, sed a solo Deo per Christi fidem veram justitiam exspectandam. In hebræo non habetur *generationi venturæ;* sed post nomen *generationi*, habetur interpunctio, ac deinde verbum *venient*, quod conjungitur cum sequenti, *et annuntiabunt*. Cæterum Septuaginta Interpretes non habuerunt illam interpunctionem post nomen *generationi*; et verbum *venient* legerunt in singulari, *veniet*, ac proinde recte legerunt, *generationi quæ veniet*, id est generationi venturæ. Nomen *cœli*, cum dicitur *annuntiabunt cœli*, non habetur in hebræo, neque in græco textu, sed latinus Interpres addidit explicationis gratia. Et legitur hæc vox *cœli* apud S. Hieronymum, et S. Augustinum in commentario hujus Psalmi, sed non legitur a Theodoreto et Euthymio, græcis scriptoribus, quia (ut diximus) vetus latinus Interpres eam addidit. Illud, quod habetur in fine, *quem fecit Dominus*, significat populum istum novi Testamenti peculiarem esse Dei populum, ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit Apostolus *ad Titum*, cap. III. Similis est sententia in *Psalm.* CXVII : « Hæc dies, quam fecit Dominus. »

Justitia Dei facit homines vere justos.

PSALMUS XXIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Psalmus David.*

Dominus regit me, et nihil mihi deerit :

2. In loco pascuæ ibi me collocavit.
Super aquam refectionis educavit me :
3. Animam meam convertit.
Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4. Nam, et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

V. S. H. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Dominus pascit me [*h. pastor meus*]; nihil mihi deerit.

In pascuis herbarum accubavit me : super aquas refectionis enutrivit me.

Animam meam refecit : duxit me per semitas justitiæ, propter nomen suum.

Sed et si ambulavero in valle umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum :

Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

5. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est!

6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ :

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

virga tua et baculus tuus, ipsa consolabuntur me.

Pones coram me mensam ex adverso hostium meorum :

Impinguasti in [al. tac. *in*] oleo caput meum, calix meus inebrians.

Sed et benignitas et misericordia subsequentur [al. *subsequantur*] me, omnibus diebus vitæ meæ :

Et habitatio in domo Domini, in longitudine dierum.

Argumentum. — Testatur Davides spem et fiduciam, quam in Dei favore et cura ponit. Adhibita primum comparatione ex vita pastoritia petita, Deum bono pastori, se vero facit ovi similem, quam pastor et diligentissime tuetur, et indulgentissime habet. Deinde utitur similitudine hominis locupletis, qui amicum domo sua pro hospitio laute excipit. Tandem declarat sibi esse persuasissimum, fore, ut in ea domo Dei perpetuo maneat. Apparet omnino, hunc Psalmum a Davide conscriptum quum, devictis hostibus et constituto regno, otio et pace læta frueretur : tota enim oratio hujus carminis videtur ex animo parato et tranquillo proficisci. Sunt tamen interpretes qui Psalmum nostrum referunt sive ad I *Sam.* XXV, 20, sive ad II *Sam.* XVII, 27 : at videant isti interpretes, qui in singulis imaginibus poeticis allusiones ad res in facto positas captant, ne poetam convertant in frigidum historicum. Cæterum stropha una.

1. Carmen Davidis.

Jova *est* pastor meus, non egebo.
2. In pascuis virentibus recubare me facit,
ad aquas placidas ducit me.
3. Animam meam reducit (languentem recreat),
ducit me in orbitis rectis propter nomen suum.
4. Etiam quando in valle umbræ mortis mihi eundum est, nil mali timeo,
nam tu mecum es :
pedum tuum et baculus tuus, illa me consolantur.
5. Instruis coram me mensam coram hostibus meis ;
ungis oleo caput meum ;
poculum meum est ubertas.
6. Nil nisi bonum et benignitas me prosequentur omnes dies vitæ meæ,
et habitatio mea in domo Jovæ erit in longitudinem dierum.

NOTÆ.

Vers. 2. *Virentibus,* propr. *herbæ teneræ. Placidas,* propr. *quietum,* non ad torrentes magno cum strepitu ruentes. *Ducit ;* Hengstenberg, *curat.* — Vers. 3. *Nomen suum,* i. e. ut bonitatis fama celebretur. — Vers. 4. *Vallis umbræ mortis,* i. e. summe caliginosa atque terribilis. — Vers. 5. *Coram :* gallice diceres, *à la barbe de mes ennemis. Oleo* fragranti, Orientalium more, qui convivas honoratiores balsamis aliisque fragrantibus unguentis adspergebant. — Vers. 6. *Habitatio mea,* litt. τὸ *habitare meum,* pro *shibthi,* infin. cal. τοῦ *iashab.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus indicat auctorem Psalmi fuisse David : argumentum vero Psalmi est eximia Dei benevolentia erga electos.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1.** DOMINUS REGIT ME, ET NIHIL MIHI DEERIT; IN LOCO PASCUÆ, IBI ME COLLOCAVIT.

In hoc Psalmo describitur felicitas electorum Dei per similitudinem ovium, quæ ab optimo aliquo pastore reguntur. In eorum persona David, qui unus erat ex illis, dicit : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, » quasi dicat : Ovicula Dei sum, et quia Deus pastor est potentissimus, sapientissimus et optimus, ideo confidenter dico : « Nihil mihi deerit. » Hæc vox est hominis felicissimi in via, et in spe. Nam beati in patria et in re non dicunt : « Nihil mihi deerit, » sed : Nihil mihi deest; siquidem fugit ab eis labor, et dolor, et jam intraverunt in gaudium Domini sui. At beati in via et in spe non possunt dicere : Nihil mihi deest, cum sint obnoxii multis passionibus; sed recte dicunt : « Nihil mihi deerit, » quia si esurierint, non deerit panis; si ægrotaverint, non deerit medicus; et sic de cæteris. Porro vox illa *regit*, in hebræo et græco textu proprie significat *pascere*, et idcirco sensus est : Dominus regit me pastorali modo, sicut pastor regit oviculas suas. Quod autem dixit in summa : « Nihil mihi deerit, » declarat per partes in sequentibus verbis. Videntur autem hæc esse, quibus oviculæ egere solent : *primo*, pascua pinguia; *secundo*, aquæ puræ; *tertio*, ut reducantur, si forte erraverint; *quarto*, ut ducantur per commodas vias; *quinto*, ut a lupis aliisque feris defendantur; *sexto*, ut fatigatæ sustententur; *septimo*, ut si per tribulos et saxa incedentes lædantur, refocillentur et recreentur; denique, ut evoluto die, confectoque itinere, domum habeant, ubi requiescant. Hæc omnia præstat abunde Deus electis suis, ac per hoc recte dicunt : « Nihil mihi deerit. » Incipit David a primo, cum subjungit : « In loco pascuæ, ibi me collocavit, » id est, non collocavit me in loco arido, vel deserto, sed in pascuis uberrimis, ubi salubrium herbarum maxima copia est. Articula *ibi* non habetur in hebræo, neque est necessaria; addita est ab interprete græco, et inde translata in latinam editionem, sed redundat. Porro pabula, sive pascua spiritualia rationabilium ovium Dei, quibus electi abundant, nihil sunt aliud, nisi notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, Veritas ipsa. Hæc enim est, quæ vitam spiritualem sustentat et auget.

Beati in via dicunt: nihil mihi deerit. Beati in patria: nihil mihi deest.

Vers. 2. **2.** SUPER AQUAM REFECTIONIS EDUCAVIT ME, ANIMAM MEAM CONVERTIT.

Attingit secundum et tertium bonum oviculis necessarium. « Super aquam refectionis educavit me, » id est, non solum in loco herbis affluente collocavit me, sed etiam in loco vicino salubribus aquis, atque ita educavit, et aluit me optimo pabulo super rivos aquarum sito, ut possim ab æstu et sitis ardore refrigerari. Parum refert, quod vox hebræa et græca non tam *refectionem*, quam *requiem* significat. Idem enim est sensus. Qui enim salubribus aquis ardorem sitis exstinguit, et requiescit, et reficitur. Spiritualis aqua, quæ concupiscentiæ ardorem rationabilium ovium restinguit, gratia Dei est, de qua Dominus in Evangelio *Joan.* IV, 14 : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. » Nihil enim æque reprimit carnalia desideria, quam gustus amoris Dei. Gustato enim spiritu desipit omnis caro. « Animam meam convertit, » hoc est tertium donum, reductionis videlicet. Neque enim potest homo suis solis viribus reverti ad Deum, sicut potest suis solis viribus averti. Ait igitur : Bonus pastor errantem me quæsivit, et reduxit, quod est beneficium magnum, atque electorum proprium, ut non sinantur errare perpetuo.

Vers. 3. **3.** DEDUXIT ME SUPER SEMITAS JUSTITIÆ, PROPTER NOMEN SUUM.

Quartum bonum commemorat : « Deduxit, inquit, me super semitas justitiæ, » id est, ingredi fecit me per viam angustam præceptorum suorum, ut juste viverem. Id vero fecit removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentatoris, augendo charitatem, dulcescere faciendo justitiam, illustrando, inflammando, alliciendo, terrendo, aliisque innumerabilibus modis. Quos modos si adverteremus, non cessaremus omnibus momentis tam dulci Pastori gratias agere, præsertim cum id faciat non propter merita nos-

tra præcedentia, sed « propter nomen suum, » id est, « ut notas faciat divitias misericordiæ suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, » ut dicit Apostolus *Ephes.* I.

Vers. 4. 4. NAM ETSI AMBULAVERO IN MEDIO UMBRÆ MORTIS, NON TIMEBO MALA, QUONIAM TU MECUM ES.

Hoc est bonum quintum; defensio videlicet a lupis aliisque sylvestribus feris. « Nam etsi ambulavero in medio, » sive, ut habet hebræus textus, בגיא צלמות, *in valle umbræ mortis*, id est per loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita, ferarum, latronum, præcipitiorum, « non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Nam « si Deus pro nobis, quis contra nos? » Et vere incredibilis securitas est in corde diligentis Deum, dum recogitat, secum esse illum, cui nihil resistere potest. Frequentissima est in libris Prophetarum commemoratio *umbræ mortis*, quæ proprie significat tenebras densas, quales adfert mors, quæ privat omni lumine. Dicuntur enim cæci esse in tenebris, quia nihil vident, et multo magis mortui dicuntur esse in tenebris, quia nihil sentiunt. Hinc videlicet Poetæ loca mortuorum umbrosa, ac tenebris obsita esse dicunt. Hinc etiam Scripturæ sanctæ passim conjungunt umbram mortis cum tenebris, ut unum per aliud explicetur. *Job.* III : « Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis; » et cap. X : « Ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine; » *Isai.* IX : « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, » ubi pro eodem accipitur, habitare in tenebris, et habitare in regione umbræ mortis. Quia vero loca tenebrosa multis periculis sunt exposita, et non sine ingenti pavore per ea iter facere solemus; ideo David hoc loco dicit : « Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, » id est, in medio ingentium tenebrarum, ubi multa undique pericula circumstent, « nihil timebo, quoniam tu mecum es. »

Vers. 5 5. VIRGA TUA ET BACULUS TUUS, IPSA ME CONSOLATA SUNT.

Sextum bonum explicatur, quod est sustentatio fatigati. Jam enim Propheta, omissa similitudine ovium, loquitur proprie de hominibus; neque enim oves lassæ sustentantur baculo, sed deferuntur in humeris pastorum. Et quamvis possent hæc verba referri ad castigationem paternam, ut S. Augustinus facit, tamen probabilius est ad litteram esse referenda ad sustentationem, ut ea referunt Theodoretus et Euthymius. Nam vox hebraica משענתך significat proprie *fulcrum*, id est, *baculum fulcientem* : sicut etiam vox græca βακτηρία a *sustentando* deducitur, unde βακτηρεύειν est *baculo inniti*. Nisi placeat fortasse, virgam referre ad castigationem, et baculum ad sustentationem. Deus enim, cum videt suos in via fatigari, lentiusque progredi, quam par esset, utrumque adhibere solet, et verbum increpatorium et consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet. Sed utrumque tandem consolationem adfert, quoniam lætatur anima, cum videt profectum suum curæ esse Deo.

Vers. 6. 6. PARASTI IN CONSPECTU MEO MENSAM, ADVERSUS EOS QUI TRIBULANT ME.

Vers. 7. 7. IMPINGUASTI IN OLEO CAPUT MEUM, ET CALIX MEUS INEBRIANS, QUAM PRÆCLARUS EST!

Hoc est bonum septimum, quod videlicet Deus electos suos in tribulationibus, quas in hac vita non possumus evadere, mirifice consoletur. Quare non est sensus horum versiculorum, quod Deus paraverit electis mensam, oleum, et vinum adversus hostes, quasi hæc sint arma, quibus contra hostes pugnandum sit; sed sensus est, Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes; et sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines, sic ingeri a Deo suavitates, quæ describuntur more humano per similitudinem convivii, in quo sit mensa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput, nec desit vinum egregium, atque ad inebriandum, id est, exhilarandum aptissimum. Solebant enim veteres in magnis conviviis adhibere inter præcipuas delicias unguenta pretiosa, quod etiam servatum videmus in Evangelio, *Matth.* XXVI, a S. Maria Magdalena erga Dominum. Porro illa verba, *adversus eos qui tribulant me*, clariora sunt in textu græco et hebraico. Nam græcum ἐξ ἐναντίας, et hebraicum נגד *neged*, significant *e regione*, sive *ex adverso*, ut vertit S. Hieronymus. Proinde sensus est : e regione tribulationum, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales, tu *parasti*, sive *ordinasti*, ut sonat verbum hebraicum, consolationem ingentem, mensam videlicet opiparam. « Impinguasti caput meum oleo, » id est, unguento pretioso caput meum perfudisti, et sic exhilarasti faciem meam in oleo, et non deest ex gratia tua calix vini inebrians et præclarus, qui lætificet cor meum. Similis est sententia in *Psalmo* XCIII : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Et in Apostolo II *Cor.* VII, 4 : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » Illud, *calix meus*, in textu græco est, *calix tuus*, et sic legunt Augustinus et Euthymius; sed in hebræo habetur כוסי *cosi, calix meus*, et sic etiam vertit S. Hieronymus. Probabile est emendatiores codices græcos habuisse τὸ ποτήριον μου, *calix meus*, quomodo legit S. Hieronymus in Commentario, ubi exponit versionem Septuaginta, et sic videtur legisse Theodoretus. Imo S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam* dicit, in editione Septuaginta haberi *calix meus*, et ex errore haberi in quibusdam codicibus *calix tuus*. Proinde nostra lectio latina omnino retinenda est : sensus vero

Deus opponit tribulationibus magnas consolationes.

semper est idem. Calix enim ille et meus est, quia mihi datus; et Dei est, quia a Deo datus.

Vers. 8. 8. ET MISERICORDIA TUA SUBSEQUETUR ME, OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ.

Vers. 9. 9. ET UT INHABITEM IN DOMO DOMINI, IN LONGITUDINEM DIERUM.

Hoc est ultimum bonum, quod perducit ad summum bonum. « Misericordia tua subsequetur me, » non ad tempus, sed perseveranter usque in finem, quod est donum proprium electorum. « Et ut inhabitem, » id est, et subsequetur me, ut « inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum, » id est in æternum. In hebræo et in græco textu non habetur *ut*, sed solum *et* : contra autem nonnulli veterum, ut Augustinus, Hieronymus, Theodoretus in Commentariis non legunt *et*, sed solum *ut*, et certe sine alterutro esset clarior lectio, nimirum sic : *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini*, quomodo legunt Patres; vel sic : *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, et inhabitabo in domo Domini*, quomodo vertit ex hebræo S. Hieronymus. In his enim lectionibus nihil subaudiendum est. Tamen lectio nostra non est adeo obscura, ut non possit satis facile intelligi. Subauditur enim illud, *subsequetur*, quod paulo ante præcedit, nimirum : *Misericordia tua subsequetur me, dum vivo*, ut recte vivam, *et subsequetur post hanc vitam*, ut in æternum vivam. Quare S. Augustinus, licet in textu non legerit *et*, tamen in Commentario addit *etiam*, ut videatur illud subintellexisse. Porro pro voce *inhabitem*, in hebræo habetur שבתי, quod significat *redibo*. Cæterum Septuaginta legisse videntur ישבתי, una litterula addita, et sic recte verterunt, *ut inhabitem*. Quomodo etiam legit S. Hieronymus, qui non vertit *redibo*, sed *inhabitabo*. Quare lectio hebraica post S. Hieronymi tempora depravata fuisse videtur.

PSALMUS XXIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Prima sabbati, Psalmus David.*

Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

7. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

8. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

9. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

10. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

V. s. h. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis et habitatores ejus.

Quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina stabilivit eam.

Quis ascendet in montem Domini, et [al. *aut*] quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde : qui non exaltavit frustra animam suam, et non juravit dolose.

Accipiet benedictionem a Domino, et justitiam a Deo salutari suo.

Hæc generatio quærentium eum, quærentium faciem tuam, Jacob. SEMPER.

Levate, portæ, capita vestra, et elevamini, januæ sempiternæ, et ingrediatur rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prælio.

Levate, portæ, capita vestra, et erigite, januæ sempiternæ, et ingrediatur rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dominus exercituum : ipse est rex gloriæ. SEMPER.

Argumentum. — Carmen hoc tres habet partes et strophas. Prima celebrat Jovæ potentiam et majestatem, vers. 1-2; secunda docet, quales se præstare debeant ii qui tanti Dei cultores haberi, et horum cœtui adjungi volunt, vers. 3-5; in tertia parte vates, eleganti usus prosopopœia, ipsas sacrarii portas compellat, quas hortatur, ut late pandantur ingredienti arcæ, sive potius, cujus erat sedes, Jovæ, cujus virtus et magnitudo dehinc sublimi dialogismo prædicatur, vers. 7-10. Consentiunt fere recentiores saltem interpretes in hac sententia, Psalmum hunc compositum esse occasione solemnis pompæ, qua sacrosancta Jovæ arca in montem Sionem inducebatur (vid. II *Sam.* v;

I *Paralip.* xv). Maurer vero in dedicatione templi decantatum esse carmen persuasum habet, confertque I *Reg.* viii; II *Paralip.* v, 2-7.

1. Davidis carmen.

Jovæ est terra et plenitudo ejus,
orbis (οἰκούμενος) et omnes qui habitant in eo.
2. Nam is super maria fundavit eam,
et super flumina firmavit eam.

3. Quis ascendet in montem Jovæ,
et quis stabit in loco ejus sancto?
4. *Qui est* insons manibus et purus corde,
qui non effert ad mendacium animum suum,
nec jurat ad fraudem.
5. *Is* auferet benedictionem (beneficia) a Jova,
et justitiam a Deo salutis ejus.
6. Hæc est generatio quærentium (sincere colentium) eum,
quærentes faciem tuam *ipsi sunt* Jacob.

7. Elevate, portæ, capita vestra,
et elevamini, fores æternæ,
ut intret rex gloriæ (gloriosus). —
8. Quis est iste rex gloriæ? —
Jova, fortis et potens,
Jova, potens in bello. —
9. Elevate, portæ, capita vestra,
et elevate vos, fores æternæ,
ut intret rex gloriæ.
10. Quis *est* iste rex gloriæ?
Jova Tsebaoth ille *est* rex gloriæ.

NOTÆ.

Vers. 2. *Super, au-dessus.* Quum terra supra aquas emineat (*Gen.* I, 9), his tanquam fundamento superstructa videtur. — Vers. 4. *Effert,* i. e. inducit, hoc est, qui non appetit malum. Minus recte Rosenmullerus, *qui non* ore *profert in vanum animum,* i. e. nomen, *ejus,* scil. Jovæ, i. e. qui non in vanum jurat. *Ad fraudem,* cum fraude. — Vers. 5. *Justitiam,* mercedem debitam; alii *augmentum sanctitatis.* — Vers. 6. *Hæc,* hujusmodi. *Jacob,* i. e. genuini Jacobi posteri, veri Israelitæ. Alii, *quærentium faciem tuam, o Jacobi* Deus : ita Ewaldus; vel, *o Jacob,* ut *Jacob* sit mysticum Dei nomen. — Vers. 7. *Æternæ,* quod arx Sionia jam longe ab olim fuerat exstructa. — Vers. 8. Ex hoc præsertim versiculo carmen alternis choris decantatum fuisse, putant plurimi. — Vers. 10. *Tsebaoth,* i. e. *exercituum,* intellige *Deus. Tseba* in veterum Hebræorum scriptis pro quavis multitudine, modo sit ordinata, ponitur. Sic stellæ, angeli, imo universæ res creatæ dicuntur *exercitus.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, prima Sabbati.

Cur dicatur hic Psalmus prima Sabbati?

In hoc titulo pars illa, *prima Sabbati,* non habetur in hebræo, sed addita est a Græcis, fortasse quia in principio Psalmi fit mentio creationis terræ, quæ prima Sabbati, id est, die Dominico facta est, vel quia solerent hunc Psalmum die Dominico recitare. Quod quidam volunt additum esse, *prima Sabbati,* quia illo die Dominus resurrexit, non mihi videtur probabile, cum hic Psalmus, non resurrectionem, sed ascensionem Domini manifeste prædicet, ascensionem autem non prima Sabbati, sed quinta factam esse notissimum est. Quod ad ascensionem hic Psalmus proprie pertineat, testantur Cyprianus serm. *De Ascens.;* Hieronymus, epist. 142 *ad Damasum;* Ruffinus in *Exposit. Symboli;* Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Leo, et alii in serm. *De Ascensione.*

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINI EST TERRA, ET PLENITUDO EJUS: ORBIS TERRARUM, ET UNIVERSI QUI HABITANT IN EO.

Propositum Davidis est ostendere, ex innumerabili hominum multitudine solum Christum, et paucos alios, paucos, inquam, si ad multitudinem aliorum conferantur, in domum Domini cœlestem et beatissimam intraturos; quare ne forte crederentur cæteri homines ad Deum non pertinere, sed ab alio aliquo principio creatos esse, quod postea marcionistæ manichæique senserunt, præmittit hos duos versiculos, quibus docet Deum Creatorem ac Dominum esse totius orbis terrarum, et omnium rerum quæ in eo sunt. « Domini est terra, et plenitudo ejus, » id est, et omnia quæ in ipsa sunt, quæque ipsam replent. Quod explicatur per alteram partem versiculi: « Orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. » Declarat enim se, cum dixit: « Domini est terra, » intellexisse potissimum de terra habitabili, quæ proprie dicitur hebraice תבל *thebel,* et græce οἰκουμένη, id est, *orbis terræ habitabilis;* et cum dixit, *omnis plenitudo ejus,* declarat se intellexisse præcipue de hominibus, qui habitant in ea, non de cæteris rebus quæ in ipsa sunt.

Vers. 2. 2. QUIA IPSE SUPER MARIA FUNDAVIT EUM, ET SUPER FLUMINA PRÆPARAVIT EUM.

Probat Deum Dominum esse orbis terræ, et omnium habitantium in eo, quoniam ipse fecit terram, et fecit eam supereminere aquis, ut esset habitabilis. Nam, si vel aquis omnino careret, vel esset aquis undique cooperta, inhabitabilis esset. « Quia ipse, inquit, super maria fundavit eum, » id est, a fundamentis fecit orbem terræ, ac per hoc ex nihilo fecit, et fecit « super maria, » id est, ut superficies terræ esset altior superficie maris, et similiter « super flumina præparavit eum, » id est, præparavit orbem terræ ad habitationem hominum, et ideo fecit superiorem et altiorem fluminibus: alioqui enim mare et flumina terram obruerent, et altiora essent. Ex hoc autem, quod Deus terram habitabilem fecit, sequitur ut sit etiam Dominus omnium hominum, Deus Dominus est omnium hominum. dictum quia homines ex terra facti sunt, et in terram revertuntur; tum quia terram incolunt, non ut domini, sed ut coloni a Deo constituti, ut terram colant.

Vers. 3. 3. QUIS ASCENDET IN MONTEM DOMINI, AUT QUIS STABIT IN LOCO SANCTO EJUS?

Cum omnes homines coloni, et servi Dei sint, et omnes pariter terram, quæ Dei possessio est, incolant: « Quis ascendet in montem Domini? » id est, eritne aliquis ex tanto numero, et quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum ubi proprie habitat Deus? Vocatur *mons Domini* (ut alias sæpe diximus) domus cœlestis, quæ est vere sublimis et sancta, de qua dicitur in alio *Psalm.* CXIII: « Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. » Qui hunc locum exponunt de monte Sion, qui erat in Jerusalem civitate Judææ, videntur nullo solido fundamento niti posse, cum constet montem illum plenum fuisse hominibus omnis generis, ut plane ridiculum videatur de illo dicere: « Quis ascendet in montem Domini? »

Vers. 4. 4. INNOCENS MANIBUS, ET MUNDO CORDE, QUI NON ACCEPIT IN VANO ANIMAM SUAM, NEC JURAVIT IN DOLO PROXIMO SUO.

Respondet quatuor conditiones requiri in eo, qui sit ascensurus montem Domini. Prima est, ut sit *innocens manibus,* id est, nihil mali perpetraverit; altera, ut sit *mundus corde,* id est, nihil mali cogitaverit, aut cupiverit; tertia, *ut non acceperit in vano animam suam,* id est, ut non frustra vitam a Deo acceperit, id est, non solum nihil mali fecerit, vel cogitaverit, sed etiam ea omnia bona cogitaverit, et fecerit, quæ ad finem sibi a

Deo constitutum obtinendum requiruntur; quarta, ut non juraverit dolose. Illud, *qui non accepit in vano animam suam*, aliqui detorquent ad juramentum, ut sequens particula sit explicatio superioris. Volunt autem legi, *qui non accepit in vano animam ejus*, id est Dei; vel, juxta puncta Rabbinorum, *qui non accepit in vano animam meam*, ut Deus loqui intelligatur. Verum hæc expositio non videtur probabilis, tum quia sine causa Rabbini legi volunt, *animam meam*, cum vox hebræa habeat pronomen tertiæ personæ, non primæ, et in tertia persona vertit S. Hieronymus; tum quia lectio illa, *animam meam*, est omnino nova et inaudita, cum Latini et Græci hactenus in ea voce intellexerint relativum reciprocum, nimirum *animam suam*; tum denique, quia nomen Dei in vanum accipere, pro eo quod est falso jurare per Deum, habetur in Scripturis sanctis; sed animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere, pro falso jurare, nusquam legitur. Alii volunt animam suam in vano accipere, nihil esse aliud, nisi vana, id est, temporalia et caduca cogitare et concupiscere; sed hoc jam comprehensum erat in illo, *mundus corde*, et videtur coactum et durum. Addidit vero Propheta quartam illam conditionem, de juramento doloso, ut in eo peccato, quod est unum ex maximis, cum sit pariter contra Deum et contra proximum, comprehenderet omnia alia peccata, quæ per instrumentum linguæ committuntur. Itaque is, qui dignus sit in montem Dei, id est, in cœlum conscendere, debet undequaque esse perfectus, ita ut neque corde, neque voce, neque opere unquam deliquerit, et contra, bona omnia fecerit, quæ ad ejus officium pertinebant. Hæ vero conditiones non in alium, quam in Christum conveniunt. Is enim unus est, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, » ut dicitur I *Petri* II. De reliquis, « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, » ut loquitur David in *Psalm.* XIII; et « omnes nos quasi oves erravimus, » inquit Isaias cap. LIII; et apostolus Paulus *ad Rom.* III, 23 : « Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. » Proinde recte Dominus ipse ait *Joan.* III : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. » Reliqui sunt de terra terreni, ille solus de cœlo cœlestis, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis per ascensionem factus. Nec tamen sola persona Christi ascensura erat in montem Domini, sed ipse, et corpus ejus, quod est Ecclesia, quam lavit sanguine suo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, *ad Ephes.* V; propterea sequitur :

Nemo Christo excepto habet omnia ad cœlum petendum necessaria.

Ecclesia in cœlum est una cum Christo ascensura.

Vers. 5. 5. HIC ACCIPIET BENEDICTIONEM A DOMINO, ET MISERICORDIAM A DEO SALUTARI SUO.

« Hic, » videlicet Christus, « accipiet benedictionem a Domino, » id est, copiosissima bona pro se, et « misericordiam a Deo salutari, » pro corpore suo, quod est Ecclesia, cujus etiam respectu dicitur Deus salutaris ejus. Siquidem vita æterna in regno cœlorum, Christo justitia, fidelibus ejus misericordia est; nam etiamsi justi merentur ex condigno vitam æternam, tamen ipsa eorum merita ex misericordia Dei nascuntur, et dona Dei verissime appellantur. Unde in *Psalm.* CII dicitur : « Qui coronat te in misericordia et miserationibus; » et *ad Rom.* VI : « Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna. » In hebræo habetur, *justitiam a Deo salutari suo*, et sic vertit S. Hieronymus, secundum quam lectionem totus hic versiculus Christo proprie conveniret. Tamen Septuaginta, qui verterunt *misericordiam*, videntur consideravisse justitiam in Scripturis aliquando accipi pro bonitate, imo etiam expresse pro misericordia, ut in *Psalm.* CXI : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Unde est illud in Evangelio *Matth.* VI : « Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. » Et mox : « Te igitur faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. » Itaque Septuaginta hoc loco non tam ad vocem, quam ad rem significatam respexerunt.

Vers. 6. 6. HÆC EST GENERATIO QUÆRENTIUM EUM, QUÆRENTIUM FACIEM DEI JACOB.

Hic jam manifestat Propheta illum unum innocentem manibus, et purum corde, qui ascendet in montem Domini, et accipiet benedictionem et misericordiam a Deo, non esse solum caput, sed caput cum corpore, Christum cum Ecclesia. « Hæc, inquit, est generatio quærentium eum, id est, iste qui ascendet in cœlum, est generatio quædam hominum regeneratorum in Christo, quorum præcipuum studium est Deum quærere, ad faciem Dei videndum anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. Et vere unum est, ac forte præcipuum signum electorum Dei, suspirare ad patriam. Generatio enim filiorum hujus sæculi nihil minus quam Deum quærit, nihil magis quam mortem horret; et, si optio daretur, mallent in hoc sæculo semper vivere, quam dissolvi, et esse cum Christo. In textu græco habetur : Αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων Κύριον, *hæc est generatio quærentium Dominum*; et sic legunt in Commentario Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii : tamen in hebræo habetur *quærentium eum*, ut habet nostra editio latina. Sensus omnino est idem; nam illud, *eum*, refertur ad Dominum, de quo dictum erat, *accipiet benedictionem a Domino*. Itaque Septuaginta videntur explicasse pronomen *eum*, quod est in hebræo. Quod sequitur, *quærentium faciem Dei Jacob*, in hebræo est, *quærentium faciem tuam, o Jacob!* Quo etiam loco Septuaginta explicuerunt sententiam obscuram textus hebraici, in quo subintelligitur *Deus*, ut sensus sit : quærentium faciem tuam,

Deus Jacob : nisi forte per *Jacob* in textu hebraico intelligatur cœtus beatorum, sive cœlestis Jerusalem, et tunc in idem recidet, quærere faciem Dei, et quærere faciem Jacob : quia nemo videt faciem Jacob, id est, cœlestis patriæ, qui non videat faciem Dei Jacob, cum totum negotium, totaque felicitas illius beatissimi Jacob sit contemplari faciem Dei. Additur in hebræo סלה *selah*, id est *semper*, quia non solum generatio hæc Deum quærit, sed semper Deum quærit, id est, non fatigatur Deum quærendo, neque sinit se abduci a quærendo Deo, ut quærat aliquid infra Deum.

Vers. 7. 7. ATTOLLITE PORTAS, PRINCIPES, VESTRAS, ET ELEVAMINI, PORTÆ ÆTERNALES, ET INTROIBIT REX GLORIÆ.

Cum prævidisset sanctus Propheta inventum esse unum, qui ascendere dignus esset in montem Dei, id est Christum; prædicit jamjam illum re ipsa ascensurum, et portas cœli æternas illi aperiendas. Sed more poetico utitur prosopopœia, et alloquitur tum *principes* cœli, id est angelos, tum ipsas *portas*, ac jubet angelis, ut aperiant, et portis, ut sinant se aperiri, imo sponte patefiant advenienti Regi gloriæ. Euthymius notat portas non aperiri, sed tolli, quia adveniente rege solent portæ civitatis auferri, et deponi in signum subjectionis. At non dicit David : *Auferte* portas, sed *attollite*; et non dicit portis : *Exite de medio*, sed *elevamini*. Dicit igitur *attollite* et *elevamini*, quia portæ cœli non sunt quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant, sed quasi in tecto, vel laqueari, ut sursum versus aperiendæ sint. Unde etiam refellitur opinio eorum, qui volebant Prophetam loqui de domo aliqua in monte Sion terrestri, in quam introducenda erat arca. In hebræo ad verbum, ut vertit S. Hieronymus, alloquitur Propheta solas portas, ac dicit : *Attollite, portæ, capita vestra; elevamini, januæ sempiternæ, et introibit Rex gloriæ.* Dicuntur autem portæ attollere capita, quando elevantur sursum versus, quia tunc attolluntur extremæ partes earum, quæ sunt in eis veluti capita. Et quamvis vox hebræa ראשים *rashim* significare possit non solum *capita*, ut vertit S. Hieronymus, sed etiam *principes*, ut verterunt Septuaginta, tamen pronomen additum, quod Hebræi dicunt affixum, secundum communem phrasim hebraicam solet conjungi cum nomine immediate præcedente; et ideo illud, ראשיכם, deberet verti, *capita vestra*, ut vertit S. Hieronymus, vel *principes vestros*, quod hoc loco non est ad propositum. Tamen quia Septuaginta Interpretes satis aperte per ראשים *rashim* intellexerunt *principes*, cum verterint, οἱ ἄρχοντες, et pronomen conjunxerunt cum nomine *portas*, dicendum est, vel in textu ipsorum pronomen affixum fuisse nomini שערים, quod significat *portas*, non autem nomini ראשים, quod significat *principes*; vel posse pronomen affixum uni nomini, referri ad aliud nomen, quamvis rarissime, et præter regulam.

8. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ? DOMINUS FORTIS ET POTENS, DOMINUS POTENS IN PRÆLIO. Vers. 8.

Introducit principes cœlestis Jerusalem interrogantes : « Quis sit ille Rex gloriæ, » non quod angeli in die ascensionis Domini ignorarent Christum esse Regem gloriæ, sed ut exprimat admirationem, quam secum adferebat novitas illa, quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super cœlos, non tanquam hospes, sed tanquam Dominus gloriosæ ac sempiternæ civitatis. Respondet autem Propheta Regem gloriæ esse Christum, Dominum fortissimum et potentissimum, qui potentiam suam ostendit in prælio contra Principem tenebrarum, quem devicit, spoliavit et alligavit.

9. ATTOLLITE PORTAS, PRINCIPES, VESTRAS, ET ELEVAMINI, PORTÆ ÆTERNALES, ET INTROIBIT REX GLORIÆ. Vers. 9.

10. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ? DOMINUS VIRTUTUM, IPSE EST REX GLORIÆ. Vers. 10.

Fingit Propheta angelos, qui cœlo præsunt, quasi cunctari in aperiendis portis, et ideo rursus intonat : « Attollite portas, » etc., quæ non significant aliud, nisi ingentem rei novitatem, quod corpus terrenum supra corpus cœleste, et caro humana supra ipsos angelicos spiritus, cum incredibili totius naturæ admiratione, et quasi stupore conscendat. Rursus igitur introducit angelos interrogantes : « Quis est iste Rex gloriæ? » quibus ipse respondet : « Dominus virtutum, ipse Rex gloriæ. » Audito autem nomine sibi notissimo, nimirum *Dominus virtutum*, continuo aperiunt, et Regem gloriæ læti suscipiunt. *Dominus virtutum* in hebræo est, *Dominus* צבאות *tsebaoth*, quod S. Hieronymus vertit, *Dominus exercituum*, quod nomen in Prophetis frequentissime tribuitur Deo, neque est commune diis per participationem, sed proprium soli Deo proprie dicto, tum quia continet nomen quatuor litterarum, proprium soli Deo vero; tum quia solus sit vere Dominus exercituum, quia præest exercitibus angelorum, qui sunt pene innumerabiles et potentissimi; et etiam quia soli Deo vero militant omnes creaturæ. Nam, ut habemus in *Psalm.* CXLVIII : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus, » id est, pugnant ad imperium ejus. Expertus est quidem Pharao Deum esse Dominum exercituum, cum non solum per angelos, sed etiam per minutissima animalia contra eum pugnaverit, videlicet per ranas, muscas et culices, nec solum per animalia, sed etiam per res inanimatas, grandinem, ignem, tenebras, morbos, et similia. Porro translatio Septuaginta qui verterunt, *Dominus virtutum*, in idem recidit. Nam per *virtutes* non intelliguntur

Jova tsebaoth nomen proprium est soli vero Deo.

virtutes morales, quæ dicuntur ἀρεταί, sed vires et potentiæ, quæ dicuntur δυνάμεις. Itaque *Dominus virtutum* est Dominus virium et potentiarum, quales præcipue sunt castrorum acies ordinatæ. In vulgari etiam sermone exercitus armati dici solent, *les forces*. Ex his habemus Christum Dominum vere ac proprie esse Deum, non creaturam, ut Ariani aliique permulti hæretici voluerunt. Nam in hoc Psalmo dicitur *Dominus virtutum*, sive *exercituum*, quod nomen in tota Scriptura sacra soli Deo tribuitur; necnon *Rex gloriæ*, id est, Rex cœlestis Jerusalem, quæ est regio lucis, et summæ æternæque claritatis; quod sine dubio soli Deo vero convenire potest. Additur in hebræo סלה *selah*, *semper*, ut significetur Christum regem esse gloriæ, non ad tempus, sed in omnem æternitatem.

Dominus virtutum cur Deus?

Christus verus Deus.

PSALMUS XXV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Ad te, Domine, levavi animam meam :

2. Deus meus, in te confido; non erubescam :

3. Neque irrideant me inimici mei; etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam, Domine.

8. Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9. Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.

10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.

11. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.

12. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

13. Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.

14. Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

15. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

V. s. h. — *David.*

Ad te, Domine, animam meam levo.

Deus meus, in te fisus sum, ne confundar, ne lætentur [*h. neque exultent in me*] inimici mei.

Sed universi qui sperant in te non confundantur : confundantur qui iniqua gerunt frustra.

Vias tuas, Domine, ostende mihi, semitas tuas doce me.

Deduc me in veritate tua, et doce me : quia tu [al. add. *es*] Deus salvator meus, te exspectavi tota die.

Recordare miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quia a sæculo sunt.

Peccatorum adolescentiæ meæ, et scelerum meorum ne memineris : secundum misericordiam tuam recordare mei tu [al. tac. *tu*], propter bonitatem tuam, Domine.

Bonus et rectus Dominus : propterea docebit peccatores in via.

Deducet mansuetos in judicio, et docebit modestos viam suam.

Omnes semitæ Domini misericordia et veritas : his qui custodiunt pactum ejus, et testificationes ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiare iniquitati meæ, quoniam grandis est.

Quis est iste vir timens Dominum? quem docebit in via, quam elegerit.

Anima ejus in bono commorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.

Secretum [al. *Decretum*] Domini timentibus eum, et pactum suum ostendit eis.

Oculi mei semper ad Dominum : quia ipse educet de reti pedes meos.

16. Respice in me, et miserere mei; quia unicus et pauper sum ego.
17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.
18. Vide humilitatem meam, et laborem meum : et dimitte universa delicta mea.
19. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.
20. Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.
21. Innocentes et recti adhæserunt mihi; quia sustinui te.
22. Libera, Deus, Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

Respice in me, et miserere mei; quoniam solus et pauper ego [h. add. *sum*].
Tribulationes cordis mei amplificatæ sunt : de angustiis meis educ me.
Vide afflictionem meam et laborem meum, et porta omnia peccata mea.
Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : et odio iniquo oderunt me.
Custodi animam meam, et libera me, non confundar quoniam speravi in te.
Simplicitas et æquitas servabunt me; quia exspectavi te.
Redime, Deus, Israel, ex omnibus angustiis suis.

Argumentum. — Vates in hoc carmine ardenter et flebiliter petit, sibi remitti sua peccata, et liberari se a periculis et malis illis, quibus ea puniuntur; postremo attexit clausulam, qua pro populo etiam toto orat. Inseruntur et διδασκαλικὰ multa, itemque præconia fructuum pietatis, et celebrationes misericordiæ divinæ. Psalmus hic *acrostichidis* ostendit artificium, cujus rei plura inter sacra poemata exempla exstant, nec non inter Syriaca et Persica. Causas vero hujus instituti varii comminiscuntur varias, quarum tamen unica, aut saltem præcipua, probabilis videtur esse hæc, memoriam hoc artificio juvare voluisse poetas, ut alii talia carmina facilius addiscerent, et commodius recordarentur. Cæterum ordinis alphabetici non ita tenaces fuerunt Hebræi poetæ, ut in omnibus ac singulis ejusmodi carminibus numerum elementorum sine ulla interruptione aut defectu litteris initialibus repræsentandum existimarent. Ewaldo et Maurero *acrostichis* in hoc Psalmo, sicut et in XXXIV, recentioris ætatis indicium est, absque idonea ratione. Strophæ tres : vers. 1-3, meam in te spem non confundas; vers. 4-14, recte agendi rationem me doceas, meaque delicta, malorum causam, mihi ignoscas; vers. 15-22, libera me cum toto populo ab omnibus malis.

1. *Carmen* Davidis.

Ad te, Jova, animam meam levo.
2. Mi Deus, in te confido;
ne pudore afficiar (hac mea spe excidens),
ne exsultent de me hostes mei.
3. Omnes quoque sperantes in te non confundentur;
pudore afficiantur oppressores sine causa!

4. Vias tuas, Jova, ostende mihi,
semitas tuas doce me.
5. Fac ut incedam in veritate tua (præceptis tuis), et doce me;
nam tu es Deus salutis meæ,
te (auxilium tuum) exspecto omni (vel *toto*) die.
6. Memor sis misericordiæ tuæ, Jova, et benignitatis tuæ :
nam ab æternitate *sunt* illæ.
7. Peccatorum juventutis meæ delictorumque meorum ne sis memor;
secundum benignitatem tuam memor mei tu sis,
propter bonitatem tuam, Jova.
8. Bonus et rectus (non fallax) est Jova :
propterea monstrat peccatoribus viam (qua ipsis sit ambulandum).
9. Dirigit humiles in judicio,
et docet humiles viam suam.
10. Omnes semitæ Jovæ *sunt* benignitas et veritas (fides),
iis qui servant fœdus ejus et præcepta ejus.

11. Propter nomen tuum, Jova,
condonabis culpam meam, nam magna illa.
12. Quis est vir timens Jovam?
monstrabit ei *Jova* viam quam eligat.
13. Anima ejus (ipse) in bono habitabit,
et semen ejus possidebit terram (promissam).
14. Consortium familiare Jovæ *est cum* timentibus eum,
et fœdus ejus *est cum iis,* ad edocendum eos.

15. Oculi mei continuo ad Jovam,
nam is educit e reti pedes meos.
16. Converte te ad me, et miserere mei,
nam solitarius et afflictus ego sum.
17. Angustiæ cor (animum) meum aperuerunt (divinæ institutioni);
e pressuris meis educ me.
18. Vide afflictionem meam et laborem meum,
et indulge omnibus peccatis meis.
19. Vide inimicos meos, quia multi sunt,
et odio injusto oderunt me.
20. Custodi animam meam, et eripe me;
ne pudore afficiar, nam in te confidi.
21. Innocentia et rectitudo me servent,
nam te exspecto.
22. Libera, Deus, Israelem,
ex omnibus angustiis ejus.

NOTÆ.

Vers. 3. *Confundentur* : alii, *confundantur*. *Oppressores* : ita Maurer; Rosenmullerus, *protervi;* Hengstenberg, *perfidi*. — Vers. 5. *Fac ut,* etc. Rosenmullerus et alii, *dirige,* vel *ducas me pro fidelitate,* i. e. *sincera bonitate tua*. — Vers. 6. Hoc vult : utere erga me eadem illa clementia, qua olim erga tuos nunquam non usus es. — Vers. 7. *Propter bonitatem tuam,* non ex mei consideratione. — Vers. 9. *Humiles* vel *mansuetos* : Maurer, *afflictos*. — Vers. 10. *Præcepta,* propr. *testimonia,* litteræ veluti testimoniales, quæ fidem faciunt mutui fœderis Jovam inter et populum; vel leges quæ Deus solemni attestatione populo suo servandas dedit. — Vers. 11. *Nomen,* misericordiæ famam, non mea causa. *Condonabis,* pro optativo. *Nam magna illa,* ita ut, si pro merito me castigare velles, ego non ferre possem castigationem.—Vers. 12. *Quis est,* etc., i. e. quicumque. — Vers. 14. *Consortium familiare* : Cf. *Prov.* III, 32. — Vers. 14. *Et fœdus,* etc. Meignan, *et fœdus suum, illud Jova notum facit eis,* divinæ protectionis experientia.—Vers. 17. *Angustiæ,* etc.; ita post Schultensium Maurer. Alii litteram ו in fine verbi *hirechibou* nomini quod proxime sequitur præponunt, *angustias cordis mei dilata, et* .... Meignan, *magnas;* seu *multas* (ut Vulgatus) *angustias cordis mei fecerunt* mei hostes. — Vers. 22. *Libera,* propr. *redime* : hic versus forsan postea, v. g. in captivitate, tanquam *doxologia* additus fuit.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXIV

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In hebræo non habetur, *in finem,* sed solum, *Psalmus David;* sed non multum refert sive Septuaginta addiderint illud, *in finem,* sive exciderit ex textu hebraico. Hic Psalmus est primus ex alphabeticis; habet enim tot versiculos, quot sunt litteræ alphabeti, nimirum viginti duos, et incipit primus versiculus a prima littera Alphabeti, secundus a secunda, et sic deinceps. Una duntaxat littera est, a qua nullus versus incipit, videlicet *caph,* sed ut damnum hoc resarciatur, in fine Psalmi post ultimam litteram ponitur alius versiculus incipiens a littera *phe;* atque ita duo versiculi incipiunt a littera *phe.* Quid hujus rei causa fuerit, difficile esset divinare. Similes Psalmi alphabetici sunt XXXIII, XXXV, CX, CXI, CXVIII et CXLIV. Cur alphabetici scribantur Psalmi, nulla melior occurrit ratio, quam ut consulatur memoriæ. Argumentum Psalmi est oratio devotissima, qua petitur remissio peccatorum, et gratia bene vivendi. Convenit autem hæc oratio homini incipienti despicere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis. Psalmi alphabetici qui, et quot?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. AD TE, DOMINE, LEVAVI ANIMA MEAM; DEUS MEUS, IN TE CONFIDO, NON ERUBESCAM.

In hoc versiculo, qui est unus apud Septuaginta, quia continet integram sententiam, sunt duo secundum Hebræos; incipit enim secundus ab illis verbis: «In te confido,» quia ibi ponitur secunda littera alphabeti. « Ad te, Domine, levavi animam meam, » id est, non inveniens in creaturis ullis quietem, sed ubique spinas et tribulos, pertæsus vitæ prioris, animam meam abstractam ab affectu, quo inhærebat terræ, ad te levavi; tibi per cogitationem assiduam, et amorem a te inspiratum inhærere cœpi, a te auxilium contra tentationes exspecto, et quia « in te confido, non erubescam, » id est, non recedam a te confusus, auxilio non impetrato, ita ut cogar erubescere coram inimicis meis. In textu græco additur εἰς τὸν αἰῶνα, *in æternum;* sed id non habetur in hebræo, neque legitur a S. Hieronymo, S. Augustino, et Theodoreto in Commentariis, sed a solo Euthymio ex veteribus. Itaque recte non est receptum in editione latina.

Vers. 2. 2. NEQUE IRRIDEANT ME INIMICI MEI, ETENIM UNIVERSI, QUI SUSTINENT, TE NON CONFUNDENTUR.

Explicat quod dixerat, *non erubescam,* quia tunc erubesceret, si irrideretur ab inimicis tanquam qui frustra sperasset in Deo. In hebræo habetur, *neque exultent de me inimici mei.* Sed idem sensus est. Siquidem exultatio inimicorum species irrisionis est. Per inimicos autem intelligi possunt tum homines mali, tum etiam dæmones, quorum exultatio et irrisio intolerabilem confusionem pareret, si eam serio cogitaremus. Reddit postea causam, cur omnino confidat se non confundendum, « quoniam, inquit, universi qui sustinent te non confundentur, » id est, quia longo experimento, exemplis nostrorum majorum, et ex ipsis verbis tuis didicimus neminem confundi, neque a spe sua excidere ex iis, qui te sustinent, id est, qui in te confidentes patienter auxilium tuum exspectant. Sustinere Dominum in Scripturis frequentissimum est, et significat exspectare Dominum cum certa spe auxilii. Sustinere Dominum quid sit?

Vers. 3. 3. CONFUNDANTUR OMNES INIQUA AGENTES, SUPERVACUE.

Duplicem sensum hic versiculus habere potest: primo enim sensus esse potest, ut significetur confundendos eos, qui sine causa peccant, id est, qui non peccant ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex malitia. Isti enim non cogitant de pœnitentia, neque de peccato abjiciendo; ideo, si forte sperant aliquid a Deo, spes eorum præsumptio est. Ita Theodoretus et Euthymius. Potest etiam esse alius sensus, fortasse magis litteralis, ut significetur confundendos inimicos justorum tum visibiles, tum invisibiles, quia frustra inique agunt dum vexant homines justos; non enim consequuntur finem sibi propositum, nimirum ut justos perdant, et ad gehennam perducant; cum e contrario illa vexatio sit eis virtutis exercitatio, et meritum gloriæ sempiternæ. Retorquet igitur Propheta confusionem in hostes, quasi dicat: Ne sinas, Domine, ut ego confundar; quod fieret, si inimici mei me irriderent, et de perditione mea exultarent; sed contra confundantur ipsi, dum cernunt se supervacue ac frustra inique egisse, ut me ad impatientiam provocarent.

Vers. 4. 4. VIAS TUAS, DOMINE, DEMONSTRA MIHI, ET SEMITAS TUAS EDOCE ME.

Per vias Domini intelligimus legem Domini, quæ vere est via, qua itur ad Deum. Nam « si vis ad vitam ingredi, Dominus ait *Matth.* XIX, serva

mandata. » Cum itaque postulasset Propheta auxilium Domini contra tentationes, explicat quod auxilium potissimum habere desideret, atque ait: « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, » id est, fac me ambulare per vias præceptorum tuorum; « et semitas tuas edoce me, » id est, ostende mihi angustum iter justissimæ legis tuæ : sic enim evadam omnes irrisiones inimicorum, et non ego confundar, sed confundentur ipsi, qui frustra me suis tentationibus exagitant. Porro cupit doceri legem Domini, non quoad intelligentiam speculativam, sed quoad praxim, id est, cupit gratiam, quæ persuadeat voluntati, ut libeat implere mandata.

Vers. 5. 5. DIRIGE ME IN VERITATE TUA, ET DOCE ME, QUIA TU ES DEUS SALVATOR MEUS, ET TE SUSTINUI TOTA DIE.

Idem repetit, et addit rationem. « Dirige me, inquit, in veritate tua, » id est, ex me facile declino ad dexteram, vel ad sinistram, deserens viam mandatorum tuorum, propter temporales prosperitates, vel adversitates, ideo tu dirige me ducens auxilio gratiæ tuæ per viam rectam in veritate tua, id est in lege tua, quæ verissima via est. « Nam omnia mandata tua veritas, » *Psalm.* CXVIII. « Quia tu es Deus salvator meus, » id est, ideo a te auxilium hoc peto, quia tu solus, qui Deus es, potes salvare animam meam. Non est enim alius medicus, qui noverit curare morbos animarum, et multo minus qui possit sanitatem perfectam reddere, nisi Deus. Et præterea hoc a te peto, et spero impetraturum, quia te sustinui tota die, id est, perseveranter et patienter exspectavi medicinam tuam, neque aliunde consolationem accipere volui. Magni meriti est apud Deum, tempore tentationis non deficere a spe cœlestis auxilii, neque humanas consolationes requirere.

Solus Deus est medicus animarum.

Vers. 6. 6. REMINISCERE MISERATIONUM TUARUM, DOMINE, ET MISERICORDIARUM TUARUM QUÆ A SÆCULO SUNT.

Quando Deus sinit animam tentationibus agitari, vel in peccatis hærere, videtur oblitus misericordiæ suæ; ideo justus diu luctatus cum tentatione, vel videns se non posse liberari a lapsu in peccata, quod summopere cupit, clamat ad Deum ut recordetur miserationum et misericordiarum suarum antiquarum. Inter miserationem et misericordiam hoc interest, quod miseratio significat actum miserendi, misericordia habitum virtutis, et idem fere discrimen invenitur in verbis hebraicis, quamvis sint magis dissimilia inter se, quam latina. Quod hic habemus *miserationes*, in hebræo est, רחמיך, quod *amorem* et *viscera paterna* proprie significat; unde est illud *Psalm.* CII : « Sicut miseretur pater filiorum. » Quod autem hic habemus, *misericordia*, in hebræo est, חסדיך, quod *pietatem* et *probitatem*, ac *misericordiæ* virtutem significat. Itaque sensus est : Recordare, Domine, te ab æterno misericordem fuisse, nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum, et viscera paterna exhibere erga filios tuos, proinde hoc tibi esse proprium et naturale. Illud, *quæ a sæculo sunt*, in hebræo et græco est, *quia a sæculo sunt*; et sic legunt S. Augustinus et Theodoretus. Tamen S. Hieronymus in Commentario, et Euthymius legunt, ut nos habemus, *quæ a sæculo sunt;* ex quo apparet textus græcos et latinos olim fuisse varios. Sensus est idem, sive dicamus: Reminiscere, quod ab æterno misericors es; sive reminiscere misericordiæ tuæ, quæ ab æterno est.

Vers. 7. 7. DELICTA JUVENTUTIS MEÆ ET IGNORANTIAS MEAS NE MEMINERIS.

Pulchre opponit reminiscentiæ oblivionem, quasi dicat : Reminiscere misericordiæ tuæ, et obliviscere peccatorum meorum. Nam unum est causa alterius : tunc enim Deus reminiscitur misericordiæ suæ, quando non vult amplius reminisci peccatorum nostrorum, sed ea remittit ac delet, ac si æternæ oblivioni mandentur. Commemorat autem peccata juventutis et ignorantias, id est, delicta commissa ex infirmitate et ignorantia, tum quia istis magis quam aliis convenit misericordia, juxta illud Apostoli, I *Timoth.* I : « Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci; » tum quia forte David non alia peccata habeat : et hæc oratio justi hominis est, cui cum peccatis levibus certamen est; tum etiam quia, ut notat Euthymius, peccata ex malitia non remittuntur per solam orationem, sed dignis pœnitentiæ fructibus indigent. In hebræo non habetur, *ignorantias meas*, sed פשעי, id est *scelera mea.* Quia vero Septuaginta verterunt ἀγνοίας, id est *ignorantias*, et de eorum eruditione et fide dubitare non possumus, et revera magis congruit cum peccatis adolescentiæ ignorantia, quam scelus; cogimur dicere vocem hebraicam generalem esse, et tam scelera, quam peccata leviora significare.

Vers. 8. 8. SECUNDUM MISERICORDIAM TUAM MEMENTO MEI TU, PROPTER BONITATEM TUAM, DOMINE.

Declarat, quod dixerat : Reminiscere misericordiæ tuæ, et obliviscere delictorum meorum. Hoc enim totum fit, cum Deus recordatur hominis peccatoris secundum misericordiam suam.

Vers. 9. 9. DULCIS ET RECTUS DOMINUS, PROPTER HOC LEGEM DABIT DELINQUENTIBUS IN VIA.

Confirmat ipse se in spe impetrandi, affirmans Dominum bonum et justum esse, et ideo libenter corrigere solere delinquentes. Sic enim exercet misericordiam erga hominem, et justitiam erga peccatum. Pro *dulcis*, in hebræo est טוב *tob*, quod proprie *bonum* significat; et in græco quoque χρηστὸς *bonum* potius, quam *dulcem* significat. Proinde illud, *dulcis*, quod est in nostra editione latina, pro *bono* accipiendum est; pro *legem dabit*, in hebræo est, יורה *iora*, id est *docebit*, et in græco νομοθετήσει, id est *legislatorem*, seu *præcep-*

torcm se exhibebit. Itaque non est sensus, Deum legem dare quomodocumque, sed legem dare eam docendo, ac per hoc faciendo, ut observetur. Respondent enim hæc verba verbis superioribus: « Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua, et doce me. » Quod enim tunc petebat, nunc affirmat, Deum concedere solitum esse. Hic igitur est sensus: « Dulcis et rectus Dominus est, » et ideo amat homines, et odit peccata; ac propterea legem suam demonstrat, ac persuadet delinquentibus in via hujus vitæ, ut ipsi etiam ex iniquis et malis, justi et boni efficiantur.

Vers 10. 10. DIRIGET MANSUETOS IN JUDICIO, DOCEBIT MITES VIAS SUAS.

Declarat quod dixerat, « legem dabit delinquentibus, » ac dicit non de omnibus delinquentibus id esse intelligendum, sed solum de mansuetis et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imo cupiunt doceri. « Diriget, inquit, mansuetos in judicio, » id est, ducet perviam rectam legis suæ (quæ *judicium* etiam in Scripturis appellatur, ut diximus in explicatione Psalmi XVIII) homines humiles et mites. Deinde hoc ipsum declarat aliis verbis, dicens: « Docebit mites vias suas, » id est, mitibus dabit gratiam cognoscendæ et amandæ, ac per hoc implendæ legis. Hoc loco annotandum est, non excludi superbos omnino a gratia Dei, sed ordinem assignari. Superbi siquidem non sunt perfectionis capaces, de qua proprie agitur in hoc Psalmo, nisi prius timore concepto pœnitentiam agant, et timore deposito mites humilesque reddantur. Itaque primum gratia Dei superbos atque obstinatos emollit et conterit, deinde contritis et humiliatis demonstrat vias suas, et dirigit eos in judicio.

Superbi omnino non a gratia Dei excludantur.

Vers. 11. 11. UNIVERSÆ VIÆ DOMINI MISERICORDIA ET VERITAS, REQUIRENTIBUS TESTAMENTUM EJUS, ET TESTIMONIA EJUS.

Addit ad id quod dixerat, non solum a Deo dirigi mansuetos, sed omnia opera Dei erga tales homines esse misericordiam et veritatem, id est, misericordiam et justitiam, quatenus justitia accipitur pro fidelitate et veritate, quæ quod promittitur implere facit. *Viæ Domini* hoc loco vocantur opera Dei, quibus Deus ad nos quodam modo venit; nisi forte magis placeat, per vias Domini intelligere morem Dei sive regulam, et quasi legem, qua Deus utitur. Itaque via Domini semper significat legem, sed aliquando legem, quam nobis dat, ut per eam, quasi per viam rectam ascendamus ad ipsum; aliquando legem qua ipse utitur, cum per opera descendit ad nos. Et quia jam multa dixerat David de via Domini priore, id est, de lege nobis data, nunc adjungit aliquid de via Domini posteriore, id est, de lege, quam ipse sibi posuit, et quam servat erga nos. Ergo, inquit, « universæ viæ Domini, misericordia et veritas, » id est lex, sive regula, sive modus procedendi Dei consistit in misericordia et veritate, ut misericorditer promittat, et fideliter impleat quod promisit. At cum quibus utitur Deus hac lege? cum « requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. » Vocat testamentum Dei pactum illud, quod fecit cum ominibus, quando legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, et ipse Deus eorum. Quod quidem pactum vocatur etiam in Scripturis testamentum, quia continet promissionem hæreditatis, et quia morte testatoris confirmandum erat, sicut re vera confirmatum est in morte Christi, in cujus rei signum Moses aspersit sanguinem in populum, dicens: « Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus, » *Exod.* XXIV, et *Hebr.* IX. Vocat autem testimonia Dei, ipsam legem, quam Deus dedit, quoniam, ut alias diximus, per legem testificatur nobis Deus voluntatem suam. Cum illis igitur Deus utitur lege misericordiæ et veritatis, qui requirunt pactum cum Deo initum, ut illud observent, et similiter requirunt legem Dei, ut eam impleant, id est, cum hominibus bonæ voluntatis Deum timentibus et diligentibus. In hebræo habetur pro voce *testamentum,* בְּרִית *berith,* quod proprie *pactum* significat. Sed Septuaginta vertere solent διαθήκην, id est *testamentum,* propter rationem jam dictam. Sic etiam pro voce *requirentibus,* in hebræo est נֹצְרֵי *notsere, custodientibus;* sed idem est sensus. Qui enim requirunt pactum, quod forte jam obliti erant, ad hoc requirunt, ut custodiant.

Via Domini duo significat.

12. PROPTER NOMEN TUUM, DOMINE, PROPITIABERIS PECCATO MEO, MULTUM EST ENIM. Vers. 12.

Ex universali lege, qua Deus utitur erga timentes se, colligit Propheta bonam spem se habere posse de remissione suorum peccatorum. « Propter nomen tuum, Domine, » id est, ut manifestentur misericordia et veritas tua, « propitiaberis peccato meo, quod multum est. » Potest autem dici multum, vel propter multitudinem, sicut dicitur multus populus, juxta illud apostoli Jacobi, cap. III: « In multis offendimus omnes; » vel propter magnitudinem et gravitatem, quia viri sancti etiam parva peccata, magna existimant; et vere magna sunt, si magnitudo ejus qui offenditur, consideretur.

13. QUIS EST HOMO, QUI TIMET DOMINUM? LEGEM STATUIT EI IN VIA, QUAM ELEGIT. Vers. 13.

Facit Propheta more amantium, qui nunc suspirant ad rem amatam, nunc eam laudant, nunc iterum suspirant. Amabat vir justus gratiam Dei, cupiebat remissionem peccatorum, donum recte vivendi, et placendi Deo: ideo nunc hoc ipsum petit, nunc laudat gratiam istam, et felicitatem enarrat timentium Deum, id est, eorum qui gratiam istam consecuti sunt, nunc revertitur ad hoc ipsum desiderandum et postulandum. Itaque in hoc versiculo et duobus sequent. narrat bona, quæ assequuntur timentes Deum. « Quis est, inquit,

homo qui timet Deum? » quasi dicat : Prodeat in medium homo vere timens Deum, et audiet ex me suam felicitatem. Quod sequitur, « legem statuit ei in via, quam elegit, » multi volunt esse initium felicitatis, quam Propheta enarrandam suscepit, quasi dicat : Iste timens Deum, hoc in primis habebit, quod Deus eum instruet de lege sua in via, quam elegit, id est, in statu vitæ quem elegit. Ita Theodoretus et Euthymius. Non rejicio expositionem ; sed magis litteralem puto aliam, quam insinuant Hieronymus et Augustinus. Est enim consuetudo Prophetæ idipsum in eodem versiculo bis repetendi, vel declarandi in una parte versiculi, quod in altera dictum est. Hunc igitur sensum esse existimo : « Quis est homo qui timet Deum? » Quis, inquam, est ille quem Deus instruxit de lege sna in via, quam ipse homo elegit, id i. e. in recto itinere bene vivendi et eundi ad Deum, quod ipse voluntarie jam elegit; sic enim una pars versiculi declarat alteram. Ille enim est homo timens Deum, qui dono Dei elegit viam, qua itur ad Deum, quæ est observatio mandatorum. Illa verba, *legem statuit ei*, in hebræo et græco unicum tantum verbum sunt, quod significat *docere, instruere, præcipere, præceptorem se exhibere*, et similia. Itaque verti poterat : *Quis est ille, quem Deus docuit;* proinde *legem statuit ei*, significat : Legem dedit in corde ejus, id est, instruxit et docuit eum. Et pronomen *ei* explicandum est (ut S. Hieronymus fecit) per relativum *quem*, vel *cui*, id est, quem docuit de lege, vel cui dedit legem in corde. Hæc enim est recta interpretatio verbi hebraici.

Vers. 14. 14. ANIMA EJUS IN BONIS DEMORABITUR, ET SEMEN EJUS HÆREDITABIT TERRAM.

Hæc est felicitas timentis Deum, quod « anima ejus, » id est, ipse timens Deum, « in bonis demorabitur, » id est, bonis fruetur non ad breve tempus, aut per transitum, sed permanenter et stabiliter. Quæ sententia verissima est, nam « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, » ut ait Apostolus *ad Rom.* Proinde timens Deum semper fruetur bonis, quia si res bene cedent, fruetur bono prosperitatis ; si contra, fruetur bono patientiæ, et spe magni præmii in regno cœlorum. Ita semper erit lætus. Nec ipse solum in bonis morabitur, sed etiam filii ejus propter ipsum hæreditabunt terram, id est, terram possidebunt. In Scripturis enim, ut exposuimus in *Psalm.* XV, pro eodem accipitur *hæreditare* et *possidere*. Dicuntur autem filii timentium Deum possessuri terram, quia pacifice habitabunt in terra, et nemo eis nocebit, in eo sensu, quem attigimus; quia bonis omnia cooperantur in bonum, et ipsæ tribulationes convertuntur in gaudium.

Vers. 15. 15. FIRMAMENTUM EST DOMINUS TIMENTIBUS EUM, ET TESTAMENTUM IPSIUS UT MANIFESTETUR ILLIS.

Hæc est ratio, cur timentes Deum in bonis semper morentur, quoniam non innituntur rebus caducis et perituris, sed Deus ipse est firmamentum eorum, id est, in Dei amicitia et auxilio fundatas habent spes suas. In hebræo est סוד *sod*, quod *secretum* significat, et ideo S. Hieronymus vertit, *secretum Domini timentibus eum*, supple, *revelatur*. Sed Septuaginta videntur legisse יסוד *iesod*, *fundamentum*, una litterula addita, quæ facili negotio ex textu hebraico temporis progressu excidere potuit. Et sine dubio melius congruit hoc loco fundamentum, sive firmamentum, quam secretum. Cur autem timentes Deum jure innitantur Deo, ut solidissimo fundamento, ratio est, quia *testamentum*, id est pactum Domini, hoc eis manifestat : quia enim timentes Deum optime norunt, et sæpe recogitant Deum pepigisse fœdus cum hominibus, ut sit eorum Deus, et quasi amantissimus parens, si ipsi leges ejus servaverint, ideo ex hoc pacto intelligunt se in Deo, tanquam in firmissimo fundamento, quiescere posse. Hæc est sententia hujus loci, sed quia verba latinæ editionis obscura sunt, ex verbis græcis dilucidanda erunt. Vox illa *testamentum* nominativi casus est in græco, videlicet διαθήκη, et sic etiam intelligi debet in hebraico et latino. illud, *ut manifestetur eis*, in græco δηλώσει αὐτοῖς, *manifestabit eis*, id est, pactum Domini manifestabit timentibus Deum, quod Dominus firmamentum eorum sit, id est, ex pacto illo noscent Dominum esse firmamentum timentium se. In eumdem sensum exponi possunt verba hebraica וברית להודיעם, *et pactum ejus ad docendum eos;* sic enim est ad verbum, et sensus est : Et pactum Domini erit ad docendum eos, id est, docebit eos, quod Dominus firmamentum sit timentium se. In eumdem igitur sensum oportet etiam accommodare verba latina : « Et testamentum ipsius ut manifestetur illis, » id est, testamentum, sive pactum ejus, supple faciet, ut manifestetur illis, id quod paulo ante dictum est, videlicet Deum esse firmamentum timentium se.

Vers. 16. 16. OCULI MEI SEMPER AD DOMINUM, QUONIAM IPSE EVELLET DE LAQUEO PEDES MEOS.

Laudata paulisper felicitate timentium Dominum, revertitur ad eam optandam et petendam : « Oculi mei semper ad Dominum, » id est, assidue respicio mentis oculis Deum, tanquam ab illius auxilio totus pendens. Efficacissimum orandi genus est, habitu miserabili respicere eum, a quo auxilium speres, et magis inopiam ostendendo, et modeste tacendo, quam odioso clamore benignitatem divitis implorare. « Sicut oculi ancillæ, » ait idem Propheta in *Psalm.* CXXXII, « in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. » « Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, » id est, ideo tam intente in Deum respicio, quoniam ipse tandem, ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum, quæ veluti laquei ubique nobis in hac vita insidiantur. Posset etiam illud, *oculi mei semper*

ad Dominum, referri ad intentionem semper Deo placendi, neque ullo modo aliquid admittendi contra ipsius voluntatem. Posset quoque referri ad contemplationem divinæ pulchritudinis, quam semper ob oculos habent, qui serio diligunt Deum. Sed prima explicatio videtur maxime litteralis.

Vers. 17. 17. RESPICE IN ME, ET MISERERE MEI, QUIA UNICUS ET PAUPER SUM EGO.

Quia ipse Deum semper respicit, merito petit, ut respiciatur a Deo. Hoc enim est, quod tacite petebat, cum oculos intentos in Deum habebat, nimirum ut misericorditer respiceretur ejus solitudo et paupertas. Dicit se *unicum*, id est solum et desolatum, vel quia revera destitutus fuisset ab amicis et cognatis; vel, quod magis probo, quia ipse se animo ab aliis omnibus separaverat, et in Deo solo spem omnem posuerat. Dicit autem *pauperem*, quia humilis erat, et se virtutibus ac meritis vacuum arbitrabatur.

Vers. 18. 18. TRIBULATIONES CORDIS MEI MULTIPLICATÆ SUNT, DE NECESSITATIBUS MEIS ERUE ME.

De tentationibus peccatorum hunc locum intelligo potius, quam de temporalibus adversitatibus. Erat enim et hic unus ex illis, qui cum Apostolo gemunt et dicunt, *Rom.* VII : « Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, » etc.; et : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Necessitates autem, a quibus liberari cupit, videntur esse molestissimæ illæ concupiscentiæ, quæ, velimus nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt. « Multiplicatæ sunt, » in hebræo habemus הרחיבו *hirchibu, dilatatæ sunt*. Sed quoniam verbum hebraicum צרות *angustias* proprie significat, pro quo nos habemus *tribulationes*, et *angustiæ*, cum dilatantur, desinunt esse angustiæ, ideo ad tollendam ambiguitatem, Septuaginta prudenter verterunt, non ut verba sonant, *angustiæ dilatatæ sunt*, sed ut sensus erat, *tribulationes multiplicatæ sunt*. Siquidem hoc loco dicuntur angustiæ dilatatæ, non quia perierunt, sed quia creverunt. Quod enim dilatatur, utique crescit. Posset etiam fieri ut Septuaginta non legissent הרחיבו *hirchibu, dilatatæ sunt*, sed הרביבו, *multiplicatæ sunt*, unica littera mutata. Sanctus etiam Hieronymus eodem modo vertit, *tribulationes multiplicatæ sunt*; proinde si corrupta sit hebraica lectio, post tempora S. Hieronymi corrupta est.

Vers. 19. 19. VIDE HUMILITATEM MEAM ET LABOREM MEUM, ET DIMITTE UNIVERSA DELICTA MEA.

Pergit in oratione, ac petit sibi remitti peccata, in quæ aliquando tentatione vincente prolabitur. Quamvis enim affligatur timens Deum, et multum laboret resistendo concupiscentiis, tamen septies in die cadit justus; sed hinc etiam justus esse probatur, quod sordes, quas minus caute ambulando contrahit, studiose flendo et orando abluit. Per humilitatem hoc loco non intelligit virtutem humilitatis, sed abjectionem et vilitatem: vilescit enim sibi vir justus vehementer, cum immaculatus esse cupit, et tamen sordes non evadit. Pro verbo *dimitte*, in hebræo est שָׂא, quod S. Hieronymus recte vertit, *porta : Porta*, inquit, *omnia peccata mea*, et quamvis sensus sit idem, tamen habet nescio quam vim illud, *porta;* significat enim timorem quemquam, sive sollicitudinem hominis amantis Deum, ne forte Deus multitudine peccatorum offensus ad iram provocetur: ideo clamat, *porta omnia peccata*, quasi dicat : Etsi multa sint, tamen non fatigeris ignoscere, supporta imbecillitatem meam.

Vers. 20. 20. RESPICE INIMICOS MEOS, QUONIAM MULTIPLICATI SUNT, ET ODIO INIQUO ODERUNT ME.

Ab alio loco ducit argumentum, videlicet a multitudine et crudelitate hostium, quasi dicat : Vidisti, Domine, humilitatem et laborem meum, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem, et crudelitatem, atque iniquitatem. Hostes qui nos ad peccata pertrahere tentant, et ignitis jaculis concupiscentiam accendere non cessant, dæmones sunt, quos *spirituales nequitias* Apostolus, *Ephes.* IV, vocat : eos innumerabiles esse notum est, nec minus est notum, odio iniquitatis, id est, odio iniquissimo in nos ardere. Dicitur odium iniquum sive iniquissimum, cum quis alium sine causa odit, a quo videlicet nullam accepit injuriam. Potest etiam dici odium iniquum, vel iniquissimum, cum qui alteri nocere studet solo studio nocendi, non ut ipse inde aliquid lucretur. Tale omnino est odium diaboli erga genus humanum, ac potissimum erga electos; neque enim homines diabolo injuriam ullam fecerunt, sed ille ab initio invidentia excæcatus, hominem perdidit. « Invidia diaboli, inquit Sapiens cap. II, mors intravit in orbem terrarum. » Et nunc fideles tentationibus exagitat, non ut ipse commodum reportet, sed quia delectatur in perditione justorum.

Vers. 21. 21. CUSTODI ANIMAM MEAM, ET ERUE ME; NON ERUBESCAM, QUONIAM SPERAVI IN TE.

Cum tot hostibus, ac præsertim invisibilibus circumdatus sim, non sufficio meis viribus illis resistere; ideo ad te recurro, ut tu custodias animam meam, et custodiendo liberes, et eruas de manibus eorum. Nam non solum dicuntur liberari et erui de manibus hostium, qui jam capti sunt, sed etiam qui muniuntur, ne capiantur; et qui sine dubio caperentur, nisi adjuvarentur. « Eruisti me, inquit idem Propheta *Psalm.* XCIII, ex inferno inferiore, » id est, fecisti ne caderem in infernum inferiorem. Potest etiam sensus esse: Custodi animam meam in hoc carcere corporis, in quo captivus detineor : nam lex membrorum captivum me ducit in lege peccati, *Rom.* VII; et postea, suo tempore erue me.

Vers. 22. 22. INNOCENTES ET RECTI ADHÆSERUNT MIHI, QUIA SUSTINUI TE.

Quia dixerat in præcedenti versiculo : « Non erubescam, quoniam speravi in te, » adjungit rationem cur timeat erubescere, si a Deo deseratur. Et ratio hæc est, quoniam multi « innocentes et recti, » exemplo ipsius commoti, adhærebant illi, ob id potissimum, quod videbant eum sperare in solo Deo. Qui certe cogerent eum erubescere et confundi, si a spe sua frustraretur. Quare illud, *non erubescam*, aliter accipitur in principio Psalmi, aliter hoc loco. Nam in principio Psalmi sensus erat : Non erubescam coram inimicis irridentibus; hoc loco sensus est : Non erubescam coram amicis diligentibus et dolentibus. In hebræo habetur ad verbum, *innocentia et rectitudo conservabunt me*; sed non est inusitatum, ut abstractum sumatur pro concreto, et futurum pro præterito, id est, *innocentia et rectitudo*, pro *innocentibus et rectis*; et *conservabunt*, pro *conservarunt*. Sed pro voce hebraica יצרוני *itseruni*, quæ significat *conservabunt me*, sive *conservarunt me*, videntur legisse Septuaginta *itsroruni*, unico puncto mutato, quæ vox deducitur a צרר *zarar*, et significat *alligabunt*, sive *alligaverunt se mihi*, quod est idem cum eo quod Septuaginta verterunt, *adhæserunt mihi*. Recte igitur est interpretatio græca et latina, sed Rabbini non recte legerunt dictionem hebraicam, et ideo non recte puncta omnia subjecerunt.

23. LIBERA, DEUS, ISRAEL EX OMNIBUS TRIBU- Vers. 23.
LATIONIBUS SUIS.

Quoniam David non solum unus erat de populo Dei, sed erat etiam princeps et caput aliorum, ideo posteaquam oravit satis diu pro se, adjungit orationem pro toto populo suo, et orationem generalem, quoniam non facile poterat descendere ad singularum personarum necessitates et angustias. « Libera, inquit, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus. » Ubi vox illa, *Israel*, est in casu accusandi, ut cognoscitur ex articulis additis in codicibus hebraicis et græcis. Sensus igitur est : Non mihi satis est, si solus ab angustiis meis liberer, sed peto etiam ut liberes Israelem, populum scilicet Israeliticum, ab omni genere tribulationum.

PSALMUS XXVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum : et in Domino sperans non infirmabor.

2. Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.

3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.

4. Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.

5. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

6. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine;

7. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

8. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

9. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam :

10. In quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus.

11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.

V. S. H. — *David.*

Judica me, Domine [al. *Deus*], quia ego in simplicitate mea ambulavi : et in Domino confidens non deficiam.

Proba me, Domine [al. *Deus*], et tenta me : ure [*h. confla*] renes meos et cor meum.

Quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum [al. add. *est*], et ambulabo in veritate tua.

Non sedi cum viris vanitatis, et cum superbis non ingrediar.

Odivi ecclesiam pessimorum, et cum iniquis [*h. impiis*] non sedebo.

Lavabo in innocentia manus [*h. palmas*] meas, et circuibo altare tuum, Domine.

Ut clara voce prædicem laudem, et narrem omnia mirabilia tua.

Domine, dilexi habitaculum domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ.

Ne auferas [*h. Ne apponas*] cum peccatoribus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus scelus [al. add. *est*], et dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in simplicitate mea gradiar : redime me et miserere mei.

12. Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedicam te, Domine.

Pes [al. add. *enim*] meus stetit in recto : in ecclesiis benedicam Domino.

Argumentum. — Strophæ duæ : vers. 1-8, integre vivo, o Jova, te colo sincere ; vers. 9-12, noli permittere, ut quod imminet malum me una cum improbis affligat. Quod *altaris Deique domus* frequentationem in maximo honore habet scriptor, non indicio est, ut vult Ewaldus, Psalmum hunc post Davidem compositum fuisse. Nam et ante Salomonem, ex lege *Deut.* XVI, 16, ter in annum singulis masculis comparendum erat in *loco sacro*, i. e. ante arcam ; qui locus tum quidem temporis fixus non fuit, semper tamen exstitit ab ipsa Mosis ætate, sive in urbe Silo, sive in Cariathiarim, etc.

1. Davidis *carmen.*

Judica me, Jova,
nam ego in innocentia mea ambulavi,
et in Jova confidi, non vacillavi.
2. Examina me (instar aurifabri), Jova, et explora me ;
igne proba renes meos (affectus) et cor meum (consilia).
3. Nam misericordia tua coram oculis meis,
et ambulavi in veritate tua.
4. Non sedeo cum hominibus vanitatis (falsis),
et cum absconditis (astutis) non ingredior (convenio).
5. Odi cœtum maleficorum,
neque cum improbis sedeo.
6. Lavo in innocentia manus meas,
et circumeo (cum sacrificiis meis) altare tuum :
7. Ut audire faciam vocem laudationis *tuæ*,
et enarrem omnia mirabilia tua.
8. Jova, diligo habitationem domus tuæ,
et locum sedis gloriæ tuæ.

9. Ne auferas (perdas) cum peccatoribus animam meam,
et cum viris sanguinum vitam meam :
10. Quorum in manibus *est* scelus,
et quorum dextra plena *est* munere.
11. Ego vero in innocentia mea ambulo :
libera *igitur* me, et miserere mei.
12. Pes meus stat in recto (recte ago) :
in cœtibus celebrabo Jovam (pro salute allata).

NOTÆ.

Vers. 1. *Judica me*, age causam meam, et innocentem me defende. *Non vacillavi*, i. e. non vacillans, immotus in hac mea fiducia : ita Ewaldus. Hengstenberg, *non movear!* alii, *non vacillabo*, præsidio tam firmo fretus. — Vers. 2. *Igne proba* : ita nota marginis ; Hengstenberg præfert *tsarouphah*, particip. femin. *pahul*, quod bene jungitur cum plurali, hac ratione : res *pura* sunt *renes mei et cor meum*. — Vers. 3. Sensus : Dei misericordiam et veritatem, qua promissa piis facta servat, semper animo recogitans, inculpatam egi vitam. *Ambulavi*, vel *ambulo* : est enim tempus ἀόριστον, ut et in verbis seqq. — Vers. 6. « Nullo modo dispicere possum, quid moverit interpretes, ut prioris hemistichii locutioni alium sensum subjicerent, atque is est, quem suppeditat qui *Deut.* XXI, 6 seq. describitur ritus. Ex eo ritu, qui manus lavat, insontem se declarat. Hinc qui manus in puritate se lavare dicit, idem facit, ac si dicat, insontem se esse. » Hæc Maurer. Cf. *Matth.* XXVII, 24. Male ergo Bellarminus aliter. — Vers. 7. *Audire faciam*,

hiph. ה deficiente. Minus recte alii legunt *lishemoa, audiam. Mirabilia tua,* i. e. mirabiliter a te facta. — Vers. 8. *Gloriæ,* i. e. gloriosæ; Maurer, *arcæ,* quæ vocatur *Jovæ gloria,* I *Sam.* IV, 28, etc.—Vers. 10. *Scelus,* proprie consilium perversum.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In hebræo non habetur pro titulo nisi simplex nomen *David,* seu potius *Davidi.* Argumentum vero idem est quod Psalmi septimi. Cum enim David gravissimis calumniis accusaretur, quasi regnum invadere appeteret, et propterea exsulare, et latibula quærere cogeretur, scripsit hunc Psalmum, in quo Deum innocentiæ suæ testem adducit, eumdemque Deum pro liberatione sua precatur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. JUDICA ME, DOMINE, QUONIAM EGO IN INNOCENTIA MEA INGRESSUS SUM, ET IN DOMINO SPERANS, NON INFIRMABOR.

David, cum rege causam habens, Deum quodam modo appellat, qui Rex regum est : neque enim alius erat tunc in terris, quem appellare posset. « Judica me, Domine, » id est, sis tu, Domine, judex meus; non sinas a Saule me judicari, sed assume tu hoc judicium. « Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, » id est, audacter provoco ad judicium Dei, quoniam conscientia mea, quam solus Deus videt, me non reprehendit; nam in innocentia ambulavi, id est, innocenter vixi. « Et in Domino sperans non infirmabor, » id est, in Dei justitia infidens, non deficiam in hoc judicio, sed prævalebo. Illud, *non infirmabor,* hebraice est, *non deficiam,* sive, *non vacillabo;* proinde *non infirmabor* significat : Non ero infirmus ac debilis, ut causa cadam.

Vers. 2. 2. PROBA ME, DOMINE, ET TENTA ME : URE RENES MEOS ET COR MEUM.

Deus non probat nec tentat.

Quia dixerat se innocenter vixisse, probat hoc Dei testimonio, qui falli et fallere nequit : non enim Deo dicitur, *proba et tenta,* quasi ipse aliquid ignoret, sed ut aliis nota faciat, quæ ipse solus videt. Itaque S. David, fretus bona conscientia et sinceritate cordis sui, dicit Domino : « Proba me et tenta me, » id est, explora diligenter an ita sit, inspice intimos et profundissimos recessus cordis mei; quin etiam « ure renes meos et cor meum, » id est, examina cogitationes et appetitiones meas, ea diligentia qua probatur aurum, cum igne examinatur. Non enim hoc loco, ut ego quidem existimo, petit David probari se ac tentari per adversitates, vel renes suos et cor suum aduri igne tribulationum, cum potius contra liberationem ab adversis in hoc Psalmo petat; sed postulat, ut dixi, probari se ac tentari per exactam explorationem et inspectionem, et quia Deus omnia exactissime videt et perspicit, sententia hujus loci est, ut Deus notam faciat hominibus innocentiam servi sui, et calumnias inimicorum re ipsa et factis refellat.

Vers. 3. 3. QUONIAM MISERICORDIA TUA ANTE OCULOS MEOS EST, ET COMPLACUI IN VERITATE TUA.

Reddit causam, cur velit probari et tentari, quoniam conscientia ejus bonum illi testimonium dabat, quasi dicat : Peto ut probes me, quoniam per vias tuas ambulavi; nam « omnes viæ tuæ misericordia et veritas, » *Psalm.* XXIV. Et « misericordia tua ante oculos meos est, » id est, semper aspicio et considero misericordiam tuam, ut illam imiter, et juxta eam cum proximis vivam; et similiter : « Complacui mihi in veritate tua, » sive placuit mihi veritas tua, et ideo juxta illam ambulavi. In hebræo est והתהלכתי, id est, *ambulavi in veritate tua;* proinde Septuaginta non tam verbum quam sensum inspexerunt, quod etiam fecerunt in *Psalm.* XXXIV, num. 17.

Vers. 4. 4. NON SEDI CUM CONCILIO VANITATIS, ET CUM INIQUA GERENTIBUS NON INTROIBO.

Vers. 5. 5. ODIVI ECCLESIAM MALIGNANTIUM, ET CUM IMPIIS NON SEDEBO.

Recte, meo judicio, Theodoretus hæc exponit de conventibus Gentilium idololatrarum in suis profanis templis, a quibus David semper abhorruit, dum exsulavit apud regem Philistinorum. Hæc enim opponuntur iis, quæ postea in eodem Psalmo habentur : « Domine, dilexi decorem domus tuæ; » et paulo ante : « Circumdabo altare tuum, Domine; » et infra : « In ecclesiis benedicam te, Domine. » Vocat cœtum idololatrarum concilium vanitatis, quia nihil inanius idolis, quæ sunt falsæ imagines. Quod significat Apostolus, cum ait : « Scimus quia idolum nihil est in mundo, » I *Cor.* VIII; et passim in Scripturis, idola vocantur vana, vel

vanitates, ut *Deuter.* XXXII: «Ipsi me provocarunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis; et I *Reg.* XII: « Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt; » vide et III *Reg.* XVI, IV *Reg.* XVII; *Jerem.* II, et alibi. Iidem idololatræ recte dicuntur iniqua agentes, quia summa iniquitas est cultum soli Deo debitum rebus creatis exhibere. Quod autem dixerat *concilium vanitatis,* in sequenti versiculo dicit *ecclesiam malignantium,* et quos vocaverat *iniqua agentes,* vocat *impios,* quod vocabulum proprie in idolorum cultores convenit. In hebræo pro *iniqua gerentibus,* est נעלמים *nahalamim,* quod significat *occultis,* vel *pueriliter ludentibus:* nam *hhalam* est *occultari,* et *hhelem* est *puer.* Dicuntur autem *occulti,* hypocritæ, simulatores, derisores, et in genere omnes iniqua agentes, ut Septuaginta recte vertunt, quia « omnis qui male agit, odit lucem, » ut dicitur *Joan.* III. Sed idololatræ rectissime etiam dici possunt pueriliter ludentes, quia quomodo pueri fingunt ex argilla domunculas et varia animantia, sic idololatræ ex varia materia fingunt deos. Propterea Moses idololatriam lusum vocavit: « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, » *Exod.* XXXII; quem lusum idololatriam fuisse docet Apostolus I. *Cor.* X, num. 7.

Vers. 6. 6. LAVABO INTER INNOCENTES MANUS MEAS, ET CIRCUMDABO ALTARE TUUM, DOMINE.

Posteaquam dixerat se odisse conventicula infidelium idololatrarum, inter quos tunc versabatur, adjungit se e contrario summo amore prosequi tabernaculum Domini et conventum Sanctorum, ac breviter describit quid sit facturus, cum Deo adjuvante ab exilio in patriam revocatus fuerit. «Lavabo, inquit, inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine,» id est, lavabo manus ante ingressum tabernaculi, ut homines pii facere solent, et circuibo cum psallentibus altare tuum. In hebræo habetur, *lavabo in innocentia manus meas*; sed idem est sensus: nam lavare manus in innocentia, est hoc loco, lavare manus more innocentium, sive ut innocentes facere solent, quod idem significat, lavare manus inter innocentes, sive cum innocentibus. Quod autem ad sententiam attinet, aliqui volunt allusisse Davidem ad lotionem manuum quæ fit aliquando in signum innocentiæ, quomodo Pilatus lavit manus coram Judæis, dicens: «Innocens ego sum a sanguine justi hujus, «*Matth.* XXVII, quasi diceret: Ecce lavi manus, nolo eas inquinare sanguine justi hujus, ideo non audeo illum condemnare, quod et nos vulgo dicimus, cum nolumus admisceri negotio, in quo sit periculum peccandi: *Io me ne lavo le mani.* Cæterum probabilius, et magis consentaneum ad sequentia esse judico, si dicamus Davidem loqui de ritu Hebræorum, qui ante ingressum tabernaculi tum se ipsos, tum hostias purificabant, quas lotiones, Apostolus *ad Hebr.* IX vocat *varia baptismata,* et *justitias carnis;* et quoniam lotio illa externa signum esse debebat internæ puritatis, ideo David ait: « Lavabo inter innocentes manus meas, » id est, lavabo manus in signum veræ puritatis internæ, ut innocentes faciunt, non autem lavabo manus cum hypocritis, qui manus puras et cor sordidum gerunt. Illud autem quod sequitur, *et circumdabo altare tuum,* referunt aliqui ad multitudinem victimarum, quibus undique altare implendum esset. Sed verius mihi videtur, ut referatur ad choros canentium in circuitu altaris; nam in Psalmo sequenti habetur: « Circuivi, et immolavi hostiam vociferationis, » etc.; et hoc loco statim subjicitur: «Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.»

Vers. 7. 7. UT AUDIAM VOCEM LAUDIS, ET ENARREM UNIVERSA MIRABILIA TUA.

Explicat ad quid altare Domini circumdare velit, nimirum, inquit, ut choris canentium immixtus, audiam laudes Domini, et ipse etiam eas canam. In hebræo habetur, si puncta recipiamus, *ut audire faciam vocem laudis;* sed si puncta mutentur legi potest, ut, legerunt Septuaginta et S. Hieronymus, *ut audiam vocem laudis.* S. Augustinus acute et pie docet hoc loco adversus Pelagianos, eos tantum audire vocem laudis Dei, qui intimo sensu percipiunt, quidquid habent, donum esse Dei; in cordibus enim istorum, qui habent aures audiendi, omnia ipsorum bona merita, omnesque virtutes, laudem gratiæ sonant: contra autem, qui de justitia sua præsumunt, deque suis meritis tument, quasi illa a se ipsis, non a Deo acceperint, non audiunt vocem laudis Dei, sed vocem laudis propriæ.

Qui audiunt vocem laudis Dei?

Vers. 8. 8. DOMINE, DILEXI DECOREM DOMUS TUÆ, ET LOCUM HABITATIONIS GLORIÆ TUÆ.

Ostendit Propheta, nulla alia de causa magis sibi molestum fuisse exilium, nisi quia tabernaculum Domini videre non poterat; animus enim erga Dei amorem vehementer incensus, nihil pulchrius in terris judicat eo loco, in quo præsentia Domini clarius se ostendit. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca fœderis, *domus Dei, locus habitationis gloriæ ejus,* quoniam sæpe in eum locum descendebat nubes lucida, in signum præsentiæ Dei, « qui lucem habitat inaccessibilem, » ut Apostolus dicit I *Timoth.* VI; et quia in eodem loco erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solitus erat. In hebræo habetur: *Dilexi habitaculum domus tuæ,* pro eo quod nos habemus: « Dilexi decorem domus tuæ; » fortasse Septuaginta non legerunt מעון, *habitaculum;* sed נוה, litteris inversis, quod significat *decorem.*

Vers. 9. 9. NE PERDAS CUM IMPIIS, DEUS, ANIMAM MEAM, ET CUM VIRIS SANGUINUM VITAM MEAM.

Quoniam Deum judicem initio appellavit, et innocentiam suam, cujus idem Deus testis erat,

exposuit; concludit, orans, ut pro se sententia proferatur : « Ne perdas, inquit, cum impiis animam meam, » id est, non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles. Posuit animam pro vita, sive pro tota persona sua, ut alias sæpe. Per *viros sanguinum*, intelligit homicidas, quales erant, qui eum persequebantur. Porro vox illa, *Deus*, non habetur in hebræo, neque in græco, neque legitur a Hieronymo et Augustino; tamen legitur a Theodoreto et Euthymio, ex quo intelligimus in græcis eorum codicibus non defuisse.

Vers. 10. 10. IN QUORUM MANIBUS INIQUITATES SUNT, DEXTERA EORUM REPLETA EST MUNERIBUS.

Declarat qui sint impii et viri sanguinum, de quibus dixerat versu superiore, ac dicit eos esse, qui perverse judicant ob accepta munera; notat enim peccata principum, qui sunt judices populorum. Pulchre autem dicit : « In quorum manibus iniquitates sunt; » sic enim in ea parte corporis ponit iniquitatem, per quam accipiuntur munera, ut ostendat acceptionem munerum causam fuisse iniquitatis.

Vers. 11. 11. EGO AUTEM IN INNOCENTIA MEA INGRESSUS SUM, REDIME ME : ET MISERERE MEI.

Repetit causam, cur non debeat condemnari cum impiis, quia videlicet « in innocentia ingressus sit, » id est, innocenter vixerit. « Redime me, et miserere mei, » id est, libera me a præsenti calamitate, et deinceps miserere, ne iterum in eamdem incidam; passim enim in Scripturis ponitur *redimere*, pro *liberare*, id est, species pro genere, nisi forte Spiritus Sanctus insinuare voluerit, omnem liberationem electorum de quacumque tribulatione, dici posse redemptionem, quia pretio sanguinis Christi nostri redemptoris acquiritur.

Vers. 12. 12. PES MEUS STETIT IN DIRECTO; IN ECCLESIIS BENEDICAM TE, DOMINE.

Respiciunt hæc verba particulam ultimam superioris versiculi, videlicet *et miserere mei*, quasi dicat : Petii liberationem a præsenti calamitate, quia innocenter vixi; peto etiam ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, id est stabilitus et fixus est *in rectitudine*, ac per hoc non facile recedam a recto itinere legis tuæ : et pro gratiarum actione *benedicam* et laudabo te hymnis et psalmis *in ecclesiis*, id est impiorum conventibus. Est autem hæc, ut Euthymius notat, prophetia, quod revera tempore novi Testamenti, in omnibus ecclesiis Psalmi Davidici concinendi essent.

Prophetia de Psalmis Davidicis concinendis in ecclesiis.

PSALMUS XXVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v.—1. *Psalmus David, priusquam liniretur.*

Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo?

2. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas :

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

4. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ :

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

5. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

6. In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

V. s. h. — *David.*

Dominus lux mea, et salutare meum : quem timebo?

Dominus fortitudo vitæ meæ : quem formidabo?

Cum appropinquarent mihi maligni, ut comederent carnem meam :

Hostes mei et inimici mei ipsi impegerunt, et ceciderunt.

Si steterint adversus me castra, non timebit cor meum.

Si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam.

Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ :

Et videam pulchritudinem Domini, et attendam in templum ejus.

Abscondet enim me in umbra sua in die pessima, abscondet me in secreto tabernaculi sui, in petra exaltabit me.

Nunc quoque exaltavit [al. *exaltabit*] caput meum super inimicos meos qui sunt in circuitu meo.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.

7. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.

8. Tibi dixit cor meum : Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.

9. Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

10. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.

11. Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.

12. Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

13. Credo videre bona Domini in terra viventium.

14. Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Et immolabo in tabernaculo ejus hostias jubili : cantabo, et psallam Domino.

Audi, Domine, vocem meam invocantis, et miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum : Quæsivit vultus meus; faciem tuam, Domine, requiram.

Ne abscondas faciem tuam a me, ne declines in furore a servo tuo.

Auxilium meum fuisti : ne derelinquas me, et ne dimittas me, Deus salvator meus.

Pater enim meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem colligit me.

Ostende [*h. Illustra*] mihi, Domine, viam tuam, et deduc me in semita recta propter insidiatores [*h. decantatores*] meos.

Ne tradas me animæ tribulantium me : quoniam surrexerunt contra me testes falsi et apertum mendacium.

Ego autem credo [al. *credebam*], quod videam bona Domini [*h. nisi ego credidissem quod viderem bona Domini*] in terra viventium.

Exspecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum.

Argumentum. — Strophæ tres. Vers. 1-6, vates, in insigni aliquo periculo constitutus, spem certam in Jova repositam se habere, nec quicquam magis sibi in votis esse, quam ut sibi deinceps semper liceat in loco sacro versari, testatur; vers. 7-12, velit igitur Jova ab infestissimis adversariis ipsum defendere; vers. 13-14, abrupto sermone ad fidendum Deo semetipsum excitat atque hortatur.

1. Davidis *carmen.*

Jova *est* lux mea et salus mea : a quo timerem?
Jova præsidium (munimentum) vitæ meæ : a quo pavebo?

2. Cum appropinquant contra me malefactores ad comedendum carnem meam,
adversarii *nempe* mei et hostes mei mihi
ipsi labant et cadunt.

3. Si castra ponat contra me exercitus,
non timebit cor meum;
si exsurgat contra me bellum,
in (cum) hoc (nihilominus) ego securus sum.

4. Unum (præ cæteris) petii a Jova, hoc exquiro,
puta ut habitem in domo Jovæ omnes vitæ meæ dies,
ad videndum suavitatem Jovæ,
et ad aspiciendum templum ejus.

5. Nam abscondit me in tugurio suo die calamitatis,
latere me facit in latibulo tentorii sui,
in petram effert me.

6. Et nunc exaltabit caput meum super hostes meos circa me.
et sacrificabo in tentorio ejus sacrificia clangoris.

7. Audi, Jova; voce mea (intente) clamo,
et miserere mei, et exaudi me.
8. Tibi dicit cor meum : « *Dixisti :* quærite faciem meam; »
faciem tuam, Jova, quæro.
9. Ne occultes faciem tuam a me,
ne avertas in ira servum tuum;
auxilium meum tu *hucusque* fuisti, ne deseras me;
et ne derelinquas me, Deus salutis meæ.
10. Nam pater meus et mater mea dereliquerunt me,
sed Jova suscipiet me.
11. Doce me, Jova, viam tuam,
et duc me in semita recta,
propter adversarios meos.
12. Ne tradas me animæ (appetitui, *seu* furori) adversariorum meorum,
nam surrexerunt in me testes falsi
et *homo* efflans injuriam.

13. Nisi credidissem (sperassem) videre benignitatem Jova in terra viventium!
tunc periissem in afflictione mea (Ps. CXIX, 92).
14. Exspecta Jovam (auxilium ejus) ;
esto fortis, et alacritatem assumat cor tuum,
et exspecta Jovam.

NOTÆ.

Vers. 1. *Lux*, cujus splendore omnes tenebræ mearum ærumnarum dissipantur. Cf. *Mich.* VII, 8. — Vers. 2. *Mihi* redundat, ut II *Sam.* XXII, 2. — Vers. 4. *Videndum ... aspiciendum*, puta cum deliciis, i. e. conspectu *me delectandum. Suavitatem Jovæ*, quam bonus et suavis Dominus; Rosenmullerus, *jucunditatem Jovæ*, i. e. sacrificia, suffitus, cæterosque ritus; Maurer, *splendorem Jovæ*, ob eximium tabernaculi ornatum. — Vers. 5. *Tugurium* (ex ramis frondibusque arborum factum) et *tentorium* (e pellibus) esse præsidii imaginem, non tabernaculum sacrum, docet membri tertii imago. — Vers. 6. *Sacrificia clangoris* idem est ac *sacrificia cum clangore buccinarum*, i. e. eucharistica (*Num.* X, 10), quæ alias *sacrificia laudis* dicuntur; Meignan pro *clangoris* vertit *jubilationis*, eodem sensu : quia, ait, buccinæ in sacrificiis privatis non adhibebantur; Maurer ab hoc versu incipit strophen 2, vertitque, *jam igitur efferat se caput meum... et offeram.* —Vers. 7. Alii, *Jova, vocem meam*, qua *clamo*. — Vers. 8. Sensus : Commonefacio te illius, quod nobis dedisti, præcepti (forsan *Deut.* IV, 29), nos debere te precibus adire : quod præceptum ego observo. Hengstenberg, *de te* (tuo præcepto) *cogitavit cor meum*, etc. — Vers. 10. *Parentum* nomine hoc loco amicos et necessarios multi intelligunt. — Vers. 11. *Viam tuam*, tibi gratam. *Recta*, pietatis scil. *Adversarios*, propr. *insidiatores*, qui undique observant calumniandi nocendive occasiones. Cf. *Ps.* V, 9. — Vers. 12. *Efflans*, forsan insignis ille calumniator Doëg, vel collective sumitur. Alexandrini syllabam priorem versus sequentis traxerunt ad hunc versum, unde vertit Vulgatus, *mentita est iniquitas sibi*, i. e. in suum ipsius opprobrium ac dedecus. יפח adject. in statu constr. τοῦ פּוּח. — Vers. 13. Hengstenberg, *utinam* (quod redundat) *spero*, etc. Vox לולא in codd. antiquis abfuisse, arguunt veteres interpretes et etiamnum reperiuntur codices in quibus prorsus deest; insuper, sensum turbat : tum ob eas, tum ob alias rationes eam esse delendam putat Rosenmullerus.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, priusquam liniretur.

In hebræo non habetur pro titulo, nisi *David;* reliqua sunt addita a Septuaginta, ut intelligeremus hunc Psalmum compositum fuisse a Davide, antequam regnare inciperet, durante videlicet persecutione Saulis. Nam tametsi David linitus oleo fuisset a Samuele, cum adhuc puer esset; tamen illa unctio fuit privata, non publica, et adhibita potius ad designandum, quam ad consecrandum regem. Postea vero Saule occiso, unctus fuit David in regem publice ac solemniter, ut constat ex lib. II *Reg.* cap. II. Et de hac posteriore unctione intelligendus est titulus hujus Psalmi. Videtur autem hic Psalmus scriptus fuisse proxime post superiorem, Davide adhuc in exsilio et tribulatione constituto; sed quia post orationem Psalmi præcedentis magna consolatione spiritus affectus fuerat, et Deo revelante cognoverat, ad majus quoddam regnum, quam sint terrena, se vocari; ineffabili desiderio ad cœleste regnum suspirare, ac temporalia omnia, sive adversa, sive prospera, contemnere cœpit. Convenit idem Psalmus omnibus electis, qui jam inuncti sunt unctione gratiæ, atque ad regnum cœleste designati, et ad unctionem gloriæ, per quam vere regnare incipiunt, tota animi devotione suspirant. Unctio Davidis duplex fuit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA: QUEM TIMEBO?

Tribulatio tenebras adducit, prosperitas lucem et serenitatem: perturbat enim et confundit animum tribulatio, ut non facile videat quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel aliquod aliud peccatum provocatur. Sed si Deus lumine divinitus immisso tenebras disjiciat, continuo cernit animus momentaneam et levem esse tribulationem, quæ in umbra noctis magnum horrorem incutiebat, et simul cernit protegente se Deo, tribulationem non solum non posse nocere, sed etiam mirifice profuturam. Hoc Dei beneficium expertus David in persona sua et omnium electorum canit: « Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo? » quasi dicat: Ignorantia et infirmitas timidum me in tribulatione reddebant, sed cum Dominus illustraverit jam mentem meam, meque aperte cernere fecerit, nullam temporalem calamitatem gravem, aut diuturnam esse, et amoris divini unguento sanaverit infirmitatem meam, neminem timeo: veritas enim tenebras, et « charitas foras mittit timorem, » ut ait B. Joannes I *Joan.* IV.

Vers. 2. 2. DOMINUS PROTECTOR VITÆ MEÆ: A QUO TREPIDABO?

Addit aliud argumentum, quo sibi ipsi persuadet nullum timorem deinceps esse admittendum. Dominus, inquit, non solum illuminat et sanat, sed illuminatum et sanatum non deserit, sed protegit assidue scuto providentiæ et benevolentiæ suæ. « A quo *igitur* trepidabo? » « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » ut ait Apostolus *Rom.* VIII; si rex cohorte mortalium militum stipatus non timet, cur timeat servus Dei stipatus protectione omnipotentis et immortalis Imperatoris? S. Martinus, apud Sulpitium: « Ego, inquit, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, cuneos hostium penetrabo securus; » nimirum ex iis erat, qui dicere poterant: « Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo? »

Vers. 3. 3. DUM APPROPIANT SUPER ME NOCENTES, UT EDANT CARNES MEAS.

Vers. 4. 4. QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI, IPSI INFIRMATI SUNT, ET CECIDERUNT.

Describit effectum protectionis Dei, et præteritum pro futuro ponit, more prophetarum, ad designandam rerum certitudinem. Sensus igitur est: Ex protectione Dei fiet, ut cum appropinquabunt super me, quasi prostratum et dejectum, ii qui nocere mihi cupiunt, et quasi canes, aut leones famelici carnibus meis saturari desiderant; tunc isti ipsi qui tribulant me, et inimici mei sunt, debiles fient, et corruent, ita conatu suo, non mihi, sed sibi nocebunt. Hoc verissimum esse, non solum Davidis, sed Christi et martyrum, atque adeo sanctorum omnium exempla demonstrant. In hebræo et græco habetur, *tribulantes me, et inimici mei;* latinus Interpres omittit illud *et*, sed res est parvi momenti. Pro *infirmati sunt*, S. Hieronymus vertit *impegerunt;* sed verbum hebraicum כשלו utrumque significat.

Vers. 5. 5. SI CONSISTANT ADVERSUM ME CASTRA, NON TIMEBIT COR MEUM.

Vers. 6. 6. SI EXURGAT ADVERSUM ME PRÆLIUM, IN HOC EGO SPERABO.

Addit ad ea quæ dixerat, ut spem et fiduciam plenissimam se in Deo habere demonstret, non solum se non timere singulos hostes, sed neque integra castra, et ea non in tentoriis quiescentia,

sed in acie præliantia. Illud, *in hoc ego sperabo*, varie exponitur, propterea quod tum in hebræo זאת *zoth*, tum in græco ταύτῃ, vox est generis feminini. S. Augustinus exponit, *in hac petitione*; Theodoretus, *in hac spe*; Euthymius, *in hoc meo corde*. Græce καρδία est generis feminini, sed videtur latinus Interpres rectissime vertisse, *in hoc ego sperabo*. Consideravit enim Hebræos carere neutro genere, et pro eo uti genere feminino : proinde illud, זאת *zoth*, non significare, in *hac spe*, in *hac petitione*, vel in *hoc corde*, sed absolute, *in hoc*, id est, in hac re, videlicet, quod Deus sit illuminatio, et salus, et protectio mea, ut supra dictum est. Itaque Græci posuerunt ταύτῃ, non quod careant neutro genere, sed quia voluerunt ad verbum reddere, quod erat in hebræo; sed latinus non tam vocem, quum significationem respexit.

Vers. 7. 7. UNAM PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM, UT INHABITEM IN DOMO DOMINI OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ.

Mirum est cur latinus Interpres non verterit, *unum petii a Domino*; nam hoc etiam loco in hebræo habetur genus femininum pro neutro. Voluit igitur in hac voce reddenda imitari græcum interpretem, et vertere ad verbum. Sensus tamen est : *Unam petii*, id est unum petii, sive, unam rem petii. Plerique intelligunt hunc locum de domo Domini, ubi erat arca Dei, et propitiatorium, et volunt hunc esse sensum, *unum petii a Domino, hoc requiram*, ut de hoc exilio revertar, et liceat mihi assidue versari in tabernaculo Domini, ubi est arca Dei, et propitiatorium, etc. Sed certe mihi sententia S. Augustini, qui exponit de domo cœlesti, non solum vera, sed etiam litteralis esse videtur. Nam non dicit David, cupere se habitare prope domum Domini, sed in ipsa domo Domini : notum autem est non habitasse unquam Davidem in domo Domini, sed in palatio proprio, quod longe aberat a tabernaculo, præsertim antequam arca deferretur in montem Sion; et potuisset utique si voluisset, quando rex erat, habitare juxta tabernaculum Domini. Præterea similis est hic locus illi qui habetur in *Psalm.* LXXXIII : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, » quod certe non convenit nisi habitatoribus domus Dei, quæ est in cœlo. Denique nunquam David, vir sanctus et perfectus, rem aliquam temporalem tanto affectu peteret, ut diceret : « Unam petii, hanc requiram, » quasi nihil aliud petendum sit. Explicat igitur hoc loco Propheta radicem veram confidentiæ in Deum, et cur non timeat malum aliquod temporale : radix enim est ardens charitas in Deum : qui enim ardenter diligit summum atque æternum bonum, nihili facit omnia temporalia. « Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram, » id est, nihil temporale appeto, non magni facio jacturam omnium aliarum rerum, modo unam rem habere merear; ideo de hac una sollicitus sum, hanc unam petii, hanc unam petam, ut videlicet inhabitem in domo Domini, non ad tempus, sed « omnibus diebus vitæ meæ, » id est, quamdiu durabit vita sanctorum cum Deo, quæ sine dubio non habebit finem. Valde proprie dictum est, *ut inhabitem in domo Domini* : nam hic in terris, quamvis amici, imo filii Dei simus, tamen non habitamus, sed ambulamus cum Deo; nec in domo, sed in tentorio requiescimus.

Loquitur Propheta de domo Dei æterna.

8. UT VIDEAM VOLUPTATEM DOMINI, ET VISITEM TEMPLUM EJUS. Vers. 8.

Docet cur in domo Domini habitare desideret, quia videlicet ibi perfecta felicitas est. Multi latini codices habent, *ut videam voluntatem Domini*; sed recte correcti sunt in editione Sixti V et Clementis VIII, et positum, *ut videam voluptatem Domini*, ut habebant emendatissimi codices manuscripti. Per *voluptatem* autem hoc loco non est accipienda actio delectationis, sed objectum, id est pulchritudo, venustas, suavitas. Nam vox hebræa נעם proprie *pulchritudinem* significat; vox autem græca τερπνότης potest *delectationem* et *voluptatem* significare, quam vocem latinus Interpres accepit, sed significat etiam venustatem et pulchritudinem, et pro pulchritudine hoc loco vocem illam Theodoretus accepit. Quare vox latina, *voluptas*, si cum hebræa et græca convenire debeat, accipienda est pro *voluptate objectiva*, id est pulchritudine et venustate. Quod ipsum etiam verbum *videndi*, sive *contemplandi* requirit : non enim proprie videmus actionem delectationis, sed rem delectabilem. Itaque S. Hieronymus vertit : *Ut videam pulchritudinem Domini*; et S. Augustinus legit : *Ut contempler delectationem Domini*, et exponit per *delectationem*, speciem delectabilem. Si quis tamen omnino vellet voluptatem hoc loco accipere pro ipsa actione capiendi delectationem, non deberet intelligere per *voluptatem Domini*, delectationem, qua fruitur Dominus, sed quæ percipitur ex Domino, id est ex visione pulchritudinis Domini, atque ita sensus in idem recideret. Porro S. David hoc loco omnino proprie felicitatem expressit; quæ ex sententia solidioris scholæ in actione nobilissima potentiæ omnium præstantissimæ erga summum objectum, id est intellectuali Dei visione, consistit, ex qua ineffabilis voluptas et delectatio sequitur. Illud autem quod additur, *et visitem templum ejus*, S. Augustinus legit, *et protegar a templo ejus*. In qua lectione nescio quos codices sit secutus : hebræus enim et græcus nihil habent, quod ad protectionem referri possit. Vox hebræa בקר significat proprie *quærere, inspicere, oculis perlustrare*, præsertim illuscescente die : unde בקר *boker* Hebræis significat *mane*, quia tunc primum depulsis tenebris requirimus et perlustramus ea quæ latebant. Sic etiam vox græca ἐπισκέπτεσθαι significat *considerare, attendere, visitare*. Sensus igitur est : ut videam

Beatitudo in visione divina consistit.

pulchritudinem Domini, et deinde novam illam lucem visitem, id est oculis perlustrem et requiram totum illud cœleste Dei templum, et omnia quæ in eo sunt. Nam revera post visionem Dei, nihil jucundius occurrere potest, quam spectaculum illius cœlestis patriæ, et divinæ illius domus, in qua sunt omnes beati, quæ merito templum dicitur, cum non sit domus, aut civitas profana, sed sacratissima, cum in ea nihil profanum agatur, sed assidue sacrificetur hostia laudis et jubilationis.

Vers. 9. 9. QUONIAM ABSCONDIT ME IN TABERNACULO SUO, IN DIE MALORUM PROTEXIT ME IN ABSCONDITO TABERNACULI SUI.

Reddit rationem cur tam audacter petat habitare in domo Domini, et videre pulchritudinem ejus, quia gustare jam cœpit, quia dulcis est Dominus, et pignus amoris ejus jam tenet. Quasi brevissime diceret : Audeo petere gloriam, quoniam percepi gratiam. Sunt autem verba omnia metaphorica, non enim proprie absconditus fuit David in tabernaculo Domini, cum quæreretur a Saule ; sed sensus horum verborum est : tempore præsentis vitæ, in qua dies mali sunt, tam singulari providentia Deus me defendit ac protexit. ac si in intima et abditissima parte tabernaculi sui me collocasset. Ex hac autem tanta Dei gratia et benevolentia spem concipio, me aliquando ad domum Domini perventurum, quod unum peto et requiro. Idem vero significatur in utraque parte versiculi ; nam *abscondi in tabernaculo*, non est, *poni in quacumque parte tabernaculi*, sed *in abscondito tabernaculi collocari*, ubi a malis omnibus protegatur. In hebræo et græco illud, *in die malorum*, conjungitur cum prima parte versiculi, *abscondit me in tabernaculo suo in die malorum*. Sed in codice latino conjungitur cum secunda parte, hoc modo : *In die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui*. Perinde est ubi ponatur interpunctio, cum sensus sit idem : tamen prior interpunctio habetur etiam in libris Patrum, Augustini et aliorum, et fortasse in latino codice interpunctio non tam deservit intelligentiæ quam cantui.

Vers. 10. 10. IN PETRA EXALTAVIT ME, ET NUNC EXALTAVIT CAPUT MEUM SUPER INIMICOS MEOS.

Alia metaphora idem significat, nimirum se a Deo singulari providentia protectum ac defensum, ac si in arce munitissima et altissima collocatus fuisset. Similis metaphora est apud Isaiam cap. XXXVIII : « Iste, » justus videlicet, « in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. » Itaque sensus est : « In petra exaltavit me, » id est, posuit me in loco sublimi et munito. « Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos, » id est, ex eo quod in loco tutissimo et altissimo jam consisto, factum est, « ut caput meum sit exaltatum super inimicos meos, » id est, sim superior et victor inimicorum meorum. Porro per has metaphoras, non solum describitur protectio et defensio hominis justi, cui nihil nocere possunt omnium adversariorum machinationes, juxta illud S. Petri, I *Epist.* cap. III : « Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? » sed etiam indicatur modus, quo vir justus ad hanc securitatem pervenit : modus enim est ascensio mentis per contemplationem in Deum et res æternas. Qui enim serio meditatur æterna, et ardenter Deum amat, jam est in altissima et munitissima petra constitutus, ut nihil ei nocere possit, cum terrena omnia jam illi viluerint.

Vers. 11. 11. CIRCUIVI, ET IMMOLAVI IN TABERNACULO EJUS HOSTIAM VOCIFERATIONIS : CANTABO, ET PSALMUM DICAM DOMINO.

In hebræo conjungitur prima vox hujus versiculi cum superiore, et pro *circuivi*, legitur *circuitibus meis*, ut sit integra sententia : *Exaltavit caput meum super inimicos meos circuitibus meis ;* vel, ut vertit S. Hieronymus, *qui sunt in circuitu meo*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt סביבותי *sebibothai*, ut nunc est in hebræo, et significat *circuitibus meis*, sed סבותי *sabbothi*, id est *circuivi*, unica litterula dempta, et punctis mutatis. Igitur Propheta per contemplationem supra terrena omnia exaltatus, erumpit in admirationem operum Dei, et laudem opificis omnipotentis. « Circuivi, » inquit, id est, mente perlustravi omnia opera Dei, quæ sunt in cœlo et in terra, « et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, » id est, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod est cœlum, quo per contemplationem ascendi, magna voce, ex magna admiratione procedenti, laudavi Deum, quæ laus sacrificium est illi gratissimum. Sic enim alibi legimus : *Immola Deo sacrificium laudis ;* et rursum : *Sacrificium laudis honorificabit me*. Nec solum, inquit, immolavi hostiam vociferationis, sed et deinceps pergam assidue idem facere, « cantabo, et Psalmum dicam Domino. »

Vers. 12. 12. EXAUDI, DOMINE, VOCEM MEAM, QUA CLAMAVI AT TE ; MISERERE MEI, ET EXAUDI ME.

Redit ad id quod dixerat : « Unam petii a Domino, hanc requiram. » Atque in hac una petitione se exaudiri postulat, flagrans nimirum ardenti desiderio videndi dilectum. « Exaudi, inquit, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te, » videlicet, vocem illam qua clamavi : « Unam petii a Domino, hanc requiram, » etc. « Miserere mei » hoc exilium ægre ferentis, « et exaudi me. »

Vers. 13. 13. TIBI DIXIT COR MEUM : EXQUISIVIT TE FACIES MEA ; FACIEM TUAM, DOMINE, REQUIRAM.

Vers. 14. 14. NE AVERTAS FACIEM TUAM A ME, NE DECLINES IN IRA A SERVO TUO.

Hæc non tam egent explicatione, quam pia meditatione et imitatione. « Tibi dixit cor meum, »

id est, tibi loquitur desiderium meum. « Exquisivit te facies mea, » id est, oculi mei interiores, qui sunt in facie animæ meæ, tuam pulchritudinem requirunt, cætera omnia fastidiunt. « Faciem tuam, Domine, requiram, » id est, hoc semper erit studium meum, ut conspectum tuum quæram, non solum ut in alio sæculo revelata facie vultum tuum videam, sed etiam in hoc sæculo hoc unum satagam, ut me respicias, et respiciendo illumines et accendas. « Ne avertas faciem tuam a me, » id est, noli quæso cessare a me respiciendo, ne simul lumen obscuretur, et charitas refrigescat. « Ne declines in ira servo tuo, » id est, ne sinas me in peccata labi, ne forte iratus a me recedas. Recte hoc loco S. Augustinus observat timorem castum, non servilem exprimi in his verbis. Timor enim servilis cupit abesse dominum, ne puniat, ac ideo non diceret : Ne declines, sed abi et declina; timor autem castus, qui dilectum vere amat, nihil magis timet, quam ne dilectus recedat. In textu græco, post illa verba : *Tibi dixit cor meum*, additur : *Dominum requiram*; sed ea verba non habentur in hebræo, neque leguntur ab Hieronymo et Augustino, quamvis a Theodoreto et Euthymio legantur. In hebræo non habetur pronomen *te*, ubi legimus : *Exquisivit te facies mea*; sed absolute, *exquisivit facies mea :* cæterum subintelligitur, et ideo additum est ab interpretibus græcis et latinis.

Differentia inter timorem servilem et castum.

Vers. 15. 15. ADJUTOR MEUS ESTO, NE DERELINQUAS ME, NEQUE DESPICIAS ME, DEUS SALUTARIS MEUS.

Quia dixerat : « Ne declines in ira a servo tuo, » considerans se suis viribus non posse cavere peccata, ob quæ in iram incurrimus, clamat ad Deum, ut adjuvare non cesset. In hebræo habetur : *Adjutorium meum fuisti,* sed Septuaginta Interpretes non videntur legisse הָיִית, id est *fuisti,* sed הֱיֵה *heie,* quod significat *esto :* nam est similitudo maxima inter has voces, si removeantur puncta, quæ tempore Septuaginta Interpretum nondum erant apposita. Sensus autem semper est verus et ad rem faciens; nam si legamus : « Adjutor meus *fuisti,* ne derelinquas me, » sensus erit : Quoniam hactenus me semper adjuvisti, deinceps quoque me adjuva; si vero legamus : « Adjutor meus *esto,* ne derelinquas me, » erit repetitio ejusdem orationis, quæ magnum affectum exprimit. Porro in verbis illis : « Ne derelinquas me, neque despicias me, » videtur latinus Interpres invertisse ordinem : nam in hebræo et græco textu prius est, *ne despicias,* sive *ne abjicias me*, quam *ne derelinquas me.* Pro illo autem, *ne despicias,* Græci habent vocem valde significantem, ἀποσκορακίσῃς, quæ apud Euthymium deducitur, vel a *scoria*, vel a *corvis,* et significat *projici*, quomodo projicitur scoria, vel quomodo projiciuntur ad corvos cadavera. Petit igitur justus auxilium Dei, ne peccet, et si forte peccaverit, non projici a facie Dei, quomodo projicitur scoria, vel non projici ad infernales corvos, et non solum non projici, sive despici, sed neque absolute relinqui et dimitti, sed benigne curari et sanari; ideo enim addit : « Deus salutaris meus. » Salvatoris enim non est despicere ac deserere miserum, sed salvare et curare.

Vers. 16. 16. QUONIAM PATER MEUS ET MATER MEA DERELIQUERUNT ME : DOMINUS AUTEM ASSUMPSIT ME.

Magna ratio redditur, cur æquum sit Deum adjuvare, quia videlicet nemo sit illo amantior. Notanda est phrasis hebraica, qua Deum in tertia persona reverentiæ causa Propheta alloquitur; non enim dicit : « Tu autem assumpsisti me; » sed : « Dominus autem assumpsit me. » Similis est phrasis in *Gen.* cap. XXXI, num. 35, ubi Rachel dicit patri suo : « Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo; » et lib. III *Reg.* cap. I, num. 27, dicit Nathan Davidi : « Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? » Illud igitur, *Dominus assumpsit me,* idem est ac si dictum esset: *Tu autem, Domine, assumpsisti me*, sive *collegisti me,* ut proprie significat vox hebraica יֶאֱסָפֵנִי. Est autem in his verbis quædam figura aptissima ad explicandum beneficium Dei; non enim puer erat David, ut egeret parentum auxilio, neque magnum erat in illa ætate relinqui a parentibus, qui oneri potius, quam auxilio esse potuissent. Sensus igitur horum verborum est : Ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi jacentem, atque omni injuriæ expositum : tu autem, Domine, ita abjectum et desolatum, benignissime collegisti et fovisti. Vere enim si quis fragilitatem naturæ humanæ consideret, et hostium invisibilium potestatem, et quantopere Dei gratia in omnibus actionibus egeamus, nullo modo negare poterit, nos infantibus a parentibus neglectis rectissime comparari. Porro S. Ezechias usque adeo rem hanc intelligebat, ut non infanti, sed pullo hirundinis se ipse comparaverit, *Isai.* XXXVIII : « Sicut pullus, inquit, hirundinis, sic clamabo. »

Phrasis hebraica notanda.

Vers. 17. 17. LEGEM PONE MIHI, DOMINE, IN VIA TUA, ET DIRIGE ME IN SEMITAM RECTAM PROPTER INIMICOS MEOS.

Quia se comparaverat infantulo, quem Deus collegerat, recte jam petit, ut se ambulare doceat; petit igitur gratiam implendi mandata divina, quam gratiam in toto psalterio frequentissime petere solet; nec immerito, cum ea sit via ad illam cœlestem domum Dei, quam unam se toto corde desiderare paulo ante professus est. Pro *legem pone mihi, Domine, in via tua,* in hebræo est, *doce me viam tuam;* sive, ut vertit S. Hieronymus, *ostende mihi viam tuam.* In græco est unum verbum, νομοτέθησον, quod secundum ety-

mologiam significat, *legem ponere*, ut latinus Interpres reddidit. Cæterum accipitur etiam pro *docere, erudire, præceptorem se exhibere*; proinde hoc loco, *legem pone mihi in via tua*, significat, *erudias me circa viam*, id est circa legem tuam : quod in alio Psalmo legimus, *Psalm.* XXII : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. » Ac, ut alibi dicimus, non postulat Propheta notitiam solam legis, sed internam unctionem, qua sibi a Spiritu Sancto intime persuadeatur, servandam esse Dei legem. Idem fere significant verba sequentia, *et dirige me in semitam rectam*, id est, duc me per viam mandatorum tuorum, quæ est vere semita recta, id est justissima, sed angusta : nisi magis placeat per illud, *doce me viam tuam*, postulari lumen internum; per illud, *et dirige me in semitam rectam*, postulari pium affectum implendi mandata divina. Quod additur, *propter inimicos meos*, vel, ut S. Hieronymus vertit, *propter insidiatores meos*, significat valde necessariam esse gratiam Dei in hac peregrinatione, propter multitudinem hostium tum visibilium, tum invisibilium, qui nobis ubique insidiantur, ut a recta via divinæ nos deducant, et ad invia et prærupta vitiorum nos perducant.

Verba Dei valde necessaria in hac peregrinatione.

Vers 18. 18. NE TRADIDERIS ME IN ANIMAS TRIBULANTIUM ME, QUONIAM INSURREXERUNT IN ME TESTES INIQUI, ET MENTITA EST INIQUITAS SIBI.

Pergit in eadem petitione : petit enim non tradi in animam, id est, voluntatem et desiderium hostium, præcipue invisibilium. Similis phrasis est *Luc.* cap. XXIII : « Jesum vero tradidit voluntati eorum. » Idem enim est *voluntati eorum*, et *in voluntatem eorum*; sed illa est phrasis latina, hæc hebraica. Itaque S. Hieronymus vertit, *ne tradideris me animæ tribulantium me.* Sequentia verba, *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*, a multis referuntur ad falsa testimonia, quæ dicebantur adversus Davidem : quod quidem non improbo, sed videtur mihi sensus magis cohærere cum præcedentibus et sequentibus verbis, et cum argumento totius Psalmi, si referamus hæc verba ad tentationes dæmonum, sive hominum, qui falsis promissis, vel minis, hominem justum ad impatientiam, vel alia peccata deducere conantur, juxta illud *Psalm.* CXVIII, 85 : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. » In hebræo habetur, *insurrexerunt in me* עדי שכר, *testes falsitatis* sive *mendacii*; proinde illud, *testes iniqui*, accipiendum est pro *testes falsi*, qui inique agunt, dum falsa pro veris obtrudunt, ut ad iniquitatem impellant. Quod additur, *et mentita est iniquitas sibi*, non tam est interpretatio, quam explicatio verborum hebraicorum; in hebræo enim non habentur, nisi duæ voces ויפח חמס, quas voces S. Hieronymus vertit, *et apertum mendacium.* Alii reddunt, *et loquens rapinam.* Sed Septuaginta Interpretes acutissime atque verissime transtulerunt : nam illud ויפח, tametsi a verbo יפח significet *loqui*, unde Neoterici vertunt *loquens*; tamen potest deduci a verbo פוח, quod significat *tilaqueari*, unde est nomen פח, *laqueus.* Et vox illa, חמס *chamas*, licet significare possit *rapinam* et *mendacium*, tamen frequentissime accipitur pro *iniquitate.* Intellexerunt ergo Septuaginta Interpretes hic significari ipsam iniquitatem, a seipsa illaqueatam, dum videlicet homines, vel dæmones iniqui, in propriam perniciem falsitatis laqueos justo tetenderunt. Quod aliis verbis dixit Daniel, cap. XIII, iniquis illis senioribus Susannæ accusatoribus : « Et tu mentitus es in caput tuum. » Ait igitur David : *Insurrexerunt in me testes iniqui*, falsitatem et mendacia obtrudentes, *et illaqueata est iniquitas*, id est, *sed iniquitas mentita est sibi*, id est, nemini nocebit, nisi proprio auctori.

19. CREDO VIDERE BONA DOMINI, IN TERRA VIVENTIUM. Vers. 19.

Reddit rationem, cur mentita sit iniquitas sibi. Ego enim, inquit, invitis omnibus inimicis meis, « credo, » id est, certo confido, « me visurum bona Domini, » id est, illa bona, quæ ipsi etiam Domino bona sunt, quæ illum beatum reddunt, quæ sola sunt vera bona, idque « in terra viventium, » id est, in regione illa, ubi mors locum non habet. In hebræo habetur initio versiculi una vox לולא *lule*, quam aliqui vertunt *nihil*, ut melius S. Hieronymus, *autem : Ego autem credo videre*, etc. A Septuaginta Interpretibus fuit omissa, quia non erat magni momenti quantum ad sensum.

20. EXPECTA DOMINUM, VIRILITER AGE, ET CONFORTETUR COR TUUM, ET SUSTINE DOMINUM. Vers. 20.

Concludit per apostrophen ad seipsum, sectandam esse patientiam et fiduciam in Deum, quasi dicat : Ergo anima mea, quia desideras in domo Dei habitare, quia tam multa pignora divini amoris habes, quia credis videre bona Domini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neque terrenas consolationes respicias, sed *patienter exspecta, confortare in Domino, viriliter age*, dum transeant dies mali, et adveniant dies boni. In hebræo ad verbum habetur, ut vertit S. Hieronymus, *exspecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et exspecta Dominum.* Similiter in græco sunt eædem voces in principio et in fine. Sed latinus Interpres varietate gaudet; ideo initio posuit, *exspecta Dominum*; et in fine, *sustine Dominum.* Patientia cum fiducia conjuncta vires addit, et vires additæ patientiam et fiduciam augent. Ait igitur : « Exspecta Dominum, » id est, patienter et cum fiducia exspecta auxilium, et consolationem Domini. Hinc « viriliter age, » seu roborare : roborare autem non armis exterioribus, sed « confortetur cor tuum, » excita animum, audacter perge; hinc vero, multo magis confide,

et cum patientia «exspecta» consolatorem, et adiutorem «Dominum,» qui sine dubio, cum sit fidelis et justus, «veniens veniet, et non tardabit,» ut dicitur *Habac.* II.

PSALMUS XXVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Psalmus ipsi David.*

1. Ad te, Domine, clamabo; Deus meus, ne sileas a me, nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

2. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

4. Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

5. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus; destrues illos, et non ædificabis eos.

6. Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

7. Dominus adjutor meus, et protector meus; in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: et ex voluntate mea confitebor ei.

8. Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum christi sui est.

9. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ; et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

V. S. H. — *David.*

Ad te, Domine, clamabo, fortis meus, ne obsurdescas mihi:

Ne forte, tacente te mihi, comparer his qui descendunt in lacum.

Audi vocem deprecationum mearum cum clamavero ad te, cum levavero manus meas ad oraculum sanctum tuum.

Ne trahas [al. *tradas*] me cum impiis et cum operantibus iniquitatem, qui loquuntur pacem cum amicis suis [*h. sodalibus*], et est malum in corde eorum.

Da eis secundum opus suum et secundum malum adinventionum suarum:

Juxta opus manuum suarum da eis: redde retributionem suam illis.

Quoniam non intelligunt in opera Domini, et opus manuum ejus: destrues eos, et non ædificabis.

Benedictus Dominus, quia audivit vocem deprecationis meæ.

Dominus fortitudo mea et scutum meum: in ipso confisum est cor meum, et habui adjutorium: gavisum est cor meum, et in cantico meo confitebor illi.

Dominus fortitudo eorum: et robur salutarium christi sui est.

Salva populum tuum et benedic hæreditati tuæ: et pasce eos, et subleva eos usque in sempiternum [*h. sæculum*].

Argumentum. — Vers. 1-5, vates Jovæ auxilium ardenter exposcit, ut ex ingenti aliquo periculo vindicetur, neque se innocentem nocentibus in ultione conjungat, quibus meritas pœnas imprecando prædicit. Vers. 6-9, pro salute, quam sive recuperavit, sive recuperaturum se certo confidebat, Jovæ gratias agit, postremo pro communi populi universi salute precatione addita. Hinc strophæ duæ. Qua occasione fusæ sint hæ preces, utrumve poeta illas in ipso periculo constitutus, an eo superato fuderit, dici nequit.

1. Davidis *carmen.*

Ad te, Jova, clamo:
petra mea, ne sis surdus a me,
ne sileas a me,
et ego similis reddar descendentibus in foveam.

2. Audi vocem precum mearum, dum vociferor ad te,
dum elevo manus meas ad oraculum sanctum tuum.
3. Ne trahas me cum impiis, et cum patrantibus iniquitatem,
qui loquuntur pacem cum proximis suis,
et *tamen* malum *est* in cordibus eorum.
4. Da (repende) eis juxta facta eorum, et juxta malitiam facinorum eorum;
juxta opus manuum eorum da eis;
redire fac retributionem (meritum) eorum ipsis.
5. Nam non attendunt ad facta Jovæ,
neque ad opus manuum ejus :
destruat eos, neque ædificet eos (unquam)!

6. Benedictus Jova!
nam audivit (vel *audit*) vocem precum mearum.
7. Jova *est* robur meum et clypeus meus :
in eo confidit cor meum et juvabor (vel *adjutus fui*) ;
et exsultabit cor meum, et cantico meo celebrabo eum.
8. Jova est robur illis (populo suo),
et munimentum salutis uncti sui (regis) ipse *est*.
9. Salva populum tuum, et benedic hæreditati tuæ,
et pasce eos, et porta eos (pastoris instar) usque in sæculum

NOTÆ.

Vers. 1. *Petra mea,* quo significatur Dei immutabilitas et æternitas, non vero, ait Hengstenberg, securum mortalibus perfugium. *Ne sileas* : bene quoque construi et verti potest, *ne, te silente a me, similis ideo reddar. Foveam,* animarum locum, quem *carcerem* S. Petrus vocat. — Vers. 2. *Elevo.* Manuum elevatio, supplicantium gestus, apud omnes fere gentes receptus, unde etiam ipsæ preces *sublationis manuum* phrasi sæpius veniunt; hinc quoque Æschylus χειροτόνους λιτὰς memorat. *Oraculum,* λαλητήριον, χρηστήριον, quia Jova illic responsa dare seu loqui solebat; pars erat Sancti sanctorum. Cf. 1 *Reg.* VI, 20 seqq.; VII, 40; VIII, 6, 8. — Vers. 3. *Trahas,* scil. ad paria cum eis supplicia; non : ad similes mores ne me abripi sinas. — Vers. 5. *Facta ... opus,* i. e. Dei judicia ejusque providentiam, qua improbos plectit, etc. Alii, *destruet.* — Vers. 7. *Celebrabo* : ה characteristicum conjugat. hiphil post præformativam futuri retinetur more chald. Olim vero h. l. in codd. hebr. lectionis diversitatem extitisse, antiquarum versionum diversitas arguit. — Vers. 9. *Porta* : cf. *Isai.* LXIII, 9. Alii, *extolle,* fac eos aliis eminentiores.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus, ipsi David.

Hunc Psalmum de Davide fugiente Saulis persecutionem exponunt Theodoretus et Euthymius. Sed repugnant multa, *primo,* quod in titulo id non indicetur, sicut alias fere semper fieri solet, cum ad historiam Psalmus respicit. *Secundo,* quod in hoc Psalmo, is qui loquitur appellat se regem; David autem eo tempore nondum rex erat. *Tertio,* quod in eodem Psalmo dicit is qui loquitur, se exauditum, et refloruisse carnem suam : quod certe Davidi pro eo tempore quo Saulem fugiebat, convenire non potest. Recentiores aliqui exponunt de Davide jam rege, et perfecte liberato a persecutione Saulis. Sed si ita esset, non diceret : « Ad te, Domine, clamabo, ne sileas a me; » sed diceret : « Ad te, Domine, clamavi, » etc. Videtur igitur præferenda S. Augustini et S. Hieronymi expositio, qui in persona Christi Psalmum a Davide cantatum fuisse volunt : David enim, qui simul prævidebat passionem et glo- Christus est qui in hoc

Psalmo loquitur. rificationem Christi, convenienter ea conjungere potuit, sicut etiam fecit in Psalmo XXI, cujus Psalmi longissimi et pulcherrimi, hic quem explicandum in manibus habemus, videtur esse quasi compendium.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. AD TE, DOMINE, CLAMABO; DEUS MEUS, NE SILEAS A ME, NEQUANDO TACEAS A ME, ET ASSIMILABOR DESCENDENTIBUS IN LACUM.

Verba sunt Christi in cruce pendentis, ac postulantis celerem resurrectionem. Pro illo, *Deus meus*, in hebræo est צורי *tsuri*, *petra mea*, sive *fortis meus*: et quanquam hoc ipsum nomen ponitur ad significandum Deum, et recte Septuaginta verterunt, *Deus meus*; tamen ex vi hebraicæ vocis, intelligimus hoc loco invocari Deum, quia potentissimus est, et potest morti ipsi imperare, ut Christum cito restituat. Pro *ne sileas a me*, S. Hieronymus vertit, *ne obsurdescas mihi*. Sed sciendum est verbum חרש significare *tacere*, *silere*, *surdum se ostendere*. Itaque sensus est, *ne sileas*, quasi non audieris vocem meam, ne veluti surdum te mihi exhibeas. Illud, *a me*, idem est, quod *mihi*, ex hebraica phrasi. Breviter petit exaudiri se, et responderi sibi, facturum Deum quod petitur. Quod sequitur, *ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum*, continet causam, cur velit sibi responderi, quia videlicet, nisi Deus exaudiat et respondeat, erit ipse similis aliis hominibus mortalibus, qui per mortem dissolvuntur, atque ad inferos descendunt non redituri. «Nequando taceas a me,» id est, ne forte tu non exaudias, et hinc fiet, ut ego per omnia similis fiam «descendentibus in lacum,» id est, iis qui moriuntur, et ad inferos descendunt, sine spe resurgendi, nisi in die novissimo. Posset etiam sensus esse : Si non exaudias, ero similis hominibus mortuis; sicut enim mortui nihil omnino possunt, ita homo sine Dei adjutorio nihil omnino potest. Vox enim hebræa בור *bor*, significat *cisternam*, *lacum*, *profundam foveam*; potest igitur accipi pro *sepulcro*, sed melius pro loco subterraneo animarum, sicut *Isai.* XIV : « Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci, » et cap. XXXVIII : « Non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam; » quomodo etiam accipitur in illa oratione ecclesiastica : « Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, » etc.

Homo sine adjutorio Dei nihil omnino potest.

Vers 2 2. EXAUDI, DOMINE, VOCEM DEPRECATIONIS MEÆ, DUM ORO AD TE, DUM EXTOLLO MANUS MEAS AD TEMPLUM SANCTUM TUUM.

Quod antea dixerat, *ne sileas*, et *ne taceas*, nunc clarius dicit : « Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ; » volebat enim Deum respondere, ut id signum esset exauditionis. Illud, *Domine*, non est in hebræo, sed solum, *exaudi vocem deprecationis meæ*. S. Hieronymus, in epist. *ad Suniam et Fretellam*, existimat esse additum ab aliquo explicationis gratia : fortasse etiam excidit ex nostris codicibus, et in illis codicibus quibus Septuaginta usi sunt, aderat. Illud, *dum oro ad te*, in hebræo significantius habetur בשועי, *dum clamo ad te*, id est, dum oro « cum clamore valido, » ut Apostolus loquitur *ad Hebr.* V. Illud, *dum extollo manus meas*, significat a signo, eamdem ipsam orationem : solebant enim Hebræi manus in altum tollere, cum orabant, cujus cæremoniæ pleni sunt libri sacri : sed et Gentiles eumdem ritum imitabantur. Itaque idem est, *dum oro ad te*, et *dum extollo manus meas ad templum tuum*. Allusit vero interim Propheta ad manus Domini in cruce extensas, et ad cœlum sublatas; tunc enim verissime dicere potuit Dominus : « Dum clamo ad te, » et « dum extollo manus, » etc., quando de cruce oravit. Pro voce, *ad templum*, in hebræo est דביר, quod proprie *oraculum* significat, unde Deus responsa dabat. Sed hoc loco, sive templum, sive oraculum, pro cœlesti templo et oraculo accipitur.

3. NE SIMUL TRAHAS ME CUM PECCATORIBUS, ET CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM NE PERDAS ME. Vers. 3.

Solus Christus id vere dicere potuit : ipse enim solus fuit omnibus modis « segregatus a peccatoribus, » ut dicit Apostolus *ad Hebr.* VII. Et sicut solus fuit, in quem peccatum cadere non potuit, ita justissime petit, ut non judicetur, et non pereat cum peccatoribus, sed ipsam potius mortem occidat, et resurgens ex mortuis, de mortis Principe, et de ipsa morte gloriose triumphet. Recte in editione Sixti V et Clementis VIII emendatum est, *ne trahas*, quod antea legebatur, *ne tradas* : nam cum tam vox hebraica quam græca significet *trahere*, verisimile est ob litterarum similitudinem, vitio librariorum, irrepsisse in editionem latinam, *ne tradas*. Illud, *ne perdas*, non habetur in hebræo, sed additum est explicationis gratia. Itaque sensus est : Ne trahas me ad interitum cum cæteris hominibus, qui peccatores sunt, cum ego peccator non sim.

4. QUI LOQUUNTUR PACEM CUM PROXIMO SUO, MALA AUTEM IN CORDIBUS EORUM. Vers. 4.

Describit peccatores ab eo peccato quod universalius est, et communius; nam idcirco in alio Psalmo dicitur : « Omnis homo mendax, » *Psalm.* CXV; et in alio : « Ab homine iniquo et doloso eripe me, *Ps.* XLIII; » et de Christo dicit apostolus Petrus I *Epist.* cap. II : « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, » quasi dolus fere tam late pateat, quam peccatum. Certe plurimi sunt, qui volunt videri amici, bene velle

proximis, et tamen ab amore proprio excæcati, malum habent in corde, id est, odio vel invidentia erga eosdem proximos afficiuntur.

Vers. 5. 5. DA ILLIS SECUNDUM OPERA EORUM, ET SECUNDUM NEQUITIAM ADINVENTIONUM IPSORUM.

Vers. 6. 6. SECUNDUM OPERA MANUUM EORUM TRIBUE ILLIS, REDDE RETRIBUTIONEM EORUM IPSIS.

Hæc non imprecatio, sed prophetia est, ut alias sæpe monuimus : significatur enim his verbis, id omnino futurum, ut mali male pereant, nisi videlicet ex malis boni fiant. Sensus igitur est : « Dabis peccatoribus secundum opera eorum, » id est, afficies ea pœna, quam merentur opera eorum. « Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum, » supple dabis eis, id est, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, et adinvenerunt varios modos vexandi justos : ita per sapientiam tuam invenies varios modos cruciandi peccatores. Et denique, « reddes iis retributionem suam, » id est, ipsi retribuerunt justis mala pro bonis, sed tu eam retributionem convertes in caput ipsorum; facies enim ut illis noceat, non justis.

Vers. 7. 7. QUONIAM NON INTELLEXERUNT OPERA DOMINI, ET IN OPERA MANUUM EJUS DESTRUES ILLOS, ET NON ÆDIFICABIS EOS.

Hinc apparet fuisse prophetiam, non imprecationem id quod duobus superioribus versiculis continetur; non enim dicit : *Destrue eos*, sed *destrues eos;* vel, ut habetur in hebræo, *destruet eos.* Significatur his verbis radix omnium malorum : radix enim est, nolle intelligere opera Domini, non applicare animum ad consideranda et cognoscenda mirabilia opera Dei, quæ fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione generis humani : si quis enim ista consideret, vix fieri potest quin in Dei amorem mirifice exardescat. Hinc I *Cor.* II, B. Paulus ait : « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; » et ipse Dominus *Luc.* XIX : « Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; » et infra : « Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. » Quod attinet ad verba, in latina editione est aliqua obscuritas, quæ non est in hebraica, neque in græca; nam in his editionibus legitur : *Qnoniam non intellexerunt in opera Domini, et in opera manuum ejus;* vel, ut S. Hieronymus reddit : *Quoniam non intellexerunt opera Domini, et opus manuum ejus* : illa enim præpositio, *in*, adjungitur utrique nomini ex phrasi hebraica, sed secundum usum linguæ latinæ, ex utroque loco tolli potuisset. Latinus autem Interpres ex priori loco sustulit, in posteriore reliquit, ideo sententiam obscuriorem reddidit. Cur autem Propheta cum dixisset : « Non intellexerunt opera Domini, » adjunxerit : « Et opera manuum ejus, » ratio esse videtur, ut explicaret se loqui præcipue de illo opere, quod ipse facit per se, non per secundas causas, quale opus fuit creatio cœli et terræ, incarnatio Verbi, miracula Christi, resurrectio et ascensio Domini, et similia. Ait igitur : Quoniam peccatores non intellexerunt opera Domini, et præcipue opera illa, quæ manibus suis, id est, per se immediate fecit; ideo tu, Domine, « destrues illos, et non ædificabis, » id est, destrues illos, et cum destruxeris, non te pœnitebit destruxisse, ideo nunquam amplius ædificabis eos. Alludit Propheta ad vocem operis manuum Domini, quod opus est quasi ædificatio quædam, quasi diceret : Quia non intellexerunt ædificationem Dei, Deus illos destruet, et nunquam amplius ædificabit. Id optime quadrat in civitatem, et templum, et ipsum regnum Judæorum, quæ omnia Deus ob Judæorum infidelitatem destruxit, nec unquam amplius ædificabit. Quadrat etiam in singulos peccatores, qui non intelligunt se esse ædificationem Domini, et ad imaginem ejus conditos, et pretio sanguinis Domini redemptos, et tam multa beneficia naturæ et gratiæ in se collata; ideo tandem ita destruentur, nunquam amplius reædificandi, ut nihil remaneat, nisi ruina ædificii, id est, unde pœnam sentire perpetuo possint. In hebræo habetur in tertia persona, *destruet, et non ædificabit :* fortasse librariorum vitio, prima littera hebraica, quæ indicat personam, mutata est; fortasse ultima littera græca, ex qua persona intelligitur, vitio librariorum addita est; fortasse Interpretes, non tam ad verbum, quam ad sensum respexerunt.

Opera quæ fecit Deus per se, non per secundas causas.

Vers. 8. 8. BENEDICTUS DOMINUS, QUONIAM EXAUDIVIT VOCEM DEPRECATIONIS MEÆ.

Transit Propheta ad gloriam resurrectionis Domini prædicendam, et in persona Christi gratias agit Deo, dicens : « Benedictus Dominus, » id est, benedicatur ab omnibus Dominus, « quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. »

Vers. 9. 9. DOMINUS ADJUTOR MEUS ET PROTECTOR MEUS; IN IPSO SPERAVIT COR MEUM, ET ADJUTUS SUM.

Explicat in quo exaudita sit oratio sua, ac dicit : « Dominus adjutor meus, et protector meus, » supple, solet esse. Ideo « in ipso speravit cor meum, » id est, fretus auxilio et protectione Dei, non recusavi prælium subire cum diabolo, et cum ipsa morte, nec spe mea frustratus sum, quoniam adjuvit me Deus, ut plane victor evaserim. In hebræo, pro *adjutor et protector*, habetur, *fortitudo et scutum.* Ex quo intelligimus accepisse a Deo auxilium interni roboris, et protectionem externi præsidii.

Vers. 10. 10. ET REFLORUIT CARO MEA, ET EX VOLUNTATE MEA CONFITEBOR EI.

Describit effectum auxilii et protectionis, qui fuit gloriosa resurrectio, ob quam toto corde laudaturum se dicit Deum. « Refloruit caro mea, »

id est, caro mea, quæ per mortem exaruerat, non solum rediit ad vitam, sed ad florem ætatis, sanitatis, lætitiæ, venustatis maxime rediit. « Et » ideo « ex voluntate mea, » id est, ex corde, « confitebor ei » confessionem laudis et gratiarum actionis. In hebræo nunc legitur : *Gavisum est cor meum, et in cantico meo confitebor ei.* Itaque pro *caro mea,* legitur *cor meum;* pro *voluntate mea,* legitur *cantico meo.* Nam quod pro *refloruit,* legatur *gavisum est,* ut S. Hieronymus vertit, non multum refert : nam verbum עלז significat *lætari, exsultare,* et per metaphoram, *reflorere,* ut recte verterunt Septuaginta, quia dum arbores reflorescunt, suo modo exhilarari et exultare videntur. Cur autem viri illi doctissimi verterint *caro mea,* ubi nunc est לבי *libbi;* et *voluntate mea,* ubi nunc est משירי, quæ non significant nisi *cor meum* et *canticum meum,* non potest reddi alia ratio, nisi quia non ita legerint, ut nunc habemus in nostris codicibus, sed verba transposita et mutata postea fuerint : nam si pro משירי, legatur בשרי, quod significat *caro mea,* et illud, לבי *libbi,* transferatur paulo ulterius, efficietur lectio, quam habuerunt Septuaginta, et quam recte interpretati sunt; nimirum hæc erit lectio ויעלז בשרי ולבי אהדנו, id est, *et refloruit caro mea, et corde meo,* sive *voluntate mea, confitebor ei.*

Vers. 11. 11. DOMINUS FORTITUDO PLEBIS SUÆ, ET PROTECTOR SALVATIONUM CHRISTI SUI EST.

Hæc est materia confessionis, de qua dixit, *confitebor ei,* quod videlicet *Dominus sit fortitudo plebis suæ,* quod ostendit, dum tam potenter protexit salutem Christi sui, qui est caput totius plebis, et a quo fortitudo et salus totius populi dependet. Ex hebræo S. Hieronymus vertit, *Dominus fortitudo mea;* alii vertunt, *Dominus fortitudo eis,* et hoc sonant verba, quæ nunc sunt in bibliis; sed Septuaginta non videntur legisse למו *lamo,* quod est *eis,* sed לעמו, id est *plebis suæ.* Dicit autem, *protector salvationum,* non *protector salvationis,* fortasse, quia protector fuit ad multiplicem salutem, videlicet, ut caro mortua non corrumperetur, ut sanguis effusus non periret, ut non solum anima corpori, et sanguis venis restitueretur, sed ut adderetur immortalitas, impassibilitas, agilitas, splendor, et si quæ sunt alia, quæ ad corpus gloriosum requiruntur.

Vers. 12. 12. SALVUM FAC POPULUM TUUM, DOMINE, ET BENEDIC HÆREDITATI TUÆ, ET REGE EOS, ET EXTOLLE ILLOS USQUE IN ÆTERNUM.

Christo, qui caput est Ecclesiæ, glorificato, hoc superest, ut corpus ejus, id est populus Dei, qui est peculiaris hæreditas Dei, quam acquisivit sanguine suo, pariter glorificetur. Dicit igitur Christus ad Patrem, vel Propheta ad Christum : *Salvum fac populum tuum.* Ut autem salvum facias, *benedic* justificando, *rege* conservando, et protegendo in via, *exalta glorificando,* quæ glorificatio usque in sæculum duret.

PSALMUS XXIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Psalmus David, in consummatione tabernaculi.*

Afferte Domino, filii Dei; afferte Domino filios arietum.

2. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas.

4. Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia.

5. Vox Domini confringentis cedros : et confringet Dominus cedros Libani :

6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani : et dilectus quemadmodum filius unicornium.

7. Vox Domini intercidentis flammam ignis :

8. Vox Domini concutientis desertum : et commovebit Dominus desertum Cades.

V. s. h. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Afferte Domino filios arietum : afferte Domino gloriam et imperium [*h. fortitudinem*].

Afferte Domino gloriam nomini ejus : adorate Dominum in decore sancto.

Vox Domini super aquas, Deus gloriæ intonuit : Dominus super aquas multas.

Vox Domini in fortitudine : vox Domini in decore.

Vox Domini confringentis cedros : et confringet Dominus cedros Libani.

Et disperget eas quasi vitulum : Libanum et Sarion quasi filium rhinocerotum.

Vox Domini dividens flammas ignis.

Vox Domini parturire faciens desertum; parturire faciet Dominus desertum Cades.

9. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

10. Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus rex in æternum.

11. Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

Vox Domini obstetricans cervas [al. *cervis*], et revelans saltus, et in templo ejus omnis loquitur gloriam.

Dominus diluvium inhabitat : et sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus fortitudinem [al. *legem*] populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

Argumentum. — Hymnus in Jovam tonantem. Strophæ tres : vers. 1-2, celebrate, superi, Jovæ laudes; vers. 3-9, ejus potentiam et majestatem ostendunt tonitrua; vers. 10-11, qui tam potens est Jova suos tuebitur. In Palæstina tempestates ab occidente atque a mari Mediterraneo ingruunt, gravissime in juga Libani detonaturæ, indeque Arabiæ deserta petituræ. Animadverte Psalmi artificium, *Jova* tum in prima tum in tertia strophe quater, illud vero, *vox Jovæ*, in secunda strophe repetentis septies, quem numerum, cum perfectionis in ordine tum naturæ (septem creationis dies), tum gratiæ (septem dona Spiritus Sancti, septemque sacramenta) sit symbolum, consulto vates admisit, ut omnem tonitruum gloriam terroremque principi Deo consecraret. Titulo in hebræo textu præscripto additur in græca alexandrina versione, quod sit Psalmus ἐξοδίου σκηνῆς, quæ verba Vulgatus *in consummatione tabernaculi* reddidit. Apud Judæos græcos alexandrinos vocabulum ἐξόδιον solemne erat ad designandum *octavum diem festi tabernaculorum* (Levit. XXIII, 36) : quare hoc sibi velle videtur græca inscriptio, consummato festo tabernaculorum decantari hoc carmen solitum fuisse.

1. **Carmen Davidis.**

Date Jovæ, filii Dei,
date Jovæ gloriam et robur.
2. **Date Jovæ gloriam nominis ejus,**
prosternite vos Jovæ in ornatu sancto.

3. Vox Jovæ (tonitru) *auditur* super aquas,
Deus gloriæ intonat,
Jova super aquas multas.
4. Vox Jovæ *est* in fortitudine (vehemens),
vox Jovæ *est* in gloria (magnifica).
5. Vox Jovæ frangit cedros (fulminibus).
et confringit Jova cedros Libani.
6. Et subsilire eas facit sicut vitulum,
Libanum et Shirionem, quasi filium bubali.
7. Vox Jovæ diffindit flammas ignis.
8. Vox Jovæ trepidare facit desertum,
trepidare facit Jova desertum Cadesh.
9. Vox Jovæ parturire facit cervas,
et nudat silvas (foliis et ramis),
et in palatio ejus (cœlo) omnes (cœlicolæ) dicunt : Gloria !

10. Jova oceano *cœlesti* sedet,
et sedet Jova rex in sempiternum.
11. Jova robur populo suo dabit,
Jova populo suo in (seu *cum*) pace benedicet.

NOTÆ.

Vers. 1. *Filii Dei*, angeli; *elim* pro *elohim* : ita Hengstenberg. Cf. *Job* I, VI; II, 1; XXXVIII, 7; *Isai.* VI, 3. Hi, ait Rosenmullerus, Dei concilium ex mente Hebræorum constituebant, cui Jova, tanquam supremus

omnium Deus, præsidebat : conf. *Iliad.* IV, 1 seqq.; *Æneid.* X, 2, 3. Aliis *filii Dei* sunt *potentes* sive *principes* his in terris adhuc viventes : conf. duplicem lectionem locorum *Exod.* XV, 11; II *Reg.* XXIV, 15. Τὸ *filios arietum* Vulgati interpretis ex duabus lectionibus אֵילִים et אֵילִם emersit : אַיִל enim *arietem* significare constat. Rectissime Chaldæus vertit, *turmæ* seu *chori angelorum. Date*.... i. e. Jovæ fortitudinem ascribite, Jovam numen potentissimum agnoscite. *Robur* : conf. vers. 11. Minus recte hodierni multi, *laudem.* — Vers. 2. *Nominis ejus,* ejus nomine dignam. *Ornatu sancto,* sacerdotum, qui summo numini se offerunt, more. Cf. *Lev.* VIII, 13; II *Paral.* XX, 21; *Ps.* XCVI, 9, etc. Alexandrini videntur legisse חֲדֶרֶת, *penetrale.* — Vers. 3. *Aquas* : quænam? Michaelis : « Tonat eminus in mari Mediterraneo, ex quo nimbi Palæstinæ ingruunt. » Insuper tonitruum fragorem in mari fortius repercuti latiusque personare, referunt navigantes. Melius tamen Maurer per *aquas* intelligit oceanum cœlestem, qui super firmamentum est : conf. *Ps.* CXLVIII, 4; *Gen.* I, 7. — Vers. 5. *Cedros,* crassissimas (ad sex hominum complexum) arbores. — Vers. 6. *Eas,* cedros puta, cum ramis suis concussas : ita Maurer et Hengstenberg. Ewaldus, ob parallelismum, vertit *eos,* scil. montes, qui mox nominantur, cogitatque de terræ motu, qui tempestatum sæpe comes est : non male. *Shirion* est Antilibanus, seu Libanus orientalis. Alexandrini pro *iarqidem* legerunt *iadiqem,* pro *shirion* vero, *ieshouron,* quod postremum populi Israelitici appellatio est. Sensum autem, qui ex græca hac versione prodit, bene ita explicat Agellius : « Vox Domini confringet cedros et comminuet eas, ut comminuit vitulus paleas, hoc est, sublimes reges et principes debellabit ac proteret; neque id solum vox Dei faciet, sed etiam *dilectus,* populus nempe Israel, adversus eos dimicabit ut filius unicornium, et cornu potentiaque sua eos feriet ac superabit. Itaque et Dei virtute et Israelis potentia, quam eis Dominus tribuet, superabuntur ac dejicientur hostes. Ex hac autem Septuaginta interpretatione discimus, illos figurate totum psalmum intellexisse. » — Vers. 7. *Diffindit,* fissas emittit. Cf. Ovidii *Jovis telum trisulcum, ignes trisulci.* — Vers. 8. *Cadesh,* Arabici deserti pars septentrionalis. *Oceano* cœlesti, i. e. nubibus, tanquam moderator potentissimus : ita Ewaldus. Alii, *Jova ad diluvium,* noachicum scil., *sedebat* potentissimus rex : ita et adhuc hodie in ejusmodi magnis tempestatibus regnat, in æternumque regnabit. — Vers. 11. Cf. *Num.* VI, 24, 26.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, in consummatione Tabernaculi.

Hic titulus non habetur in hebræo, sed solum, *Psalmus David;* reliqua addita sunt vel a Septuaginta Interpretibus, vel ab aliis, et duobus modis legitur et intelligitur titulus hujus Psalmi. Nam S. Basilius, Theodoretus et Euthymius legunt : *Psalmus David in exitu tabernaculi,* et significari volunt, præcipi Sacerdotibus et Levitis exeuntibus de tabernaculo, ut præparent quæ necessaria sunt ad cultum Dei. SS. Hieronymus et Augustinus legunt, ut nos habemus in editione Vulgata : *Psalmus David in consummatione tabernaculi,* et sensum esse vult S. Hieronymus, hunc Psalmum compositum fuisse, quando David perfecit tabernaculum, et collocavit in eo arcam Domini. Quod attinet ad argumentum, volunt nonnulli ad litteram in toto fere Psalmo agi de potentia Dei, et velle Davidem hortari populum ad laudandum Deum, qui potentiam suam solet manifestare admirandis operibus, quæ solo verbo sive imperio facit. Alii, quorum sublimior interpretatio, et dignior Davidico spiritu esse videtur, volunt in hoc Psalmo celebrari Evangelicam prædicationem. Congruit vero titulus, *in consummatione tabernaculi :* nam cum David tabernaculum fœderis intelligeret figuram esse Ecclesiæ, quæ *tabernaculum Dei cum hominibus* dicitur in *Apocal.* cap. XXI, et simul etiam Spiritu revelante cognosceret instrumentum, quo tabernaculum hoc novum perficiendum erat, fore prædicationem evangelicam, ideo in consummatione tabernaculi illius umbratici, Spiritu Sancto inspirante, cantavit præconia vocis Domini, qua tabernaculum verum constituitur. Nos utramque explicationem breviter persequemur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. AFFERTE DOMINO, FILII DEI; AFFERTE DOMINO FILIOS ARIETUM.

Cantaturus Propheta laudes potentiæ divinæ, excitat filios Dei, id est, populum Dei peculiarem, cui notus erat Deus (nam « notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, » ut habetur *Psalm.* LXXV), ut potentiam illam honorent, victimis eo tempore consuetis, et etiam prædicatione vocis, et inclinatione corporis. Sed juxta posteriorem intelligentiam, cantaturus laudes vocis divinæ, per quam perficitur tabernaculum, id est Ecclesia, quæ est mater omnium filiorum Dei, invitat ipsos filios Dei, ipsos vocatos illa voce cœlesti, ut Deo sacrificent sacrificium laudis. « Afferte, inquit, filii Dei, filios arietum, » id est, vos per sanguinem Agni

immaculati effecti filii Dei, afferte agnos, offerte sacrificium gratiarum actionis et laudis; sic enim explicat ipse idem Propheta in sequenti versiculo: « Afferte Domino gloriam, » etc. In hebræo non habetur: « Afferte Domino, filii Dei, » sed solum הבו ליהוה בני אלים, *habu l'*ADONAI *bene elim, afferte Domino filios arietum.* Fortasse in editione, quam habuerunt Septuaginta Interpretes, erat utraque pars versiculi, et postea successu temporis excidit pars prior; fortasse etiam non erat nisi pars posterior: sed ea duobus modis interpretata est, et altera interpretatio, quæ erat in margine, irrepsit in textum, et hinc nata est lectio quam nos habemus. Nam si vox אלים *elim* legatur, ut modo se habet, significat *arietes;* si legatur unica littera addita אלהים *Eloim,* significat *Deum;* proinde eadem sententia reddi potuit: *Afferte Domino, filii Dei;* et etiam: *Afferte Domino filios arietum.* Neque desunt in editione vulgata alii loci, in quibus duæ interpretationes ejusdem sententiæ simul inveniuntur in textu. Certe S. Basilius in Commentario hujus Psalmi scribit, in multis exemplaribus addita esse hæc verba: « Afferte Domino, filii Dei. » Ex quo intelligimus non fuisse hæc verba in omnibus exemplaribus græcis, sed solum in aliquibus. Sed undecumque hæc verba in editione nostra accesserint, satis bene cum sequentibus cohærent, et habentur in omnibus latinis codicibus, etiam antiquissimis.

Vers. 2. 2. AFFERTE DOMINO GLORIAM ET HONOREM, AFFERTE DOMINO GLORIAM NOMINI EJUS : ADORATE DOMINUM IN ATRIO SANCTO EJUS.

Hæc est declaratio sacrificii, quod ut offeramus Domino, Propheta nos admonet: « Afferte, inquit, Domino gloriam et honorem, » id est, voce et opere glorificate Dominum : nec solum voce et opere Deum laudate, sed etiam corporis inclinatione illum veneramini, et per veram adorationem supremum Dominum agnoscite, ac protestamini. In hebræo pro voce *honorem,* habetur עז *hoz,* quod proprie *fortitudinem, potentiam,* sive *imperium* significat. Ex quo intelligimus honorem, quem juxta editionem græcam et latinam Deo debemus, esse honorem confessionis potentiæ et imperii Domini; tunc enim Deum vere honoramus, cum ejus potentiam et imperium agnoscimus et confitemur. Et est valde ad propositum hoc loco honor potentiæ, cum in toto Psalmo Dei potentia laudetur. Pro *nomini ejus,* in codicibus hebraicis cum punctis Rabbinorum habetur, *nominis ejus* : quæ lectio faciliorem sensum habet, quam nostra. Sed quia editio græca habet, *nomini ejus,* et eodem modo ex hebræo vertit S. Hieronymus, oportet Septuaginta Interpretes et S. Hieronymum aliter legisse, quam Rabbini legerunt. Nimirum illi legerunt, כבוד שמו *cavod shemo, gloriam nomini ejus;* isti vero, *chevod shemo, gloriam nominis ejus.* Sensus igitur est: « Afferte Domino gloriam nomini ejus, » id est, afferte gloriam Domino, id est, nomini ejus, celebrantes videlicet nomen, famam, notitiam Domini. Pro voce *atrio,* in hebræo est הדרת *hadrath, decore,* seu *pulchritudine;* in græco est, αὐλὴ; unde S. Augustinus et alii legunt *aula.* Cæterum facile est videre Septuaginta Interpretes non legisse הדרת *hadrath,* sed חדרת *chadrath,* unica littera simillima immutata: illa enim vox, si legatur per ה, significat *decorem,* si per ח, significat *atrium,* et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus, nisi Septuaginta viros, qui omnium judicio sapientissimi erant, imperitiæ arguere velimus; ut omittam, quod magis convenit cum verbis: « Adorate Dominum, » *in atrio sancto ejus,* quam *in decore sancto ejus.* Porro vox græca αὐλὴ, non significat id quod nos latine dicimus *aulam,* sed vestibulum, sive atrium subdiale; proinde qui legunt *in aula,* retinent sonum vocis græcæ; qui legunt *in atrio,* retinent veram tam hebraicæ quam græcæ vocis significationem. Per hoc atrium sanctum, in quo Deum adorare jubemur, intelligitur, tum ipsum tabernaculi Judaici vestibulum, ad quod omnibus promiscue aditus erat, cum in tabernaculum soli sacerdotes intrare permitterentur; tum potissimum Ecclesia Catholica, quæ est velut atrium seu vestibulum tabernaculi cœlestis: nam in Ecclesiam et boni et mali passim admittuntur, sed in tabernaculum cœleste illi soli ingredientur, qui dicere poterunt Christo, ut in Apocalypsi legimus: « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, » *Apoc.* v.

Ecclesia Catholica est tabernaculi cœlestis vestibulum.

Vers. 3. 3. VOX DOMINI SUPER AQUAS, DEUS MAJESTATIS INTONUIT, DOMINUS SUPER AQUAS MULTAS.

Hic jam incipit explicare Propheta, cur nos invitaverit ad laudandam et celebrandam potentiam Dei. Causa enim est, quia « vox Domini » mirabilia operatur tum in corporalibus elementis, tum in spirituali fabrica Ecclesiæ. Describit primum operationem Dei in aquis, deinde in aere, tum in igne, postremo in terra, quæ sunt partes principales mundi hujus inferioris nobis maxime noti. Prima operatio Dei in aquis describitur in *Gen.* cap. I, cum dicitur : « Spiritus Domini ferebatur super aquas : » et ibidem : « Dixit Deus ; Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis; » et ibidem : « Dixit Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. » Tunc igitur facta est « vox Domini super aquas, » cum Deus imperavit ut aquæ dividerentur, et divisæ congregarentur in locum unum, id est, in cavernas terræ, et terra habitabilis fieret. Hæc ipsa vox dicitur tonitruum : « Deus majestatis intonuit, » quia quomodo tonitruum nos continuo prosternit, et obedire cogit : sic ad imperium Domini continuo aquæ recesserunt, et in loca humiliora se receperunt. Fuit autem hæc vox, et hoc tonitruum Dei super aquas multas, quia tunc aquæ undique totam terram cooperiebant, proinde erat quasi immensa aquarum abyssus super terram. Hoc ipsum clarius describit idem David in

Psalm. CIII : « Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquæ, » id est, immensitas aquarum undique terram vestiebat, ita ut super omnes montes starent aquæ. « Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt : ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis, » id est, ab imperante Deo aquæ recesserunt, quasi a tonitruo fugerent, et tunc apparuerunt montes editi et campi depressi. « Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram, » id est, non solum aquæ ad vocem Domini recesserunt, et terram aridam atque habitabilem reddiderunt, sed ab eadem voce Domini terminum acceperunt, quem transgredi nunquam audebunt. Jam vero secundum alteram expositionem describitur initium Evangelicæ prædicationis, quæ cœpit, cum Deus ipse per se, Christo in aquis Jordanis baptizato, evangelizavit toti mundo Jesum Christum esse Filium suum, quod est quasi compendium totius Evangelii. Igitur « vox Domini super aquas » est illa magnifica Dei vox in baptismo Christi audita : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, » *Matth.* III. Tunc « Deus majestatis intonuit, et intonuit super aquas multas, » quia tunc institutum est baptisma, et data virtus omnibus aquis totius mundi ad filios Dei regenerandos. S. Augustinus, per vocem Domini super aquas, intelligit vocem Christi super populos, quia dicitur in *Apocal.* cap. XVII : « Aquæ multæ populi multi sunt; » et addit ideo dictum esse : « Deus majestatis intonuit, » quia majestas divina erat in carne humana Christi tanquam in nube, et proinde vox Domini ex humana carne erat quasi tonitruum ex nube. Elegans et vera expositio; sed superior, quæ est Patrum græcorum, videtur magis litteralis.

Jesum Christum esse Filium Dei, compendium est totius Evangelii.

Vers. 4. 4. VOX DOMINI IN VIRTUTE, VOX DOMINI IN MAGNIFICENTIA.

Utrique interpretationi laus hæc vocis Dominicæ optime quadrat. Nam vox Domini jubentis, ut aquæ in principio creationis rerum omnium dividerentur, et aquæ inferiores in cavernas terræ sese reciperent, et non reverterentur operire terram, non fuit inanis et sine effectu, ut pleraque tonitrua esse solent, quæ nihil præter ingentem sonitum habent; sed fuit vox plena virtute et gloria, atque ad eam continuo est consecutus effectus. Sic etiam vox Evangelicæ prædicationis ab ipso Deo inchoatæ, et a Christo et Apostolis propagatæ, non fuit inanis verborum strepitus, qualis multorum oratorum et philosophorum est; sed fuit vox efficacissima, et signis atque prodigiis confirmata. Ad efficaciam verbi pertinet illud, *in virtute;* ad gloriam miraculorum illud, *in magnificentia,* sive splendore et decore, ut sonat vox hebraica הדר *hadar.* Apostolus Paulus, I *Cor.* II : « Prædicatio mea, inquit, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; » et I *Thessal.* cap. I : « Evangelium meum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu Sancto. »

5. VOX DOMINI CONFRINGENTIS CEDROS, ET CONFRINGET DOMINUS CEDROS LIBANI. Vers. 5.

Juxta priorem interpretationem transit Propheta ab operatione Dei in aquis ad operationem in aere. Significat autem his verbis, *vocem Domini,* id est, imperium Domini, excitare ventos ac tempestates, quas in Psalmo CXLVIII vocat « spiritum procellarum, quæ faciunt verbum ejus. » Et sane mirabilis est potentia Dei, quæ rei tam exili ac tenui tantam virtutem attribuit, ut etiam maximas arbores in momento confringat et prosternat, quod multi homines magna vi et longo tempore vix facerent. Nominat autem Propheta *cedros,* et *cedros Libani,* quæ sunt arbores durissimæ et maximæ, et eæ nusquam majores inveniuntur, quam in Libano monte. Jam vero juxta posteriorem interpretationem « cedri Libani, » ratione sublimitatis, sunt homines excelsi, sive magnitudine potentiæ, sive splendore sapientiæ, sive gloria eloquentiæ; ratione boni odoris, quem cedri spirant, sunt homines deliciis et voluptatibus dediti; denique ratione densitatis et duritiei, qua mirum in modum cedri pollent, sunt homines obstinati et pertinaces in paternis erroribus. Has omnes cedros Evangelica prædicatio magnifice confregit, et ad humilitatem et mansuetudinem christianam, nec non ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos perduxit. Exemplorum plenæ sunt historiæ.

Cedri Libani quæ sint moraliter?

6. ET COMMINUET EAS TANQUAM VITULUM LIBANI, ET DILECTUS QUEMADMODUM FILIUS UNICORNIUM. Vers. 6.

Ex hebræo juxta priorem intelligentiam habetur sensus facilis et pulcherrimus. Sic enim legimus in hebræo : *Et saltare faciet eas, sicut vitulum Libanum, et Sarion sicut filium unicornium,* et sensus est : Non solum vox Domini confringet cedros Libani, sed etiam integras cedros radicitus evellet, et exilire faciet ea facilitate, qua vituli saliunt. Nec solum cedros Libani, sed ipsos etiam montes, Libanum et Sarion, saltare faciet ea acilitate, qua filius unicornium salit. Cui sententiæ similis est illa in *Psalm.* CXIII : « Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. » Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit : Vox prædicationis Evangelicæ non solum confringet cedros Libani, id est, viros quamvis excelsos et obstinatos ad humilitatem fidei christianæ inflectet, sed etiam easdem cedros eradicabit, et in alium locum exilire faciet, id est, ab affectibus terrenis penitus abstrahet, et ad vitam pene angelicam transferet : quod apostolicis viris convenit, qui non solum fideles, sed religiosissimi et perfectissimi evaserunt, ut non tam homines, quam terrestres angeli viderentur. Nec solum cedros singulas, sed integrum montem cedris plenum, sive integras

cedrorum silvas exilire faciet Evangelica prædicatio, id est, non solum hunc, aut illum virum sed ingentem hominum multitudinem, catervasque integras ad fidem et religionem, vitamque perfectam adducet. Sed videndum est quid græca et latina editio habeat, inter quas solum interest, quod in græca legitur, *et comminuet eas tanquam vitulum Libanum*; in latina vero, *et comminuet eas tanquam vitulum Libani*. Quamvis autem S. Basilius et Euthymius legant *Libanum*, tamen probabile est in editionibus græcis emendatioribus fuisse *Libani*, ut legunt SS. Hieronymus et Augustinus, et codex antiquissimus quo utitur in Psalmis canendis ecclesia S. Petri Romæ. Et quidem verba illa priora : « Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, » possunt non difficulter concordari cum verbis hebraicis : nam dum cedri magno impetu confringuntur et comminuuntur, certe fragmenta exiliunt, et sparguntur in varias partes. Itaque sensus erit : Et comminuet eas, cedros videlicet, ac per hoc per fragmenta et frusta exilire faciet, quomodo vituli montis Libani exilire et saltare solent. Sed verba sequentia : « Et dilectus quemadmodum filius unicornium, » difficilius cum hebraicis vocibus, quæ nunc habentur in bibliis, concordari possunt : nam *Sirion*, pro quo nos habemus, *dilectus*, significat montem Hermon, *Deuter.* III; et loricam, I *Reg.* XVII, et III *Reg.* XXII. Oportet igitur ut Septuaginta Interpretes, vel aliquid aliud legerint, vel certe intellexerint vocem illam, quæ significat montem Hermon, et loricam, res videlicet tam dissimiles, significare etiam dilectum, quibus habenda fides est, cum ipsi doctissimi essent, et linguæ hebraicæ peritissimi. Posita autem hac lectione, juxta priorem intelligentiam, hic erit sensus : « Et comminuet eas, » nimirum cedros, et comminuendo exilire faciet fragmenta cedrorum, « sicut vitulum Libani, » id est, sicut salit vitulus per montem Libani, et « dilectus quemadmodum filius unicornium, » id est, ut salit dilectus filius unicornium. Dicitur autem dilectus filius unicornium, quod sit speciosum et amabile animal, præsertim quando juvenculus unicornis est. Alii sic exponunt : Et comminuet cedros durissimas, quomodo comminui possunt tenerrimi vituli, et tenerrimi filii unicornium; sed nostra expositio magis accedit ad lectionem hebraicam. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit : Prædicatio Evangelica non solum confringet cedros Libani, id est, homines potentes et sapientes humiliabit, sed etiam comminuet ut vitulum Libani, id est, rediget altissimas cedros ad parvitatem exigui vituli, qui pascitur in monte Libano. Per vitulum autem recte intelligitur Christus, qui non solum humilis et mansuetus fuit more lactentis vituli, sed etiam immolatus in sacrificium Deo.

Christus per vitulum intelligitur.

« Et dilectus quemadmodum filius unicornium, » id est, et tunc quando cedri Libani confractæ fuerint, apparebit dilectus, qui est Christus dilectissimus Patri, et desideratus cunctis gentibus : apparebit, inquam, non amplius ut inermis vitulus, sed ut filius fortissimi unicornis. Majestas enim divina, et omnipotentia Christi tunc primum apparere cœpit, cum per Evangelicam prædicationem piscatorum, oratores et philosophi, et ipsi etiam principes mundi credere cœperunt in Christum. De viribus unicornis sive rhinocerotis, vide *Job.* cap. XXXVI.

7. VOX DOMINI INTERCIDENTIS FLAMMAM IGNIS, VOX DOMINI CONCUTIENTIS DESERTUM, ET COMMOVEBIT DOMINUS DESERTUM CADES. Vers. 7.

In prima parte hujus versus, quæ apud Hebræos est versus integer, transit Propheta ab operatione Dei in aere ad operationem in igne, ac dicit, *vocem Domini*, id est, imperium et potentiam Domini, *intercidere*, id est dividere, *flammas ignis* : quod fit, quando imperante Domino, varia mittuntur e nubibus, quasi e cœlestibus caminis, fulmina in terras, quibus nihil terribilius et formidabilius mortalibus accidere solet. Potest etiam illa intercisio, sive divisio flammarum, non solum referri ad multitudinem et varietatem fulminum, sed etiam ad subtilitatem et acumen ipsorum fulminum; quæ enim acuuntur, dividuntur ac interciduntur, ut ad subtilitatem redigantur; porro nihil est omnino in rebus corporalibus acutius, subtilius, penetrabilius cœlesti fulmine; unde est illud in cantico Mosis, *Deuter.* XXXII : « Si acuero ut fulgur gladium meum. » Juxta alteram intelligentiam, « vox Domini, » id est, Evangelica prædicatio « dividit flammas ignis, » dum per eam Spiritus Sanctus in cordibus hominum jaculatur ignem divini amoris, multis et variis modis; in cujus rei signum apparuerunt in die Pentecostes super credentes « dispertitæ linguæ tanquam ignis, » *Actor.* II. In altera parte versus celebrat Propheta potentiam Dei operantis in terra, ac dicit, « vocem Domini concutere et commovere desertum. » Verbum hebraicum יחיל *iachil* significat *parturire faciet*, ex quo intelligimus concussionem et commotionem, quæ in græca et latina editione exprimitur, non esse simplicem terræ motum, aut concussionem ex fragore tonitrui in deserto peculiariter resonantis, ut aliqui volunt; sed esse concussionem et commotionem ad parturiendum. Itaque significatur hoc loco mirabilis potentia Dei, quæ sicut montem Libani potest, cum voluerit, cedris omnibus spoliare, et desertum facere, ita e contrario potest ipsum desertum Cades, ubi nihil nasci solet, unica concussione parturire facere, et continuo arboribus et animalibus replere. Simile est quod dicitur in *Psalm.* CVI : « Posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem; » et paulo post : « Posuit desertum in stagna aquarum, et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas. » Sed juxta alteram intelligentiam significatur, ad Evangelicam prædicationem convertendas esse etiam barbaras nationes,

quæ antea caruerant cultura spirituali et irrigatione gratiæ Dei, ut comparatione aliarum nationum desertæ dici possent. Quid si etiam hic significari dicamus, vera deserta paritura fuisse infinita agmina monachorum, ac per hoc, ut loquitur S. Hieronymus in Epist. *ad Heliodorum*, futura deserta vernantia floribus Christi? Nam in hoc ipso deserto Cades fuisse plurima monasteria tempore S. Hieronymi, testatur ipse in *Vita S. Hilarionis*.

Vers. 8. 8. VOX DOMINI PRÆPARANTIS CERVOS, ET REVELABIT CONDENSA, ET IN TEMPLO EJUS OMNES DICENT GLORIAM.

Juxta priorem intelligentiam Propheta, qui Dei potentiam laudavit in elementis omnibus, aqua, aere, igne et terra, nunc laudat in animantibus et plantis, paulo post laudaturus in hominibus. Dicit igitur : « Vox Domini præparantis cervos; » ubi ponit, loco exempli, operationem Dei in cervis. Nam, ut habemus in lib. Job, cap. XXXIX, cervæ summa difficultate pariunt, et causa videtur esse, quia tam perfectos fœtus edunt, ut illi statim ad pastum pergant, nec redeant ad matrem, ut in eodem loco dicitur. Mira igitur Dei potentia in eo cernitur, ut cervas parere faciat. In hebræo habetur, קול יהוה יחולל אילות *kol* ADONAI *iecholel aialoth*, *vox Domini parere faciens cervas;* vel, ut S. Hieronymus vertit, *vox Domini obstetricans cervis.* Idem significant verba græca et latina : nam *præparare cervos*, nihil est aliud hoc loco, nisi præparare ad pariendum. Nomen *cervos* commodius legeretur *cervas* : nam in hebræo est nomen femininum, et in græco est nomen commune ἐλάφους. Sed recte etiam potest intelligi *præparantis cervos*, nam ponitur nomen masculinum ad exprimendum cervos in genere, non distinguendo sexus, quasi diceretur : *Vox Domini præparat cervos*, id est, speciem cervinam ad partum, quæ species sine peculiari providentia Dei parere non posset. In verbis sequentibus : « Et revelabit condensa, » sive, ut in hebræo apertius legitur, *aperiet silvas*, significatur operatio Dei in arboribus, et sensus est, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia; ipse enim omnia penetrat, etiam densissimas silvas, et ubique operatur; et ideo : « In templo ejus omnes dicunt gloriam, » id est, omnes creaturæ Deum laudant et glorificant in hac rerum universitate, quæ est veluti templum ejus. In hebræo est כלו *coullo, omne id ipsum*, sive totum hoc, *dicet gloriam* : ideo exposuimus *omnes*, id est, omnes creaturæ : non enim loquitur solum de hominibus, sed de toto eo quod dictum erat, id est aqua, igne, etc. Juxta alteram intelligentiam sublimiorem, *vox Domini præparat cervos*, cum Evangelica prædicatio præparat homines spirituales, alta petentes, et venenatos serpentes spiritu suo occidentes, ad partum mirabilium operum : quid enim majus et mirabilius, quam ut homo infirmus operetur opera meritoria vitæ perpetuæ? Et cum vox Domini cervos omnes parere fecerit, tunc demum *revelabit condensa*, id est, ut exponit S. Basilius in secunda expositione hujus Psalmi, « revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » in extremo judicio, juxta Apostolum I *Cor.* IV; et tunc, tam erit evidens justitia Dei, ut in magno illo theatro et templo omnes omnino, tam boni, quam mali, sint glorificaturi Deum. Tunc enim « curvabitur Christo omne genu, » et omnes, vel inviti, vel libenter dicent : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum; » sic in templo ejus omnes dicent gloriam. S. Augustinus per illud, *revelabit condensa*, intelligit revelationem sacramentorum et arcanorum Scripturæ sanctæ, quæ viris sanctis et perfectis, quasi cervis alta petentibus, aperiuntur.

Vers. 9. 9. DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIT, ET SEDEBIT DOMINUS REX IN ÆTERNUM.

In hebræo est יהוה למבול ישב ADONAI *lemabboul iashab*, *Dominus diluvium inhabitat*, et sic etiam ex græco legunt Basilius et Augustinus : tamen Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam* magis probat nostram lectionem, nimirum, *inhabitare facit*, et sic dicit se transtulisse. Eodem modo legit Euthymius. Et certe græca vox κατοίκει utrumque significat, *inhabitare* et *collocare*, id est, *habitare facere;* vox hebræa parva mutatione facta in eamdem significationem adduci potest. Retenta igitur nostra lectione, juxta priorem intelligentiam, redditur causa, cur omnia dicant gloriam Deo. Causa enim est, quia « Deus diluvium inhabitare facit, » id est, copiosum imbrem effundit super terram, ex quo rebus omnibus alimentum producitur, et vita sustentatur, et ipse idem Deus sedebit Rex et Dominus in æternum, omnia videlicet regens, omnia gubernans, omnia disponens. At juxta posteriorem intelligentiam, Dominus cum in extremo judicio revelaverit condensa, et ab omnibus justitia ejus laudata fuerit, tunc diluvium inhabitare faciet effundens omnia genera malorum in malos, et sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu, et regno dæmonum, atque hominum impiorum, « sedebit Dominus Rex in æternum. » Referunt hoc diluvium, alii ad diluvium Noe, alii ad baptismum, et quia sunt auctores graves, et magni nominis, non audeo improbare.

Vers. 10. 10. DOMINUS VIRTUTEM POPULO SUO DABIT, DOMINUS BENEDICET POPULO SUO IN PACE.

Hæc est conclusio Psalmi, in qua, juxta priorem intelligentiam, Propheta, qui laudavit Dei potentiam in omnibus aliis rebus mundi hujus inferioris, laudat postremo in hominibus, id est, in *populo suo*, cui dandam esse dicit a Deo *virtutem*, id est, robur et vires contra omnes adversarios, et iis omnibus superatis, dulcissimam quietem et pacem. At juxta posteriorem intelligentiam, concludit Psalmum, promittens a Domino *virtutem*,

id est, potentiam et robur in hac peregrinatione ad resistendum tentationibus, et *benedictionem*, ac pacem sempiternam in æterna vita. Non videtur hoc loco prætereunda pia quorumdam observatio, qui vocem Domini septies in hoc Psalmo, repetitam, septem Ecclesiæ sacramentis ita accommodant, ut vocem Domini super aquas, Baptismo; vocem Domini in virtute, Confirmationi; vocem Domini in magnificentia, Eucharistiæ; vocem Domini confringentis cedros, Pœnitentiæ; vocem Domini concutientis desertum, Ordini; vocem Domini intercidentis flammam ignis, Matrimonio; vocem Domini præparantis cervos, Unctioni Extremæ convenire velint.

Septem sacramenta hic per septem voces designantur.

PSALMUS XXX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Psalmus cantici, in dedicatione domus David.*

2. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

3. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.

4. Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum.

5. Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

6. Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.

7. Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

8. Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

9. Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.

10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

11. Audivit Dominus, et misertus est mei; Dominus factus est adjutor meus.

12. Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia :

13. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar; Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

V. s. h. — *Psalmus cantici pro dedicatione domus David.*

Exaltabo te, Domine, quoniam salvasti me : et non delectasti [*h. lætificasti*] inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.

Domine, eduxisti de inferno animam meam : vivificasti me ne descenderem in lacum.

Cantate [*h. psallite*] Domino, sancti [*h. misericordes*] ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ad momentum est ira ejus, vita in repropitiatione ejus :

Ad vesperum commorabitur fletus, et in matutino laus.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non commovebor in sempiternum [*h. sæculum*].

Domine, in voluntate tua statuisti [al. *posuisti*] monti meo fortitudinem : abscondisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo, et ad Dominum deprecabor.

Quæ est utilitas in sanguine meo, cum descendero [al. *descendo*] in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis? aut annuntiabit veritatem tuam?

Audi, Domine, et miserere mei : Domine, esto adjutor mihi [al. *meus*].

Convertisti planctum meum in chorum mihi : solvisti saccum meum, et accinxisti me lætitia.

Ut laudet [*h. psallat tibi*] te gloria, et non taceat; Domine Deus meus, in sempiternum [*h. sæculum*] confitebor tibi.

Argumentum. — Strophæ duæ : vers. 2-6, Deo sit laus, quod me liberavit præsentissimo mortis periculo; vers. 7-13, securum suisque fidentem viribus ille percuiit, sed idem meas preces audivit. « Nullum tempus in Davidis historia reperitur, quod melius huic carmini conveniret, quam illud, quo eum locum, in quo templum postea exstruendum esset, ita dedicavit, ut in eo et altare erexerit, et sacrificium obtulerit. Id autem a Davide factum esse scriptum est

Chron. XXI, 26; XXII, 1. Nam populo ejus jussu numerato, cum eo facto iram Jovæ concitasset, optioneque proposita maluisset tribus diebus gladium Jovæ in terra versari, misit ille pestilentiam in Israelitas, quæ tanta vi in populum grassata est, ut septuaginta millia virorum interimeret. Tunc angelus missus Hierosolyma, cum percutiendi initium fecisset, miseratus Jova præcepit, ut percutiendi finem faceret. Stabat autem angelus juxta aream Ornanis Jebusæi, quem cum David aspexisset strictum gladium in urbem intendentem, ut calamitatem a populo averteret, se morti obtulit, precatus, ut in se potius, qui peccati auctor fuisset, manum converteret. Tunc angeli monitu altari in eadem area constructo, oblatisque in eo sacrificiis, iram Jovæ placavit. Atque hunc ipsum locum, quem templo exstruendo dedicavit, jam tum a Davide appellatum esse *ædem Jovæ*, diserte dicitur I *Chron.* XXII. 2; unde et in carminis nostri inscriptione *dedicatione ædis* illud potuit tempus designari, quo primum in Jovanæ ædis area sacrificium obtulit. » Hæc Rosenmullerus.

1. Carmen, canticum dedicationis domus, Davidis.

2. Efferam te laudibus, Jova, quod extraxisti me,
nec lætificasti hostes meos de me.
3. Jova, Deus meus,
Vociferatus sum ad te, et sanasti me.
4. Jova, adscendere fecisti ex orco animam meam;
conservasti me vivum ab iis qui descendunt in foveam.
5. Canite Jovæ, pii erga eum,
et celebrate memoriam ejus sanctam.
6. Nam momentum *est* in ira ejus, vita in gratia ejus;
vespere hospes adest fletus, et mane jubilum.

7. Et ego dixeram (cogitaveram) in securitate mea :
« Non nutabo in perpetuum ! »
8. Verum, Jova, gratia tua stabilieras monti meo robur —
abscondisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.
9. Ad te, Jova, clamavi;
et ad Jovam supplex oravi (his verbis) :
10. « Quid lucri in sanguine meo, in descendendo me ad foveam?
Num celebrabit te pulvis? prædicabit veritatem tuam?
11. Audi, Jova, et miserere mei;
Jova, sis adjutor mihi. »
12. Convertisti planctum meum in choream mihi;
solvisti saccum meum, et cinxisti me lætitia :
13. Ut canat te gloria *mea* (anima mea, ego);
Jova, mi Deus, in perpetuum celebrabo te.

NOTÆ.

Vers. 1. *Mizemor* et *shir* æque sunt *carmen canendum.* Hanc tamen nativam significationem prius amisit *mizemor,* quam *shir,* ita ut, saltem in Psalmis, *mizemor* sit *carmen* in genere, *shir* vero carmen *cantui* destinatum. Ita Maurer. — Vers 2. *Extraxisti me,* tanquam situla, e calamitatum abysso. — Vers. 3. *Sanasti,* improprie accipiendum.— Vers. 4. *Ab iis,* intellige *revocans* me : constructio prægnans. *Foveam,* sepulcrum. Keri, *ne descenderem ego,* quod minus placet. — Vers. 5. *Memoria* Dei est id quod animo obversatur, quando Deum cogitamus, puta eum esse misericordem, benignum, fidelem in promissis, quæ omnia voce *sanctam* continentur. — Vers. 6. Gall. *un moment dure sa colère, une* (vel *toute la*) *vie sa bienveillance.* Alexandrini pro *regah* legerunt *rogez. Vespere,* etc., i. e. si quid triste etiam aut malum in hac vita intercidit, id est, instar viatoris pernoctantis, suum brevi diversorium relicturi.— Vers. 8. *Gratia tua* sola, non ob mea merita. *Monti,* i. e. magnitudini et dignitati meæ, ne laberetur, fortitudinem addideras. Alexandrini pro *lehareri* legerunt *lehaderi.* — Vers. 12. *Solvisti,* quia saccus ad lumbos præcingebatur. Cf. I *Paral.* XXI, 16. *Lætitia,* zona splendida, ceu potius vestibus pretiosis, lætitiam significantibus. — Vers. 13. *Gloria,* tua, ait Ewaldus, scil. quam Deus efficiendis præclaris hujusmodi facinoribus adipiscitur.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus Cantici, in dedicatione domus David.

Hic titulus indicat Psalmum et voce et instrumentis musicis cantatum, quod in præfatione annotavimus ex B. Hilario, et idipsum docet in Commentario hujus Psalmi S. Basilius. Ex eodem titulo colligimus hunc Psalmum compositum fuisse a Davide, quando domus ejus in Jerusalem magnificentissime exstructa, dedicata fuit. Tunc enim intellexit David regnum suum a Deo confirmatum et stabilitum fuisse, et ideo in gratiarum actionem hunc hymnum cecinit Deo. Habetur hæc historia lib. II *Reg.* v, et lib I *Paralip.* xiv. Videtur autem hic Psalmus duplicem sensum habere, ut Psalmus superior, unum historicum, alterum propheticum, utrumque litteralem. Et quidem recte post consummationem tabernaculi, quod est Ecclesia militans in terris, sequitur dedicatio domus, quæ est Ecclesia stabiliter quiescens in cœlis, cujus fundamentum, quod est Christus, jam dedicatum est, cum ad vitam immortalem et gloriosam pervenerit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXALTABO TE, DOMINE, QUONIAM SUSCEPISTI ME, NEC DELECTASTI INIMICOS MEOS SUPER ME.

David confirmato regno, arce Sionis munita, et de nomine suo civitate David appellata, denique domo regia magnificentissime exstructa, Deum agnoscens tantorum beneficiorum auctorem, tributum illi offert gratiarum actionis, ac dicit: « Exaltabo te, Domine, » id est, quamvis tu, Domine, altissimus sis, ut reipsa altior fieri non possis, tamen apud eos, qui altitudinem tuam minus agnoscunt, exaltabo te prædicatione mea, et faciam, quod in me est, ut te Altissimum esse omnes agnoscant. « Quoniam suscepisti me, » de imo videlicet, ac de profundo humilitatis suscepisti, et exaltasti in solium regni. Nam vox hebræa דלה *dalah, exaltare* significat. Itaque ait: Tu exaltasti me, et ego exaltabo te, non tribuens meis viribus exaltationem meam, sed magnificentiæ tuæ; tu exaltasti me, et ego humiliabo me, ut exaltem te. « Nec delectasti inimicos meos super me: » hoc ex illa exaltatione consecutum est, ut inimici David, qui plurimi fuerunt, et eum longissimo tempore ad necem quæsierunt, non habuerint materiam gaudendi ex ejus interitu, quem avidissime expetebant, sed contra dolendi ex illa exaltatione, quam impedire totis viribus conabantur. Jam vero prophetico sensu loquitur David in persona Christi, et electorum, tum omnium, tum singulorum, quos in cœlesti regno quasi exaltatos prævidebat, e quorum numero ipse quoque futurus erat. « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, » id est, nunc vere te, Domine, cogitatione et voce exaltabo, cum ex mea exaltatione cognoscam sublimissimam altitudinem tuam: nam ex ima terra, et profundo miseriarum, ex ipsa mortalitate suscepisti, et exaltasti me ad gloriam resurrectionis et immortalitatis, atque adeo ad regnum cœleste et sempiternum. « Nec delectasti inimicos meos super me, » quia non permisisti ut potirentur desiderio suo, quo in sempiternum interitum meum anhelabant dæmones, et homines mali. Gavisi sunt quidem impii Judæi, cum a Pilato extorserunt sententiam mortis in Christum, et non raro lætantur mali, cum bonos, vel opibus, vel etiam vita spoliare possunt; sed eorum lætitia tam brevis est, et tam longum adducit dolorem, ut merito somnium potius lætitiæ, quam vera lætitia dici debeat.

Vers. 2. 2. DOMINE DEUS MEUS, CLAMAVI AD TE, ET SANASTI ME.

Vers. 3. 3. DOMINE, EDUXISTI AB INFERNO ANIMAM MEAM, SALVASTI ME A DESCENDENTIBUS IN LACUM.

Revocat Propheta ad memoriam angustias suas, quas ante regnum adeptum passus est, ut ostendat verum esse, quod paulo ante dixit: « Nec delectasti inimicos meos super me. » « Domine Deus meus, clamavi ad te, » cum in periculis mortis tam sæpe versarer, et ob id ægritudine animi contabescerem: sed tu, Domine, sanasti ægritudinem illam meam, et a morte propinqua ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses. Illud autem, *salvasti me a descendentibus in lacum*, idem significat, sed est locutio paulo obscurior. Sensus est: « Salvasti me, » vel, ut habetur ad verbum in hebræo, *vivificasti me* « a descendentibus in lacum, » id est, excitasti me a mortuis. Nam per descendentes in lacum intelliguntur mortui. Dicitur autem David excitatus a mortuis, quia a morte propinqua et certissima liberatus fuerat. At juxta propheticam intelligentiam, Christus plane ad litteram dicere potest, *sanasti me*, id est, vulnera in cruce accepta, et *eduxisti ab inferno*, id est a Limbo, animam meam, et *vivificasti me*, per resurrectionem, atque ita a mortuis excitasti. Denique Sancti omnes dicere poterunt, cum do-

mus æterna dedicabitur, *sanasti me*, perfectissima sanitate corporis et animæ, et *eduxisti ab inferno animam meam*, quia non permisisti ut in infernum damnatorum descenderem, et *salvasti*, seu *vivificasti me a descendentibus in lacum*, quia vitam et salutem æternam mihi donasti. Idem habetur in *Psalm.* CII : « Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. »

Vers. 4. 4. PSALLITE DOMINO, SANCTI EJUS, ET CONFITEMINI MEMORIÆ SANCTITATIS EJUS.

Et David acceptis temporalibus beneficiis, et unusquisque sanctorum acceptis beneficiis æternis, parum esse judicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios qui similia beneficia perceperunt, ut Deum laudare non cessent. Illud, *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, hunc sensum habet : Confitemini confessione laudis, id est, laudate memoriam sanctam ejus, quod videlicet vestri memor fuerit memoria sancta, memoria pia, memoria paterna, non ad puniendum, sed ad justificandum; passim enim in lingua hebraica ponitur nomen substantivum in secundo casu, pro adjectivo in primo casu. Quem enim frequenter legimus, *in monte sancto ejus*, vel *in templo sancto ejus*, in hebræo est, *in monte*, vel, *in templo sanctitatis ejus*. Itaque S. Hieronymus, qui hoc loco posuit, *memoriæ sanctitatis ejus*, in *Ps.* XCVII, vers. ult., posuit, *memoriæ sanctæ ejus*. Et vero magnum est hoc Dei beneficium, et memoria gratissima recolendum, quod cum nos, qui Dei ope semper indigemus, sæpe obliviscamur illius; ille, qui bonorum nostrorum non eget, semper recordetur nostri, et præcipue recordatus sit, cum misit ad nos Filium suum, Salvatorem mundi, quod ipsum idem David in *Psalm.* VIII miratur, cum ait : « Quid est homo, quia memor es ejus? »

Vers. 5. 5. QUONIAM IRA IN INDIGNATIONE EJUS, ET VITA IN VOLUNTATE EJUS.

Reddit rationem cur dixerit laudandam esse memoriam sanctam, quam de nobis habet Deus. Ratio enim est, quia Deus, si nos punit, id facit *ex indignatione*, quam peccata nostra provocant, id est, ex justo judicio; sed alioqui in voluntate et electione ejus non est pœna, sed vita. Itaque per iram intelligitur pœna et castigatio, quæ dicitur ira, quia est effectus iræ : per indignationem, intelligitur justum Dei judicium, ut S. Basilius et alii exponunt. In hebræo habetur, *quoniam momentum est in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus*. Sed Septuaginta Interpretes non videntur legisse רגע *regah*, quod significat *momentum*, sed רגז *regaz*, quod significat *iram*; fortasse etiam legerunt *regah*, et verterunt *iram*, quia vox illa non solum significat *momentum*, sed etiam *scissionem*, proinde intellexerunt sensum esse, in indignatione Dei esse scissionem, id est occisionem et mortem, sed in voluntate Dei esse vitam : sed pro *scissione* posuerunt *iram*, quia sæpissime in Scriptura ponitur *ira* pro *pœna*. Cæterum sensus etiam, quem ex hebræo exprimit S. Hieronymus, non est contemnendus : vere enim respectu electorum, de quibus in hoc Psalmo agitur, *momentum est in indignatione Dei*, id est, brevissima et momentanea est indignatio Dei in electos peccantes, quia statim pœnitentibus ignoscit, nam in voluntate ejus non est ira, sed vita. Porro hæc omnia in Christum caput electorum mirifice quadrant. Nam « Pater filio suo non pepercit, » *Rom.* VIII; sed tamen ira, id est, punitio fuit in Christo ex indignatione contra peccata nostra, et fuit castigatio illa brevissima, sed vita et resurrectio Christi fuit plane ex voluntate et electione Dei.

Indignatio Patris in Christum fuit brevissima.

Vers. 6. 6. AD VESPERUM DEMORABITUR FLETUS, ET AD MATUTINUM LÆTITIA.

S. Hieronymus vertit, *in matutino laus*, sed vox hebræa רנה *rinnah* significat proprie *jubilationem*, sive *exultationem*, in qua est conjuncta laus cum lætitia; proinde non est discrepantia inter versiones. Sensus igitur est, inde probari iram sive momentum esse in indignatione Dei, sed in voluntate et beneplacito ejusdem esse vitam electorum suorum, quia post fletum ex castigatione et pœnitentia natum, statim succedet lætitia, et laus jubilationis ex remissione et reconciliatione : nam inter vespere et mane, id est, inter noctem et diem, nihil est medium. Recte autem tribuitur tempus nocturnum fletui, et diurnum lætitiæ, tum quia cum peccamus, recedit a nobis lux gratiæ divinæ, cum reconciliamur, redit; tum quia tempus hujus vitæ, in quo peccata deflemus, et præ desiderio patriæ gemimus et suspiramus, tempus est nocturnum, quia non videmus Deum, qui est sol justitiæ : tempus autem vitæ futuræ, « in quo exultabimus lætitia inenarrabili, et glorificata, » ut loquitur S. Petrus I *epist.* cap. I, tempus erit diurnum, quia videbimus Deum sicuti est. Sed in Christo ad litteram impletum est hoc vaticinium, nam ad vesperam cum dolore mortuus est, et in matutino cum lætitia resurrexit.

Vers. 7. 7. EGO AUTEM DIXI IN ABUNDANTIA MEA : NON MOVEBOR IN ÆTERNUM.

Vicissitudinem iræ et vitæ, fletus et lætitiæ, quam demonstravit Propheta superioribus versiculis generatim, nunc demonstrat in particulari, loquens tum in persona sua, tum in persona electorum Dei. Ac primum in persona sua dicit se antequam in regnum exaltaretur, aliquando tanta pace, et bonorum temporalium copia abundasse, ut existimaret sibi illa perpetuo adfutura. Videtur autem respicere ad illud tempus, in quo post cædem Goliath Philistæi, ut habetur I *Reg.* XVIII, diligebatur a rege, a filio regis, atque ab omni populo, ita ut paulo post fieret tribunus, et gener regis. De hoc igitur tempore dicit :

« Ego autem dixi in abundantia mea, » id est, dum bonis omnibus abundarem : « Non movebor in æternum, » id est, tam bene fundata est hæc felicitas mea, ut semper duratura videatur.

Vers. 8. 8. DOMINE, IN VOLUNTATE TUA PRÆSTITISTI DECORI MEO VIRTUTEM.

Reddit rationem cur dixerit : « Non movebor in æternum, » atque id facit per apostrophen ad Deum, quasi diceret : Ideo dixi : « Non movebor in æternum, » quia tu, « Domine, præstitisti virtutem, » id est robur ac vires, « decori meo, » id est, felicitati meæ, idque, « in voluntate tua, » id est in beneplacito tuo, quia ita placuit tibi, ita voluisti et decrevisti. In hebræo habetur, *monti meo,* pro *decori meo* : sed Septuaginta non legerunt הרי *hareri,* id est, *monti meo,* sed, הדרי *hadari, decori meo,* unica littera, eaque simillima mutata : et, ut sæpe diximus, in ejusmodi vocum ambiguitatibus, videtur omnino præferenda lectio Septuaginta Interpretum et editionis Vulgatæ.

Vers. 9. 9. AVERTISTI FACIEM TUAM A ME, ET FACTUS SUM CONTURBATUS.

Hic jam declarat rerum vicissitudinem, quæ tamen ex Dei providentia pendet. « Avertisti, inquit, faciem tuam a me, » id est, paulo post, in medio cursu felicitatis destituisti me favore tuo, et permisisti ut in odium regis inciderem. « Et factus sum conturbatus; » inde enim exilium, fuga, mortis periculum, et alia mala exorta sunt. Sed hæc omnia longe adhuc melius conveniunt in vicissitudines, quas patiuntur electi, cum peregrinantur in terris. « Ego autem, » inquit electus quilibet, « in abundantia mea, » id est, dum gratia Dei, et spirituali consolatione abundabam, « dixi : Non movebor in æternum; » « etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, » dixit unus ex primariis electis, *Matth.* XXVI. « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, » id est, robur meum non ex me erat, sed ex te, quia tu præstiteras virtutem decori meo, id est, pulchritudo animæ meæ, quæ ex luce sapientiæ et justitiæ oritur, a tuo adjutorio conservabatur. « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus, » id est, ut punires præsumptionem meam, dimisisti meipsum mihi, et continuo cecidi, et conturbatus sum. Quod attinet ad Christum, possunt hi tres versiculi tribui Christo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est, ut ea omnia dicat in persona membrorum suorum. Possunt etiam Christo tribui in persona propria. Nam quemadmodum ipse dixit in cruce, *Matth.* XXVII : « Deus meus, ut quid dereliquisti me? » ita dicere potest : « Avertisti faciem tuam a me, » non aversione inimicitiæ, sed aversione defensionis et auxilii tempore passionis. Itaque sensus erit : « Ego autem dixi in abundantia mea : Non commovebor in æternum, » id est, humanitas mea inuncta præ omnibus consortibus suis abundantissima gratia, ipsi nimirum fonti gratiarum Deo hypostatice unita, dixit : « Non movebor in æternum, » id est, nihil mihi nocere, nihilque me perturbare poterit. « Domine, in voluntate tua præstitisti decore meo virtutem, » id est, quia tu, Domine, pulchritudini et excellentiæ meæ, qua præsto omnibus hominibus et angelis, addidisti robur et potentiam, nodum videlicet insolubilem hypostaticæ unionis, idque « ex voluntate tua, » cui nemo resistere potest. « Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus, » id est, nihilominus tamen manente vinculo hypostaticæ unionis, et illæsa pulchritudine gratiæ, avertisti ad tempus pro salute hominum faciem tuam a defensione mea : voluisti ut calix amarissimæ passionis non transiret a me, sed biberem illum; ideo « conturbatus sum, » cœpi pavere tædere, et mœstus esse, et dixi, *Matth* XXVI : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Neque hinc colligi debet Christi animam aliquid ignorasse, vel aliquid inopinatum ei contigisse. Nam verum est nihil ei nocere, vel eam turbare potuisse, nisi ipsa voluisset; sed admisit in se furentium manus, et turbavit semetipsum. Et sicut Christus dixit ad Patrem : « Avertisti faciem tuam a me, » ita dicere potuisset : Averti faciem divinitatis meæ ab auxilio humanitatis meæ, et sciens et volens conturbatus sum.

Vicissitudines quas electi patiuntur in hac vita.

Christo nihil inopinatum accidere potuit.

Vers. 10. 10. AD TE, DOMINE, CLAMABO, ET AD DEUM MEUM DEPRECABOR.

Vers. 11. 11. QUÆ UTILITAS IN SANGUINE MEO, DUM DESCENDO IN CORRUPTIONEM?

Vers. 12. 12. NUMQUID CONFITEBITUR TIBI PULVIS, AUT ANNUNTIABIT VERITATEM TUAM?

Hæc omnia videntur accipienda pro tempore præterito, neque est insolitum, ut apud Hebræos futurum ponatur pro præterito. Itaque David in sensu historico dicit se, tempore tribulationis et periculi, clamasse ad Dominum, atque inter cætera allegasse, non esse utilem Domino mortem suam, quia mortuus non posset Deum laudare. « Ad te, Domine, clamabo, » id est, cum te avertente faciem factus sum conturbatus, non desperavi de misericordia tua; sed ad te clamavi, et deprecatus, dixi : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem, » id est, quid tibi, Domine, proderit effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus, putrescam in sepulcro? Certe pulvis non confitebitur tibi confessionem laudis. Juxta sensum altiorem et propheticum, Christus in passione ad Dominum clamasse, et orasse, se dicit, quod impletum fuit, quando, ut Apostolus loquitur *ad Hebr.* V : « Cum clamore valido, et lacrymis, preces obtulit ad eum, qui posset eum salvum facere a morte. » Tunc igitur ait : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? » id est, quæ utilitas erit gloriæ Dei, et saluti humani generis in sanguine meo in cruce effuso, dum cæterorum hominum more, corpus meum in sepulcro putrescit et corrumpitur? Nam

«nisi Christus resurrexisset, inanis esset fides nostra,» ut dicit Apostolus I *Corinth.* XV; et neque ipse redivivus annuntiasset Apostolis veritatem Dei, neque homines mortales qui sunt ex se pulvis et cinis, facti essent spirituales, et filii Dei, qui Domino confiterentur, et annuntiarent aliis hominibus veritatem, id est, fidelitatem et justitiam Dei. Denique possunt hæc eadem verba tribui singulis electis, qui post lapsum in culpam, pœnitentia ducti, clamaverunt ad Deum pro remissione peccati, ut possent Domino confiteri, et annuntiare aliis peccatoribus veritatem promissionum Dei.

Vers. 13. 13. AUDIVIT DOMINUS, ET MISERTUS EST MEI, DOMINUS FACTUS EST ADJUTOR MEUS.

Ex hoc versiculo perspicuum est verba versiculi decimi recte explicata fuisse pro tempore præterito. Affirmat igitur Propheta tum in persona sua, tum in persona Christi et electorum, clamorem suum a Deo fuisse exauditum. In hebræo legitur : *Audi, Domine, et miserere mei, Domine, esto adjutor meus.*

Sed eædem voces hebraicæ, sub aliis punctis reddunt lectionem quam nos habemus. Proinde certum est Septuaginta Interpretes aliter legisse, quam S. Hieronymus et Hebræi posteriores legerint : neque dubitandum est Septuaginta Interpretum auctoritatem in iisdem vocibus legendis prævalere debere.

Vers. 14. 14. CONVERTISTI PLANCTUM MEUM IN GAUDIUM MIHI, CONSCIDISTI SACCUM MEUM, ET CIRCUMDEDISTI ME LÆTITIA.

Hic est effectus exauditionis. David ex misero exule rex potens effectus ; Christus ex mortuis resurgens, et de ipsa morte triumphans; electus quisque ex valle lacrymarum ad patriam cœlestem perveniens justissime dicit:«Convertisti planctum meum in gaudium mihi.» In hebræo, pro *in gaudium,* est *in chorum,* sed per chorum, hebraice *machol,* intelligitur instrumentum musicum. Sensus est idem : sed vox hebræa videtur paulo elegantius respondere voci præcedenti, ac si latine diceretur : *Convertisti planctum in cantum.* Quod sequitur : « Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia,» significat mutationem vestis lugubris in vestem lætitiæ convenientem. Dicit autem Propheta, *conscidisti*, et non *exuisti,* vel *spoliasti*, quia quod exuitur, remanet integrum ; quod scinditur, destruitur, ut usui deinceps esse non possit. Itaque significatur hoc loco, saccus miseriæ, vel mortalitatis, et passibilitatis plane destructus, ut nunquam amplius usui sit futurus in Sanctis, ac multo minus in Christo, qui « resurgens a mortuis, jam non moritur,» ut dicitur *Rom.* VI.

Vers. 15. 15. UT CANTET TIBI GLORIA MEA, ET NON COMPUNGAR : DOMINE DEUS MEUS, IN ÆTERNUM CONFITEBOR TIBI.

Hic est ultimus finis gloriæ Christi et Sanctorum omnium, laus Dei. « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.» Illud, *et non compungar,* in hebræo est, ולא ידום *velo iddom, et non taceat,* ut sensus sit, ut gloria mea cantet tibi laudem et gratiarum actionem, et nunquam taceat, nunquam cesset a laude; cui recte subjungitur : « In æternum confitebor tibi,» id est, semper laudabo, nunquam silebo. Sed quanquam hæc lectio satis cohæreat cum reliquis verbis, tamen idem vocabulum hebraicum ידום *iddom* significat *silere*, et *excidere* sive *succidere;* et hanc significationem elegerunt Septuaginta Interpretes, et legerunt in prima persona, *et non compungar,* quod est idem cum eo, *et non succidar.* Est autem sensus : Cantet tibi gloria mea, et non gemitus meus, ex timore mortis, vel peccati; vel cantet tibi gloria mea, et non amplius compungar aculeo mortis, vel peccatis.

PSALMUS XXXI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David pro extasi.*

2. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum; in justitia tua libera me.

3. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.

4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

V. S. H. — *Victori canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum [*h. sæculum*] : in justitia tua salva [*h. eripe*] me.

Inclina ad me aurem tuam, velociter libera me.

Esto mihi in lapidem fortissimum, in domum munitam, ut salves me.

Quia petra mea et munitio mea tu [al. add. *es*] : et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

6. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Odisti observantes vanitates, supervacue.

Ego autem in Domino speravi:

8. Exultabo, et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

9. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

10. Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

11. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me.

13. Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum:

14. Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

15. Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus es tu:

16. In manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.

17. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.

18. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii et deducantur in infernum.

19. Muta fiant labia dolosa;

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.

20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

Educes me de reti, quod absconderunt mihi: quia tu fortitudo mea.

In manu tua commendabo [al. *commendo*] spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

Odivi custodientes vanitates frustra: ego autem in Domino confisus sum.

Exultabo, et lætabor in misericordia tua, quia vidisti [al. *audisti*] afflictionem meam: cognovisti tribulationes animæ meæ.

Et non conclusisti me in manu inimici: statuisti in latitudine pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: caligavit in furore oculus meus, anima mea et venter meus.

Quia consumptæ sunt in mœrore vitæ meæ, et anni mei in gemitu.

Infirmata est in iniquitate mea fortitudo mea: et ossa mea contabuerunt.

Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium, et vicinis meis nimis, et timor notis meis:

Qui videbant me in plateis, fugiebant a me.

Oblivioni traditus sum quasi mortuus a corde: factus sum sicut [al. *quasi*] vas perditum.

Audivi enim opprobrium multorum, congregationem in circuitu;

Cum inirent consilium adversum me: et ut auferrent animam meam cogitaverunt [al. *cogitarent*].

Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus tu.

In manu tua tempora mea: libera me de manu inimicorum meorum, et persequentium me.

Illumina faciem tuam super servum tuum: salva me in misericordia tua.

Domine, non [al. *ne*] confundar, quia invocavi te: confundantur impii, taceant in inferno.

Muta fiant labia mendacii: quæ loquuntur contra justum vetera, in superbia et despectione.

Quam multa est bonitas tua quam abscondisti timentibus te, operatus es sperantibus in te, in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in protectione vultus tui, a duritia viri: abscondes eos in umbra, a contradictione linguarum.

22. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita

23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

24. Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

25. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Benedictus Dominus : qui mirabilem fecit misericordiam suam mihi, in civitate munita.

Ego autem dixi in stupore meo : Projectus sum de conspectu oculorum tuorum.

Ergone audisti vocem deprecationis meæ, cum clamarem ad te?

Diligite Dominum, omnes sancti [*h. misericordes*] ejus ; fideles servat Dominus, et tribuit his, qui satis operantur superbiam.

Confortamini, et roboretur cor vestrum, omnes qui exspectatis Dominum.

Argumentum. — « Apparent in hoc carmine motus animi perturbati conspectu periculorum, hominisque in summum vitæ et salutis discrimen adducti, et tamen fiducia certa invocantis opem et auxilium Jovæ, atque hoc nitentis. » Hæc Rosenmullerus. Strophæ quinque : vers. 2-9, auxilii imploratio, fiducia firma, gratiarum promissio; vers. 10-14, descriptio malorum quæ vati perferenda sint ; vers. 15-19, repetitæ preces ; vers. 20-23, grates averso periculo adjectæ ; vers. 24-25, hortatio ad similem fiduciam piis omnibus directa. Psalmum autem hunc Davidem non in ipsis periculis composuisse, sed postea orationem et voces, quas ad Jovam urgente periculo misisset, simul cum iis verbis, quæ ad gratias de salute jam adepta pertinerent, conjunxisse, et carmen ex utrisque edidisse, plura ejus loca arguere videntur, veluti vers. 8 et 9, nec non 20 seqq. Titulo hebræo addunt Alexandrini ἐκστάσεως, quod nomen acceperunt ex vers. 23, ubi hebræum *bechophezi* vertunt ἐν τῇ ἐκστάσει μου, hoc est, inquit Agellius, « *in pavore atque trepidatione mea*, in desperatione rerum omnium, cum de summo periculo humano consilio evadere me posse desperarem ; » res autem narratur I *Sam.* XXIII, 26. Igitur τοῦ *pro exstasi*, quod habet Vulgatus, sensus patet. Alii tamen hunc Psalmum ad aliam occasionem referunt. Hodierni non pauci eum esse Jeremiæ, colligere posse putant e vers. 12-14, coll. cum *Jerem.* XI, 19 ; XV, 10 ; XX, 7, 8, 11, e verbis *magor missabib*, quæ præter hunc locum non leguntur nisi apud *Jerem.* VI, 25 ; XX, 3, 10 ; XLVI, 5 ; XLIX, 29 : sed absque idonea ratione, ut fuse demonstrat Hengstenberg.

1. Præcentori *canendum*, carmen Davidis.

2. In te, Jova, confidi :
ne pudore afficiar in perpetuum ;
pro justitia tua libera me.
3. Inclina ad me aurem tuam, festinanter eripe me ;
esto mihi rupes præsidii,
domus cacuminum ad me salvandum.
4. Nam petra mea et arx mea tu *es*,
et propter nomen tuum duces me et reges me ;
5. Educes me e reti quod absconderunt mihi :
nam tu *es* refugium (alii, *præsidium*) meum.
6. In manum tuam commendo spiritum (vitam) meum :
redemisti (jam) me, Jova, Deus veritatis.
7. Odi observantes (colentes) vanitates mendacii ;
ast ego in Jova confido.
8. Exsultabo et lætabor gratia tua,
quod respexeris miseriam meam,
cognoveris angustias animæ meæ ;
9. Nec concluseris me in manu hostis *mei*,
statueris *e contra* in spatio amplo pedem meum.

10. Miserere mei, Jova, nam angustia mihi ;
emarcuit in ægritudine oculus meus,
anima mea et venter (corpus omne) meus.

11. Consumpta est mœrore vita mea,
et anni mei gemitu;
corruit iniquitate mea robur meum,
et ossa mea contabuerunt.
12. Ob omnes adversarios meos ego sum contumelia, idque vicinis meis valde,
et terror notis meis;
qui vident me foris, aufugiunt a me.
13. Oblivioni traditus sum, instar mortui, *exstinctus* ex corde *omnium;*
factus sum instar vasis quod periit (fractum est):
14. Nam audivi obtrectationem multorum;
formido undique, illis contra me una consultantibus;
ad capiendum animam meam machinantur.

15. Ego vero super te confidi, Jova;
dixi : « Deus meus *es* tu;
16. In manu tua *sunt* tempora (fata) mea :
eripe me e manu hostium meorum et e persecutoribus meis.
17. Illumina faciem tuam super servum tuum,
salva me gratia tua. »
18. Jova, ne pudore afficiar, nam invocavi te;
pudore afficiantur improbi, sileant in orcum!
19. Obmutescant labia mendacia,
quæ loquuntur contra justum proterve (propr. *fastum*),
cum superbia et contemptu.

20. Quam magna est benignitas tua,
quam abscondisti (asservasti) timentibus (colentibus) te,
quam parasti eis qui spem ponunt in te,
in conspectu hominum !
21. Latere facis eos in latibulo faciei tuæ (tuo) a conspirationibus virorum;
abscondis eos in tugurio a contentione (ταραχῇ) linguarum.
22. Benedictus *sit* Jova,
nam insignem fecit misericordiam suam mihi,
protegens me tanquam in urbe munitionis (munita).
23. Ego quidem dixeram in trepidando me :
« Excisus sum a conspectu oculorum tuorum. »
Verum audisti vocem precum mearum,
quum vociferarer ad te.

24. Diligite Jovam, omnes erga eum pii :
fidelitatem servat Jova,
et retribuit abundanter facienti superbiam.
25. Fortes estote, et alacre (imperterritum) *sit* cor vestrum,
omnes qui Jovam (ejusque auxilium) exspectatis.

NOTÆ.

Vers. 2. *In perpetuum,* i. e. noli committere, ut nunquam e malis quibus conflictor emergam. *Justitia* hic est illa *fides* optima, qua agere Deus solet cum iis, qui ipsi sese concrediderunt. — Vers. 2. *Festinanter,*

propr. *festina. Domus cacuminum,* arx in montis præalti fastigio exstructa. — Vers. 4. *Nomen,* famam potentiæ et misericordiæ.— Vers. 7. Τὸ *vanitates mendacii* dicitur de quavis re vana, præsertim de *deastris, Deut.* XXXII, 21 ; *Jerem.* II, 5; X, 3, 15 etc.; hic vero significare *idola* vana, indicat locus *Jon.* II, 9. — Vers. 8. *Cognoveris,* ut eas removeres : opponitur enim incuriæ vel neglectui. Alexandrinus legit *hoshaeta,* vel *thoshia;* sed, ut ait Agellius, τὸ *cognoveris* nescio quid dulcius habet. — Vers. 12. *Ob,* i. e. propter tot hostium virulentos insultus. Rosenmullerus vertit *præ,* hoc sensu : etiam a vicinis magis contemnor quam adversarii mei; vel : vicini plus in me conjecerunt opprobria, quam ipsi acerrimi hostes. *Contumelia... valde,* summe probrosus. *Terror,* ne propter me meamque consuetudinem in periculum ipsi veniant, vel quia fœdis criminibus me pollutum putant. — Vers. 14. *Formido* : conf. *Isai.* XXXI, 9. Sed cum *gour* et *timuit,* et *commoratus est* significat, hoc prætulit Alexandrinus. — Vers. 17. *Illumina,* etc. i. e. sereno propitioque vultu me respice. — Vers. 18. *Sileant,* i. e. ad silentium redacti ruant. *In conspectu hominum* jungendum cum *parasti,* scil. ut omnibus innotescat piorum innocentia. — Vers. 23. *Excisus* : Alexandrinus sensum spectans vertit *projectus.* — Vers. 24. *Fidelitatem,* puta in promissis. Maurer non male, *fidos, fideles,* ut sit abstractum pro concreto. *Abundantur* cum *retribuit* jungendum, ut accentus docet. Aliter, sed minus concinne, Alexandrinus.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David pro Exstasi.

In hoc titulo nihil est novi, nisi illa vox *exstasis,* quæ non habetur in hebræo, et fortasse non est addita a Septuaginta Interpretibus, sed ab aliquo alio interprete : nam in quibusdam solum exemplaribus illam se invenisse Theodoretus testatur. S. Hieroymus quoque eam non habet, neque in versione sua ex hebræo, neque in Commentario, ubi exponit versionem Septuaginta Interpretum. Quicumque illam particulam addidit, eam accepit ex versiculo 28 hujus Psalmi : *Ego autem dixi in* excessu *mentis meæ.* Significat autem *exstasis* mentis excessum, cum animus intendit in rem aliquam, ut quasi corpus proprium deseruisse videatur. Oritur autem iste excessus, vel ex divina aliqua revelatione, quæ rapit mentem in arcanum aliquod intuendum, vel ex vehementi passione timoris vel amoris. Hoc autem loco videtur intelligenda exstasis ex timore repentino et maximo, quo David correptus fuit, cum audivit Absalonem filium et omnem populum contra se conspirasse. Quæ historia habetur II *Reg.* XV. Videtur autem ad litteram Psalmus de Davide fugiente persecutionem Absalonis intelligendus, ut Theodoretus et Euthymius volunt. Sed potest etiam ad Ecclesiam inter persecutionem angustias gementem accommodari.

Exstasis quid sit?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. IN TE, DOMINE, SPERAVI, NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM, IN JUSTITIA TUA LIBERA ME.

David rex fugiens persequentem Absalonem, omni humano auxilio destitutus, ad Deum recurrit, ac dicit : « In te speravi, » et ideo confido, quod nunquam frustrandus mea spe sim, quia tu omnipotens et fidelissimus es. Igitur juxta hanc spem meam, « libera me in tua justitia, » id est, ob justitiam qua impios punire soles, et innocentes liberare.

Vers. 2 2. INCLINA AD ME AUREM TUAM, ACCELERA, UT ERUAS ME.

Quia persecutio urgebat, et amici David II *Reg.* XVII, per nuntios ei significaverant, ut non quiesceret, sed fugere perseveraret, nisi opprimi vellet, ideo petit velociter exaudiri, et de imminenti periculo erui.

Vers. 3. 3. ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM, ET IN DOMUM REFUGII, UT SALVUM ME FACIAS.

Verba sunt clara, quia Septuaginta Interpretes exposuerunt verba metaphorica, quæ sunt in codice hebraico; sic enim legitur ad verbum : *Esto mihi in petram fortissimam, et in domum munitissimam, ad salvandum me.* Vocatur autem hoc loco petra fortissima, vel saxea rupes in sublimi posita, vel domus sive arx fortissimis lapidibus constructa; et tunc verba sequentia erunt explicatio præcedentium, ut sensus sit : Esto mihi, o Deus, instar petræ durissimæ, id est, instar domus, sive arcis munitissimæ, in quam tuto confugere possim. Dicuntur autem hæc omnia plane ad rem propositam aptissime. Nam David fugiebat per campestria deserti, ubi nulla erat arx, in quam confugere posset.

Vers. 4. 4. QUONIAM FORTITUDO MEA, ET REFUGIUM MEUM ES TU : ET PROPTER NOMEN TUUM DEDUCES ME, ET ENUTRIES ME.

Hic etiam exposuerunt Septuaginta metaphoras vocum hebraicarum : sic enim legimus in hebræo, *quoniam petra mea, et munitio mea tu es,* id est, sis tu mihi loco arcis lapideæ et munitæ, quoniam munitionem aliam habere non possum.

Quod sequitur : « Et propter nomen tuum deduces me, et enutries me, » optime respondet historiæ. David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset sciebat, neque unde alimenta conquireret : unde divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et duobus utribus vini. Itaque ait : « Propter nomen tuum, » id est, in gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, et ad nutrimentum cibos providebis. Recentiores aliqui vertunt, *duces me, et deduces me* : quod mirum est, cum vocem hebraicam נחל *nahal*, non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus, tum hoc loco, tum in *Psal.* XXIII, significare velint *enutrire*, vel *sustentare*.

Vers. 5. 5. EDUCES ME DE LAQUEO HOC, QUEM ABSCONDERUNT MIHI, QUONIAM TU ES PROTECTOR MEUS.

Non solum, inquit, duces me ad locum tutum, et ibi enutries, sed etiam liberabis de insidiis, quas veluti laqueum absconditum tetenderunt mihi : vocat enim laqueum, occultam conjurationem factam cum Absalone in Hebron contra se, nihil tale metuentem, neque cogitantem. Ad illud, *quoniam tu es protector meus*, additur, *Domine*, in textu græco, sed supervacaneum esse affirmat S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam*.

Vers. 6. 6. IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM : REDEMISTI ME, DOMINE, DEUS VERITATIS.

Quamvis bona spe dixerit : « Educes me de laqueo hoc, » tamen quia de vita nondum securus erat, addit : « In manus tuas commendo, » vel, ut habetur in hebræo et græco textu, *commendabo* « spiritum meum, » id est, curæ tuæ commendabo vitam meam. Quoniam tu sæpe alias « redemisti me de morte : » tu, inquam, Domine, qui es « Deus veritatis, » id est, Deus verissimus, vel Deus fidelissimus. Propter hunc locum suspicantur aliqui totum Psalmum intelligendum esse de Christo : ipse enim in cruce pendens dixit, *Luc.* XXIII : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » Sed etiamsi Psalmus non intelligatur ad litteram de Christo, tamen potuit Dominus hæc verba de hoc Psalmo accipere, cum spiritum suum Deo Patri commendare vellet : quomodo etiam S. Nicolaus moriens hunc Psalmum usque ad verba, quæ nunc exponimus, pronuntiavit; et nos frequentissime iisdem verbis utimur. Certe verba illa ejusdem versiculi, « redemisti me, Domine, Deus veritatis, » non recte tribuuntur Christo, cum sit ipse Redemptor, non redemptus.

Christus redemptor est, non redemptus. S. Augustinus Christo tribuit priora verba : « In manus tuas commendo spiritum meum; » posteriora tribuit populo christiano : « Redemisti me, Domine, Deus veritatis; » vult enim S. Augustinus in hoc Psalmo frequenter mutari personas, et nunc loqui Prophetam, nunc vero Christum, nunc autem populum. Quod quidem recte et pie dicitur, cum mystica explicatio quæritur : sed cum sensus litteræ investigatur, non videntur mutationes personarum intelligendæ, ubi non est distinctio, sive interpunctio, quæ notet finitam sententiam; hoc autem loco sine tali interpunctione continuantur verba totius versiculi in omnibus codicibus hebræo, græco et latino.

7. ODISTI OBSERVANTES VANITATES SUPERVACUE. Vers. 7.

8. EGO AUTEM IN DOMINO SPERAVI, EXULTABO Vers. 8. ET LÆTABOR IN MISERICORDIA TUA.

Reddit aliam rationem, cur in manibus Dei commendaverit vitam suam, quia videlicet Deus odio habere soleat eos, qui non sperant in suo adjutorio, sed in rebus vanis, quæ nullum auxilium adferre possunt. « Odisti, inquit, observantes vanitates, » id est, somnia, vel auguria, vel responsa dæmonum; quod fecit Saul, qui consuluit pythonissam. Potest etiam nomine vanitatis intelligi industria, vel astutia humana, sive quodcumque consilium, et auxilium hominum, quod sine Deo, vel contra Deum nullas vires habet; ideo additur, « supervacue, » quia frustra nituntur homines in rebus vanis. « Ego autem, » inquit, non observavi, neque aspexi res vanas, ut in illis confiderem; sed « speravi in Domino, » et ideo « exultabo et lætabor in tua misericordia, » quia nimirum sperantes in Domino misericordia divina non deserit. Ex hebræo legunt recentiores, *odivi observantes vanitates*; et vere vox hebræa שנאתי significat *odivi*; sed Septuaginta et S. Hieronymus legerunt *sanetha*, quod significat *odisti*; proinde mutatio textus facta est post tempora S. Hieronymi. Sensus semper est verus, sed melius cohæret cum sequentibus nostra lectio; non enim recte conjungitur, *odivi vanitates*, cum illo, *ego autem speravi*.

9. QUONIAM RESPEXISTI HUMILITATEM MEAM, Vers. 9. SALVASTI DE NECESSITATIBUS ANIMAM MEAM.

10. NEC CONCLUSISTI ME IN MANIBUS INIMICI, Vers. 10. STATUISTI IN LOCO SPATIOSO PEDES MEOS.

Allegat præterita beneficia, ut, gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Sensus est : « Exultabo, et lætabor in tua misericordia, » quoniam pignus habeo misericordiæ, liberationem ex persecutione Saulis; tunc enim « respexisti humilitatem meam, » id est, abjectionem et afflictionem meam : hæc enim omnia significat vox hebræa עני. Salvasti etiam tunc animam meam, id est, de angustiis, in quibus necessario hærebam, neque inde me eximere poteram. In hebræo ad verbum est, *scivisti angustias animæ meæ*, sed sensus est idem; voluerunt enim Septuaginta non verbum verbo reddere, sed utcumque sententiam explicare. Idipsum reperitur, vel explicatur sequenti versiculo : « Nec conclusisti me in manibus inimici, » id est, non permisisti ut Saul, qui me quærebat ad necem, voto suo potiretur; sed « statuisti in loco spatioso pedes meos, » id est, fecisti ut ex angustiis, in quibus hærebam, libe-

ratus, ambulare possem quocumque vellem, quasi in aperto et libero campo constitutus.

Vers. 11. **11.** MISERERE MEI, DOMINE, QUONIAM TRIBULOR : CONTURBATUS EST IN IRA OCULUS MEUS, ANIMA MEA, ET VENTER MEUS.

Ex recordatione præteritorum beneficiorum orat pro futuris, et narrat calamitates suas. « Miserere mei, Domine, quoniam tribulor, » id est, sicut alias cum tribularer, misertus es mei, ita et nunc miserere mei, quoniam iterum me tribulatio invasit. Incipit deinde tribulationes præsentes enumerare. « Conturbatus est in ira oculus meus. » Illud, *in ira*, est ambiguum, nam potest intelligi de ira Dei, et de ira Davidis. Malim cum S. Augustino intelligere de ira Dei; constat enim ex lib. I et II *Reg.*, Davidem in persecutione Absalonis, et in omnibus aliis persecutionibus nunquam excanduisse, sed mitissimum et patientissimum semper fuisse. Itaque sensus erit, *in ira tua*, qua peccatum meum punis, *conturbatus est oculus meus*, id est, oculus corporalis præ lacrymis caligavit, vel, oculus interior obtenebratus est; conturbata est etiam *anima mea*, dum timore magno concussa est, et denique conturbatus est *venter meus*, venter, inquam, interior animæ meæ, id est memoria, quæ est receptaculum cogitationum. Ita breviter sanctus Propheta omnium trium animæ partium meminit, dum per oculum, intellectum, per animam, voluntatem, per ventrem, memoriam intelligi voluit.

Venter interior est memoria.

Vers. 12. **12.** QUONIAM DEFECIT IN DOLORE VITA MEA, ET ANNI MEI IN GEMITIBUS.

Ad senium jam David pervenerat, et vere dicit *defecisse vitam suam in dolore*, id est, ætatem consumptam in continuo mœrore, *et annos in gemitibus*. Nam primis triginta annis persecutiones fere continuas passus est; deinde ad regni gubernacula admotus, primis septem annis bellum gessit cum progenie Saulis; postea multa bella gessit tum cum vicinis nationibus, tum cum proprio filio. Denique ipsa gubernandi sollicitudo, si quis non perfunctorie, sed cum timore Dei serio fungi velit officio, gemere facit sub onere.

Vers. 13. **13.** INFIRMATA EST IN PAUPERTATE VIRTUS MEA, ET OSSA MEA CONTURBATA SUNT.

Præter afflictiones totius vitæ præteritæ, accessit hæc ultima tribulatio, in qua propter inopiam debilitatus vires pristinas amisit. Idem enim significat, *virtus infirmata est*, et, *ossa mea conturbata sunt*; nam per ossa intelligitur robur, sicut etiam per virtutem. Hæc ad litteram verissima esse, historia lib. II *Reg.* cap. XV, XVI et XVII, aperte docet. Fugit enim David sine ullo commeatu, et perrexit ad loca deserta, nec solum pedibus, sed etiam nudis pedibus iter fecit, unde postea ab amicis commeatu adjutus fuit. In hebræo pro *paupertate*, legitur בעוני, *iniquitate*, et sic vertit S. Hieronymus, *infirmata est in iniquitate virtus mea;* sed Septuaginta non legerunt עוני *havoni*, ut legit S. Hieronymus, sed עני, in qua voce sunt eædem litteræ, una dempta, sed puncta diversa, et illud *iniquitatem*, hoc *paupertatem* significat. Uterque sensus est verus; nam etiamsi debilitas ex inopia alimentorum nata erat, tamen inopia illa ex iniquitate persequentium, et iniquitas persequentium ex peccato Davidis, quod eo modo puniebatur a Deo, sine dubio procedebat.

14. SUPER OMNES INIMICOS MEOS FACTUS SUM OPPROBRIUM, ET VICINIS MEIS VALDE, ET TIMOR NOTIS MEIS. Vers. 14

Explicat aliam calamitatem suam ex notissima persecutione exortam, quod videlicet cœperit despici a vicinis populis, qui audierunt tam turpem ejus fugam : et noti ejus atque amici cœperint timere, ne si illi adhærerent, de vita periclitarentur apud Absalonem, si forte is victor evaderet. Quod attinet ad verba, illud, *super omnes inimicos meos*, in hebræo est מכל צרריו; sed Septuaginta et S. Hieronymus legerunt per iota, צררי, quod potest exponi, *ab omnibus inimicis meis;* item, *apud omnes inimicos meos :* quæ ultima expositio placuit S. Hieronymo, qui vertit ex hebræo, *apud omnes hostes meos;* et videtur etiam placuisse Septuaginta Interpretibus, nam verterunt, παρὰ πάντας τοὺς ἐχθρούς μου, quod significat, *ad omnes*, sive *apud omnes;* sed lectio latinæ editionis concordat cum secunda intelligentia vocis hebraicæ, quæ est valde propria; idem enim est, *præ omnibus*, et *super omnes*. Prima intelligentia placuit quibusdam recentioribus, qui exponunt, *ab omnibus*, id est propter omnes. Omnes intelligentiæ habent rectum sensum; itaque si legas, *super omnes inimicos meos*, sensus erit : *Ego factus sum opprobrium vicinis, et timor notis*, magis quam unquam has miserias passi sint ulli inimici mei, quamvis impii et injusti; et sic exponit S. Augustinus. Si legas, *apud omnes inimicos meos*, sensus erit : Scientibus et ridentibus inimicis factus sum opprobrium vicinis meis, et timor notis meis. Et hanc expositionem sequitur Theodoretus. Si legas, *ab omnibus inimicis meis*, sensus erit : Multitudo et sævitia inimicorum meorum effecit, ut essem opprobrium vicinis, et timor notis. Illa conjunctio *et*, cum dicitur *et vicinis*, recte restituta est Vulgatæ editioni; nam adest in hebræo et græco, et legitur ab antiquis Patribus.

15. QUI VIDERUNT ME, FORAS FUGERUNT A ME : OBLIVIONI DATUS SUM, TANQUAM MORTUUS A CORDE. Vers. 15.

Declarat id quod dixerat, *et timor notis meis*, quasi dicat : Multi ex notis meis, qui viderunt me ita fugientem et afflictum, *foras fugerunt*, id est, longe a me recesserunt, timentes vitæ suæ, si mihi jungerentur. Atque ita *oblivioni datus sum a corde*, id est, cor eorum non recordatur mei, neque de

me cogitat, non secus ac si mortuus et sepultus essem; existimant enim de me jam actum esse. In hebræo habetur interpunctio post particulam *foras*, hoc modo, *qui viderunt me foras*, fugerunt a me; et ideo quidam legi volunt, *foris*, non *foras* (vox enim hebræa utrumque significat), et sensum esse volunt, *qui viderunt me foris*, id est, extra palatium nudis pedibus, capite discooperto, sine ullo insigni regio, *fugerunt a me*. Sed quanquam hæc etiam intelligentia recta sit, tamen non cogimur admittere interpunctionem codicis hebraici, quæ addita est a Rabbinis, cum in græco nulla sit interpunctio, et Patres constanter legant *foras*, non *foris*.

Vers. 16. 16. FACTUS SUM TANQUAM VAS PERDITUM, QUONIAM AUDIVI VITUPERATIONEM MULTORUM COMMORANTIUM IN CIRCUITU.

Nec solum, inquit, amici et noti obliti sunt mei, et me dereliquerunt; sed etiam apud vicinos, qui in circuitu habitant, contemptui habitus sum quasi *vas perditum*, id est confractum, ad omnia inutile, quod vel inde patet, quia ego ipse vituperantes me audivi. Videtur autem hoc loco Propheta mentionem facere vituperationis Semei, qui in faciem illi maledicere, et in eum lapides jacere ausus est; nimirum existimavit Semei Davidem a regno ejectum nullius potentiæ deinceps futurum, sed tanquam vas inutile in cloacam projiciendum. Maledictio hæc describitur lib. II *Reg.* cap. XVI. Et quamvis in loco illo II *Reg.* solius Semei maledicentis mentio fiat, tamen credibile est plures alios eodem tempore male locutos fuisse de Davide, ut verum sit, quod hic dicitur de *vituperatione* multorum. In hebræo, pro *commorantium*, est מגור *mogor*, quam vocem S. Hieronymus vertit, *congregationem*, alii vertunt, *pavorem*; sed potest commode etiam verti, *commorationem*; nam verbum גור *gur*, unde fit *magor*, significat *commorari, incolere, peregrinari*, etc.; itaque sensus erit: *Audivi vituperationem multorum, commorationem in circuitu*, id est, qui habent commorationem in circuitu; sed Septuaginta sententiam clarius vertere voluerunt, ideo posuerunt, *multorum commorantium in circuitu*.

Vers. 17. 17. IN EO DUM CONVENIRENT SIMUL ADVERSUM ME, ACCIPERE ANIMAM MEAM CONSILIATI SUNT.

Narrat historia II *Reg.* cap. XVII, post maledictionem Semei, consilium initum coram Absalone, de Davide occidendo, atque hoc est, quod in hoc versiculo commemoratus quasi dicat Propheta: Dum in præsentia maledicor, et vituperantes me audio, in absentia mea consilium de me necando in Jerusalem initur.

Vers. 18. 18. EGO AUTEM IN TE SPERAVI, DOMINE, DIXI: DEUS MEUS ES TU, IN MANIBUS TUIS SORTES MEÆ.

Ostendit vir sanctus, inter tot angustias se non despondisse animum, propterea quod spem suam non posuisset in auxilio fallaci hominum, sed in Deo omnipotenti, cui nemo resistere potest. «Ego autem in te speravi, Domine;» quare? quia «dixi» in corde meo: «Deus meus es tu,» magnum habeo protectorem, sine cujus nutu nemo mihi vitam eripere potest. Nam «in manibus tuis sortes meæ,» id est, sortes vitæ, vel mortis meæ non pendent a sorte, sed a manu tua, id est, a potentia et voluntate tua. In hebræo habetur, בידך עתתי, *in manibus tuis tempora mea;* et fortasse quod nunc legimus in græco, κλῆροι, quod significat *sortes*, legendum esset, καιροί, quod significat *tempora*. Nam non desunt antiquæ versiones ex græco, quæ habeant *tempora mea*. Sic certe legitur in officio missæ non semel, et in Psalterio ecclesiæ S. Petri Romæ. Sensus autem est idem; nam *in manibus tuis tempora mea*, nihil est aliud, nisi a tua voluntate pendent tempora vitæ et mortis meæ; non vivam, nisi quamdiu; tu volueris, neque moriar, nisi quando tu volueris.

Vers. 19. 19. ERIPE ME DE MANU INIMICORUM MEORUM, ET A PERSEQUENTIBUS ME.

In hoc versiculo nulla est difficultas, et concordant omnes editiones.

Vers. 20. 20. ILLUSTRA FACIEM TUAM SUPER SERVUM TUUM, SALVUM ME FAC IN MISERICORDIA TUA; DOMINE, NON CONFUNDAR, QUONIAM INVOCAVI TE.

Eamdem petitionem inculcat, sed additis argumentis ad Deum flectendum appositis. «Illustra faciem tuam super servum tuum,» id est, ostende faciem tuam, sive respice in me: hæc enim omnia idem significant. Sicut enim propter peccata Deus nobis irascitur, et avertere dicitur faciem, sive nubem opponere, et nos non respicere: ita e contrario quando reconciliatur, dicitur convertere faciem, nosque respicere, et illuminare vultum suum super nos, ut nos luminosos efficiat. Petit igitur primum reconciliationem cum Deo, si forte adversus sit; et addit pro argumento, se servum ejus esse promptum ad ejus obsequium et obedientiam. Addit deinde: «Salvum me fac;» hoc enim sequitur post reconciliationem, ut salvum faciat, et liberet eum, cui reconciliatus sit, et adjungit argumentum, dicens: «In tua misericordia,» id est, non ob merita mea, sed ob misericordiam tuam. Addit postremo tertium argumentum: «Non confundar, quoniam invocavi te.» Pertinet enim ad bonum et fidelem Dominum, qui promisit auxilium confidentibus in se, ut non confundat eum, qui tanta fiducia ipsum invocare non cessat.

Vers. 21. 21. ERUBESCANT IMPII, ET DEDUCANTUR IN INFERNUM, MUTA FIANT LABIA DOLOSA.

Prophetica imprecatio est, et continuo adimpleta. Nam Achitophel, qui erat præcipuus consiliarius Absalonis, et consilium dederat perniciosissimum adversum David, dissipante Deo consi-

lium ejus, confusus est, et non ferens confusionem suam, laqueo se suspendit, et sic ad infernum deductus est impius, *et muta facta sunt labia dolosa.* Habetur historia lib. II *Reg.* cap. XVII. Vocatur autem Achitophel *impius*, quia filium ad necem patris concitabat; et labia ejus recte dicuntur dolosa, quia simulaverat longo tempore se amicum et fidelem Davidi, et postea oblata occasione perfidiam suam prodidit. In hebræo, pro *deducantur*, habetur ידמו *iddemu*, quod S. Hieronymus vertit *taceant*; sed Septuaginta non videntur legisse ידמו *iddemu*, sed *iddechu*, quod significat *expellantur*, a verbo נדח *nadach*.

Vers. 22. 22. QUÆ LOQUUNTUR ADVERSUS JUSTUM INIQUITATEM, IN SUPERBIA, ET IN ABUSIONE.

Hæc verba conjunguntur in hebræo cum superioribus in eodem versiculo; in nostra editione constituunt novum versum, sed quoad sensum pendent a superioribus: declarant enim labia illa dolosa Achitophelis juste obmutescere debuisse, quia *loquebantur contra justum*, id est, contra Davidem, qui nullam injuriam fecerat, neque ipsi Achitopheli, neque Absaloni; et loquebantur *iniquitatem*, id est, consilium iniquitate plenum, et hoc *in superbia et abusione*, id est, cum maxima arrogantia et contemptu. Pro *abusione*, tam in hebræo ובוז *vabuz*, quam in græco ἐξουδενώσει, est vox significans *contemptum*; et sic legunt S. Augustinus et Psalterium S. Petri. Proinde abusio in latina editione non est accipienda pro simplici abusione, sed pro ea quæ nascitur ex contemptu, sive pro ipso contemptu: dicitur enim Achitophel, hoc loco, *locutus esse in superbia et abusione*, quia superbe contemnebat Davidem, et sic abutebatur ejus nomine.

Vers. 23. 23. QUAM MAGNA MULTITUDO DULCEDINIS TUÆ, DOMINE, QUAM ABSCONDISTI TIMENTIBUS TE!

Vers. 24. 24. PERFECISTI EIS, QUI SPERANT IN TE, IN CONSPECTU FILIORUM HOMINUM.

Jam sanctus Propheta exauditum se sentiens, ac divina consolatione percepta, exclamat præ admiratione: « Quam magna multitudo, » etc. In hebræo solum habetur מה רב טובך, *quam multa bonitas*, sive *dulcedo!* sed Septuaginta explicare voluerunt admirationem Prophetæ, ideo dixerunt, *quam magna multitudo dulcedinis*, etc. Sed quia videtur quædam contradictio in his verbis, cum primo dicat, *quam abscondisti*, et deinde, *quam perfecisti in conspectu filiorum hominum*, ideo S. Augustinus conjungit illud, *in conspectu filiorum hominum*, non cum verbo *perfecisti*, sed cum verbo, *qui sperant*, ut sensus sit: Deus abscondit multam dulcedinem timentibus se, quam eis daturus est in alia vita, nunc interim sinens eos angustiis premi; eam vero dulcedinem *perfecit sperantibus in se in conspectu filiorum hominum*, id est, iis qui libere ostendunt hominibus se esse Dei servos, et sperare in Deo, et non timent confiteri id quod sunt. Theodoretus et Euthymius volunt conjungi illud, *in conspectu filiorum hominum*, cum verbo *perfecisti*, et hunc sensum tradunt: Deus tempore tribulationis abscondit a timentibus se magnam dulcedinem, id est, mercedem, et præmia, ut eos exerceat: sed paulo post eamdem mercedem et eadem præmia palam ostendit in conspectu filiorum hominum, ut servos suos bene sperare jubeat. Sic ad tempus Davidi abscondit dulcedinem, cum videlicet is fugeret filii persecutionem; sed paulo post perfecit illi suam bonitatem, cum eum reduxit in regnum cum maxima gloria. Idipsum accidet omnibus justis, quibus nunc absconduntur præmia, sed in die judicii palam apparebunt. Potest adferri etiam alius sensus: « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, » id est, vere multiplex est consolatio tua, Domine, quam infundis intus in abscondito cordis timentium te, id est, eorum qui te colunt et diligunt, et filiali timore venerantur. Hoc est enim « manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, » ut in cap. II *Apocalyps.* legimus. Hoc experiebatur qui dicebat *Psalm.* XCIII: « Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; » et ille, II *Corinth.* VII: « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » Et si tempore tribulationis tanta est multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriæ in corde triumphantis? « Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum, » id est, eam dulcedinem perfecisti, perfectam, cumulatam, copiosissimam infudisti in corde sperantium in te, qui videlicet renuunt consolari nisi in te: hoc autem totum fecisti « in conspectu filiorum hominum, » id est, ex adverso, sive ex opposito filiorum hominum, id est, quanto illi magis multiplicant dolores exterius, tanto tu magis multiplicas consolationes interius. Nam vox hebræa נגד *neghed*, et græca ἐναντίον proprie significat *e regione*, sive *ex opposito*, ut etiam notavimus in *Psalm.* XXIII; proinde, ut verbum hebraicum concordet cum latino et græco, illud, *in conspectu*, non tam referendum est ad visionem, quam ad oppositionem: illa enim dicuntur esse inter se in conspectu, quæ e diametro opposita se respiciunt. Sed et illud præterea verum est, hanc dulcedinem: infundi in cordibus timentium Deum, *in conspectu filiorum hominum*, id est, videntibus et stupentibus filiis hujus sæculi, qui filios Dei suis persecutionibus vexant: nam quamvis filii hominum, id est, carnales homines, non norint illam dulcedinem, imo ne suspicari quidem possint, qualis sit, cum palatum animæ nimis infectum habeant; tamen vident effectum ejus, dum intuentur, et obstupescunt patientiam, mansuetudinem, hilaritatem et pacem Sanctorum. Sic igitur miro modo datur Sanctis abscondita quædam dulcedo in conspectu filiorum hominum,

dum ea dulcedo in se latet, et in effectibus patet.

Vers. 25. 25. ABSCONDES EOS IN ABSCONDITO FACIEI TUÆ, A CONTURBATIONE HOMINUM.

Vers. 26. 26. PROTEGES EOS IN TABERNACULO TUO, A CONTRADICTIONE LINGUARUM.

Declarat modum quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt : id enim fit, cum Sancti per amorem et contemplationem rapiuntur in Deum, et in ipso Deo inveniunt domum refugii, juxta id quod in hoc eodem Psalmo dicitur : « Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii ; » qui enim in Deo delitescere norunt, nihili faciunt omnes tribulationes, ac si ad eos minime pertinerent. « Abscondes, inquit, eos, » videlicet timentes te, « in abscondito faciei tuæ, » id est, in loco abdito, quod est in facie tua : nam qui raptus est ad contemplandam faciem Dei, et qui se a Deo videri attentissime cogitat, quique observat nutus Dei, et qui pulchritudinem ejus considerans, accenditur in ejus amorem, jam habitat in latibulo tutissimo a conturbatione hominum, id est, ab omni malo, quo homines conturbari solent. « Proteges eos, » id est, eosdem timentes te, « in tabernaculo tuo, » id est, in te ipso, in quo et tu habitas. Deus enim non habet aliam domum, sive aliud tabernaculum in quo capi possit, nisi seipsum ; et qui per amorem et contemplationem in Deo habitant, altissimum posuerunt refugium suum, et non accedet ad eos malum, nec flagellum appropinquabit tabernaculo eorum, ut dicitur in Psalmo nonagesimo. Proteguntur autem in hoc tabernaculo ab omni malo, non solum factorum, de quo dictum est in superiori versiculo, sed etiam verborum, quod hic dicitur, « a contradictione linguarum, » quia nihil curant sermones hominum, qui Deum testem habent. Quod si facies Domini tam insigne latibulum sive tabernaculum est hominibus timentibus Deum, dum per speculum et in ænigmate cernitur, quid erit, quando videbitur sicuti est? tunc vere habitatio nostra erit in Jerusalem, quæ est visio pacis, de qua dicitur *Psalm.* CXLVII : « Qui posuit fines tuos pacem. »

Deus non habet aliam domum, quam seipsum.

Vers. 27. 27. BENEDICTUS DOMINUS, QUONIAM MIRIFICAVIT MISERICORDIAM SUAM MIHI IN CIVITATE MUNITA.

Quæ dixerat generatim de consolatione divina, quam viri justi in tribulatione percipiunt, applicat ad se, qui unus est ex illis ; et inde gratias agit Deo. « Benedictus, inquit, *sit* Dominus, quoniam mirificavit, » id est, mirabilem « misericordiam, » erga me ostendit, « in civitate munita, » id est, abscondens me in abscondito faciei suæ, quod est veluti civitas munitissima, ut jam mihi nihil nocere possit. S. Augustinus legit, *in civitate circumstantiæ*, in quo nescio quos latinos codices sit secutus. Nam vox hebræa מצור *matsor munitionem* significat, vox græca περιοχὴ *ambitum* designat ; atque inde S. Augustinus *circumstantiam* accepit : sed Theodoretus et Euthymius græci auctores intelligunt per *ambitum*, mœnia, sive aggeres, quibus civitates muniuntur, ut sensus sit : *in civitate ambitus*, id est, in civitate mœniis, vel aggeribus munita. Et S. Hieronymus non solum in versione ex hebræo, sed etiam in Commentario, ubi exponit versionem Septuaginta, legit, *in civitate munita*.

28. EGO AUTEM DIXI IN EXCESSU MENTIS MEÆ : PROJECTUS SUM A FACIE OCULORUM TUORUM. Vers. 28.

Accusat ipse se diffidentiæ, quam passus fuerat initio persecutionis. « Ego autem dixi in excessu mentis meæ, » id est, eo tempore, quo præ nimio terrore quasi mentis inops factus eram, dixi apud me : « Projectus sum a facie oculorum tuorum, » id est, non placet tibi, ut amplius regnem, vel ut diutius vivam, ideo abjecisti me a benigno aspectu tuo et favore, atque auxilio tuo solito me destituisti. Exstat dubitationis hujus vestigium in lib. II *Reg.* cap. XV : « Si invenero gratiam, inquit, in conspectu ejus, reducet me ; si dixerit mihi : Non places, præsto sum, faciat mihi quod bonum est coram se. » Pro voce, *in excessu mentis*, in hebræo est בחפזי, quod ad verbum significat, *in festinando me*, id est, *dum festinarem*, sive *in obstupescendo et pavendo me*, id est, dum obstupescerem et paverem : nam verbum חפץ significat *festinare*, et *obstupescere*, ac *pavere*, et omnia sunt vera ; nam David illud dixit, cum festinaret egredi ex Jerusalem, et pavore ac stupore correptus esset. Hunc stuporem Septuaginta verterunt, *exstasim*, atque Latini *excessum mentis*.

29. IDEO EXAUDISTI VOCEM ORATIONIS MEÆ, DUM CLAMAREM AD TE. Vers. 29.

Sententia perspicua est : ideo, inquit, ne diffiderem de bonitate tua, cum me in tanta consternatione videres, continuo « exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. » Illud, *ideo*, posset etiam verti *vere*, sive *certe* : est enim adverbium multa significans.

30. DILIGITE DOMINUM, OMNES SANCTI EJUS, QUONIAM VERITATEM REQUIRET DOMINUS, ET RETRIBUET ABUNDANTER FACIENTIBUS SUPERBIAM. Vers. 30.

31. VIRILITER AGITE, ET CONFORTETUR COR VESTRUM, OMNES QUI SPERATIS IN DOMINO. Vers. 31.

Hortatur in fine Psalmi homines pios, qui similia patiuntur, ut non cessent diligere Dominum, atque in eo sperare, quoniam etiamsi ad tempus impii videantur impune grassari, tamen brevi pœnas acerbissimas dabunt. Illud, *veritatem requiret Dominus*, S. Hieronymus vertit, *fideles servat Dominus*. Vox hebræa utrumque significat, *veritatem*, et etiam *fideles*, et sensus in idem recidit. Illud, *abundanter*, in hebræo et latino ambiguum est, utrum conjungi debeat cum verbo *retribuet*, an cum verbo *facientibus* ; sed ex græco apparet conjungendum esse cum verbo *facientibus* ; et eodem

modo S. Hieronymus vertit ex hebræo : *Retribuet*, inquit, *his qui satis operantur superbiam*; et S. Augustinus, *retribuet his qui multum superbiunt* : eodem modo Theodoretus, et alii veteres.

PSALMUS XXXII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Ipsi David intellectus.*

1. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.

6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me : exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

8. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris : firmabo super te oculos meos.

9. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10. Multa flagella peccatoris ; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11. Lætamini in Domino et exultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde.

V. s. h. — *David erudito.*

Beatus, cui dimissa est iniquitas, absconditum est peccatum.

Beatus homo, cui non imputabit [al. *imputavit*] Dominus iniquitatem : nec est in spiritu ejus dolus.

Quia tacui, attrita sunt ossa mea, in rugitu meo tota die.

Die enim et nocte gravatur super me manus tua : versatus sum in miseria mea, cum exardesceret messis. JUGITER.

Peccatum meum notum facio tibi : et iniquitatem meam non abscondi.

Dixi : Confitebor scelera mea Domino, et tu dimisisti [*h. abstulisti*] inquitatem peccati mei. SEMPER.

Pro hac orat omnis sanctus [*h. misericors*] ad te : ad tempus inveniens ;

Ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.

Tu [al. add. *es*] protectio mea, ab hoste custodies me, laus mea salvans : circumdabis me. SEMPER.

Erudiam te, et illuminabo tibi viam per quam ambules : cogitabo de te oculo meo.

Nolite fieri sicut equus et mulus quibus, [al. *in quibus*] non est intelligentia.

In camo et freno maxillas ejus constringis, ut non appropinquet ad te.

Multi dolores impii : confidentem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exsultate, justi : et laudate, omnes recti corde.

Argumentum. — Docet vates beatos illos esse, qui peccatorum veniam obtinuerunt, quod probat ex conscientiæ terroribus, quibus, dum in peccato esset, urgeretur, affirmans se a peccatorum pœnis sincera confessione esse liberatum et veniam assecutum. Inde consilium tribuit, ut qui a malis liber et immunis esse cupiat, sponte ac libenter divinis monitis obsequatur : improbis enim mala, bona bonis Jovam dispensare. Scriptum esse hoc carmen post veniam impetratam propter adulterium cum Bethsaba et cædem Uriæ (II *Sam.* XII), interpretum plurimorum est opinio. Leve est quod quidam opponunt, ex ea narratione Davidem delictum suum non professum, sed a Nathane ob illud accusatum esse : nam *coram Deo delicta sua confiteri* (vers. 5), quid est aliud quam confiteri *coram seipso*, *agnoscere* delicta? Davidem vero, priusquam a Nathane reprehenderetur, culpam animo pœnitentia commoto agnovisse, documento est II *Sam.* XII, 13. Cæterum strophæ quatuor : vers. 1-2, beati qui peccatorum veniam obtinuerunt ; vers. 3-5, vatis angustia in peccato constituti ; vers. 6-8, ejusdem felicitas liberati a peccato ; vers. 9-11, sincero ac fidenti animo Deum adeant pii.

Davidis carmen, doctrina.

Beatus cujus ablatum est delictum,
tectum penatum!
2. Beatus homo, *cui* non imputat Jova culpam,
et in cujus animo non est dolus!

3. Dum silerem, marcescebant ossa mea,
(ex) suspiritu meo per totum diem.
4. Nam diu noctuque incumbebat mihi manus tua,
et mutabatur (corrumpebatur) succus meus (vitalis) *tanquam* in siccitatibus æstatis.
5. *Tum* peccatum meum notum tibi feci, et culpam meam non texi (celavi);
dixi : « Confitebor Jovæ delicta mea; »
et tu condonasti (propr. *abstulisti*) iniquitatem peccati mei.

6. Propterea te suppliciter orabit omnis pius
tempore inveniendi (*te,* vel *tuam gratiam*);
inundatio aquarum magnarum (absolute positum)
ad eum non pertingent (aquæ).
7. Tu *es* latibulum mihi, ab angustia liberas me;
cantionibus (seu *jubilis*) liberationis circumdas me.
8. « Edoceam te et instruam te in *qua* via ambules;
consulam *tibi* in te *directo* oculo meo. »

9. Ne *ergo* sitis instar equi, instar muli, *cui* non est intellectus;
cum freno et capistro (iis instructus) *est* ornatus ejus ad constringendum *eum :*
alioquin non *est illi* appropinquare (pro substantivo) ad te.
10. Multi dolores impio;
sed qui fiduciam collocat in Jovam, eum gratia ille circumdat.
11. Lætamini de Jova (patrono) et exsultate, justi;
et jubilate, omnes recti corde.

NOTÆ.

Vers. 1. *Doctrina :* vid. quæ observavimus ad Ps. XIV, 1. — Vers. 2. *Dolus :* ille est qui serio et sincere coram Jova sua exponit delicta; vel, qui non simulat se innocentem, quum sit malorum sibi conscius. — Vers. 3. *Silerem,* peccatum meum non confiterer. — Vers. 4. *Manus Jovæ* plagas ejusdem denotat. Crelier, *mon suc était tourné en la sécheresse de l'été.* Græcus interpres accepit ל pro servili in *leshadi,* a *shod;* legit autem *becharboni* a *chereb,* gladius, et *gots* pro *gaits.* — Vers. 5. *Confitebor,* etc. propr. *profitear de delictis.* Pro *halei* Alexandrinus legit *halai, adversus me.* — Vers. 6. Post *inveniendi* additur in hebr. *raq,* quam vocem Ewaldus cum plerisque vertit *tantummodo,* scil. dum adhuc inveniendum te præbes, juxta illud *Isai.* LV, 6; Rosenmullerus, *tenuitatem,* hinc *teneritudinem, teneram clementiam;* Maurer jungit cum seqq., hoc modo : *tantum... ad eum,* ad eum unum. — Vers. 7. Pro *thitsereni* Alexandrinus legit *thatsoureni,* a *tsour, pressit.* In altero membro legit, *ranni phalteni missobebeni.* — Vers. 8. Est vox Dei Davidem alloquentis : ita Ewaldus et Hengstenberg. Minus placet aliorum sententia, esse vocem Davidis, ad vers. 6 redeuntis, et peccatori, qui in pari secum hæreat impœnitentiæ periculo, sana consilia tribuentis. *In te,* etc. : conf. *Gen.* XLIV, 21; *Jerem.* XXIV, 6. Vocis *iiatsah* (a rad. *iaats*) radicem fecerunt *atsah* Alexandrini. — Vers. 9. *Ornatus :* Alexandrinum et S. Hieronymum sequitur Ewaldus. — Vers. 10-11 : conf. de Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg,* tom. I, p. 238 (edit. 1821).

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Ipsi David, Intellectus.

Hic titulus indicat Davidi post commissum peccatum, per Dei gratiam apertos fuisse oculos mentis, ut intelligeret quam graviter deliquisset, quod antea carnali delectatione occæcatus, intelligere non potuerat. Indicat etiam idem titulus Psalmum esse obscurum, atque ad eum penetrandum dono intelligentiæ opus esse. Jure hic idem Palmus a S. Gregorio et aliis inter septem pœnitentiales numeratur, cum totus consumatur in peccato proprio deflendo, et in cohortandis hominibus ad pœnitentiam.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. BEATI, QUORUM REMISSÆ SUNT INIQUITATES, ET QUORUM TECTA SUNT PECCATA.

Vers. 2. 2. BEATUS VIR, CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM, NEC EST IN SPIRITU EJUS DOLUS.

Nemo melius novit quam dulcis sit sanitas, quam is, qui amissam deflet. Propheta David tunc primum vere agnovit quam dulce sit carere peccatis, quando amaritudinem peccati gustavit. Hæc est causa cur Psalmum pœnitentiæ ordiatur a laude indulgentiæ et innocentiæ: hæc enim sanam reddunt animam, et opponuntur ægrotationi, quæ contrahitur ex peccatis. Incipit ab indulgentia, tum ut a minoribus ad majora progrediatur, tum quia illa erat recentissima ejus sanitas. « Beati quorum remissæ sunt iniquitates. » Exclamatio est, et prædicatio boni, quod est in indulgentia, quasi dicat: O quam sunt illi felices, qui posteaquam peccaverunt, non despiciuntur a Deo, sed per gratiam ejus excitati, convertuntur ad pœnitentiam, et perveniunt ad indulgentiam! « Et quorum tecta sunt peccata; » idem repetitur aliis verbis; nam peccata, cum remittuntur, absconduntur et teguntur, ut nusquam appareant; sed de hac voce paulo post plura dicemus. « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. » Transit ab indulgentia, quæ est multorum, ad innocentiam, quæ est paucissimorum, ac dicit: O vere beatus ac felix, quicumque ille est, qui nihil fecit, quod in peccatum reputari potuerit, cui proinde Dominus, cujus rectissimum judicium est, nihil omnino ad peccatum imputavit. Nec solum facto non peccavit, sed « nec dolus inventus est in spiritu ejus, » id est, neque verbo, neque cogitatione peccavit: spiritus enim ad utrumque spiritum referri potest: ad illum, quo sapimus, et dicitur cor, aut mens, et ad illum quo loquimur, et dicitur spiritus oris, sive labiorum. De priore dicit Apostolus I *Cor.* II: « Quis enim scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? » De posteriore, I *Cor.* XIV: « Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente. » Porro innocentiam hoc loco intelligimus, non naturalem, vel operibus propriis sine dono Dei acquisitam, quæ nulla est; sed eam, quam Deus paucis quibusdam singularis gratiæ suæ dono impertivit, quibus ita remisit peccatum aliena voluntate contractum, id est originale, ut non permiserit eos peccatum mortiferum propria voluntate committere; quod est genus excellentius remissionis. Proinde omnis innocentia annexam habet remissionem aliquam peccati, et de omnibus, Christo excepto, dici potest: « Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei. » Itaque Apostolus *ad Rom.* IV, hunc Psalmi locum adducit ad probandum, neminem justificari ex operibus præcedentibus gratiam; et ait: « Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei: sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. » Quibus verbis Apostolus Prophetam exponit, ac dicit Davidem non vocare beatos eos, qui propriis operibus justitiam adepti sunt; sed eos, quibus Deus per gratiam peccata remisit, justitiamque donavit. Porro videtur mihi Propheta singulares quosdam homines respexisse, cum ait: « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, » etc., videlicet S. Job, qui de se ait cap. XXVII: « Non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. » Item Abelem, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, quorum nulla peccata in Scripturis leguntur. Fortasse etiam in spiritu prævidebat Jeremiam, et Joannem Baptistam in utero sanctificatos, et ipsam Deiparam Virginem excellentiori privilegio, a peccato originali et ab omni actuali præservatam. Quod attinet ad verba, in hebræo habetur in singulari, אשרי נשוי פשע, *beatus, cui remissa est iniquitas, et cujus tectum est peccatum*; sed mutatis punctis potest legi: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*; quam lec-

Innocentia sine dono Dei acquisita nulla est.

tionem esse verissimam, satis magno argumento nobis est editio Septuaginta ab Apostolo confirmata. Rursus in codice græco habetur, ἐν στόματι αὐτοῦ, *in ore ejus*, pro eo quod est in hebræo et in latino, *in spiritu ejus*: sed S. Hieronymus in epistola *ad Suniam et Fretellam* testatur illud, *in ore ejus*, esse ex translatione Symmachi; Septuaginta vero, et omnes alios Interpretes vertisse, *in spiritu ejus*, ut in hebræo. Hæretici hujus temporis tria falsa dogmata ex his versiculis statuere conantur: ac fortasse Spiritus Sanctus ideo titulum fecit huic Psalmo, *Intellectus*, quia prævidebata multis perperam intelligendum. Dicunt igitur illi, justificationem in sola peccatorum remissione, non in justitiæ infusione consistere. David enim absolute dicit, *beatos*, id est justos, *quibus sunt remissa peccata*. Addunt præterea hanc ipsam remissionem peccatorum, non esse remissionem peccatorum veram, sed imputativam, qua videlicet Deus non tollat peccata, sed tegat, et non imputet. Denique colligunt ex hoc loco, nullam esse necessariam satisfactionem post remissionem culpæ: quia si pœnam, quamvis temporalem, exigeret Deus ab homine justificato, non vere diceret se non imputare peccatum: quomodo enim non imputat, si punit? Sed Propheta sanctus, qui in titulo posuit, *Intellectus David*, intelligebat omnino remissionem peccati non fieri a Deo sine infusione justitiæ, ac per hoc intelligebat per justificationis gratiam homines fieri ex impiis, non solum non impios, sed etiam vere justos: sicut enim sol corporalis non expellit tenebras, nisi lucem infundat, sic etiam sol justitiæ, et Pater hominum non remittit peccata nisi per gratiam, sive justitiam, quam infundit. Quare S. Paulus, *ad Rom.* IV, citans hunc locum Psalmi: «Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,» ita loquitur: «Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus;» quibus verbis Apostolus indicavit, in remissione, seu non imputatione peccati, vere includi justitiam. Sed tam prior, quam posterior error adhuc apertius refellitur, declaratione vocum *tegi*, et *non imputari*. Dicuntur enim peccata tegi hoc loco, non quod sint, et non videantur, sed quod abolita sint, et eorum loco justitia successerit: et ideo vere tecta sint, et abscondita etiam oculis Dei, cui nihil tegi, vel abscondi potest eorum quæ usquam exstant. Quocirca idem Propheta variis metaphoris utitur ad remissionem peccatorum significandam, ut quod uni deest per alteram suppleatur; sed illa præter cæteras insignis est in *Psalm.* L: «Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.» Quo loco dicitur peccatorum remissio non solum tegere maculam, sed vere abluere, et non solum vere abluere, sed addere nitorem; nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur. Quid est autem tollere maculam, et addere nitorem, nisi tollere peccatum, et infundere gratiam? quid auferre nigredinem, et ponere candorem, nisi auferre injustitiam, et donare justitiam? Quod idem legimus in cap. I *Isaiæ*: «Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.» Porro SS. Patres, Gregorius Nazianzenus, oratione *in sanctum lavacrum*; Augustinus, et Gregorius Papa in commentario hujus Psalmi, ut ostendant peccata tegi, non esse manere, et non videri, sed plane tolli, ut ideo non videantur, quia non sunt; dicunt peccata tegi a Deo in justificatione, quomodo vulnera teguntur emplastro a medico, per quod emplastrum ita vere curantur et tolluntur, ut nusquam appareant. Origenes quoque lib. IV *in Epist. ad Rom.*, et Theodoretus in hunc locum, dicunt his vocibus significari, peccatum ita funditus eradicari, ut ne vestigium quidem remaneat. Jam vero quod attinet ad vocem imputationis, toto cœlo aberrant adversarii. Peccata enim non imputari in Scripturis sanctis est, non adscribi ad reatum, sive non referri in rationes, quod vulgo italice dicimus: *Non si mettere a conto*. *Sap.* XII: «Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?» id est, quis exiget a te rationem, si perierint omnes homines? vel quis te ob hoc reum faciet? Et *Ezechiel.* XXXIII, de peccatore pœnitente dicit Deus: «Omnia peccata quæ peccavit, non imputabuntur ei,» id est, non reddet rationem de eis. II *Paralip.* XXX: «Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt,» id est, facile condonabit, nec revera exiget rationem de eo quod minus parati sint. *Job.* XLII: «Ut non imputetur vobis stultitia. II *Timoth.* IV: «Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur;» et in epist. *ad Philem.*: «Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa, ego reddam,» id est, adscribe rationibus meis, ego debitor tuus esse volo. Cæterum duobus modis potest non imputari peccatum. Primo, si revera aliquis non peccaverit, et proinde nihil debeat, et hoc modo intelligitur id quod ex libro Sapientiæ citavimus: «Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?» Nam etiamsi perirent omnes homines, non culpa Dei perirent, proinde non posset hoc imputari Deo. Et eodem modo nos supra exposuimus verba Davidis: «Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,» id est, qui nihil mali propria voluntate fecit, ob quod reus ac debitor sit coram Deo. Secundo, si peccatum remissum et condonatum fuerit, ut jam non sit, quod imputetur, et sic intelliguntur omnes aliæ sententiæ supra citatæ; et sic etiam multi intelligunt locum Psalmi: «Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,» id est, beatus vir a quo Deus non vult exigere rationem peccati, quia jam illud remisit et donavit; et hanc expositionem non rejicimus, sed superiorem anteponendam existimamus, quia melius continuatur cum verbis sequentibus: «Non est in spiritu ejus dolus.» Ter-

Tria hæreticorum dogmata: primum, in sola peccatorum remissione justificationem consistere.

Quid sit peccata tegi?

Quid sit peccata non imputari?

Duobus modis potest peccatum non imputari.

Non imputari peccatum in sensu hæreticorum, non habetur in Scriptura.

tius modus imputationis, quem finxerunt hæretici, ut non imputari peccatum, sit peccatum quidem hærere in anima peccantis, sed non reputari peccatum a Deo, nullo exemplo Scripturæ probari potest, sed apertissime potius improbatur, cum Scriptura dicat, tum alibi, tum Psalmo V: « Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium; » nam si Deus odit, et vult perdere iniquos, certe dum manet in eis iniquitas, imputatur eis peccatum. Et quis credat Deum justum judicem, et qui non accipit personas, non imputare peccatum, sed imputare justitiam eo tempore, quo homo adhuc in sordibus peccati versatur, et quidquid agit, ex Lutheranorum placitis, peccatum est? Pulchre S. Justinus Martyr in dialogo *cum Tryphone*, refellens errorem similem errori Lutheranorum, ait: « Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, » id est, cui pœnitenti Deus peccata remittet, non sicut prædicatis vosmetipsos fallentes, et alii quidam vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non imputabit eis Dominus peccata: hæc ille. Hoc quod diximus de non imputatione peccati, potest ostendi ex contrario de imputatione justitiæ. Nam imputari justitiam in Scripturis, non est reputari hominem justum, cum revera justus non sit; sed est reputari justum divino judicio, quod falli nequit, eum qui verissime justus sit. Siquidem illud *Genes.* XV : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, » quod allegatur ab apostolo Paulo *ad Rom.* IV, et ab apostolo Jacobo cap. II, nihil aliud significat, nisi actum illum credendi fuisse in Abrahamo opus justum, et pro tali reputatum a Deo. Et illud *Psalmi* CV: « Stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio, et reputatum est ei ad justitiam in generationem et generationem usque in sempiternum, » quid aliud significat, nisi zelum illum Phinees, quo interfecit impios quosdam, fuisse opus justissimum, et a Deo pro tali habitum, ut propterea confirmaverit filiis et nepotibus Phinees sacerdotium in longissima tempora? Eodem pertinet illud quod est in cap. IV *ad Rom.* « Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. » Quid enim hoc est, nisi mercedem juste deberi ei, qui operatur opus dignum mercede? non igitur imputari est reputari, ac si esset, sed reputari sicuti est. Et quod in eodem loco sæpius repetit Apostolus, *fidem reputari ad justitiam*, non significat fidem non esse, sed reputari justitiam: sed significat fidem per charitatem operantem verissimam esse justitiam, non ex operibus gratiam præcedentibus acquisitam, sed a Deo donatam et infusam, ideo pro vera justitia a Deo reputari et acceptari. Sic igitur peccatum non imputari, non significat, peccatum manere, sed non puniri : sed significat nihil esse in homine justificato, quod in peccatum reputari possit. Ex his facile intelligitur unico verbo solvi posse, quod Lutherani objiciunt de satisfactione: nam si non imputetur peccatum, quia innocenter aliquis vixit, non mirum erit, si nulla satisfactio requiratur ab eo, cui hoc modo peccatum non imputatur : sin autem non imputatur, quia remissum est per gratiam, tum si remissum fuerit quoad culpam et pœnam æternam, non imputabitur ad culpam et pœnam æternam, sed adhuc imputabitur ad pœnam temporalem : sicut factum videmus in Davide, cui dictum est a Propheta: « Dominus transtulit peccatum tuum a te, non morieris; sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morietur. » Ubi videmus non imputari peccatum quoad mortem propriam, et imputari quoad mortem filii ; et Davidem fuisse justificatum, et tamen debuisse dolorem magnum de morte filii tolerare, in pœnam peccati commissi. Quod si aliquando peccatum remittatur omnino quoad omnem pœnam, tunc etiam non imputabitur ad ullum reatum vel debitum.

Imputari ad justitiam quid sit?

3. QUONIAM TACUI, INVETERAVERUNT OSSA MEA, DUM CLAMAREM TOTA DIE. Vers. 3.

Proposita beatitudine justificatorum, deflet miseriam suam, quasi dicat : Illi quidem sunt beati; sed ego miser sum, qui non solum innocentiam non servavi, sed longo tempore distuli per confessionem peccati indulgentiam quærere; et ideo post agnitam culpam meam, cœpi tam assidue clamare, et rugitu me ipse macerare, ut debilitata sint, et attrita ossa mea, id est, fere consumptum omne robur meum. « Quoniam tacui ; » revera longo tempore David peccatum adulterii tacuit, imo multis artibus occultare conatus est; primo enim Uriam multis modis inducere tentavit, ut cum uxore propria dormiret, ut filius ex adulterio conceptus, ipsius Uriæ proprius putaretur. Et cum Urias ad domum propriam accedere nollet, adjecit David crimen homicidii, ut Uria sublato, et illius vidua in uxorem continuo ducta, partus, qui post novem menses exspectabatur, crederetur esse Davidis non adulteri, sed mariti. Nec tamen vidua illa in uxorem assumpta, continuo David peccatum confessus est, sed exspectavit ut filius nasceretur. Et ne tunc quidem peccatum deflere cœpisset, nisi a propheta Nathan admonitus fuisset. Itaque annum fere integrum, et fortasse etiam diutius David in cœno peccati jacuit, et confessionem distulit. Propterea dicit : « Quoniam tacui, » et non continuo peccatum confessus sum, sed abscondere et occultare volui; ideo « inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die, » id est, post agnitum peccatum tota die pro indulgentia clamare cœpi, et tam diu, ac tanto affectu clamavi, ut ossa mea debilia et vetusta facta sint. Vox hebræa בלו *balu* significat *inveteraverunt*, et etiam *consumpta sunt*, sive *attrita sunt*, ut vertit S. Hieronymus; proinde illud, *inveteraverunt*, non est referendum ad tempus, sed ad debilitatem, quomodo accipitur illud *Thren.* III : « Vetustam

Peccata multa quæ David commisit in uno suo peccato.

fecit pellem meam, » id est attritam, nigram, etc. Illud etiam, *dum clamarem*, in hebræo ad verbum est, *dum rugirem*. Ex quo intelligimus clamorem illum fuisse clamorem doloris et compunctionis, qui recte rugitus dici potest; non autem clamorem exultantis in peccato, vel superbe jactantis peccata sua, ut aliqui exponunt. Neque putamus fuisse rugitum ex corporali morbo, ut alii volunt : non enim Scriptura prodit Davidem ægrotasse illo tempore; et aliquid sine Scripturæ testimonio affirmare, divinare est; sed rugitum pœnitentiæ, ut cum Theodoreto nos exposuimus.

Vers. 4. 4. QUONIAM DIE AC NOCTE GRAVATA EST SUPER ME MANUS TUA : CONVERSUS SUM IN ÆRUMNA MEA, DUM CONFIGITUR SPINA.

Multa mala propter peccatum Davidi contigerunt.

Multa mala propter peccatum Davidi contigerunt: nam filius natus ex adulterio infans mortuus est, et filia nomine Thamar ab Amon fratre per incestum polluta est, et idem Amon ab Absalone fratre occisus est, et Absalon adversus patrem dimicans, et ipse cæsus est : quæ omnia summos dolores Davidi attulerunt, ut II lib. *Regum* narrat historia. De his igitur divinis flagellis dicit : « Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, » id est, assidue, sine intermissione flagella super me ingeminare non cessas : dicitur enim gravare manus super aliquem, qui non leniter eum, sed graviter percutit. « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina, » id est, propter hujusmodi flagella conversus sum ad cogitationem gravitatis peccati mei in ærumna mea, dum spina tribulationis configitur mihi, id est, tribulatio atque ærumna mentis oculos aperuerunt, quos carnis illecebra et voluptas clauserant. Posset etiam per spinam intelligi cum S. Hieronymo stimulus conscientiæ, ut sensus sit, *conversus sum in ærumna mea*, dum stimulus conscientiæ pungit. In hebræo et græco additur *mihi*, *dum configitur mihi spina*; ideo in latino subintelligi debet. In hebræo habentur alia verba atque alius sensus, *conversus est viror meus in siccitates æstatis*, id est, omnia mea bona perierunt, quomodo viror et humor in æstate solis ardore siccatur et perit. Sed Septuaginta legerunt aliter, quam nunc habeatur in codicibus hebraicis; nam pro נהפך לשדי, *conversus est viror meus*, legerunt נהפכתי לשדי, quod est, *conversus sum in ærumna mea*, et sic etiam legit S. Hieronymus, qui vertit ex hebræo, *versatus sum in miseria mea*. Illud vero quod sequitur, בחרבוני קיץ, *in siccitates æstatis*, legunt Septuaginta בחרבוני קוץ, *dum adurit me spina*, quod idem est cum eo, quod nos habemus, *dum configitur spina*; dum enim configitur spina, certe adurit et vastat, quod significat verbum חרב *charab*. Itaque minima mutatione punctorum, et unius vel alterius litteræ similis, videmus inveniri posse lectionem, quam Septuaginta Interpretes habuerunt; veriorem autem esse lectionem, quæ erat in codicibus Septuaginta Interpretum, ea quæ nunc est in codicibus nostris, quibus Rabbini puncta addiderunt, dubitare non possumus.

Vers. 5. 5. DELICTUM MEUM COGNITUM TIBI FECI, ET INJUSTITIAM MEAM NON ABSCONDI.

Ex conversione ad cognoscendam peccati magnitudinem, de qua dixit in versiculo superiori, factum est ut peccatum suum non amplius taceret, neque occultaret, sed palam confiteretur Deo et hominibus. In hebræo habetur in futuro אודיעה, *cognitum faciam*; sed ponitur futurum pro præterito, cujus temporis est verbum, quod sequitur, כסיתי *kissithi*, *abscondi*. In græco non habetur *tibi*, sed in hebræo habetur, et in græco subintelligitur. Porro illud, *cognitum tibi feci*, non significat Deo fuisse ignotum, antequam David illud confiteretur, sed loquitur more humano. Judex enim etiamsi sciat delictum rei, quia ipse vidit fortasse illud committi; tamen non dicitur scire juridice, nisi reus ex testimonio plurium testium sit convictus, aut ipse reus aperte confiteatur, adactus fortasse ad confessionem per tormenta. Sic igitur Deus viderat quidem Davidem peccantem, sed volebat eum aperte confiteri; ideo flagella quasi quæstionem adhibuit. Tum vero David confiteri cœpit, nec ait solum, *peccavi Domino*, quod ante flagella dixit privatim ad Nathan prophetam; sed publice notum fecit Domino peccatum suum, id est, juridice confessus est, et per scripturam Psalmorum toti mundo peccatum suum manifestavit; ideo verissime addit : « Et injustitiam meam non abscondi. »

Judex reorum peccata quando dicatur cognoscere ?

Vers. 6. 6. DIXI : CONFITEBOR ADVERSUM ME INJUSTITIAM MEAM DOMINO, ET TU REMISISTI IMPIETATEM PECCATI MEI.

Ad solatium pœnitentium declarat ineffabilem Dei misericordiam, quam in se ipse expertus est. Quamvis enim Deus, « qui lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, » I *Joan.* II, summo odio prosequatur tenebras peccatorum, et nisi peccator resipiscat, paratus sit eum projicere in tenebras exteriores ad summum et sempiternum cruciatum : tamen ita propensus est ad ignoscendum, si quis ex corde pœnitentiam agat, ut ipsam etiam confessionem miserendo et parcendo præveniat. Videtur respicere tempus illud, quo Nathan propheta Dei nomine exprobravit illi peccatum suum; et ipse continuo compunctus, dixit II *Reg.* XI : « Peccavi Domino, » et Nathan subjunxit : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. » Videns enim tam subitam indulgentiam, cogitavit quod erat verum, remissionem peccati priorem fuisse ipsa confessione, sed non priorem interna contritione, in qua simul fuit odium peccati, amor Dei, propositum confitendi et satisfaciendi : « Dixi, confitebor, » id est, compunctus corde statui continuo confiteri « adversum me iniquitatem meam, » neque

reum et peccatorem aperte fateri; et tu non expectasti vocem illam, qua dixi : « Peccavi Domino, » sed ex paterna et ineffabili benignitate, « remisisti impietatem peccati mei : » quod ex propheta tuo Nathan cognovi, qui ait : « Dominus transtulit peccatum tuum a te. » In hebræo habetur עון חטאתי, *iniquitatem peccati mei;* in græco, *impietatem cordis mei*, et sic legunt veteres in Commentariis, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Latinus Interpres videtur accepisse *impietatem*, ex græco, τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, *et peccati mei* ex hebræo. Sed omnia in idem recidunt : nam impietas cordis dicitur, quia corde concipitur; impietas peccati dicitur, quia peccando committitur. Idem etiam Davidis peccatum, et fuit iniquitas respectu Uriæ, et fuit impietas respectu Dei.

Vers. 7. 7. PRO HAC ORABIT AD TE OMNIS SANCTUS IN TEMPORE OPPORTUNO.

Vers. 8. 8. VERUMTAMEN IN DILUVIO AQUARUM MULTARUM, AD EUM NON APPROXIMABUNT.

Exemplo suo dicit Propheta multos futuros, qui discant orare Deum pro indulgentia peccatorum, ut hoc modo liberentur a magnis malis quibus aliquando peccatores involvendi sunt. «Pro hac,» græci interpretes, Theodoretus et Euthymius, et cum eis S. Augustinus exponunt, *pro hac impietate* quia impietas græce et latine est generis feminini; sed vox hebræa est generis masculini, et non concordat cum ea illud, *pro hac*, quod etiam in hebræo est generis feminini, על זות; ideo cogimur dicere, « pro hac,» significare, *pro hac re*, sive *pro hoc* : nam Hebræi utuntur genere feminino pro neutro. Et posset etiam recte verti, *propter hoc*, sive *super hoc*. Itaque sensus erit : Hac de causa, id est, quia tu tam clementer ignoscis pœnitentibus, « orabit ad te, » id est, fiduciam te orandi sumet « omnis sanctus, » id est omnis pius, omnis vere pœnitens, qui incipiens odisse impietatem suam, incipit induere pietatem tuam. Orabit autem « in tempore opportuno, » id est, antequam tempus misericordiæ finiatur, dum hæc vita durat, dum ad pœnitentiam Deus invitat. « Quærite Deum, inquit Isaias, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est, » *Isai.* XXXV. Quod sequitur, duplicem habet sensum : unus est : « Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, » ut *in diluvio aquarum multarum*, aquæ illæ *ad eum non appropinquent*, id est, ut in die novissimo, quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera pœnarum, et præterierit tempus opportunum orationis et pœnitentiæ, tunc ipsi salvi sint ab ejus modi pœnis. Hic sensus in hebræo clarissimus est; sic enim ad verbum S. Hieronymus vertit, *pro hac orabit ad te omnis misericors tempus inveniens, ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.* Et hunc sensum sequitur Theodoretus, quamvis paulo aliter exponat, nimirum sic : *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno, ut cum inundaverint aquæ multarum tribulationum, ad illum non accedant*, id est, illum non perturbent, sed illis omnibus superior sit, easque imperterritus perferat. Alter sensus est : *Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, et recte ac sapienter faciet; nam *in diluvio aquarum multarum, cum inundaverint mala super omnes impios in die novissimo, sicut inundaverunt aquæ diluvii temporibus Noe*, tunc *impii ad eum*, id est ad Deum, *non appropinquabunt* : non enim erit amplius tempus opportunum; ideo Isaias ait : «Invocate eum dum prope est,» nam aliquando procul erit, ut ad eum appropinquare non possitis. Sic exponunt S. Augustinus et alii. Uterque sensus verus est, sed prior videtur magis litteralis; nam illud, *ad eum non approximabunt*, non videtur posse secundum litteram referri ad Deum, cum nulla sit facta mentio Dei in verbis præcedentibus. Itaque illud, *verumtamen*, pro copulativa particula accipiendum est, ut Euthymius recte monet; et vox hebræa רק non solum significat, *verumtamen*, sed etiam *certe, vere*, etc.

Vers. 9. 9. TU ES REFUGIUM MEUM A TRIBULATIONE, QUÆ CIRCUMDEDIT ME; EXULTATIO MEA, ERUE ME A CIRCUMDANTIBUS ME.

Accepta indulgentia quoad culpam, petit etiam indulgentiam quoad pœnam, liberationem videlicet a tribulatione, in quam incidit propter peccatum. Videtur autem loqui de persecutione, quam patiebatur ab Absalone filio, de qua in toto Psalmo superiore locutus est. Fortasse etiam loquitur de tentationibus dæmonum, quæ perpetuo nos circumdant et tribulant. « Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me. » Quasi dicat : Non habeo tutum refugium, nisi in misericordia tua, quoniam undique deficiunt amici, et undique cingor ab inimicis : ideo tu qui solus es « exaltatio mea, » id est, causa omnis meæ lætitiæ, erue me ad hostibus circumdantibus me. In hebræo habetur : *Tu es refugium meum ab angustia*, vel *ab hoste, custodies me : exultationibus liberandi circumdabis me.* Sed manifeste apparet puncta Rabbinorum, et aliquam litterarum mutationem totum hunc locum perturbasse. Septuaginta Interpretes non legerunt תצרני, *custodies me*, a נצר, sed יצרני, *obsidebit me*, sive *circumdabit me*, a צור, et futurum ponitur pro præterito; ideo verterunt, *quæ circumdedit me.* Neque legerunt רני פלט *ronne pallet, exultationibus liberandi*, sed *ronni pallet, exultatio mea libera*, sive *erue.* Sanctus quoque Hieronymus ex hebræo vertit, *laus mea;* unde legit, *ronni*, non *ronne*, ut hodie habetur in Bibliis hebraicis. Denique non legerunt Septuaginta תסובבני *thesobebeni, circumdabis me*, sed מסובבני *misobebeni, a circumdante me.*

Vers. 10. 10. INTELLECTUM TIBI DABO, ET INSTRUAM TE IN VIA HAC, QUA GRADIERIS : FIRMABO SUPER TE OCULOS MEOS.

Respondet Dominus orationi servi sui, ac pollicetur auxilium quod petebatur. Tria promittit : *primo*, prudentiam interiorem, ut possit cavere insidias hostium, et discernere amicos ab inimicis, dum dicit : « Intellectum tibi dabo, » id est, intelligentem et prudentem te faciam. *Secundo*, auxilium externum singularis providentiæ Dei, sine quo in multis periculis homines etiam prudentissimi versantur, et hoc significat illud, *instruam te in via hac qua gradieris* : nam in hebræo est, *ostendam tibi viam per quam ambules*; in græco vero, *comitabor te in via*, sive *simul tecum gradiar*. Ex quibus omnibus intelligimus illud, *instruam te in via*, significare directionem et ducatum in omnibus actionibus. Dicitur enim Deus ostendere viam, et comitari nobiscum, ut dux itineris, quando auxilio gratiæ suæ facit, ne erremus in via morum, et ne in pericula et insidias hostium, præcipue invisibilium, incidamus. *Tertio*, perseverantiam in gratia, quod est maximum beneficium et proprium electorum Dei : « Firmabo, inquit, super te oculos meos, » non avertam oculos a te, sed perseveranter et stabiliter oculo benignitatis te aspiciam; proinde auxilium internum prudentiæ, et externum providentiæ semper tibi aderit. In hebræo habetur, *deliberabo super te oculo meo*, sive, ut vertit S. Hieronymus, *cogitabo de te oculo meo*, sed mutatio unius puncti ex *oculo meo*, reddere potest *oculis meis*, vel *oculos meos*, itaque in illa voce nulla est difficultas. Suspicor autem pro voce אִיעֲצָה, *cogitabo*, vel *deliberabo*, Septuaginta legisse אֲעֲצֹם, *firmabo*, vel *roborabo* : quomodo enim fieri potest ut viri doctissimi per verbum יָעַץ, quod significat *deliberare, consilium inire, cogitare*, intellexerint *firmare*, et *roborare*? Si tamen lectio hebraica, ut modo se habet, cum græca et latina concilianda sit, oportebit subintelligere vocem *semper*, ut sensus sit, *cogitabo semper de te oculo mentis meæ;* quod est idem cum illo, *firmabo super te oculos meos*.

Vers. 11. 11. NOLITE FIERI SICUT EQUUS ET MULUS, QUIBUS NON EST INTELLECTUS.

Hortatur nunc demum Propheta fideles omnes tam bonos quam malos, ut ab exemplo suo discant mala, quæ consequuntur peccatum, et bona quæ consequuntur pœnitentiam et virtutem; ipse enim omnia expertus erat. Ac primum ad malos conversus dicit : « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, » id est, nolite duci solis sensibus, cum ratione præditi sitis : nolite sicut equi et muli hinnire ad uxores proximi vestri, sicut ego feci : nolite tanquam indomiti et feroces equi vel muli, pauperes atque humiles morsu et calcibus impetere, ut ego adversus Uriam feci.

Vers. 12. 12. IN CAMO ET FRENO MAXILLAS EORUM CONSTRINGE, QUI NON APPROXIMANT AD TE.

Prædicit mala, quæ eos sequentur, qui equos et mulos imitari voluerint; cogentur enim tribulationibus, vel ad Deum converti, vel certe impedientur, ne noceant aliis quantum vellent. Sed more prophetico hanc prædictionem exprimit David per modum imprecationis : « In camo, inquit, et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te, » id est, capistro et freno quasi equos et mulos coercebis, qui recusant, ut homines ratione præditi, sponte accedere ad te per obedientiam. Ridicule Calvinus contendit non esse legendum, *in camo*, sed *in lupato*, quasi multum intersit inter hæc vocabula, et quasi ipse sapientior sit Septuaginta Interpretibus, qui verterunt ἐν κημῷ, unde est nostrum, *in camo*; et S. Hieronymo, qui ex hebræo vertit, *in camo*; et S. Augustino, Theodoreto et aliis veteribus, qui omnes legunt *in camo*. Porro camus funem significat, sive capistrum, quo alligantur equi. Sed hoc loco metaphorica vocabula sunt *camus* et *frenum*, et ponuntur ad significandas calamitates et ærumnas, quibus Deus utitur ad coercendos homines a peccatis, id quod exponitur sequenti versiculo. In hebræo habetur in singulari *maxillam ejus;* sed non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus vertit in numero multitudinis, *maxillas eorum*. Ex quo intelligimus puncta non recte in nostris bibliis ubique esse collata : nam secundum alia puncta, eadem vox significat, *maxillas eorum*.

Calvinus arguitur arguens nostram versionem.

Vers. 13. 13. MULTA FLAGELLA PECCATORIS, SPERANTEM AUTEM IN DOMINO MISERICORDIA CIRCUMDABIT.

Hæc est declaratio cami et freni, quasi dicat Propheta : Peccator impœnitens, et qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac vita, tum in futura. Quamvis enim interdum peccatores florere videantur, tamen ipsum peccatum est gravissima pœna, quæ parit alias pœnas sine numero, sollicitudines, anxietates, timores, pericula, remorsum conscientiæ, et similia : neque his contentus Deus justus judex, multa alia flagella adjungit, et nisi peccator resipiscat, et oret ad Deum in tempore opportuno, sine dubio ad flagella sempiterna perveniet. Contra, justus, qui sperat in Domino, et non confidit in vanitate mortalium, ab ipsa misericordia divina undique circumdabitur, ut a nulla parte flagellum ad eum accedere possit. Porro misericordia divina fons est omnium bonorum; ideo cum dicitur : « Misericordia circumdabit sperantem in Domino, » significatur cumulus omnium bonorum quo abundantissime fruuntur, qui uni Deo adhærent. Nam, ut sæpe diximus, quid nocere potest ei, cui omnia cooperantur in bonum, et cujus omnes passiones convertuntur in gloriam? Ideo recte concluditur Psalmus illis verbis :

Misericordia divina fons est omnium bonorum.

Vers. 14. **14.** LÆTAMINI IN DOMINO, ET EXULTATE, JUSTI, ET GLORIAMINI, OMNES RECTI CORDE.

Sicut in principio beatos dixit justos, ita nunc in fine eosdem hortatur ad lætitiam, quæ est etiam quasi ex obliquo exhortatio ad perseverandum in justitia, ut perseverare possint in lætitia. «Lætamini in Domino, et exultate, justi, » id est, magnam habetis, o justi, materiam gaudendi et exultandi, sed « in Domino,» qui vobis est causa tantorum bonorum, quibus affluitis : non est cur tristemini ob temporalia detrimenta, pro quibus rependetur vobis in æternitate mensura bona, conferta, coagitata, et supereffluens, et hic interim spiritualis consolatio non vos deseret. « Et gloriamini, omnes recti corde; » idem aliis verbis repetitur. Nam gloriari, hoc loco, non est efferre seipsum laudibus, ut sonat vox latina, sed est jubilare, ut sonat vox hebræa והרנינו *veharninu*, id est, cum lætitia laudare Deum, et non semel in Scripturis *gloriari* accipitur pro *lætari* et *exultare*, ut cum dicit Apostolus *ad Rom.* v : « Sed et gloriamur in tribulationibus. » Verbum quod proprie significat in hebræo *gloriari*, habetur *Psalm.* LI, in principio : « Quid gloriaris in malitia? » Hoc autem loco non est idem verbum, sed aliud, quod significat *jubilare*. Per *rectos corde*, intelligimus justos; nam ex rectitudine cordis oritur rectitudo verborum et operum : illi autem sunt justi, quorum corda, voces et opera, conformia sunt rectissimæ regulæ, quæ est lex divina : ex qua rectitudine fit, ut Deus placeat homini, et homo placeat Deo ; et quidquid tandem volente, vel permittente Deo accidat homini, æquo animo accipiatur; atque ita sit in corde non solum justitia, sed etiam « pax et gaudium in Spiritu Sancto, » id est regnum Dei, ut Apostolus interpretatur *Rom.* XIV; proinde rectissime David ait : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, » etc.; et : « Lætamini in Domino, et exultate, justi, » etc., quia soli justi sunt beati, et vere solidoque gaudio perfruuntur.

Quinam sint justi?

PSALMUS XXXIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *Psalmus David.*

1. Exultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio.

2. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.

3. Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.

4. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.

5. Diligit misericordiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.

6. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

8. Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

10. Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

12. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus : populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

V. s. H.

Laudate, justi, Dominum : rectos decet laudatio [al. *collaudatio*].

Confitemini Domino in cithara : in psalterio decachordo psallite [al. *cantate*] ei.

Cantate ei canticum novum : bene psallite in jubilo :

Quia rectum est verbum Domini, et omne opus ejus in fide.

Diligit justitiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.

In [al. tac. *in*] verbo Domini cœli facti sunt : et spiritu oris ejus omnis ornatus eorum.

Congregans quasi in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum [al. *a Domino*] omnis terra : ipsum formident universi habitatores orbis.

Quia ipse dixit, et factus est : ipso præcipiente, stetit.

Dominus solvit consilium gentium : irritas fecit cogitationes populorum.

Consilium Domini in æternum stabit : cogitationes cordis ejus in generatione et generatione.

Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi.

13. De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.

15. Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.

16. Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

17. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus :

19. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.

20. Anima nostra sustinet Dominum; quoniam adjutor et protector noster est.

21. Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.

22. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

De cœlo prospexit Dominus : vidit omnes filios Adam.

De firmissima sede sua prospexit ad universos habitatores terræ.

Fingens pariter cor eorum : intelligens omnia opera eorum.

Non salvabitur rex in multitudine exercitus, nec fortis liberabitur in multiplicatione virtutis.

Fallax equus ad salutem, et in multitudine roboris sui non salvabit.

Ecce oculus Domini super timentes eum, ad [al. *et*] exspectantes misericordiam ejus.

Ut eruat de morte animas eorum, et vivificet eos in fame.

Anima nostra exspectavit Dominum : auxilium nostrum et clypeus noster est.

In ipso enim lætabitur cor nostrum : quia in nomine sancto ejus speravimus.

Sit misericordia tua, Domine, super nos, sicut exspectavimus te.

Argumentum. — Hymnus est qui celebrat laudes Jovæ. Principio poeta pios homines hortatur ad Jovam laudibus celebrandum, vers. 1-3 ; Jova enim est benignus et justus, creator ac dominus totius mundi : felicem populum cui is Deus præsidet, vers. 4-12 ; postea de ejusdem providentia specialius tractat, tum in genus humanum universum, tum in suum populum, vers. 13-19 ; denique tum sibi, tum pio Israelitarum populo bona obtentura esse ex Dei bonitate sperat exposcitque. Hinc strophæ quatuor. Observa quam accurate sibi invicem respondeant vers. 6-9 et 13-15, 10-11 et 16-17, 12 et 18 seqq. Est hic Psalmus ita planus per se, ut prorsus supervacaneum videatur, auctorem atque occasionem illius propriam quærere.

1. Jubilate, justi, in Jova,
rectos decet laudatio.
2. Celebrate Jovam cum cithara,
cum lyra decachorda canite ei.
3. Canite ei canticum novum,
bene pulsate *fides* cum clangore.

4. Nam rectum (non fallax) *est* verbum Jovæ,
et omne opus ejus in veritate (fidum).
5. Diligit justitiam et judicium (jus);
gratia (benignitate) Jovæ plena est terra.
6. Verbo Jovæ cœli facti sunt,
et spiritu oris ejus omnis eorum exercitus (astra et stellæ, *Gen.* II, 1).
7. Colligit, ut acervum, aquas maris;
reponit in receptaculis fluctus (propr. *abyssos*).
8. Timeat Jovam omnis terra,
revereantur eum omnes incolæ orbis.
9. Nam ipse dixit, et factum est;
ipse jussit, et exstitit.
10. Jova frangit consilium gentium,
dissipat cogitationes populorum.

11. Consilium *autem* Jovæ in æternum stat,
cogitationes cordis ejus *stant* in generationem et generationem.
12. Beata gens cujus Jova Deus est,
beatus populus, quem elegit sibi in hæreditatem.

13. De cœlis spectat Jova,
videt omnes filios hominis.
14. E loco habitationis suæ prospicit
in omnes incolas terræ :
15. *Is qui* fingit omnium pariter corda,
qui attendit ad omnia opera eorum.
16. Neque rex salvatur multitudine roboris (gall. *forces*),
neque potens (heros) eripitur multitudine fortitudinis.
17. Fallax (propr. *falsitas*) ad salutem *est* equus,
et multitudine roboris sui non faciet elabi.
18. En! oculus Jovæ *directus est* ad timentes (colentes) eum,
ad exspectantes gratiam ejus :
19. Ut eruat a morte animas eorum,
ut vivos servet eos in fame.

20. Anima nostra exspectat Jovam;
auxilium nostrum et clypeus noster is *est*.
21. Nam in eo (propter eum) lætatur cor nostrum,
nam in nomine sancto ejus confidimus.
22. Sit gratia (benignitas) tua, Jova, super nos,
quemadmodum in te speramus.

NOTÆ.

Vers. 1. *Recti* κατ'ἐξοχήν dicuntur Israelitæ. — Vers. 2. *Cithara,* hebr. *kinnor,* harpæ genus, quam plectro pulsabant. *Lyra,* hebr. *nebel,* propr. *uter,* quia utris figuram habebat, pulsabatur digitis. Alii hebr. *hasor* pro instrumento musico habent, ita a *nebel* differenti, ut hoc duodecim, illud decem chordis instructum fuerit: *hasor enim propr. decem* significat. — Vers. 3. *Novum,* ob nova beneficia recens compositum. Maurer : non adhuc auditum. *Clangore,* puta tubæ, ait Maurer; melius Ewaldus : cum populi acclamantis *vociferatione,* gr. ἀλαλαγμῷ : conf. Ps. xxvii, 6. — Vers. 5-6. Deus est justus, bonus et potens : confidant pii. — Vers. 7. Pro *ut acervum* (conf. *Gen.* i, 9), id est, in unum locum, veteres omnes legerunt *nod,* redduntque *in utrem,* non male. *Receptacula* dicuntur terræ voragines, maris profunda. — Vers. 12. *Hæreditatem,* **i. e.** sibi proprium, præcipua cura sua dignum esse voluit. — Vers. 13. Dixit, quanta sit Jovæ potentia, nunc ad illius scientiam et providentiam transit. — Vers. 15. *Fingit,* ideoque ea penitus perspicit. — Vers. 20. *Exspectat.* Juxta Maurer, *chakah* oritur a rad. arab. significante *adstrinxit,* velut funem; hinc translatum ad animum *intendere animum, intentum esse exspectatione, exspectare.* — Vers. 21. *Nomine.* Maurer : divina ejus potentia et benignitate; Rosenmullerus : *nomen* metonymice pro nominato collocatur.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David.

Hic Psalmus caret titulo apud Hebræos. Illud autem, *Psalmus David*, positum est a Septuaginta Interpretibus, qui tamen disertis verbis admonuerunt, nullum se titulum in hebraicis codicibus reperisse. Argumentum Psalmi est, exhortatio ad justos homines, ut Deum laudent, ob ejus maximam potentiam, providentiam et bonitatem : hortatur autem justos, tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris; tum quia potentia, providentia et bonitas Dei ipsis potissimum justis utilissima est.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXULTATE, JUSTI, IN DOMINO, RECTOS DECET COLLAUDATIO.

Exultatio, quæ hic ponitur, significat laudem cum lætitia. S. Hieronymus vertit: *Laudate, justi, Dominum;* sed vox hebræa רננו *rannennu* utrumque significat; ideo planus sensus est : Laudate cum exultatione, id est, laudate non inviti, non tristes, non negligenter, sed ex magno affectu, jubilantes, exultantes in cordibus vestris; laudate Dominum non solum animo, sed etiam voce. Reddit rationem cum addit : « Rectos decet collaudatio, » quasi dicat : Vos justos invito potissimum ad laudandum Deum, quia vobis potissimum convenit laudare Deum. Per *rectos* intelligit justos, ut etiam diximus in fine Psalmi superioris. Sed congruit hoc loco, ut justi dicantur recti, quia rectis placet Deus, qui est ipsa rectitudo, et quod placet libenter laudatur. Distortis non placet Deus, cujus opera et judicia rectissima sunt, et ideo non quadrant voluntatibus iniquorum : inde iniqui et distorti non libenter Deum laudant, sed reprehendunt et blasphemant. Pro verbo *decet*, in hebræo est nomen נאוה *navah, speciosa*, et sensus est : in ore rectorum speciosa est laus Dei; atque huc allusit Ecclesiasticus cap. XV, cum ait: « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Pro voce *collaudatio*, in hebræo est תהלה *thehillah*, et in græco, αἴνεσις, *laus;* sed latinus Interpres posuit *collaudationem*, ut significaret debere justos non solum sigillatim, sed etiam conjunctim laudare Deum.

Rectis placet Deus, qui est ipsa rectitudo.

Vers. 2. 2. CONFITEMINI DOMINO IN CITHARA, IN PSALTERIO DECEM CHORDARUM PSALLITE ILLI.

Hortatur rursus justos, ut confiteantur Domino confessionem laudis, non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, quæ erant in usu illius gentis. Mystice autem significatur, ut Deum laudemus non solum verbis, sed etiam operibus, ac præsertim perfecta observatione decalogi significati per psalterium decem chordarum, ut « videntes cæteri homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est, » *Matth.* VI. Notant hoc loco Basilius et Augustinus citharam resonare ex parte inferiore, psalterium ex parte superiore. Unde colligitur Deum esse laudandum ex cognitione Dei, quæ habetur ex creaturis: unde existit sonus citharæ; et ex ea quæ habetur ex revelatione divina in Scripturis sanctis: unde existit sonus Psalterii.

Vers. 3. 3. CANTATE EI CANTICUM NOVUM, BENE PSALLITE EI IN VOCIFERATIONE.

Conjungit quasi per epilogum, quæ dixerat in duobus versiculis superioribus. Dixerat, ut voce laudaremus et instrumentis psalleremus: utrumque conjungit, et monet ut omnia accurate et diligenter fiant. « Cantate ei canticum novum; » hoc pertinet ad illud: « Exultate in Domino, » etc. Jubet autem ut exultantes laudemus Deum cantico aliquo non usitato et veteri, sed recens composito accommodate ad rem præsentem. « Bene psallite in vociferatione, » pertinet ad id quod subjunctum est : « Confitemini in cithara, » etc., et jubet ut hoc ipsum bene et accurate fiat, et non frigide, ac summissa voce, sed magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. Itaque illud, *in vociferatione*, non debet referri ad voces humanas, sed ad voces instrumentorum musicorum. S. Hieronymus vertit, *in jubilo*, et S. Augustinus legit, *in jubilatione*. Vox hebræa בתרועה significat *jubilationem;* vox græca ἀλαλαγμῷ *geminatum clamorem*. Recte monent SS. Patres Basilius et Augustinus canticum novum opponi cantico veteri. Canticum vetus est, quod solet canere homo vetus, qui « natus ex carne caro est, » et terrena sapit, ac in terrenis delectatur, et hic Deum laudat, cum bona temporalia ab eo recipit : at canticum novum canit homo novus, qui renovatus spiritu mentis suæ, cœlestia sapit, et in æternis delectatur, et Deum semper laudat, etiam cum flagellatur, quia novit illa etiam cooperari in bonum. Sic etiam per illud : *Bene psallite ei in vociferatione*, admonemur dum psallimus.

Canticum novum et vetus quod sit?

bene facere hoc divinum opus, attente, devote, magno cum affectu et cordis jubilo. S. Benedictus in regula sua monet psalmodiam esse opus Dei, et ideo cæteris omnibus operibus anteponendam. Et S. Bernardus, serm. 47 *in Cantica* : Vos, inquit, moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quidquam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces Sancti Spiritus depromentes.

Vers. 4. 4. QUIA RECTUM EST VERBUM DOMINI, ET OMNIA OPERA EJUS IN FIDE.

Incipit explicare rationes, cur Deus sit tanto affectu laudandus, quæ sumuntur, ut diximus, a bonitate, potentia et sapientia ejus. De bonitate dicit : « Rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide, » id est, quia verba et facta Domini justissima, fidelissima et sanctissima sunt. Hoc est quod *Psalm.* CXLIV, aliis verbis dicitur : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Verbum Domini intelligitur mandatum, prohibitio, promissio, comminatio, et hæc omnia rectissima et fidelissima sunt : nihil enim jubet Deus nisi bonum, nihil prohibet nisi malum, et quod promittit, vel comminatur, fidelissime præstat. Ideo « rectum est verbum Domini, et fidelis Dominus in omnibus verbis suis, » *Psalm.* CXXXIV. Opera vero Domini verbis conformia sunt : ideo dicuntur esse *in fide*, id est fidelia, justa, sancta, et dicitur Deus *sanctus in omnibus operibus suis*. S. Basilius, et S. Augustinus in commentario hujus Psalmi, per fidem intelligunt hoc loco fidem catholicam, et exponunt, opera Dei dici esse *in fide*, quia ex operibus Dei, ut ex fabrica cœli et terræ inspecta, homines moventur ad fidem, ut videlicet credant in Deum opificem tanti operis; vel dicunt opera Dei omnia esse *in fide*, quia omnia opera bona, quæ Deo placent, sunt in fide tanquam in semine, vel radice : non enim placent Deo quæ fiunt ante fidem, sed quæ nascuntur ex fide. Ambæ sunt piæ, veræque sententiæ; sed non videntur litterales explicationes.

Deus nihil jubet nisi bonum, nihil prohibet nisi malum.

Vers. 5. 5. DILIGIT MISERICORDIAM ET JUDICIUM : MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA.

Sanctitas verborum et operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis : « Deus *enim* diligit misericordiam et judicium, » id est, amat primum largiri dona gratiæ suæ, et postea secundum opera uniuscujusque reddere præmia, vel supplicia, atque ita omnes viæ Domini misericordia et veritas. In hebræo habetur : *Diligit justitiam et judicium*; sed Septuaginta Interpretes, scientes confundi duas illas voces, צדק et חסד, id est, *justitiam* et *misericordiam*, sæpe vertunt *justitiam*, ubi legunt *chesed*; et aliquando (ut hoc loco) vertunt *misericordiam*, ubi legunt *tsedek* ; quod si interpretari velimus verbum hebraicum ut sonat, dicendum erit in prima parte versiculi declarari bonitatem voluntatis divinæ ex parte justitiæ; in altera parte, nimirum « misericordia Domini plena est terra, » declarari eamdem bonitatem ex parte misericordiæ. Sed juxta nostram lectionem dicendum est in prima parte declarari bonitatem ex parte misericordiæ et justitiæ, in secunda doceri misericordiam latius patere quam justitiam, et esse, ut alibi dicitur *Psalm.* CXVIII : « Super omnia opera ejus; » nam ad misericordiam pertinet tollere miseriam et defectum : nihil autem est quod non indigeat misericordia Dei, cum omnia omnino creata defectum aliquem patiantur. Sed res corruptibiles, quæ sunt infra lunam, tanto plures et majores defectus patiuntur, quam res incorruptibiles, quæ supra lunam, ut respectu corruptibilium non videantur incorruptibilia ullum habere defectum; ideo dicit Propheta : « Misericordia Domini plena est terra : » nam per terram intelliguntur omnia corruptibilia; terra enim sedes est non solum hominum mortalium, et animalium terrestrium, et omnium plantarum, sed etiam piscium et avium : quamvis enim aves volitent in aere, et pisces perambulent semitas maris, tamen et illæ et isti quiescunt in terra. Porro omnia corruptibilia egent multiplici misericordia Dei, creante, conservante, movente, nutriente, reparante. Sed homines mortales, præter ista omnia, egent misericordia præveniente, comitante, subsequente, indulgente peccata, armante contra dæmones, dirigente, protegente, etc. Itaque rectissime dicitur : « Misericordia Domini plena est terra. » Hoc loco illud etiam considerandum est, misericordiam perfectam, ad quam pertinet tollere omnes defectus, esse propriam solius Dei, quia non potest tollere omnes defectus, nisi qui caret omni defectu, ac per hoc est infinitæ perfectionis actus purus, æternus, omnipotens; itaque recte Ecclesia canit : « Deus, cui proprium est misereri. »

Nihil est quod non egeat misericordia Dei.

Misericordia perfecta solius Dei est.

Vers. 6. 6. VERBO DOMINI CŒLI FIRMATI SUNT, ET SPIRITU ORIS EJUS OMNIS VIRTUS EORUM.

Transit a laude bonitatis ad laudem potentiæ, cujus primarius, et maxime conspicuus effectus, est fabrica cœli. Auget autem potentiam Dei, quod tantam molem non solum fecit, sed sine labore, sine mora temporis, sine ministris, sine machinis, solo verbo fecit, et eis æternam stabilitatem attribuit. Alludit autem Propheta ad creationem mundi, quæ describitur in cap. I *Genes.* per ea verba : « Dixit Deus : Fiat firmamentum, et factum est firmamentum, et vocavit firmamentum cœlum. » In hebræo habetur, *verbo Domini cœli facti sunt*; sed Interpretes verterunt, *firmati sunt*, ut declararent cœlos factos esse incorrupti-

biles. Quod sequitur, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, posset videri repetitio quædam. Nam *verbum* et *spiritus oris* idem fere sunt, et firmitas cœlorum et virtus cœlorum pro eodem accipi posset, nisi in hebræo esset vox צבאם, quæ significat *exercitus eorum*, sive *ornatus eorum*, ut vertit S. Hieronymus. Septuaginta Interpretes pro eodem accipiunt virtutem et exercitum, quia revera exercitus militum est virtus, id est, potentia et robur principis. Per virtutem, sive exercitum, sive ornatum cœli intelliguntur stellæ, quæ sunt veluti castrorum cœlestium acies ordinata, et simul mirifice cœlum ornant, et virtutes suas variosque influxus in hæc inferiora diffundunt. Quamvis autem per *verbum Domini*, et *spiritum oris ejus*, possit imperium Domini simpliciter accipi, tamen sine dubio Spiritus Sanctus insinuare voluit per hæc verba mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod tempore novi Testamenti revelandum erat. Neque movere nos debet, quod videatur Propheta creationem cœli tribuere Verbo, et creationem stellarum Spiritui Sancto, quasi Dominus Pater per Verbum cœlos fecerit, per Spiritum Sanctum stellas. Nam propter unitatem essentiæ, quæ est virtus operatrix, indivisa sunt opera Trinitatis; et ideo cum dicitur Deus Pater per Verbum creasse cœlos, intelligitur non sine Spiritu Sancto id fecisse : cum dicitur virtus, sive exercitus cœlorum esse a Spiritu oris Domini, intelligitur esse etiam a Verbo, quod ab ejusdem Patris ore procedit, et a quo Verbo Spiritus ipse procedit.

Mysterium gloriosissimæ Trinitatis hic adumbratum.

Opera S. Trinitatis sunt indivisa.

Vers. 7. 7. CONGREGANS SICUT IN UTRE AQUAS MARIS, PONENS IN THESAURIS ABYSSOS.

Pergit explicare potentiam Dei, qui non solum cœlos et stellas Verbo fecit, sed etiam ea facilitate omnes aquas, quæ initio creationis mundi operiebant undique terram, coegit in loca inferiora et profundiora terræ, qua facilitate implet homo utrem unum aqua, vel recondit pecunias in arca, vel loculis. « Congregans sicut in utre aquas maris, » id est, congregans est, sive congregat Deus aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, id est facillime, nulloque negotio. Idem repetitur sequentibus verbis : « Ponens in thesauris abyssos, » id est, ponit Deus abyssos, multitudinem videlicet, et profunditatem aquarum, quæ erant super terram, et pertingebant usque ad cœlum; ponit, inquam, omnem illam aquarum immensitatem in angustis terræ cavernis, ac si reconderet pecunias in thesauris. Abyssum esse aquarum multitudinem, quæ initio creationis erat super terram, perspicuum est ex cap. I *Gen.*: « Et tenebræ erant super faciem abyssi. » Per *thesauros*, significatur aliquando copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pretiosorum, ut eo loco : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; » aliquando significatur per thesaurum, locus ejusmodi rerum pretiosarum, ut arca, vel loculi, ut in verbis illis : « Omnis scriba doctus in regno cœlorum profert de thesauro suo nova et vetera, » *Matth.* XIII; et de Magis legimus : « Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. » In hac posteriore significatione accipitur hoc loco thesaurus. Dicit autem propheta in tempore præsenti *congregans* et *ponens*, cum tamen ab initio hæc facta sint, quia Deus ita semper conservat, quod initio fecit, ut vere dici possit semper id facere. In hebræo pro *utre*, habetur נוד *ned*, quod *acervum* significat; sed Septuaginta et S. Hieronymus legerunt נאד *nod*, quod *utrem* significat. Et hæc est verior lectio, et melius explicat congregationem aquarum in locum unum, id est, in cavernas terræ, quam Propheta significare volebat. In hebræo et græco deest præpositio *in*, et legitur : *Congregans sicut utrem aquas maris*; sed omnino subintelligitur, et recte habet nostra editio, *sicut in utre*. Et non deerant olim græca exemplaria quæ haberent, *in utrem*, ut notat S. Basilius; et S. Augustinus semper legit *in utrem*. Qui legunt, *sicut utrem*, existimant significari nubes, quæ intumescunt sicut utres, et postquam effuderint, detumescunt : sed litteralis sensus est is, quem supra posuimus.

8. TIMEAT DOMINUM OMNIS TERRA : AB EO AUTEM COMMOVEANTUR OMNES INHABITANTES ORBEM. Vers. 8.

Ex iis quæ dicta sunt de potentia Dei, occasione accepta, David hortatur homines, ut Deum timeant, ejusque mandata prævaricari formident. « Timeat igitur, inquit, omnis terra Dominum » tantæ potentiæ et majestatis; et mox explicat idipsum, dicens : « Omnes inhabitantes orbem (hoc est omnis terra) commoveantur, » id est, contremiscant, ab eo Domino videlicet aliquid jubente.

9. QUONIAM IPSE DIXIT, ET FACTA SUNT, IPSE MANDAVIT, ET CREATA SUNT. Vers. 9.

« Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. » Optima ratio, cur solus Deus timendus sit, quia videlicet quidquid est extra Deum nihil nobis nocere potest, nisi Deus permiserit; et contra, nihil est extra Deum, quod nos ab ejus ira defendere possit : omnia enim ab ejus nutu dependent, a quo habent, ut sint. Ratio autem, cur Deus omnia fecerit verbo, est, quia verbum ejus plenum est potestate et auctoritate, ita ut sit mandatum atque imperium, cui nihil resistet : ideo adjungitur : « Ipse mandavit, et creata sunt. » In hebræo habetur ad verbum, הוא אמר ויהי, *ipse dixit et fuit, ipse mandavit et stetit*. Sed sensus est idem; significant enim verba hebraica : « ipse dixit, » et omnis creatura facta est; « ipse mandavit, » et omnis creatura existere cœpit.

10. DOMINUS DISSIPAT CONSILIA GENTIUM : REPROBAT AUTEM COGITATIONES POPULORUM, ET REPROBAT CONSILIA PRINCIPUM. Vers. 10.

Venit tandem Propheta ad sapientiam, ut osten-

dat omni ex parte Deum esse laudandum : « Dominus dissipat consilia gentium, » id est, ita supereminet sapientia Dei supra omnem omnium hominum sapientiam, ut quidquid homines consultando deliberant, quamvis consilia eorum sapientissima et prudentissima videantur, Deus in momento infatuare, dissolvere, irritum facere possit. Idem repetitur sequentibus verbis, cum dicitur : « Reprobat autem cogitationes populorum, » id est, Deus reprobat tanquam stultas cogitationes populorum omnium : nec solum populorum, sed etiam ipsorum principum, qui consiliariis in omni doctrinarum genere abundant, consilia, deliberationesque, ut plane insipientes et inutiles reprobat. Et vere mirabilis est sapientia Dei, quæ sapientes in astutia sua comprehendit, et ineffabili ratione ita nonnunquam consilia illorum infatuat, ut quæ utilissima sibi esse judicant, et perniciem et interitum illis adferant. In hebræo non habetur illud, *et reprobat consilia principum* : fortasse excidit injuria temporum, vel incuria librariorum.

Sapientia Dei mirabilis.

Vers. 11. 11. CONSILIUM AUTEM DOMINI IN ÆTERNUM MANET, COGITATIONES CORDIS EJUS IN GENERATIONE ET GENERATIONEM.

Dominus quidem inscrutabili sapientia sua dissolvit humana consilia, ut finem sibi propositum non assequantur. Contra autem, humana prudentia nihil omnino potest adversus consilium Dei : quidquid enim semel decrevit Deus, stabile in æternum erit. « Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus, » *Isai.* XLV. Non est autem consilium Dei consultatio quædam præcedens electionem ; neque sunt in Deo multæ cogitationes, sed unico et simplicissimo actu ab æternitate decrevit Deus, quidquid unquam facturus est. Sed Scriptura accommodat se nostræ imbecillitati nostrisque verbis utitur, ideo dicit : « Consilium Domini in æternum manet, » id est, quod Deus quasi consultando decrevit, nullo modo dissolvi potest, nec impediri quominus executioni mandetur. Idem repetitur aliis verbis, cum additur : « Cogitationes cordis ejus in generatione et generationem, » id est, quæ Dominus cogitavit facere, nullo tempore impedientur, sed fient prorsus eo modo, quo ipse fieri voluit. Nec tamen ita se accommodat Scriptura nostræ infirmitati, ut non sit veritas in ejus verbis : nam etiamsi non est in Deo consilium præcedens electionem, tamen est in Deo quidquid perfectionis reperitur in consilio, cognitio videlicet omnium mediorum ad assequendum finem utilium ; et quamvis in Deo una sit et simplicissima cogitatio, ea tamen æquiparatur innumerabilibus cogitationibus, quas in se eminentissimo modo continet.

Consilium Domini quale sit ?

Vers. 12. 12. BEATA GENS, CUJUS EST DOMINUS DEUS EJUS, POPULUS QUEM ELEGIT IN HÆREDITATEM SIBI.

Ex iis quæ dicta sunt de potentia, sapientia et bonitate Dei, colligit Propheta beatum esse populum, cujus Deus non est aliquod idolum inutile, sed ille potentissimus, sapientissimus, et optimus Dominus, cujus laudes explicatæ sunt ; tunc autem vere perfecteque felices, ac beati sumus, quando et nos magnum illum Dominum pro Deo habemus, et ipse nos pro peculiari suo populo habet ; ideo Propheta utrumque conjungit, cum dicit : « Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, » id est, beati sunt illi homines, qui pro Deo non agnoscunt, nisi unum illum Dominum, « cujus verbo cœli firmati sunt, » etc. ; et simul : « Beatus populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi, » id est, beati sunt illi homines, quos ille idem magnus Dominus elegit in populum peculiarem, et quasi propriam possessionem et hæreditatem. Sunt autem ista duo ita connexa, ut separari non possint ; illi enim soli Deum verum pro Deo suo habent, qui illum fide, et spe, et charitate colunt : illi autem soli Deum fide, et spe, et charitate colunt, quos ipse elegit in hæreditatem sibi, quos per gratiam præordinavit, vocavit, et justificavit. Vera prorsus et in imo corde recondenda sententia : nam quidquid homo habeat, etiamsi totum mundum lucretur, egenus et miser est, si Deo careat, qui solus totum animæ sinum replere potest ; et contra qui Deum habet, etiamsi aliis careat, beatus et dives est, quia in Deo sunt omnia. Præterea, imago Dei est homo ; imaginis bonum, totaque perfectio est, exemplari suo simillimum esse : tunc autem vere similes Deo, ac per hoc beatissimi erimus, quando « videbimus eum sicuti est, » ut dicitur I *Joan.* III ; nam et ipse Deus ideo beatus est, quia videt se sicuti est : itaque qui Deum nunquam videbunt, semper Deo dissimiles, ac per hoc semper miserrimi erunt. Denique quidquid infra Deum est, vel est homine vilius, ut omnia corporalia ; vel par, ut angeli, quibus in resurrectione æquales erimus : nihil autem nos perficere, felicesque ac beatos reddere potest, nisi quod est nobis melius atque perfectius : igitur illi soli vere beati sunt, qui adhærent Deo, et unus spiritus fiunt cum eo, id est, qui diligunt Deum, et diliguntur a Deo, qui quidem hic interim spe beati sunt, sed reipsa beati erunt, quando tam felici vinculo inhærebunt Deo, ut ab eo excidere nulla ratione possint.

Quid quid homo habeat, si Deo careat, egenus et miser est.

Vers. 13. 13. DE CŒLO RESPEXIT DOMINUS, VIDIT OMNES FILIOS HOMINUM.

Vers. 14. 14. DE PRÆPARATO HABITACULO SUO RESPEXIT SUPER OMNES, QUI HABITANT TERRAM.

Probat quod dixit, beatam esse gentem cujus Deus est Dominus ille, qui fecit cœlum : probat autem ex eo, quod cum Dominus de cœlo, tanquam altissima specula, videat homines, et cognoscat non posse ullum hominem propriis viribus salvum fieri, quamvis alioqui fortissimus aut potentissimus videatur ; tamen Deus oculo paterno peculiariter populum suum respicit, et illum

adjuvat ac salvat, ut merito dictum sit initio Psalmi : « Exultate, justi, in Domino. » Ait igitur : « De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, » (sive, ut est in hebræo, בני האדם, *vidit omnes filios Adam*), id est, Dominus de cœlo, a quo nihil occultari potest, non solum videt populum suum, sed videt omnes homines, et intelligit quid quisque possit. Idem vero significant verba sequentia : « De præparato habitaculo suo, » id est, de sede, quam sibi ipse paravit et stabilivit (nam « cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum, » ut est in *Psalm.* CXIII), « respexit » ac respicit omnes habitatores terræ. S. Hieronymus ex hebræo vertit, *de firmissimo solio suo*, pro eo quod nos habemus, *de præparato habitaculo suo* : sed verba hebraica utramque significationem recipiunt.

Vers. 15 15. QUI FINXIT SINGILLATIM CORDA EORUM, QUI INTELLIGIT OMNIA OPERA EORUM.

Declarat Propheta Deum non vidisse de cœlo filios hominum, eo modo, quo nos videmus ea quæ sunt longe posita, confuso videlicet, et crasso modo ; sed vidisse distincte et subtilissime omnia opera eorum, id est, quid possint operari, vel operentur, vel mente, vel corpore. Itaque vidit omnes cogitationes, omnia desideria, omnia dicta, omnia facta, præterita, præsentia et futura, omnium, et singulorum hominum. Et probat Deum hæc videre potuisse, quia ipse « formavit corda singulorum, » id est, creavit animas singulorum hominum, ac per hoc etiam creavit corda, hoc est, mentes et voluntates, a quibus omnia hominum opera oriuntur : qui enim corda fingere potuit, idem sine dubio corda scrutari potest. In hebræo habetur, *qui finxit* יחד *iachad*, id est *pariter, corda eorum* ; sed illud, *pariter*, non significat *eodem tempore*, ut Origenes et alii errantes crediderunt. Nam S. Leo in epistola *ad Turibium*, Asturicensem episcopum, cap. X, docet fidem christianam habere, animas ante corpora non fuisse. Igitur illud, *pariter*, non refertur ad idem tempus, sed ad eumdem auctorem ; ac si Propheta dixisset : Qui finxit omnia corda nullo excepto : non enim unum cor ipse formavit, alia vero aliis formanda reliquit, sed ipse pariter omnia, ipse unus finxit omnia. In græco hebetur κατὰ μόνας, id est *seorsim*, sive *solitarie* ; quod S. Basilius refert ad cordis puritatem et simplicitatem, ut sensus sit : qui finxit corda separata ab omni impuritate ; sive, ut Euthymius addit, separata ab aliorum animantium natura. Sed videtur rectius intellexisse antiquus latinus Interpres, qui vertit *singillatim*, id est, seorsim singula : id enim magis congruit cum lectione hebraica, et cum verbis sequentibus ; dicit enim Propheta Deum formasse omnia corda, ut inde colligat Deum intelligere omnia opera eorum ; hæc autem ratio id requirit, ut Deus formaverit omnia, et singula corda, non ut separaverit ab impuritate, vel ab aliis animalibus. Ex hoc etiam loco colligitur illud dogma ecclesiasticum, quod videlicet Deus non creavit quasi in confuso omnes animas, cum creavit animam primi hominis, quasi in illa fuerint omnes, et ex illa fiant omnes, sicut revera tunc creavit quodam modo omnes homines, quia in uno erant omnes, et ex uno fiunt omnes, quantum ad generationem carnis ; sed creavit Deus singillatim omnes animas, non unam ex alia, sed ipse singulas ex nihilo distincte ac separatim. Scio S. Augustinum, in *epist.* 28, non existimare, ex hoc loco solide probari creationem animarum, quia in *Psalm.* L dicitur : « Cor mundum crea in me, Deus. » Sed responderi potest, in *Psalm.* L tractari de sanctificatione, non de naturali creatione : hunc autem locum requirere, ut verba proposita de naturali creatione intelligamus, cum inde colligatur Deum omnia corda scrutari, quia omnia ipse formavit.

Animæ ante corpora non fuerunt.

16. NON SALVATUR REX PER MULTAM VIRTUTEM, ET GIGAS NON SALVABITUR IN MULTITUDINE VIRTUTIS SUÆ. Vers. 16.

Explicat quid viderit ille, qui omnia videt : videlicet hoc vidit, neminem propria virtute liberari posse a malis, quæ nos circumstant, sed egere omnes misericordia Dei : ponit autem exemplum in iis, qui videntur maxime de suis viribus posse gloriari, quasi dicat : Vidit Deus quod « non salvatur rex per multam virtutem, » id est, non sufficit regi ad propriam salutem, seu vitam tuendam, multa virtus, id est multa potentia, multus exercitus, multa vis pecuniarum. « Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ, » id est, sicut regi non sufficit robur aliorum, qui illi serviunt, ita fortissimo viro non sufficit robur proprium. Non est in hebræo nomen *gigantis* sed in genere nomen *robusti* et *fortis viri* ; sed Septuaginta Interpretes posuerunt nomen *gigantis*, quia illi solent esse fortissimi, et cæteris hominibus formidabiles, ut de gigante Goliath legimus in lib. I *Regum*, cap. XVII.

17. FALLAX EQUUS AD SALUTEM : IN ABUNDANTIA AUTEM VIRTUTIS SUÆ NON SALVABITUR. Vers. 17.

Tria sunt, quæ possunt hominem eripere ab instanti periculo, vires alienæ, ut custodiæ militares, vires propriæ, velocitas equi : illæ, si resistendum sit ; ista, si fugiendum. Docuerat Psalmista, non sufficere duo priora ; nunc addit neque tertium sufficere, et habemus exemplum omnium in libris *Regum*. Saulem enim regem non potuerunt a nece defendere ingentes copiæ militares ; Goliath gigantem robustissimum David puer occidit ; Joram filium Achab veloci curru fugientem, sagitta velocior interemit. « Fallax equus ad salutem, » id est, fallitur qui confidit salutem suam velocitati equorum : velocitas enim illa multis modis impediri, vel præveniri potest, ideoque fallax est. « In abundantia virtutis suæ

non salvabitur,» id est, equus in virtute sua, qua abundat, vel si ea maxime abundet, quæ virtus in velocitate consistit, non salvabitur cum sessore suo, id est, neque se, neque sessorem a periculo liberabit. In hebræo habetur active, *non salvabit*, nimirum sessorem suum; sed idem verbum hebraicum mutatis punctis fieri potest conjugationis passivæ, et eo modo legerunt Septuaginta Interpretes, quos Interpres latinus secutus est. Et quidem lectio, *non salvabit*, quam habet S. Hieronymus, clarior est. Lectio vero nostræ editionis, *non salvabitur*, requirit ut subintelligatur aliquid, videlicet, non salvabitur cum sessore suo; neque enim dubium esse potest, quin de salute hominis potius, quam de salute equi hoc loco agatur.

Sine gratia nemo salvari potest.

Porro quæ dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spirituali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est, sine præveniente, comitante, et subsequente gratia Dei.

Vers. 18. 18. ECCE OCULI DOMINI SUPER METUENTES EUM, ET IN EIS QUI SPERANT SUPER MISERICORDIA EJUS.

Vers. 19. 19. UT ERUAT A MORTE ANIMAS EORUM, ET ALAT EOS IN FAME.

Concludit Propheta ratiocinationem suam, qua, ut supra diximus, probat beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus. Nam videt quidem Deus omnes homines, et intelligit quam parum possint, nisi ipse adjuvet: sed tamen peculiariter in homines justos dirigit oculos suos, ut eis de cœlo auxilium præbeat, tum ut a mortis periculo liberentur, tum ut commode sustententur in vita. «Ecce oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.» Per timentes et sperantes pulchre describuntur ii, qui vere sunt justi et amici Dei. Nam timor sine spe timor

Spes sine timore præsumptio est.

servilis est, spes sine timore præsumptio est. Timor cum spe charitatem veram declarat, id est, amorem liberalem quo diligitur Deus ut amicus, ut pater, ut sponsus: qui enim tali amore flagrat, et vehementer timet ne dilectum offendat, et secure confidit, ac sperat, misericordiam dilecti sibi nunquam defuturam. «Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.» Hæc est causa cur Dominus respicit oculo paterno timentes et sperantes in se, ut videlicet hæc duo beneficia illis tribuat, liberationem a periculo mortis, et alimenta dum vivunt. Quia justi timent Deum offendere, liberat illos Deus a timore, ne offendantur, præsertim circa vitam, quæ est fundamentum omnium bonorum; quia sperant in misericordia ejus, præstat illis perpetuam misericordiam, dum alit eos in fame. Quæ duo beneficia possunt intelligi tam de salute corporali et temporali, quam de spirituali et sempiterna. «Eruit Dominus a morte animas,» id est, vitam timentium se, dum singulari providentia liberat eos a variis mortis periculis, a quibus propria virtute sua vel suorum liberari non potuissent. Deinde sic liberatos sustentat in vita, prospiciens eis de omnibus ad vitam necessariis, et præsertim tempore famis, quo multi alii rerum omnium penuria laborant. Sed spiritualiter eruit animas eorum a morte, dum vel non sinit eos labi in peccatum, quod est mors animæ; et si forte peccaverint, mox illos per salubrem pœnitentiam ad gratiam, quæ est vita animæ, revocat; et utroque modo animas eorum a morte sempiterna liberat. Viventes autem Deo per inhabitantem Spiritum Sanctum, alit in fame, dum in hoc deserto, per quod ad terram promissionis tendimus, deserto plane sterili et inaquoso, alit manna pluente de cœlo, et potat aqua de petra scaturiente, id est, cœlestibus consolationibus reficit, ac sustentat. Alit autem, non satiat, et sitim temperat, non exstinguit, quia saturitas servatur in aliam vitam, in qua satiabimur dum apparuerit gloria Domini, et inebriabimur ab ubertate domus Domini, et voluptatis torrente potabimur.

Vers. 20. 20. ANIMA NOSTRA SUSTINET DOMINUM, QUONIAM ADJUTOR ET PROTECTOR NOSTER EST.

Hactenus Propheta justos Dei servos allocutus est, eosque ad exultandum in Domino, et laudandum Deum, patrem indulgentissimum et misericordissimum, exhortatus est. Nunc introducit justos respondentes, ac dicentes: «Anima nostra sustinet Dominum.» Intelligunt justi quid spiritus sibi velit, cum eos ad exultandum et laudandum invitat, nimirum intentionem Spiritus Sancti esse, ut per hoc ipsi animentur ad perseverandum in justitia, et ad inhærendum Deo, neque ab eo recedendum ob quantascumque persecutiones, ac demum ad Deum laudandum, magis opere, quam verbis. Itaque respondent se tot beneficiis Dei confirmatos, constantissime in ejus timore ac amore permansuros. «Anima nostra, inquiunt, sustinet Dominum,» id est, quidquid acciderit, non nos separabit a charitate Dei, neque ad alium consolatorem respiciemus; sed exspectabimus patienter consolationem de cœlo, scientes scriptum esse *Habac.* II: «Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit.» Dicitur autem anima sustinere Dominum, hebraica phrasi, qua tribuitur animæ id quod toti homini convenit, præsertim quando agitur de re spirituali. Sic dixit Isaias cap. XXVI: «Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ; anima mea desideravit te in nocte.» Et Jeremias *Thren.* III: «Bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum.» Et beatissima Virgo, *Luc.* I: «Magnificat anima mea Dominum.» «Quoniam adjutor, et protector noster est.» Reddunt justi rationem, cur tam constanter Dominum exspectare decreverint, quia videlicet sciunt, et experimento cognoverunt a Domino in bonis se adjuvari, et a malis protegi potentissime et fidelissime.

Vers. 21. 21. QUIA IN EO LÆTABITUR COR NOSTRUM, ET IN NOMINE SANCTO EJUS SPERAVIMUS.

Posteaquam responderunt justi primariæ intentioni Spiritus Sancti, respondent nunc secundariæ, quæ erat, ut exultarent in Domino, sicut in primis Psalmi verbis dictum est. Dicunt igitur se id facturos libentissime : « In eo lætabitur cor nostrum, » id est, exultabimus in Domino, « et in nomine sancto ejus speravimus, » id est, quia in nomine sancto ejus speravimus. Nam quia speraverunt in Domino, adjuti ab eo, atque protecti sunt, et ideo experimento proprio edocti, quam bonus et potens Dominus sit, exultant in eo, et confitentur nomini ejus. Quod attinet ad verba, in hebræo habetur, *quia in eo lætabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus* : sed primum *quia* positum est pro *et*, vel pro *certe*, vel vacat. Sicut contra in latina editione, illud, *et*, cum dicitur, *et in nomine sancto ejus speravimus*, positum est pro *quia*. Itaque clarissima lectio esset : Et in eo lætabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus. Porro sperare in nomine Domini, non est sperare in litteris, aut sono nominis, sed sperare in Domino per nomen significato; et habere videtur vim quamdam majorem hic loquendi modus, quam si dicatur simpliciter, sperare in Domino, nam sperare in nomine Domini, est sperare in ipso Domino nominatim et proprie appellato; dicitur vero nomen Domini sanctum, quia dignum est ut ab omnibus honoretur, et ideo summum scelus committitur, cum blasphematur.

Summum scelus est blasphemare nomen Domini.

22. FIAT MISERICORDIA TUA, DOMINE, SUPER NOS, QUEMADMODUM SPERAVIMUS IN TE. Vers. 22.

Concluditur Psalmus per orationem, ut sæpe alias, et est oratio aptissime cohærens cum superioribus verbis; et cum toto Psalmo; quia enim aliquoties dictum est Deum misereri sperantium in se, et justi dicunt se in Domino speravisse, et egent semper nova misericordia propter continua pericula, ideo concludunt : « Fiat misericordia tua, Domine, super nos, » id est, non cesset, sed perseveret, imo addatur semper nova misericordia super nos; « quemadmodum speravimus in te, » id est, sicut de tua bonitate futurum speravimus, et nobis ipsis promisimus.

PSALMUS XXXIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum, et abiit.*

2. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

3. In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti et lætentur.

4. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

5. Exquisivit Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir, qui sperat in eo.

10. Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

11. Divites eguerunt, et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12. Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

V. S. H. — *David quando commutavit os* [*h. saporem*] *suum coram Abimelech, et ejecit eum, et abiit.*

Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : audiant mites et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus pariter.

Quæsivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus angustiis meis liberavit me.

Respicite ad eum, et confluite, et vultus vestri non confundentur.

Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Circumdabit Angelus Domini in gyro timentes eum, et eruet eos.

Gustate, et videte quoniam bonus Dominus : beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum, sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

Leones indiguerunt et esurierunt : quærentibus autem Dominum non deerit omne bonum.

Venite [al. *Ambulate*], filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

13. Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos ?
14. Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.
15. Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.
16. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.
17. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.
18. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.
20. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.

21. Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.
22. Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum, delinquent.
23. Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Quis est vir qui velit vitam, diligens dies videre bonos?
Custodi linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.
Recede a malo, et fac bonum : quære pacem, et persequere eam.
Oculi Domini ad justos, et aures ejus ad clamores eorum.
Vultus Domini super [*h. in*] facientes malum, ut perdat de terra memoriam eorum.
Clamaverunt, et Dominus exaudivit, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit.
Multæ tribulationes [*h. multa mala*] justo [al. *justi*], et ex omnibus illis liberabit [al. *liberavit*] eum Dominus.
Custodit omnia ossa ejus : unum ex eis non confringetur.
Interficiet impium malitia, et odientes justum culpabuntur.
Redimet Dominus animas servorum suorum, et non peccabunt [*h. culpabuntur*] omnes sperantes in eo.

Argumentum. — Strophæ tres : vers. 2-4, laudibus efferam Jovam; vers. 5-11, ex omnibus malis me eripuit, nam pios ille tuetur; vers. 12-23, igitur qui vult beatus esse, pius sit, nam pios Jova adjuvat. Qua occasione sit editus Psalmus, primus ejus versus perspicue indicat. Hodierni tamen haud pauci ad recentiorem ætatem eum referunt, absque idonea ratione : vid. Hengstenberg. In eo reperitur acrostichidis artificium.

1. Davidis *carmen*, cum mutavit (dissimularet) mentem suam coram Abimelecho, et expulit eum *Abimelechus*, et abiit *incolumis Davides*.

2. Benedicam (celebrem) Jovam omni tempore,
continuo laus ejus in ore meo sit.
3. In Jova felicem se prædicat (vel *prædicabit*) anima mea :
audiant afflicti, et lætentur.
4. Magnificate (o afflicti) mecum Jovam,
et extollamus nomen ejus una.

5. Quæsivi Jovam (precibus), et exaudivit me,
et ex omnibus terroribus meis eripuit me.
6. Respiciunt (afflicti) ad eum, et lucent (præ gaudio, spe impleta),
et facies eorum non pudore afficietur.
7. Hic (ego) miser clamavit, et Jova exaudivit,
atque ex omnibus angustiis ejus liberavit eum.
8. Castrametatur angelus (collective positum) Jovæ circa timentes eum,
et eripit eos.
9. Gustate et videte quam bonus sit Jova!
beatus vir qui spem ponit in eo!

10. Timete (reveremini) Jovam, sancti ejus,
nam nulla est inopia timentibus eum.
11. Leunculi (leones) egent et esuriunt;
sed qui quærunt Jovam nullo carent bono.

12. Agite, filii, auscultate mihi,
timorem (cultum) Jovæ docebo vos.
13. Quis est vir diligens vitam (prosperam),
amans dies, ut videat bonum?
14. Custodi (quisquis es) linguam tuam a malo,
et labia tua a loquendo dolum.
15. Recede a malo et fac bonum,
quære pacem et persequere illam.
16. Oculi Jovæ ad justos *directi sunt*,
et aures ejus *inclinatæ* ad clamorem eorum.
17. Facies Jovæ *defixa est* in patrantes malum,
ad exscindendum e terra memoriam eorum.
18. Clamant *justi*, et Jova audit,
atque ex omnibus angustiis eorum liberat eos.
19. Propinquus *est* Jova fractis corde,
et contritos spiritu salvat.
20. Multa *sunt* mala justi,
sed ex omnibus iis Jova eum eripit.
21. Custodit omnia ejus ossa,
nec unum ex iis frangitur.
22. Interficit impium malum,
et qui oderunt justum pœnam ferunt.
23. Redimit Jova (liberat e periculis) animam servorum suorum,
nec pœnam ferunt confidentes in eo.

NOTÆ.

Vers. 1. Cf. I *Sam.* XXI, 14, 15 seq. *Abimelechus* cognomen erat regibus Philistæorum commune : sic Ægyptii reges prisci *Pharaones*, et posteriores *Ptolomæi* cognominabantur, et Ponti reges *Mithridatæ*, et Romani imperatores *Cæsares* et *Augusti*. Hujus autem nomen proprium erat *Achis* : cf. I *Sam.* XXI, 10. — Vers. 3. *Afflicti*, vel *mansueti*, i. e. qui multarum miseriarum perpessione fastum didicerunt deponere. Sunt qui *aniim* ab *anavim* ita distinguunt, ut hoc sit *mansueti*, illud *miseri*; at duo vocabula promiscue poni solent. — Vers. 6. *Afficictur*, ut fit spe sua excidentibus. Veteres omnes, Chaldæo excepto, verba hoc versu occurrentia in imperativo exprimunt. — Vers. 11. « *Egregie* falluntur, qui *leonibus* h. l. piorum *hostes* (vel homines *potentes* in genere) significari credunt. Hoc vult : fieri facilius potest, ut egeat leo, qui, cum sit animal robustissimum atque fortissimum, sine negotio prædam sibi comparat, quam ut egeant pii. » Hæc Maurer. — Vers. 12. *Filii*, mei auditores, qui eruditione indigetis. — Vers. 13. *Videre* pro *frui* sæpius ponitur. — Vers. 22. *Malum*, quod committit, sua malitia : ita Maurer; Rosenmullerus, *calamitas*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.

Hic titulus ad duas historias referri potest, quæ habentur lib. I *Reg.* cap. XXI. Prior historia narrat Davidem, fugientem a facie Saul regis, venisse ad Achimelech sacerdotem, atque ab eo panes et arma postulasse, neque ei indicasse fugam suam, sed simulasse secretum regis negotium se habere, ob quod tantopere festinaret. Posterior historia refert Davidem confugisse ad Achis regem Philistæum, sed cum servi ejus regis incitare cœpissent dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam et fatuitatem simulare cœpisse, atque ea ratione mortem evasisse. Theodoretus ad priorem historiam titulum refert; sed S. Basilius, S. Augustinus, S. Hieronymus, et Euthymius referunt ad posteriorem. Et hæc est verior sententia : *primo*, quia in priore non immutavit David vultum, sed officium; in posteriore vero vultum immutavit, ut videretur esse, qui non erat. *Secundo*, quia ubi nos legimus : *Et dimisit eum*, in hebræo est, ויגרשהו, quod significat, *et expulit eum;* sive, *et projecit eum;* vel, *et repudiavit eum*, quod nullo modo convenit cum priore historia, sed tantum cum posteriore : non enim Achimelech sacerdos expulit Davidem, sed Achis rex eum expulit, ut insanum et furiosum. Ex quo etiam refellitur sententia eorum qui τὸ *dimisit eum* sic intelligunt, dimisit David regem Achis, vel sacerdotem Achimelech : non enim David dimisit, id est expulit, sed expulsus fuit et dimissus. *Tertio*, quia in hoc Psalmo David gratias agit Deo, quod ex magno periculo liberaverit eum : nullum autem periculum passus est David apud Achimelech, sed maximum apud Achis. *Quarto*, quia in titulo hujus Psalmi juxta codicum hebraicorum et græcorum fidem, non habetur *Achimelech*, ut haberi deberet, si titulus priorem historiam respiceret; sed *Abimelech*. Et sic legunt et exponunt Basilius, Augustinus et alii veteres, excepto Theodoreto. Latini etiam codices Vulgatæ editionis, quos vidi, habent *Abimelech*, excepta editione Sixti V, in qua habetur *Achimelech*, quod vitio librariorum, vel impressorum factum videtur, cum repugnet omnibus codicibus, et facile fuerit errare ob vocum similitudinem. Cur autem Achis dictus sit *Abimelech*, rationem reddit S. Basilius : *Abimelech* erat nomen commune regibus Philistinorum, sicut Pharao erat nomen commune regibus Ægyptiorum, et Cæsar imperatoribus Romanorum. Probat autem S. Basilius *Abimelech* fuisse nomen commune regibus Philistinorum, ex cap. XX et XXVI *Gen.* Porro quod in titulo dicitur, *immutavit vultum suum*, in hebr. est בשנותו את טעמו *heschanutho eth tahhemo*, id est, *immutavit sensum suum*, quod in idem recidit; nam immutare sensum, est hoc loco simulare stultitiam, et de viro sensato facere se insensatum, quod fecit David torquendo os et oculos, et collabendo, et impingendo in ostia domus more ebriorum, et salivæ copiam emittendo ad similitudinem epilepticorum : hæc enim narrantur in lib. I *Reg.* cap. XXI. Argumentum Psalmi est gratias agere Deo pro beneficio liberationis a periculo illo mortis imminentis, et hac occasione exhortari omnes ad amandum Deum, et sperandum in eo. Intelligebat enim vir pius suam illam omnem industriam, quam adhibuit simulando stultitiam, parum fuisse profuturam sine adjutorio et favore divino.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. BENEDICAM DOMINUM IN OMNI TEMPORE, SEMPER LAUS EJUS IN ORE MEO.

Psalmus est alphabeticus : incipit enim primus versus a prima littera alphabeti, secundus a secunda, et sic de cæteris; quod videtur ideo factum, ut facilius memoriæ mandaretur, et sæpe a fidelibus cantaretur. Incipit igitur magno affectu gratias agere, quasi diceret : Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hodiernum, sed pro eo : « Benedicam Dominum in omni tempore, » id est, quamdiu vixero; et idipsum repetens : « Semper, inquit, laus ejus in ore meo. » Itaque illud, *semper*, non significat omni momento, omni die, omni nocte, quasi nihil aliud agendum sit; sed significat id esse faciendum suo loco, et tempore, sed usque ad finem vitæ; imo etiam usque ad finem sæculi cantabuntur Psalmi isti, et sic per alios benedicet Deum David in omni tempore. Potest etiam hic locus spiritualiter intelligi, quod justi semper Deum laudant, et cum beneficia recipiunt, et cum flagella patiuntur, juxta illud S. Job, cap. I : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. »

Vers. 2. 2. IN DOMINO LAUDABITUR ANIMA MEA : AUDIANT MANSUETI, ET LÆTENTUR.

Nec solum, inquit, ego benedicam Dominum ob hoc beneficium in omni tempore, sed etiam alii benedicent : quicumque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum regem, et simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me per illam artem de mortis periculo liberavit. « In Domino laudabitur anima mea, » id est, ego laudabor ab omnibus, ad quos hujus rei fama pervenit; sed laudabor in Domino, ac per hoc laus præcipua referetur ad Dominum, qui singulari providentia sua mihi bonum consilium inspiravit, et juvit, ut felicem sortiretur effectum. In hebræo verbum *laudabitur* est cujusdam conjugationis, quæ significat actionem in se ipsum, itaque secundum proprietatem vocis hebraicæ, *laudabitur anima mea*, significat : Anima mea laudabitur a se ipsa, id est gloriabitur; et quia po-

Non semper est vitium gloriam, et propria facta laudare.

nitur anima pro toto homine, sensus erit : Ego ipse ob hoc factum mirifice gloriabor, non in me, sed in Domino, quo protegente et adjuvante periculum evasi. Admonemur ex hoc loco non semper esse vitium gloriari, et facta propria laudare, sed tunc solum, cum vel gloriamur de re quæ laudem non meretur, vel non agnoscimus auctorem primarium omnium bonorum, Deum. « Qui gloriatur, inquit Apostolus II *Corinth.* x, 17 : in Domino glorietur : non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. » Quod sequitur, « audiant mansueti et lætentur, » significat ad eos proprie pertinere communicationem hujus lætitiæ, quibus similia pericula solent esse communia, quales sunt homines mites et patientes : qui enim ejusmodi sunt, et sæpe a potentioribus opprimuntur, et facile Deum experiuntur adjutorem. « Audiant, inquit, mansueti, » humiles, Deum timentes, mei similes, quod mihi accidit, « et lætentur, » ac Dominum benedicant. In hebræo sunt hæc verba temporis futuri, *audient, et lætabuntur;* sed quia imperativus apud Hebræos caret tertia persona, ad eam exprimendam utuntur Hebræi tertia persona futuri : proinde recte verterunt græci et latini interpretes, *audiant, et lætentur.*

Vers. 3. 3. MAGNIFICATE DOMINUM MECUM, ET EXALTEMUS NOMEN EJUS IN IDIPSUM.

Convertit sermonem ad ipsos mansuetos, quos jusserat audire et lætari, atque illos hortatur ut non solum singuli apud se Deum laudent, sed cum ipso conjuncti, pariterque uniti Dominum glorificent. « Magnificate Dominum mecum, » id est Dominum, qui solus vere magnus est, magnum esse confiteamur; et eum, qui vere solus altissimus est, voce etiam nostra altissimum esse prædicemus; « et ejus nomen, » id est, notitiam et famam, vel potentiam et majestatem coram hominibus extollamus. Placet enim Deo valde, ut fideles non solum seorsim in cubiculis, sed etiam conjuncti in Ecclesiis « unanimes, uno ore ipsum honorificent, » ut Apostolus monet *ad Rom.* xv. Illud, *in idipsum,* sæpe jam diximus nihil significare aliud, nisi *pariter, una, conjunctim,* etc.

Vers. 4. 4. EXQUISIVI DOMINUM, ET EXAUDIVIT ME, ET EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS MEIS ERIPUIT ME.

Explicat nunc Propheta causam, cur benedicere velit Dominum omni tempore : quia videlicet expertus sit eum liberatorem optimum et potentissimum. « Exquisivi Dominum, » id est, cum angustiis premerer, ad Dominum confugi, ejus auxilium quæsivi, ad eum cum fiducia accessi, « et exaudivit me, » solita sua benignitate et misericordia, et effectus exauditionis in eo se prodidit, quod « liberavit me ex omnibus tribulationibus meis, » quasi dicere velit : Conatus est me Saul rex, et manus sua, et per satellites suos occidere, et protegente Domino manus ejus effugi; fugiens autem præ festinatione, neque arma, neque cibum capere potui, et continuo adfuit misericordia Domini, quæ mihi per Achimelech sacerdotem panes et arma providit : paulo post per imprudentiam incidi in manus Achis regis Philistæorum, sed eodem inspirante, adjuvante et protegente Deo, mirabili et insolita arte periculum declinavi. Itaque « ab omnibus tribulationibus, » quæ hucusque mihi acciderunt, « eripuit me » benignissimus Dominus, et amantissimus pater, Deus.

Vers. 5. 5. ACCEDITE AD EUM, ET ILLUMINAMINI, ET FACIES VESTRÆ NON CONFUNDENTUR.

Hic jam incipit exhortatio pulcherrima et efficacissima ad amorem et timorem Dei, et ad projiciendam in eum omnem sollicitudinem nostram. « Accedite ad eum, » vel, ut sonat vox hebræa, *respicite in eum*, id est, quotquot in tribulatione estis, *accedite* per fidem et orationem ad Deum, *respicite* in auxilium ejus; « et illuminamini, » id est, percipite lumen consolationis et lætitiæ, rejecta tristitia obnubilante : lux enim lætitiam significat, juxta illud *Psalm.* xcvi : « Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. » Potest autem altiore, et mystico sensu hic locus ita exponi : « Accedite ad eum » per conversionem, « et illuminamini » per gratiam justificationis; nam illuminatio divina vitam spiritualem confert; unde dicit Apostolus *ad Ephes.* v : « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus; » et Christus ipse ait, *Joan.* viii, 12 : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; » et in *Psalm.* lv legimus : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen; » ubi pro eodem ponitur : *fons vitæ* et *fons luminis.* Denique ideo baptismus apud veteres dicitur *illuminatio*, quia per eum homines mortui peccato regenerantur, et de tenebris mortis veniunt ad lumen vitæ. *Accedite* igitur *ad eum* per conversionem et pœnitentiam, et ipse convertetur ad vos, et vultu suo lucidissimo, et maxime vitali, quippe qui sol est increatus, et fons vitæ, *illuminabit* et vivificabit vos. « Et facies vestræ non confundentur, » id est, accedite securi, nolite timere repulsam, exaudiet et excipiet vos; neque patietur rubore confundi facies vestras. Dicitur enim confundi facies, quando qui petit non impetrat, et ideo cum rubore discedit. Sic lib. III *Reg.* cap. II, dicit Bethesabee regi Solomoni : « Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam. » In hebræo, pro *accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur*, habetur, *respexerunt ad eum, et illuminati sunt, et facies eorum non confundentur;* sed facile est videre quid Septuaginta legerint : nam illud, הביטו *hibbitu, respexerunt,* legerunt *habitu, respicite*, quomodo etiam legit S. Hieronymus; quia vero accessus ad Deum per conversionem, est accessus oculorum interiorum, non pedum,

ideo idem est *accedite*, et *respicite*, nimirum accedite oculo fidei, convertite faciem, respicite in Deum. Sic etiam illud, נהרו, potest esse præteritum indicativi modi, et etiam imperativi : sæpe enim defectiva inflectuntur more perfectorum. Certe non solum Septuaginta, sed et S. Hieronymus vertit eam vocem per modum imperandi : et quidem S. Hieronymus vertit, *confluite*, et Septuaginta, *illuminamini*, quia verbum נהר et *confluere*, et *illuminari* significat; sed *illuminamini* magis cohæret cum præcedenti verbo, *respicite*, et ideo communiter est recepta versio Septuaginta Interpretum. Denique Septuaginta et S. Hieronymus non legerunt פניהם *facies eorum*, sed פניכם *facies vestræ*. Itaque tota discordia codicum Hebræorum a græcis et latinis nascitur ex punctis male collocatis a Rabbinis, vel ex libris minus correctis, quos nunc habemus.

Vers. 6. 6. ISTE PAUPER CLAMAVIT, ET DOMINUS EXAUDIVIT EUM : ET DE OMNIBUS TRIBULATIONIBUS EJUS SALVAVIT EUM.

Probat exemplo suo, secure accedendum esse ad Deum tempore tribulationis. Nam, inquit, «iste pauper,» David videlicet, omni ope destitutus, ita ut etiam panem a sacerdote mendicaret, «clamavit» cum fide et fiducia, pulsavit ardenti prece ad ostium divinæ clementiæ, « et Dominus » continuo « exaudivit eum, et ab omni tribulatione liberavit eum. »

Vers. 7. 7. IMMITTET ANGELUS DOMINI IN CIRCUITU TIMENTIUM EUM, ET ERIPIET EOS.

Probavit exemplo, nunc probat ratione, accedendum esse ad Deum cum omni fiducia. Ratio est, quoniam « Angelus Domini, » cui Deus ipse mandavit, ut custodiat homines justos, ut dicitur in *Psalm.* XC, cum videt hominem in periculo, continuo adest, et more castrorum circumdat protectione sua hominem illum, ut nihil ei nocere possit. « Immittet Angelus Domini, » subintelligitur, *ipse se*, « in circuitu timentium eum. » In hebræo sensus clarior est : sic enim ad verbum legimus, *castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos*. Mira potentia angelorum, ut unus angelus vicem exercitus suppleat. Ex quo sequitur ut maxima securitas et pax esse debeat in corde timentium Deum, qui tali custodia muniuntur.

Angelorum mira potentia.

Vers. 8. 8. GUSTATE ET VIDETE, QUONIAM SUAVIS EST DOMINUS : ET BEATUS VIR, QUI SPERAT IN EO.

Pergit in exhortatione, et quia dixerat : Accedite ad eum, et probaverat exemplo et ratione, esse accedendum ad Deum tempore tribulationis, nunc hortatur ad experiendum, ut etiam ipsi proprio experimento discant rem ita se habere. « Gustate, inquit, et videte, quoniam suavis est Dominus, » id est, experimentum sumite, facite periculum, incipite reipsa jactare in Deum omnem sollicitudinem vestram, inhærendo illi, dimissis omnibus consolatoribus aliis; « et videte, » id est, cognoscite, quoniam dulcis est Dominus omnibus inhærentibus sibi. Et vere quid suavius fingi potest, quam animum præditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni? Vere « beatus vir, qui sperat in eo, » id est, qui pacem habet ad Deum, et certa spe recumbit in eo. Sicut autem illud, *accedite, et illuminamini*, exposuimus altiore quodam sensu de insipientibus, qui illuminantur per justificationem : ita quod hic dicitur, *gustate, et videte*, potest exponi de proficientibus, qui post regenerationem spiritualem incipiunt nutriri et crescere, juxta illud S. Petri in *epist.* I, II : « Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem : si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus; » ubi S. Petrus hunc locum Psalmi citat in eum sensum, quem nos modo persequimur. Sanctus etiam Paulus, cap. VI *ad Hebr.*, conjungit illuminationem cum gustatione, cum ait : « Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt quoque bonum Dei verbum, » etc.

Vers. 9. 9. TIMETE DOMINUM, OMNES SANCTI EJUS, QUONIAM NON EST INOPIA TIMENTIBUS EUM.

Post exhortationem ad experiendum quam dulcis sit Dominus, hortatur Propheta ad timorem Domini, id est, ad observantiam mandatorum, sive, quod est idem, ad perseverandum in justitia et charitate Dei, quæ est fundamentum fiduciæ, per quam accedimus ad Deum, et gustamus beneficiorum ejus suavitatem. Rectissime etiam conjunguntur hæc verba superioribus secundum altiorem alium sensum : nam sicut accedendo incipimus, et gustando proficimus, ita timendo perficimur : non enim hic agitur de timore servili, sed de timore casto et filiali, qui convenit sanctis et perfectis. « Timete, inquit, Dominum, omnes sancti ejus : » timor enim iste includit perfectam charitatem, quia qui perfecte diligit, vehementissime timet ne in aliquo dilectum offendat, et ideo diligentissime conformat se voluntati Dei, et servat in omnibus verbum ejus; qui autem sic servat verbum ejus, « in hoc charitas Dei perfecta est, » ut ait S. Joannes in I *epist.* cap. II. De hoc timore dicitur *Job.* XXVIII : « Ecce timor Domini ipsa est sapientia; » *Eccli.* I : « Plenitudo sapientiæ est timere Deum; » et cap. XXV : « Timor Domini super omnia; » et *Isai.* XI, dicitur de Christo : « Et replebit eum spiritus timoris Domini. » Denique Ecclesiastes, cap. ult. : « Time Deum, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo, » quasi dicat : In hoc consistit tota perfectio hominis, et omne ejus bonum in hac vita, ut timendo Deum custodiat omnia mandata ejus; et hoc significant verba sequentia in altiore sensu, « quoniam non est inopia timentibus eum, » sive, ut proprie significat vox hebraica מחסור, *non est defectus timentibus eum*, id est, nihil deficit timen-

Timoris Dei filialis commendatio.

tibus eum : hoc enim est esse perfectum, nihil ei deesse. Et vero quid potest deesse amico Dei, cujus sunt omnia, cum amicorum omnia sint communia? Quod si aliquando justissimis viris deesse videntur temporalia, vere tamen eis nihil deest, cum eis detur patientia, quæ longe melior est divitiis : neque dicitur proprie carere divitiis, qui divitias non desiderat; animus enim dives debet esse, non arca. Sed tamen idem Propheta, sive potius idem Spiritus Sanctus, qui verbis suis instruit sapientes, iisdem verbis humiliore sensu acceptis, instruit etiam insipientes eosque hortatur, ut Deum timeant, quoniam non est inopia timentibus eum, id est, quoniam Deus temporalia subministrat servis suis, neque eos destituit tempore necessitatis. Et sunt in Scripturis, et in historiis de vitis Sanctorum exempla sine numero, quibus probatur Deum mirabili providentia prospicere solitum esse servis suis ea, quæ ad vitam necessaria sunt.

Animus debet esse dives, non arca.

Vers. 10. 10. DIVITES EGUERUNT ET ESURIERUNT : INQUIRENTES AUTEM DOMINUM NON MINUENTUR OMNI BONO.

Idipsum explicat comparando impios cum timentibus Deum, quasi dicat Propheta : Non solum non erit inopia timentibus Deum, sed contra erit inopia magna non timentibus eum, etiamsi divites antea fuerint. In hebræo, pro *divites*, est כפירים *chephirim, leones*, sive *leunculi* : vocat enim Propheta divites impios, metaphorice leones, quod aliena rapiant. Dicit igitur divites impios non semel Deo ipsos puniente, ad extremam inopiam esse redactos. « Divites eguerunt et esurierunt, » id est, qui divites fuerunt, egere et esurire cœperunt, quia divitiæ instabiles sunt, et fallaces, et multis variisque periculis expositæ. « Timentes autem Dominum non minuentur omni bono, » id est, qui non in divitiis, sed in Deo spem suam positam habent, quales sunt, qui Deum timent, illi etiamsi pauperes sint, non minuentur omni bono, id est, non deerit illis ullum bonum : est enim phrasis hebraica, et in Scripturis frequentissima, ut ponatur in propositione negante, *non omne*, pro *nullo*. Nos diceremus, *nullo bono minuentur*, pro eo quod Hebræi dicunt, *non minuentur omni bono*. Sic in *Psalm.* XLVIII : « Cum interierit, non sumet omnia, » id est, cum interierit, nihil sumet; sic in *Apocal.* cap. XXII : « Et omne maledictum non erit amplius, » id est, et nullum maledictum erit amplius. Porro illud, *divites eguerunt et esurierunt*, habet etiam alium sensum magis reconditum, quod videlicet ii, qui divitias temporales amant, quantumvis divitiis abundent, semper egent et esuriunt, quia semper appetunt plura, quam habeant; « inquirentes autem Dominum, » quia rem infinitam quærunt, quæ major est ipsorum desiderio, juxta illud S. Joannis I *epist.* III : « Major est Deus corde nostro; » ii « non minuentur omni bono, » quia summo bono inhærentes, in eo habent omnia bona.

11. VENITE, FILII, AUDITE ME, TIMOREM DOMINI DOCEBO VOS. Vers. 11.

Posteaquam Propheta hortatus est homines ad timorem Domini, docet quæ sit utilitas hujus timoris, et in qua re timor iste sit positus. « Venite, inquit, ad me, » venite ad scholam Spiritus Sancti, qua nullo utilior inveniri potest; « audite me, » vel potius Spiritum Domini per linguam meam loquentem. Sic enim David ipse loquitur lib. II *Reg.* cap. XXIII : « Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. » « Timorem Domini » docebo vos, » id est, docebo quanta sit utilitas timoris Domini, et quid sit iste timor Domini, ad quem, tanquam ad summam omnium bonorum tam sæpe vos in Psalmis, et tam vehementer exhortor.

12. QUIS EST HOMO, QUI VULT VITAM, DILIGIT DIES VIDERE BONOS? Vers. 12.

Explicat his verbis Propheta utilitatem et finem timoris Domini, quo videlicet timor Domini pariat veram vitam et dies bonos, id est vitam felicissimam, quam justi prægustant in hoc sæculo, dum « regnum Dei, quod est justitia, pax, et gaudium in Spiritu Sancto, » *Rom.* XIV, in corde suo habent, et in alio sæculo perfecte possidebunt, quando absorpta erit mors in victoria. « Quis, inquit, est homo qui vult vitam? » quasi dicat : Promisi me timorem Domini esse docturum; nunc igitur adimpleo promissionem meam, ac dico finem timoris Domini esse, id quod omnes cupiunt; sed pauci assequuntur, videlicet, veram atque beatam vitam. Sed qui hunc finem assequi volunt, debent media assumere, quæ mox subjungam. Quis igitur est, qui vult vitam? id est, qui dicunt se velle vitam beatam, et tamen non ingrediuntur viam, quæ ad illam ducit, non videntur vere ac serio velle vitam beatam, sed umbram solum, et imaginem vitæ; ideo interrogo : Quis est, qui vere ac serio vult vitam veram? quis vere diligit videre dies bonos, dies felices ac beatos? In hebræo habetur paulo aliter, *diligit dies ad videndum bonum*; et quamvis sensus idem sit, tamen potest fieri ut in codicibus antiquis fuerit in numero multitudinis טובים *tobim, bonos*, quod nunc est טוב *tob, bonum*; et quod legerint veteres, non per gerundium, sed per infinitivum illud, *ad videndum* : eadem enim vox apud Hebræos facit infinitivum et gerundium, unica littera superaddita in principio. Nam non solum Septuaginta Interpretes, sed etiam S. Hieronymus, et ipse S. Petrus in *epist.* I, cap. III, legit, *dies videre bonos*, non autem *dies ad videndum bonum*.

13. PROHIBE LINGUAM TUAM A MALO, ET LABIA TUA NE LOQUANTUR DOLUM. Vers. 13.

14. DIVERTE A MALO, ET FAC BONUM; INQUIRE PACEM, ET PERSEQUERE EAM. Vers. 14.

Docet jam sanctus Propheta, quibus modis ti-

mor Domini perducat homines ad vitam, et dies bonos, ac dicit perfectam observationem mandatorum Dei, sive abstinentiam ab omni peccato, verborum, operum et cordis, esse rectam viam ad vitam, juxta illud Domini, *Matth.* XIX : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Hæc autem legis observatio et fuga omnis peccati a Dei timore proficiscitur : proinde timor Domini est, qui per legis observationem ad veram vitam, diesque bonos pervenire nos facit. « Prohibe linguam tuam a malo, » id est, cave ne Deum offendas peccato linguæ, mentiendo, pejerando, detrahendo; rixando, etc. Incipit autem a peccatis linguæ, quia sunt frequentiora, et difficilius caventur; propter quod S. Jacobus ait cap. III : « Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. » « Et labia tua ne loquantur dolum; » prohibuit generatim omnia peccata linguæ, sed voluit etiam in specie prohibere perniciosa mendacia, quia sunt multo graviora cæteris, et ex quibus multa alia oriuntur. « Diverte a malo, et fac bonum : » a peccato linguæ transit ad peccata operis, et primum monet ut vitentur peccata commissionis, cum ait : « Diverte a malo, » quale est homicidium, adulterium, etc. Deinde addit: « Et fac bonum, » ut vitentur omnia peccata omissionis, qualia sunt, cum parentes non honorantur, cum Deus tempore suo non colitur, cum omittuntur eleemosynæ, orationes, jejunia, et similia bona opera. « Inquire pacem, et persequere eam. » Hic tandem adjungit, ut caveantur peccata cordis, iræ, odia, invidentiæ, et cæteræ pravæ animi affectiones : ut vera pax, et tranquillitas in omni negotio procuretur et teneatur. Recte autem dicit Propheta : « Inquire pacem, » quia boni viri officium est, non tam pacem cum omnibus habere, quam optare et quærere : sæpe enim aliorum culpa pax obtineri non potest; ideo et Apostolus ait *ad Rom.* XII : « Quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. » Et propheta David in *Psalm.* CXXI : « Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. » Nec solum cum aliis, sed etiam nobiscum ipsi perfectam pacem habere non possumus in hac valle miseriarum. « Video enim, ait Apostolus *ad Rom.* VII, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. » Quamvis autem perfectam pacem nobiscum ipsi habere non possimus, tamen inquirenda pax est, domando membra jejuniis, et carnem spiritui subjiciendo, ut aliquando discat non repugnare, vel minus repugnare imperio mentis. Denique inquirenda illa pax est, totis animi viribus, quæ nos manet in cœlesti Jerusalem : qui enim ad pacem illam, ut par est, toto corde anhelant, facile contemnunt bona, et mala temporalia omnia, ac per hoc habent etiam in hoc mundo pacem ad Deum, quam unam respicit timor Domini filialis.

Boni viri officium est pacem optare, non habere.

Vers. 15. **15.** OCULI DOMINI SUPER JUSTOS, ET AURES EJUS IN PRECES EORUM.

Probat quod dixerat, observantes mandata Dei, et caventes peccata habere vitam, et dies bonos. Ratio autem est, quia Dominus perpetuo respicit viros justos, et semper exaudit preces eorum; quomodo enim non habebunt dies bonos, qui sub omnipotente custode vitam degunt? Nam si justi cognoscunt mala imminentia, et clamant ad Deum, inveniunt apertas et intentas aures ejus; si forte non cognoscant, Deus pro illis vigilat, et liberat a malis plurimis, quæ justi ipsi nec vident, nec intelligunt : ad hoc enim sunt « oculi Domini super justos, » ut custodiat eos a malis, ad quæ ipsorum oculi non pertingunt. Mira Dei bonitas! Quem non delectet tam bonum Dominum toto corde diligere, et filiali affectu timere? quis ista considerans, non clamet cum Propheta : « Confige timore tuo carnes meas; » et in alio Psalmo : « Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum? » At non semper justi exaudiuntur a Deo : imo semper exaudiuntur; sed si non facit Deus, quod ipsi petunt, ideo non facit, quia non expedit eis. Medicus est, et si non exaudit, ut amara potio non sumatur, exaudit, ut per eam potionem morbus curetur.

Mira Dei bonitas.

Vers. 16. **16.** VULTUS AUTEM DOMINI SUPER FACIENTES MALA, UT PERDAT DE TERRA MEMORIAM EORUM.

Ex comparatione impiorum auget Propheta beneficium justorum : nam sicut oculi Domini super justos vigilant, ut eos custodiat, ita etiam *vultus Domini* id est oculus Domini (nam vultus in hebræo dicitur פנים, a verbo פנה, quod est *aspicere*), vigilat *super facientes mala,* id est super iniquos, non ut eos custodiat, sed *ut perdat de terra memoriam eorum*, id est, ut funditus exterminentur et pereant, non ipsi solum, sed filii, et nepotes, et posteri omnes, donec eorum memoria penitus aboleatur. Hoc non semper fieri videmus, quia vel ipsi impii prius resipiscunt, quam tempus ultionis adveniat, vel filii et nepotes non imitantur peccata parentum, vel alia de causa, justo Dei judicio differuntur ejusmodi pœnæ : sed Psalmus cantat id, quod ut plurimum fieri solet, et quod habetur in primo capite Decalogi : « Ego sum Deus tuus, fortis, zelotes, qui visito iniquitates in tertiam et quartam generationem in his qui oderunt me, » *Exod.* XX.

Vers. 17. **17.** CLAMAVERUNT JUSTI, ET DOMINUS EXAUDIVIT EOS, ET EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS EORUM LIBERAVIT EOS.

Probat quod dixit : « Oculi Domini super justos, » etc., exemplis patrum, quæ in sacris historiis leguntur, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosis, Josue, Gedeonis, et aliorum; et forte etiam spiritu prævidebat et canebat liberationem Danielis de lacu leonum, trium puerorum de fornace ardente, Suzannæ de morte ad quam ob falsum crimen damnata erat, et aliorum plurimorum. Neque repugnant huic versiculo exempla Machabæorum, qui de tormentis et morte liberati non fuerunt, sicuti nec exempla apostolorum et martyrum, et ipsius

Christi, qui ab inimicis et persecutoribus injuste supplicia gravissima pertulerunt. Isti enim verissime de omni tribulatione liberati sunt, qui, ut Ecclesia canit, « compendio mortis sacræ vitam beatam possident. » Verissime etiam isti clamantes ad Deum exauditi sunt, quia dedit illis Deus aliquid melius, quam sit liberatio de temporali calamitate : dedit enim eis pretiosum patientiæ donum, et pro eadem patientia coronam gloriæ sempiternæ.

In hymno de pluribus martyribus.

Vers. 18. 18. JUXTA EST DOMINUS IIS, QUI TRIBULATO SUNT CORDE, ET HUMILES SPIRITU SALVABIT.

Declarat modum Propheta, quo Deus justos de tribulatione liberat, et videtur pluribus verbis explicare quod brevissime dixit in *Psalm.* IX : « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum, » id est, cum ipso sum per patientiam in hac vita, « eripiam eum » per mortis soporem, « et glorificabo eum » per gloriosam resurrectionem. Ita nunc dicit : « Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, » id est, justos qui, ob angustias et persecutiones, corde afflicto et tribulato sunt, Deus non deserit; sed prope adest patientiam subministrans, et consolationem cœlestem admiscens, ut fortiter sustinere possint. Neque hoc diu durabit, nam paulo post « humiles spiritu salvabit, » id est, illos ipsos humiliatos et afflictos corde et spiritu (nam in hebræo est דכאי רוח, *contritos spiritu*) ob gravitatem tribulationis eruet de omni angustia.

Vers. 19. 19. MULTÆ TRIBULATIONES JUSTORUM, ET DE OMNIBUS HIS LIBERABIT EOS DOMINUS.

Hoc pertinet ad illa postrema verba versiculi superioris, *humiles spiritu salvabit :* idem est enim ac si dixisset, *humiles spiritu salvabit,* et ita salvabit, ut etiamsi plurimæ sint eorum tribulationes, tamen de omnibus omnino liberabit eos. « Absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, » ut in *Apocal.* dicitur, cap. XXI. Hinc admonemur, non promitti fidelibus in hac vita carentiam inopiæ, morborum, ignominiæ, persecutionum, calumniarum, oppressionum; sed promitti consolationem spiritualem præsenti tempore, et plenam, atque perfectam liberationem in futuro. In hebræo צדיק *tsaddik* habetur in singulari numero, *multæ tribulationes justi, et de his omnibus liberabit eum Dominus,* sed in sensu nulla est discordia : non enim Propheta significare voluit, unius tantum justi multas esse tribulationes; sed uniuscujusque justi, ac per hoc omnium justorum.

Vers. 20. 20. CUSTODIT DOMINUS OSSA EORUM, UNUM EX HIS NON CONTERETUR.

Videntur hæc ad resurrectionis gloriam pertinere, ad quam sine dubio pertinet quod in Evangelio *Luc.* XXI, Dominus dicit : « Et capillus de capite vestro non peribit; » recte enim dici potest non esse confractum, quod statim post confractionem integrum, et fortius ac pulchrius repræsentatur. Quamvis igitur justorum ossa et membra omnia dissipentur, et vel a feris devorentur, vel in mare projiciantur, vel ab igne consumantur, custodit tamen Dominus omnia illa in sinu providentiæ suæ, et nihil omnino ex eis peribit, sed integra omnia et gloriosa in resurrectione restaurabuntur. Alii tamen exponunt hunc locum de ossibus interioribus, id est de fortitudine animi, quæ in sanctis, in maximis etiam persecutionibus, Domino custodiente, non deficit.

Resurrectio mortuorum omnium

membrorum erit integra.

Vers. 21. 21. MORS PECCATORUM PESSIMA, ET QUI ODERUNT JUSTUM, DELINQUENT.

Ne putarent impii suos quoque cruciatus et miserias in morte finiri, quod athei, vel qui Dei providentiam, aut animæ immortalitatem non credunt, sibi falso persuadent, adjungit Propheta : « Mors peccatorum pessima, » quia videlicet initium erit cruciatuum æternorum, sicut mors Sanctorum pretiosa est, quia requiem et gloriam inchoat sempiternam. « Et qui oderunt justum, delinquent, » id est, et ii qui justum vexant, et odio habent, omnes videlicet justorum persecutores, qui existimant se victores esse et multum lucrari cum justos deprimunt, spoliant, occidunt, tandem « delinquent, » id est, aberrabunt a via veræ felicitatis, et dicent id quod legimus in lib. *Sapient.* cap. V : « Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia? transierunt illa tanquam umbra, » etc. In hebræo pro illis verbis, *mors peccatorum pessima,* habetur ad verbum, *interficiet impium malitia.* Et quamvis sensus sit idem, et sine dubio pessima sit mors eorum, quos malitia interficit, quia malitia non mortem solum temporalem, sed etiam sempiternam adducit, tamen omnino credibile est Septuaginta Interpretes aliter legisse, et ideo aliter transtulisse. Illud igitur, תמותת *themutheth,* quod est verbum, et significat *interficiet,* ipsi legerunt, *themuthath,* quod est nomen in regimine, et significat *mors.* Nam in hebræo sunt litteræ omnes eædem, et sola puncta mutari, debent, quæ a Rabbinis addita sunt, et sæpe non recte. Posito autem nomine *themuthath,* sequens vocabulum non potest verti *impium,* sed *impii,* sive *peccatoris,* et tertia vox non potest reddi *malitia,* sed *mala,* vel *pessima,* quamvis verbum hebræum utrumque significet. Itaque recte Septuaginta verterunt, *mors peccatorum pessima.* Quod sequitur, *et qui oderunt justum delinquent,* ex hebræo multi vertunt, *et qui oderunt justum, desolabuntur;* sed vox hebraica utrumque significat, *delinquere* et *desolari,* et refertur tam ad pœnam, quam ad culpam; sed quia Septuaginta verterunt, πλημμελήσουσι, quod verbum *delinquere, peccare, errare* significat, et S. Hieronymus ex hebræo reddidit *culpabuntur,* non debemus ab hac posteriore

significatione recedere. Quia tamen delinquere po test accipi pro eo quod est delinquere in alium, sive lædere, et nocere; et pro eo quod est delinquere in seipsum, id est, errare a scopo, sive deficere in cursu, et amittere bravium, hoc posteriore modo nos paulo ante accepimus et exposuimus. Siquidem dubium esse non poterat, quin impii delinquerent in homines justos, sed dubium esse poterat an, lædendo justos, læderent magis seipsos; et hoc Propheta affirmat dicens: « Odientes justum delinquent, » id est, nocentes justis sibi ipsi magis nocebunt, quia errabunt a fine ultimo, quem omnes homines desiderant, et qui solus beatos ac felices reddit possessores suos; et in hoc sensu *delinquent* idem est quod *desolabuntur* : nulla enim est desolatio major, quam amittere vitam æternam.

Vers. 22. 22. REDIMET DOMINUS ANIMAS SERVORUM SUORUM, ET NON DELINQUENT OMNES QUI SPERANT IN EO.

Concluditur Psalmus prædicendo justis contrariam sortem ei, quæ prædicta est impiis. « Redimet Dominus, » ab omni servitute, atque adeo ab omni malo, « animas servorum suorum, » cum eas de carcere corporis eduxerit, et ideo mors justorum optima, ut merito dixerit Balaam: « Moriatur anima mea morte justorum, et sint novissima mea horum similia, » *Num.* XXIII. « Et non delinquent omnes qui sperant in eo, » id est, et non errabunt a scopo, non deficient a cursu, pervenient omnino ad bravium supernæ felicitatis, « omnes, » qui non in suis viribus, sed in Deo confidunt. Est autem hoc loco advertendum, non satis esse spem qualemcumque, sicuti nec fidem mortuam, ad vitam æternam obtinendam : sed hoc loco tribui spei adeptionem beatitudinis, quia sermo est de spe justorum, timentium et diligentium Deum, quam apostolus Petrus vocat *spem vivam*, I *Petri* I. Hæc plane spes et fiducia, quæ nascitur ex patientia, ex bonis operibus, ex testimonio, conscientiæ bonæ juxta illud: « Patientia probationem operatur, probatio vero spem, » *Rom.* V; et illud: « Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu, » I *Timoth.* III; et illud : « Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, » *Joan.* III: hæc, inquam, spes viva et perfecta, recta perducit ad rem, id est, ad gloriam sempiternam, ut quod speravimus, aliquando possideamus.

PSALMUS XXXV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Ipsi David.*

1. Judica, Domine, nocentes me : expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi.

3. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me; dic animæ meæ : Salus tua ego sum.

4. Confundantur et revereantur, quærentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

5. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.

6. Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.

7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui; supervacue exprobraverunt animam meam.

8. Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat eum : et in laqueum cadat in ipsum.

9. Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.

V. S. H. — *David.*

Judica, Domine, adversarios meos : pugna contra impugnantes me.

Apprehende scutum et hastam [al. *contum*], et surge in auxilium meum [al. *mihi*].

Evagina gladium, et præoccupa ex adverso persequentes me : dic animæ meæ, salus tua ego [al. add. *sum*].

Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam : convertantur retrorsum, et confundantur, qui cogitant malum mihi.

Fiant sicut pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini impellat,

Sit via eorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequatur eos.

Quia frustra absconderunt mihi insidias retis sui : sine causa foderunt animæ mæ.

Veniat ei [al. *eis*] calamitas quam ignorat, et rete suum quod abscondit, comprehendat eum, et cadat in laqueum [*h. in calamitatem*].

Anima autem mea exsultabit in Domino, lætabitur in salute sua [al. *tua*].

10. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum.

11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

12. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

13. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

14. Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens et contristatus sic humiliabar.

15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

16. Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me; subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.

17. Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

18. Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique: qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

21. Et dilataverunt super me os suum; dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.

22. Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me.

23. Exurge et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam.

24. Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi.

25. Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ; nec dicant: Devoravimus eum.

26. Erubescant et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.

27. Exultent et lætentur, qui volunt justitiam meam, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

28. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui? eruens inopem a validiore, et pauperem ac mendicum a violento.

Surgentes testes iniqui, quæ nesciebam interrogabant me.

Reddebant mihi mala pro bono: sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum infirmarentur, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in [al. *ad*] sinum meum revertetur.

Quasi ad amicum [*h. sodalem*], quasi ad fratrem meum sic ambulabam: quasi lugens mater, tristis incurvabar.

Et in infirmitate mea lætabantur et congregabantur: collecti sunt adversus me percutientes, et nesciebam, scindentes et non tacentes.

In simulatione verborum fictorum, frendebant contra me dentibus suis.

Domine, quanta videbis [al. *aspicies*]? converte animam meam a calamitatibus eorum [al. *suis*]: a leonibus solitariam meam.

Confitebor tibi in ecclesia grandi [al. *magna*]; in populo forti laudabo te.

Non lætentur super me inimici mei mendaces: odientes me frustra conniventes [al. *cohibentes*] oculo.

Non enim pacem loquuntur, sed in rapina terræ verba fraudulenta concinnant.

Et dilataverunt super me os suum. Dixerunt: Vah vah; vidit oculus noster.

Vidisti, Domine, ne taceas: Domine, ne elongeris a me.

Consurge [*h. expergiscere*], et vigila in [al. tac. *in*] judicium meum, Deus meus, et Domine [al. *Dominus meus*], in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et ne insultent mihi.

Nec dicant in corde suo: Vah animæ nostræ; et ne dicant: Absorbuimus eum.

Confundantur et revereantur pariter, qui lætantur in afflictione mea.

Induantur confusione et verecundia, qui magnificantur super me.

Laudent et lætentur, qui volunt justitiam meam; et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui vult pacem servi sui.

Et lingua mea meditabitur [al. *meditetur*] justitiam tuam, tota die laudem tuam.

Argumentum. — Orat Deum, ut sibi adversus inimicos, a quibus per summam injuriam oppugnatur, præsidio sit; tum eorum mores, insidias, malignitatem, superbiam describit; tum denique se tanti beneficii memorem, laudes illi per totam vitam relaturum spondet. Strophæ tres : 1-10, 11-18, 19-27, in quarum singulis preces, adversariorum accusationem, promissionem gratiarum invenies. Cf. I *Sam.* XXIV, 16.

1. Davidis *carmen.*

Contende, Jova, adversus eos qui in me contendunt,
pugna cum iis qui me oppugnant.
2. Prehende clypeum et scutum,
et surge in auxilium meum.
3. Et exsere hastam, et interclude *viam* in occursum persecutorum meorum;
dic animæ meæ : Salus tua ego.
4. Pudore et contumelia afficiantur quærentes animam meam;
cedant retro et erubescant qui meditantur malum (exitium) meum.
5. Sint ut palea (gluma) coram vento,
et Angelus Jovæ *sit* protrudens *eos ad lapsum.*
6. Sit via eorum tenebrosa et lubrica (propr. *tenebræ, lubricitates*),
et Angelus Jovæ persequatur eos.
7. Nam immerito absconderunt mihi foveam retis sui,
immerito foderunt *foveam* animæ meæ.
8. Superveniat ei (adversario meo) ruina, non opinetur (inopinato);
et rete ejus, quod abscondidit, capiat eum,
cum exitio incidat in illud.
9. Et (tum) anima mea exsultabit in Jova,
lætabitur in salute ejus.
10. Omnia ossa mea dicent : Jova, quis tui similis,
qui eripis afflictum ab eo qui potentior est illo,
et afflictum et egenum a spoliatore ejus?

11. Surrexerunt testes violentiæ (injuriosi);
quorum non sum conscius interrogant me.
12. Rependunt mihi malum pro bono,
orbitas est animæ meæ.
13. Et (at) ego, dum illi male habebant, vestimentum meum *erat* saccus,
affligebam jejunio animam meam,
et precatio mea in sinum meum redibat.
14. Tanquam amicus, tanquam frater mihi *esset* (quisque eorum), incessi (me habui);
tanquam lugens matrem squalidus (alii *pullatus*) demisi caput.
15. Et (sed) in claudicatione mea lætantur et sese congregant;
sese congregant adversus me percutientes, et non sciebam;
lacerant me, nec quiescunt (desinunt).
16. Inter sceleratissimos sannionum placentæ (genit. singul.)
frendent contra me dentibus suis.
17. Domine, quousque *otiosus* spectator eris?
Reduc (libera) animam meam a ruinis eorum (quas mihi parant),
a leonibus unicam meam.

18. Celebrabo te in cœtu magno,
in populo numeroso laudabo te.

19. Ne gaudeant de me hostes mei immeriti,
neque osores mei immeriti nictent oculis.
20. Neque enim pacem loquuntur (per litoten dictum),
et contra quietos terra verba fraudis excogitant.
21. Et late aperiunt contra me os suum (cachinno);
dicunt : Eia, eia, *tandem* videt oculus noster (exitum tuum)!
22. Vides, Jova : ne sileas;
Domine, ne sis remotus a me (auxilio tuo).
23. Evigila et expergiscere ad judicium meum,
mi Deus et Domine, ad causam meam.
24. Judica me secundum justitiam tuam, o Jova mi Deus,
et noli permittere ut lætentur de me (hostes mei).
25. Ne dicant in corde suo : Eia, anima nostra *completa est!*
Ne dicant : Absorpsimus illum!
26. Pudore afficiantur et erubescant ad unum omnes,
qui lætantur de malo meo;
induant pudorem et ignominiam,
qui fastuose agunt contra me.
27. Jubilent et lætentur amantes justitiam meam,
dicantque continuo : Magnus est (vel *sit*) Jova,
qui vult pacem (prosperitatem) servi sui.
28. Et lingua mea dicet justitiam tuam,
omni die laudem tuam.

NOTÆ.

Vers. 1. *Contende,* gall. *plaide, sois l'adversaire.* Post metaphoram forensem sequitur phrasis bellica. Pro *pugna,* etc., alii vertunt *devora.* — Vers. 2. *Scuto* infixa erat cuspis, ad hostes, si propius accederent, vulnerandos. Maurer vertit, *cum auxilio meo.* — Vers. 3. Ewaldo et aliis *segor* est teli genus, ita ut vertant, *stringe hastam et sagarin* (securis genus) *in occursum,* etc. : contra veterum omnium fidem. — Vers. 4. *Afficiantur,* sive ausis excidentes, sive Jova graviter eos puniente. — Vers. 5. Vel, *angelo Jovæ protrudente :* ita Rosenmullerus. — Vers. 7. *Foveam retis sui,* reti instructam. Translatio a venatione ferarum desumpta, ad quas capiendas super defossam foveam laqueus et plaga conditur, terraque operitur, ut incaute gradiens bellua irretiatur, et in foveam cadat. Alii minus recte, *perniciem retis sui,* pro *perniciosum rete.* — Vers. 8. Pro *cum exitio,* alii, *in foveam.... in eam,* pleonast. — Vers. 12. Alii, *orbitatem,* cum verbo *rependunt* construct. — Vers. 13. Quam longe alium ego me exhibui versantibus simili in miseria! *Redibat,* preces fundebam lugens serio, capite in sinum inclinato : sic enim preces quasi in sinum precantis redeunt. — Vers. 14. Vide quam crescat oratio, quam eleganter adscendat ab amico ad fratrem, a fratre ad matrem. — Vers. 15. *Claudicare* Hebræis synecdochice pro omni genere imbecillitatis accipitur, metaphora desumpta ab ovibus. *Sese congregant,* gall. *se liguent,* ad inferendum mihi damna. Maurer secundum membrum vertit, *congregantur, super me* agitantes *flagella.* Pro *percutientes* Hengstenberg vertit, *homines nihili* : conf. *Job.* xxx, 8. Ewaldus, *congregant sese mihi flagella* : ita Septuaginta et Vulgatus : *flagella,* linguæ scil., i. e. calumniæ, quas ignorabam, utpote innocens. — Vers. 16. *Inter,* i. e. cum. Alii, *sicut,* gall. *en impurs bouffons qui se jettent avidement sur un gâteau et se le disputent.* Parasitæ ventris causa in conviviis scurras et calumniatores agunt; apud Græcos dicuntur ψωμοκόλακες, κνισσοκόλακες. — Vers. 17. *Unicam,* i. e. animam, omni præsidio destitutam : ita Rosenmullerus. Rectius alii : vitam meam, rem pretiosissimam. — Vers. 19. Alii, non male, in posteriori membro vertunt, *neque* de me gaudeant *osores mei immeriti, qui nictant oculis.* — Vers. 20. *Neque.* Pro לא, Alexandrini legerunt לי, *mihi,* vel הלא *annon;* ceperunt vero רגז pro רגע. — Vers. 25. *Anima nostra,* i. e. desiderium nostrum, puta jam successit. — Vers. 27. *Amantes,* i. e. justæ meæ causæ faventes.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Ipsi David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum Psalmi videtur esse oratio Christi ad Patrem adversus persecutores suos, et corporis sui, quod est Ecclesia. Fortasse etiam, ut Theodoretus, Euthymius et alii volunt, orat ipse David pro liberatione sua, et contra Saul regem aliosque persecutores suos. Sed quia Propheta erat, et de Christo ut plurimum loquebatur in Psalmis, ut colligitur ex verbis Domini, *Luc.* cap. ult.; ideo cum S. Augustino et S. Hieronymo sensum principalem ad Christum pertinere censemus.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. JUDICA, DOMINE, NOCENTES ME, EXPUGNA IMPUGNANTES ME.

Propositio generalis est, qua petitur auxilium contra persecutores. Sed ex hebræo textu sententia explicanda est. Siquidem in hebræo habetur ad verbum, *judica, Domine, judicantes me*; sive *litiga cum litigantibus mecum*. Nam ab eadem voce formantur verbum et participium, seu nomen verbale; et quamvis hebræa vox ריבה *ribah*, sit ambigua, et possit referri tum ad judicium, tum ad litem, tamen græca et latina editio declaraverunt esse referendam ad judicium; itaque sensus erit: *Judica judicantes me*, id est, justo judicio condemna eos qui me injusto judicio condemnarunt, quales fuerunt principes Hebræorum, Annas et Caiphas, et principes ethnici, Pilatus et Herodes, qui Christum injuste judicarunt, et multi principes, qui sanctos martyres iniquissimo judicio condemnarunt. Quod autem nos legimus, « judica nocentes me, » eumdem sensum habet: qui enim injuste judicat, sine dubio nocet. Et quia persecutores Christi et Ecclesiæ videri volebant, quasi secundum leges atque ex zelo justitiæ Christum et servos ejus morti adjudicare, revera autem non judices, sed hostes erant, et cum falsa pietate pro superstitionibus suis bellum gerebant; ideo subjungit Psalmus: « Et expugna impugnantes me; » vel, ut clarius habetur in textu hebræo et græco, ubi est similis allusio verbi et participii, *pugna contra pugnantes mecum*, id est, suscipe causam meam et bellum meum, ut expugnante te inimicos meos, ego manus eorum effugiam et victoriam referam.

Principes qui Christum condemnarunt.

Vers. 2. 2. APPREHENDE ARMA, ET SCUTUM, ET EXURGE IN ADJUTORIUM MIHI.

Declarat illud, *expugna impugnantes me*; et quia qui pugnat debet instructus esse armis, tum quibus repellat ictus adversarii, tum quibus adversarium feriat; ideo in hoc versiculo meminit armorum prioris generis, in sequente vero posterioris. Nam pro eo quod nos legimus: *Apprehende arma et scutum*, in hebræo est ad verbum, *apprehende clypeum et scutum*; sed græci et latini interpretes pro prima voce verterunt *arma*, ne rem eamdem bis ponerent, sed per *arma* intellexerunt arma defendentia et protegentia: id enim omnium consensu significat מגן *maghen*, a verbo גנן *ghanan*, quod est *protegere*. Porro *clypeus* et *scutum* Dei est bona ejus voluntas, juxta illud *Psalm.* v: « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos. » Item æquitas sive justitia, *Sap.* v: « Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. » Et quidem benevolentia Dei clypeus est, quo Deus nos protegit. Plane enim securus est, quem Deus amat, et de illo dici potest: « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum. » Justitia Dei, quæ in Scripturis vocari solet æquitas, scutum est, quo Deus ipse protegit a judiciis et calumniis hominum impiorum: quantumvis enim Deus severe et atrociter impios puniat, semper justissime punit; et ideo non timet Deus jacula linguarum, vel judiciorum, juxta illud: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » *Psalm.* L. Et de hoc dicitur: « Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem, » quando videlicet Deus ad judicium novissimum veniet, et armabitur in ultionem inimicorum. Quare non sine causa bis hoc loco ponitur nomen clypei, sive scuti, quoniam utroque simul Deus armatur, cum et nos misericorditer protegit, et juste se ipsum defendit.

Clypeus et scutum Dei est bona ejus voluntas.

Vers. 3. 3. EFFUNDE FRAMEAM, ET CONCLUDE ADVERSUS EOS QUI PERSEQUUNTUR ME; DIC ANIMÆ MEÆ: SALUS TUA EGO SUM.

Hic jam loquitur de armis ad lædendum aptis, et per frameam intelligit *gladium*, ut S. Hieronymus vertit, et sensus est: Evagina gladium, et stringe illum contra persecutores meos. Illud enim, *effunde frameam*, significat facilem atque promptam gladii evaginationem, qualis est cum

gladius politus et lævis est : tunc enim nullo labore eximitur, atque quasi funditur e vagina ; contra autem gladius rubigine confectus, vix magno labore nudari potest. Illud autem, *et conclude,* intelligitur de conclusione gladii, qui manu acriter stringi debet, ut firmiter teneatur, et fortius feriat. Verbum enim hebraicum סגור *segor claudere* et *stringere* significat. Sed quia framea et vox hebraica חנית *chanith*, et græca ῥομφαία non proprie *gladium*, sed *spiculum*, vel *lanceam* significat, ideo potest etiam sic exponi hic locus : « Effunde frameam, » id est, jace spiculum, seu lanceam in hostes, « et conclude adversus eos qui me persequuntur, » id est, claude viam, pone obstaculum, ne hostes accedant. Porro gladius et lancea Dei est ira ipsius, id est justitia vindicativa, qua impios punit. Sic enim legimus *Deuter.* XXXII : « Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis; » et *Sapient.* V : « Acuet diram iram in lanceam. » Nam et gladius et lancea arma sunt offensiva. Mirabile prorsus spectaculum animæ fideli objicitur, cum cogitat Deum pro se stare armatum scuto et gladio, sive lancea, et audit illum in corde dicentem : « Salus tua ego sum. » Quamvis enim satis sit ad omnem securitatem, id quod Apostolus dicit *Rom.* VIII, 31 : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » tamen Spiritus Sanctus, ut adhuc potentius infirmitatem nostram sustentaret, describit Deum non quomodocumque, sed armatum omni armorum genere, pro Ecclesia, et singulis fidelibus suis, adversus hostes visibiles et invisibiles pugnantem. « Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. » Non satis est ad animi tranquillitatem, ut Deus pugnet pro nobis, sed necesse est ut id nobis innotescat ; ideo petit Christus pro corpore suo, ut id reveletur, et loquente Spiritu Sancto ad cor fiducia oriatur. Quamvis autem magis proprie Deus medicus dici possit, quam salus, rectissime tamen salus dicitur, quia medici et medicamenta non semper sanant, nec intime penetrant substantiam rei, quam sanare cupiunt : Deus autem sanat semper, et intime illabitur animæ, et sicut fieri non potest ut sanitate præsente homo non sit sanus, etiamsi omnia alia absint : ita fieri nequit, ut Deo volente sanare, et per gratiam suam præsente, anima non sit sana, etiamsi omnia alia desint.

Gladius et lancea Domini est ira ejus.

Deus melius dici potest medicus quam salus.

Vers. 4. 4. CONFUNDANTUR ET REVEREANTUR, QUÆRENTES ANIMAM MEAM.

Describit exitum impiorum, adversus quos Deus arma capit, ac primum dicit : « Confundantur et revereantur, » id est, erubescant ob amissam victoriam qui quærunt me interficere ; idem enim significant illa duo vocabula, *confundantur* et *revereantur*. Non enim hic agitur de reverentia erga alium, sed de pudore, quo suffundi solet qui cadit causa. Illud, *qui quærunt animam meam,* ambiguum est. Aliquando enim accipitur in bonam partem, ut in eo loco *Psalm.* CXVIII : « Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam, » id est, non habeo refugium ullum, neque est qui me noverit, et requirat, ut defendat. Aliquando in malam partem accipitur, ut hoc loco, et alibi sæpius, ubi quærere animam, est conari ad tollendam animam, id est vitam.

Vers. 5. 5. AVERTANTUR RETRORSUM, ET CONFUNDANTUR COGITANTES MIHI MALA.

Non solum igitur confundantur, et pudore afficiantur, sed etiam « avertantur retrorsum, » id est, recedant victi et confusi, « qui cogitant mihi mala, » id est, qui meditantur necem meam.

Vers. 6. 6. FIANT TANQUAM PULVIS ANTE FACIEM VENTI, ET ANGELUS DOMINI COARCTANS EOS.

Addit tertio, ut non solum erubescant, nec solum recedant, sed celeriter fugere cogantur, et dispergantur in varia loca. Pulvis enim a vento in varias partes magno impetu, velociterque dispergitur. Augetur autem hoc loco celeritas fugæ, et dispersio, tum ex parte pulveris, tum ex parte venti. Nam pro pulvere in hebræo est מוץ *mots*, quod significat *glumam*, ut diximus in explicatione primi Psalmi, id est, pulverem levissimum, ex minutissimis et aridissimis paleis conflatum. Et pro vento corporali, hic ponitur *Angelus Domini,* qui Spiritus est vivens, et longe potentior et efficacior omni vento. Fiant igitur sicut pulvis levissimus, qui ab omni vento facile rapi potest, et tamen non levis ventus, sed *Angelus Domini* sit *coarctans*, et impellens *eos*.

Vers. 7. 7. FIAT VIA ILLORUM TENEBRÆ, ET LUBRICUM, ET ANGELUS DOMINI PERSEQUENS EOS.

Addit ultimo, ut non solum dispergantur, et fugere cogantur, sed etiam sine ullo remedio in exitium præcipitentur : fugientes enim juvari solent scientia viarum, itinere tuto et stabili, aut certe si via sit lubrica, tarditate ambulationis. Hic autem ista omnia remedia cessant ; imprecatur enim Propheta impiis, ut fugere cogantur in tenebris, et per viam lubricam, ut neque oculi, neque pedes officio suo fungi possint, et instante post eos, ac vehementer urgente Angelo Domini, ut necesse sit eos in præcipitium et exitium ruere. Hæc omnia implentur hoc tempore in Judæis, aliisque persecutoribus Christi et Ecclesiæ, qui justo Dei judicio versantur in tenebris ignorantiæ, et in lubrico concupiscentiæ ; et persequente eos ira Dei, quotidie labuntur in majora peccata, et ad sempiternam mortem summa velocitate festinant. Sed manifestius implebuntur in die judicii : tunc enim impii confundentur et pudefient confusione ineffabili, et avertentur retrorsum in præcipitium gehennæ divina potestate coacti, idque absque ullo remedio, quomodo sine remedio ruit, et corruit in exitium, qui in tenebris per lubricum alio persequente festinare compellitur.

Christi et Ecclesiæ hostium ruina et interitus.

Vers. 8. 8. QUONIAM GRATIS ABSCONDERUNT MIHI INTERITUM LAQUEI SUI : SUPERVACUE EXPROBRAVERUNT ANIMAM MEAM.

Vers. 9. 9. VENIAT ILLI LAQUEUS, QUEM IGNORAT; ET CAPTIO, QUAM ABSCONDIT, APPREHENDAT EUM : ET IN LAQUEUM CADAT IN IPSUM.

In primis septem versiculis locutus est Propheta in persona Christi et omnium justorum de persecutionibus generatim : in sequentibus versiculis explicat tria genera persecutionum, quas pati solent justi ab impiis. Nam primum fraudibus et insidiis justos vexant, deinde falsis testimoniis eosdem appetunt, postremo aperta vi non verbis tantum, sed etiam factis justos opprimunt. Dicit igitur de primo genere : «Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, » id est, quoniam quidem nulla injuria a me lacessiti mihi insidias struere non cessant; ideo precor Deum, ut providentia sua faciat, ut insidiæ illæ in perniciem ipsorum convertantur. Quæ imprecatio, ut alias meminimus, non tam imprecatio, quam prophetia est. Vere enim providentia Dei hoc agit, ut insidiæ, vel solis noceant insidiatoribus, vel prius, et magis illis, quam aliis : quomodo fax accensa, ut comburat domum, se ipsam prius incipit comburere et consumere, quam domum, et sæpe domui nihil nocet : ita malitia insidiantium statim incipit animum insidiantis vastare; aliis autem, vel nihil nocet, vel longe minus, quia minus est malum pœnæ, quam malum culpæ. Quod attinet ad verba, illud : *Absconderunt mihi interitum laquei sui*, S. Augustinus legit : *Absconderunt mihi laqueum corruptionis suæ;* sed hebræi græcique codices cum nostra editione concordant. Sensus autem idem est. Dicitur enim *interitus laquei*, mors, quæ paratur per instrumentum laquei, et dicitur laqueus interitus, sive corruptionis, laqueus, qui paratur, sive tenditur ad capiendum et occidendum. In hebræo habetur רשתם, *rete*, non *laqueus;* sed parum refert : utrumque enim instrumentum est ad capiendum aptum. Illud, *supervacue*, in hebræo est חנם *chinnam*, id est *gratis*, sicut paulo ante; sed Interpres variare voluit. Itaque sensus est : « supervacue, » id est *sine causa*, cum nullam a me injuriam acceperint, exprobraverunt animam meam, id est, probro me affecerunt, tendentes mihi laqueos et retia quasi feræ silvestri. In hebræo nunc habetur חפרו *chapheru*, id est *foderunt;* sed Septuaginta legisse videntur חרפו, una littera transposita; id enim significat *exprobraverunt*. Quamvis si legamus, *foderunt animæ meæ*, idem erit sensus, nimirum sine causa foderunt foveam deceptionis vitæ meæ, ac per hoc pudore me affecerunt. Illud autem, *veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum*, multo clarius est in hebræo, videlicet sic : *Veniat illi*, nimirum insidiatori, *calamitas quam ignorat*, id est, calamitas insperata et inopinata. Et declarat quæ sit ista calamitas, addens, *rete suum*, sive *laqueus suus quem abscondit mihi, capiat ipsum*, et sic *incidat* in ipsam calamitatem, quam mihi paraverat. Sententia tamen eadem est, nisi quod Septuaginta pro calamitate in utroque loco ponere maluerunt instrumentum calamitatis, videlicet laqueum, et pro reti sive laqueo, posuerunt *captionem*, quæ est effectus laquei. Illa repetitio, *in ipsum*, est hebraismus, pro eo quod nos Latini dicimus, *in ipsum eumdem* laqueum cadat.

Vers. 10. 10. ANIMA AUTEM MEA EXULTABIT IN DOMINO, ET DELECTABITUR SUPER SALUTARI SUO.

Vers. 11. 11. OMNIA OSSA MEA DICENT : DOMINE, QUIS SIMILIS TIBI?

Vers. 12. 12. ERIPIENS INOPEM DE MANU FORTIORUM EJUS, EGENUM ET PAUPEREM A DIRIPIENTIBUS EUM.

In his tribus versiculis Propheta explicat lætitiam inenarrabilem, qua perfundetur justus, cum se perfecte liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Sunt autem phrases poeticæ, metaphoricæ, admirabiles. Est autem hæc sententia : cum id acciderit, quod precatus sum, « anima mea, » qua vivo et sapio, præ lætitia « exultabit in Domino » Deo, videlicet laudans et magnificans; et simul « delectabitur super salute sua, » quam se adeptam esse videbit, vel potius super ipsum Dominum qui est salus ejus, non solum anima, sed etiam corpus, imo omnes partes corporis, etiam intimæ et abjectissimæ, quales sunt ossa, quæ sensum habent : nec solum *ossa*, sed *omnia ossa*, etiam minima, gestient præ voluptate, et si sensum et vocem haberent, exclamarent utique, et dicerent : « Domine, quis similis tibi? » nihil enim est in terra neque in cœlo te fortius, benignius, sapientius, amabilius : quippe qui tam potenter et misericorditer eripis pauperem de manu hostis multo fortioris ipso, qui violenter ejus bona, et ipsam vitam rapere cupiebat. S. Augustinus, more suo allegoricum sensum persequens, per *ossa* intelligit viros perfectos, qui sunt in Ecclesia, per carnem vero homines infirmos, ut sensus sit : Quamvis tempore tentationis, vel persecutionis caro mystici corporis Ecclesiæ cedat, ossa tamen non cedent, sed resistent, ac dicent : « Domine, quis similis tibi? » Quod attinet ad verba, illud, *salutari suo*, in hebræo est בשועתו, *salutem suam*. Sed quia secunda pars versiculi ut plurimum repetit et explicat primam, et in prima dictum est, *exultabit in Domino*, recte S. Augustinus per *salutare* intelligit ipsum Dominum, qui supra dixit : « Salus tua ego sum. » Illud autem, *omnia ossa mea dicent*, simile est illi, quod habetur in *Ps.* CII : « Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. » Significatur autem in hac phrasi perfecta quædam lætitia, quæ totum hominem repleat. Aliquando enim animus gaudet sed corpus dolet, et tunc non est plena

perfectaque lætitia : sed quando sanabit Dominus omnes languores nostros, et replebit in bonis omne desiderium nostrum, tum demum totus homo inenarrabili voluptate perfusus exultabit in Domino, et omnes partes ejus usque ad ossa insensibilia, dicent Domino : « Quis similis tibi? » Sicut enim res insensibiles sitire dicuntur, quando carent necessariis adjumentis, juxta illud *Ps.* LXII : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea; » sic etiam eædem res insensibiles, quando defectus earum tolluntur, exultare et gestire dici possunt. Illud, *Domine, quis similis tibi?* in græco geminatur, *Domine, Domine;* sed neque geminatio habetur in hebræo, neque legitur ab Augustino, vel Theodoreto, vel Euthymio. Illud, *eripiens inopem*, in hebræo facilius connectitur cum superioribus : sic enim ad verbum legitur : « Domine, quis sicut tu, qui eripis inopem? » Est itaque sic connectenda sententia : *Domine, quis similis tibi, qui es eripiens inopem de manu fortiorum ejus?* Illud quoque, *de manu fortiorum ejus*, in hebræo clarius est; sic enim legimus, מציל עני ממחזק ממנו, *eripiens inopem a robusto præ ipso*, id est, ab hoste robustiore, quam ipse sit. Sed latinus Interpres reddidit ad verbum quod invenit in græco. Denique pro illis verbis, *a diripientibus eum*, in hebræo solum est מגזלו *miggozelo, a violento;* sed Interpretes explicare voluerunt latius, quod unico verbo continebatur in textu originali.

Anima aliquando gaudet, et corpus dolet.

Vers. 13. 13. SURGENTES TESTES INIQUI, QUÆ IGNORABAM, INTERROGABANT ME.

Vers. 14. 14. RETRIBUEBANT MIHI MALA PRO BONIS : STERILITATEM ANIMÆ MEÆ.

Pergit nunc Propheta ad secundum genus persecutionum, quo impii testimoniis falsis, non ex insidiis, sed palam justos persequuntur, et mire exaggerat nequitiam horum testium. *Primo* dicit *surgentes*, ut significet eos non exspectasse citationem, sed per se venisse. *Secundo* addit, *quæ ignorabam*, ut ostendat accusari justum ab iniquis testibus, de eo quod nec fecerat, nec cogitaverat. Dicimur enim ignorare quæ non probamus, nec unquam fecimus, ac si facere nesciremus. Sic de Christo dicit Apostolus II *Cor.* V : « Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit. » *Tertio* addit, *interrogabant me*, ut ostendat audaciam ac imprudentiam testium, qui non contenti falsum testimonium dixisse coram judice, ipsum etiam virum justum coram arguere et interrogare audent. *Quarto* addit, *retribuebant mihi mala pro bonis*, ut ostendat falsos testes nulla injuria lacessitos, sed contra beneficiis affectos, ex mera malitia ad calumniandum adductos. Addit ultimo, *sterilitatem animæ meæ*, ut ostendat per falsa testimonia illos non quærere leve aliquod malum, sed omnium maximum. Potest enim sterilitas hoc loco posita duobus modis accipi, primo generatim pro desolatione, et vastitate universali, qualis accidit S. Job, qui una die amisit opes, filios, sanitatem. Et huc pertinet expositio Theodoreti et Euthymii, qui accipiunt *sterilitatem* pro *oblivione*, id est tali desolatione, ut ipsum etiam nomen oblivioni tradatur. Potest secundo accipi sterilitas pro uno genere mali, sed maximæ æstimationis, tum apud diabolum, qui illud per ministros suos inferre conatur; tum apud hominem justum, qui illud cogitur pati. Id malum est, ut homo justus infamia per falsa testimonia notatus sterilis et orbus maneat, ut nec fructum facere possit, et quod jam fecit, pereat. Sic S. Augustinus exponere videtur.

Sterilitas duobus modis hic accipitur.

Vers. 15. 15. EGO AUTEM, CUM MIHI MOLESTI ESSENT, INDUEBAR CILICIO.

Vers. 16. 16. HUMILIABAM IN JEJUNIO ANIMAM MEAM, ET ORATIO MEA IN SINU MEO CONVERTETUR.

Antequam Propheta de tertio genere persecutorum loqui incipiat, exponit quid egerit adversus persecutores secundi generis, ac dicit se non reddidisse malum pro malo, neque de vindicta cogitasse, sed ad Deum orandum cum magna humilitate se convertisse : « Cum, inquit, adversarii mihi molesti essent, » non superbe illis insultavi, sed sacco indutus jejunare cœpi, ut oratio mea Deum facilius placaret. Saccus enim et jejunium sunt alæ orationis. Sic rex ille Ninivitarum, cum sacco et jejunio orans, exauditur, *Jonæ* III. Quod idem legimus de rege Achab, III *Reg.* XXV; unde et sapiens dicit : « Oratio humiliantis se nubes penetrabit. » Addit vero : « Et oratio mea in sinu meo convertetur, » ut ostendat se fructum orationis non dubium exspectare. Ponitur enim *in sinu meo*, pro *in sinum meum*, ut habetur in textu hebræo et græco, quasi dicat : Oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, sed sinum meum cœlesti consolatione implebit. Possumus etiam, si velimus, illud, *in sinu meo*, accipere ut jacet, in casu auferendi, exponere hunc locum de frequentia orationis, ut sensus sit : Oratio mea in sinu meo existens, sæpius revertetur et recurret, ut quod semel, aut iterum quærens non invenit, perseverando, id est, sæpius revertendo inveniat. Et quamvis ad litteram hæc non videantur convenire Christo, quem in Evangelio non legimus indutum cilicio jejunasse et orasse, dum persecutiones pateretur, conveniunt tamen eidem Christo prout est in membris suis; hoc enim proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere, sed ad cor suum redire, et Deum humiliter deprecari. Quod ad verba attinet, illud, *cum mihi molesti essent*, in hebræo est, בחלותם *bachalotham, cum ipsi infirmarentur*. Sed verisimile est Septuaginta Interpretes legisse cum aliis punctis, vel cum additione alicujus alterius litteræ, in conjugatione *piel*, vel *hiphil*. Tunc enim accipi debet active illud verbum, ut non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus ex hebræo vertit. Sic enim

Saccus et jejunium sunt alæ orationis.

legimus apud Hieronymum, *cum infirmarer ab eis*, id est, cum ipsi me ægrotare facerent, quod est idem cum eo, quod legunt Septuaginta, *cum mihi molesti essent*. Potest etiam dici Septuaginta et S. Hieronymum legisse, *cum infirmarentur ipsi*, ut nunc legimus in hebræo; sed altius cogitasse, Prophetam loqui de illa ægrotatione animi, quæ semper conjuncta est cum injusta persecutione; quicumque enim alium injuste persequitur, se ipse lædit et vastat; et dum alium ægrotare facit morbo pœnæ, ipse ægrotat morbo culpæ. Recte ergo sententiam reddiderunt Septuaginta et S. Hieronymus; idem enim est, quoad sensum, *cum mihi molesti essent*, et *cum morbo iracundiæ*, vel *odii*, vel *invidentiæ*, *adversus me ægrotarent*. Illud autem, *induebar cilicio*, in textu hebræo est, et in græco, *induebar sacco*. Ex quo intelligimus per cilicium non esse intelligendum indumentum ex pilis animalium, quod interius adhiberi solet, ut legimus de rege Joram, IV *Reg.* 6; sed vestem sacceam, qua exterius etiam ad significandam humilitatem aliqui utuntur, ut de rege Ninivitarum Jonas testatur cap. III. Illud, *humiliabam in jejunio animam meam*, phrasis est hebraica; passim enim Hebræi animam ponunt pro toto homine.

Vers. 17. 17. QUASI PROXIMUM, ET QUASI FRATREM NOSTRUM SIC COMPLACEBAM : QUASI LUGENS, ET CONTRISTATUS, SIC HUMILIABAR.

Hic versiculus multo clarior est in textu hebræo, quam in græco vel latino. Sic enim ad verbum reddi potest cum S. Hieronymo : *Quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam; quasi lugens mater tristis, sic incurvabam*; et sensus est : Ego non solum in tribulatione positus, non reddidi malum pro malo, sed reddidi bonum pro malo : sic enim affectus fui erga unumquemque adversariorum, ut amicus erga amicum, imo ut fratrem, vel potius ut mater erga filium parvulum et languentem. Sicut enim mater, videns filium ægrotantem, incurvat se tristis et gemens ad eum suscipiendum, sic et ego me cum adversariis meis gessi. Non potuit grandius et luculentius exprimi pius affectus erga inimicos. Et quidem Propheta David opere præstitit, quod hoc loco in persona Christi, et sua, et omnium perfectorum virorum expressit. David enim Saulem, quem ut fratrem, dum viveret, dilexit, mortuum ut filium deflevit. Idem fecit multo excellentius Christus, qui videns civitatem flevit super illam, *Luc.* XIX; seque gallinæ pullos sub alas congregare satagenti comparavit, *Matth.* XXIII. Lectio latinæ editionis eumdem sensum habet; sed obscura est, quia verba græca totidem verbis latinis reddidit. Sed ex hebraica lectione illustranda et supplenda est. Hic igitur erit sensus : *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam*, id est, complacebam mihi, sive affectus eram erga unumquemque adversariorum, quasi erga proximum, sive socium et amicum, imo etiam erga fratrem nostrum. « Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar, » id est, non solum affectus eram ad persecutorem meum, ut ad proximum et fratrem; sed « humiliabar » et inclinabam me ad eum, ex compassione dolens, et contristatus de malis ejus, quomodo pia mater inclinatur tristis ad filium languidum et jacentem.

Pius affectus Davidis erga inimicos.

Vers. 18. 18. ET ADVERSUM ME LÆTATI SUNT, ET CONVENERUNT : CONGREGATA SUNT SUPER ME FLAGELLA, ET IGNORAVI.

Docet consequenter Psalmus persecutores justorum reddere mala pro bonis, et simul transit ad tertium genus persecutionum, quo non contenti impii fraudibus et calumniis justos vexasse, flagellis quoque eos aggrediuntur. « Et adversum me lætati sunt ; » ego de malis eorum dolebam, ipsi de malis meis lætabantur : neque hac impietate contenti, « convenerunt adversum me, » flagellis armati, ut me, si possent, occiderent; « et ignoravi, » id est, ignoravi eorum consilia, et ideo præcavere non potui, vel ita me patienter gessi, ac si quid facerent, ignorarem. Quod attinet ad verba, pro *et adversum me*, S. Hieronymus vertit, *et in infirmitate mea* : vox enim hebraica צלעי potest significare, *latus meum*, et *infirmitas mea*. Priorem significationem secuti sunt Septuaginta, et ideo verterunt, *adversum me*, quod fere est idem quod *ad latus meum*. Posteriorem secutus est S. Hieronymus. Sed in sententia non est varietas. Illud autem, *congregata sunt super me flagella*, in hebræo est, *congregati sunt super me flagellantes*; sed idem est sensus. Denique pro *ignoravi*, S. Augustinus legit, *ignoraverunt*, et refert ad persecutores, qui vere ignoraverunt quam magnos viros percuterent, cum Christum, vel sanctos flagellarent. Sed quamvis vox græca sit ambigua, tamen hebraica ידעתי non est ambigua, nec potest reddi nisi in prima persona : proinde recte habet latina vulgata editio, *et ignoravi*, ut etiam legunt Theodoretus et Euthymius græci.

Vers. 19. 19. DISSIPATI SUNT, NEC COMPUNCTI, TENTAVERUNT ME : SUBSANNAVERUNT ME SUBSANNATIONE, FRENDUERUNT SUPER ME DENTIBUS SUIS.

Pergit explicare malitiam adversariorum, ac dicit eos non potuisse implere quod cupiebant, divina providentia protegente suos, ne ab iniquis persecutoribus læderentur. Sed ne sic quidem quievisse eos : nam quos non potuerant flagellis verborum movere, tentabant flagellis verborum, irrisionibus et comminationibus terrere. « Dissipati sunt, » inquit, id est, qui convenerant in unum, ut nocerent et flagellarent, divisi sunt ab invicem Deo dissipante eorum conventiculum : sed non propterea « compuncti sunt, » id est, non resipuerunt; vel, ut proprie sonat vox hebræa, דמו non *siluerunt* et *quieverunt*, ut par erat; sed potius tentaverunt me, nimirum ad

iracundiam provocare, quia *subsannaverunt me subsannatione irrisoria*, et *frenduerunt contra me dentibus suis*, minas crudeles intentantes. Quod attinet ad verba, quod in græco et latino legimus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*, S. Hieronymus ex hebræo vertit, *in simulatione verborum fictorum*. Sed verba ipsa hebraica, neque hunc sensum, neque illum recipere videntur : sic enim legimus בחנפי לעגי מעוג, id est, *in hypocrisi*, sive *simulationibus subsannationum verbi otiosi*. At profecto omnino credibile est Septuaginta Interpretes aliter legisse, et libros optimos habuisse, præsertim cum verba hebraica, ut nunc leguntur cum punctis Rabbinorum, nihil significare videantur. Existimo igitur mutanda esse puncta, et ex nomine, *in simulationibus*, faciendum esse verbum modi infiniti cum affixo primæ personæ, quod reddendum erit, *intentando me*. Nam etsi חנף *simulare*, et *hypocritam esse* significet, tamen tentare proprium est hypocritarum, juxta illud Domini : « Quid me tentatis, hypocritæ? » *Matth.* XXII; et idem est *in tentando me*, quod, *in hypocrisi agendo mecum*, et similiter ex nomine *subsannationum* faciendum erit verbum temporis præteriti, cum affixo primæ personæ, et tunc sensus erit, *subsannaverunt me*; illud autem, מעוג significat quidem *verbum otiosum*, sed significat etiam *subsannationem*. Proinde integer sensus erit, *in tentando me subsannaverunt me subsannatione*, quod est idem cum eo quod nos habemus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*.

Vers. 20. 20. DOMINE, QUANDO RESPICIES? RESTITUE ANIMAM MEAM A MALIGNITATE EORUM, A LEONIBUS UNICAM MEAM.

Expositis persecutoribus, revertitur Propheta in persona justorum omnium, qui persecutionem patiuntur, ad orandum Deum, ut finem cum principio conjungat. Et quoniam videtur Deus non respicere, quid in terris fiat, quando non punit injustos, ideo dicit : « Domine, quando respicies? » id est, quando te videre mala impiorum puniendo demonstrabis? « Restitue animam meam a malignitate eorum, » id est, eripe vitam meam de periculo in quo versatur, dum est in potestate malignorum, et restitue illam in pristinam securitatem, sive, restitue mihi vitam, quam pene amisi, dum est in manibus malignorum. Quod ipsum repetit, et clarius explicat dum adjungit : « A leonibus unicam meam, » id est, restitue mihi animam, quæ est mihi unica, ac per hoc dilectissima, quod facies eruendo eam a potestate inimicorum, qui crudelitate et ferocitate leones dici possunt, et *frendent*, ut supra dictum est, *dentibus suis*. Quod ad verba attinet, illud, *a malignitate*, S. Augustinus legit, *ab astutiis*; S. Hieronymus autem vertit, *a calamitatibus*. Causa diversitatis fuit, quia vocem hebraicam משאיהם deduxerunt Septuaginta a verbo נשא, quod est *decipere*, et ideo S. Augustinus legit, *astutiis*; at noster Interpres, *a malignitate*; et S. Hieronymus deduxit ab alia radice, nimirum a שאה *saah*, quod est *desolari*, et ideo vertit, *a calamitatibus*; sed idem est sensus, ut patet. Per *unicam* S. Augustinus intelligit Ecclesiam, quam Christus erui vult a persecutoribus. Quod quidem verum est, sed ad litteram videtur omnino referendum ad animam, seu vitam. Sicut etiam illud *Psalm.* XXI : « Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam. » Anima enim recte dicitur unica quasi unice dilecta. Vita enim temporalis est fundamentum omnium bonorum temporalium, et vita æterna omnium bonorum simpliciter. Itaque et Dominus ait in Evangelio, *Matth.* XVI : « Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » et tamen multi ita desipiunt, ut pro nihilo libenter perdant animam, quam unice amare debuissent.

Anima recte dicitur unica, et cur?

Vers. 21. 21. CONFITEBOR TIBI IN ECCLESIA MAGNA, IN POPULO GRAVI LAUDABO TE.

Promittit se non fore ingratum, si liberationem ab adversariis obtineat. « Confitebor tibi, inquit, in ecclesia magna, » id est, non abscondam beneficium tuum, sed publice coram omnibus prædicabo; et idem repetit aliis verbis, « in populo gravi laudabo te. » Idem enim est confiteri et laudare, idem quoque ecclesia magna et populus gravis. Dicitur enim ecclesia magna ratione multitudinis, quod proprie significat vox hebræa רב *rab*, id est ecclesia *multa*; et similiter dicitur populus *gravis*, sive, ut significantius habetur in hebræo, עצום, *robustus*, ratione multitudinis. Tunc enim robustus est populus, cum tam multis viris abundat, ut hostes non timeat. Videtur etiam Propheta ad Ecclesiam Christianam respicere, in qua laudatur assidue Deus ob piorum liberationem. Est enim ecclesia Christiana vere multa et magna, cum totum orbem terrarum obtineat, et vere gravis et robusta, cum « portæ inferi adversus eam prævalere non possint, » *Matth.* XVI. Ecclesia quoque triumphans, Ecclesia magna erit, cum de ea scriptum sit, *Apocal.* VII : « Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat; » et populus robustus, cum ibidem additum sit : « Et palmæ in manibus eorum. »

Ecclesia Christiana est vere multa.

Vers. 22. 22. NON SUPERGAUDEANT MIHI, QUI ADVERSANTUR MIHI INIQUE : QUI ODERUNT ME GRATIS, ET ANNUUNT OCULIS.

Redit ad orationem quam inchoaverat, et petit liberari a persecutoribus, præsertim hypocritis, qui simulant se amicos, cum nihil minus sint. « Non supergaudeant mihi, » id est, non gaudeant super me, sive non lætentur de interitu meo, « qui adversantur mihi inique, » id est, qui me persequuntur fingentes amicitiam; nam in hebræo habetur

שקר, quod *mendacium* proprie significat; unde S. Hieronymus vertit, *inimici mei mendaces*; et hæc ipsa est maxima iniquitas, persequi hominem, et decipere specie amicitiæ. Hoc idem declaratur et repetitur in sequentibus verbis: « Qui oderunt me gratis, et annuunt oculis, » id est, qui sine causa me oderunt, cum nihil mali illis attulerim, et tamen fingunt amicitiam annuendo oculis, salutantes, blande aspicientes, et approbantes quæ dico. Quid est, inquit Augustinus, annuere oculis? pronuntiantes vultu, quod in corde non gerunt.

Vers. 23. 23. QUONIAM MIHI QUIDEM PACIFICE LOQUEBANTUR, ET IN IRACUNDIA TERRÆ LOQUENTES, DOLOS COGITABANT.

Declarat Propheta cur dixerit de inimicis suis, *et annuunt oculis*, et dicit: Quoniam ipsi quidem mecum verbis exterioribus pacifice loquebantur, quasi amici essent; sed interius præ iracundia disrumpebantur, et *cogitabant dolos*, quibus me perderent: hæc de sensu. In verbis magna difficultas est; nam hebraicus codex ad verbum sic habet: *Quoniam non pacem loquebantur, et super scissuras terræ verba dolosa meditabantur*. Et sic etiam vertit S. Hieronymus, nisi quod pro *scissuras terræ*, ponit, *in rapina terræ;* græcus vero codex sic habet: *Quoniam mihi quidem pacifica loquebantur, et super iracundiam dolos cogitabant*. Et sic legunt et interpretantur S. Augustinus, Theodoretus et Euthymius. Sed observandum est vocem hebraicam לא *lo*, quæ significat *non*, a Septuaginta Interpretibus lectam fuisse, לי *li*, quæ significat *mihi*, et omnino credibile est Septuaginta Interpretes habuisse libros hebraicos emendatiores: proinde non videtur ambigendum meliorem esse lectionem latinam Vulgatæ editionis, quæ respondet voci, quam in suis libris habuerunt Septuaginta, quam ea sit, quam nunc habemus in hebræo. Quod autem in hebræo habetur, *super scissuras terræ*, verterunt Septuaginta, *super iracundiam*, quia intellexerunt sermonem Prophetæ esse metaphoricum, et per *scissuras terræ* significatam esse iracundiam, quæ est quædam scissura cordis terreni et animalis. Qui enim irascuntur, ii disrumpuntur interius, et quietem ac pacem amittunt: et quidem latinus Interpres addere voluit vocem illam *terræ*, quam invenit in hebræo; sed græcus Interpres satis esse putavit, eam subintelligi in voce iracundiæ, quæ est fervor circa cor. Explicanda igitur est vox illa, *terræ*, ut accipiatur pro corde terreno et animali, ut diximus. Cur autem S. Hieronymus vertit, *rapinam terræ*, non assequor, nisi per scissuras metaphorice intellexerit rapinam, aut forte vox hebraica hoc etiam significare possit. Sed absolute præferenda est interpretatio Septuaginta Interpretum, quam Ecclesia in latina editione sequitur. Quod autem in latina editione nos habemus: *Loquentes dolos cogitabant*, non differt in sensu a verbis hebraicis, *verba dolosa cogitabant*. Idem enim est verba dolosa cogitare, et, loquendo intra se dolos cogitare. Neque multum refert, quod Septuaginta non habeant *verba* aut *loquentes*, sed simpliciter, *dolos cogitabant*, quia in ipsa cogitatione satis intelligitur interna locutio.

Melior est Vulgata editio latina, quam ea quam nunc habemus in hebræo.

Vers. 24. 24. ET DILATAVERUNT SUPER ME OS SUUM; DIXERUNT: EUGE, EUGE, VIDERUNT OCULI NOSTRI.

Quam sit verum quod supra dixit de inimicis suis, quod simulato corde pacifice loquerentur, ostendit Propheta in persona justorum in hoc versiculo, ubi dicit eosdem inimicos qui aliquando blandiebantur et annuebant oculis, postea cum in eas calamitates incidisset, quas illi fraudulenter concinnaverant, dilatato ore cœpisse aperte insultare, et inter se gratulari ac dicere: Vidimus tandem quod tantopere cupiebamus. Hoc totum in Christo, qui caput justorum est, impletum legimus in Evangelio: aliquando enim pacifice loquebantur inimici, dicentes: « Scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, » *Matth.* XXII; sed interim dolos meditabantur, ut caperent eum in sermone. Cum autem illum cruci affixum viderunt, «dilataverunt os suum insultantes et dicentes: Vah qui destruis templum Dei,» etc. Quod ad verba attinet, conveniunt codices omnes, eo excepto, quod interjectionem hebraicam הֵאָח *heah* Septuaginta reddiderunt *euge;* S. Hieronymus, *vah;* et *euge* est lætantis, *vah* insultantis: sed parum refert; nam utraque est exultantis, et exultatio inimicorum quædam insultatio est.

Vers. 25. 25. VIDISTI, DOMINE, NE SILEAS; DOMINE, NE DISCEDAS A ME.

Vers. 26. 26. EXURGE ET INTENDE JUDICIO MEO: DEUS MEUS, ET DOMINUS MEUS, IN CAUSAM MEAM.

Vers. 27. 27. JUDICA ME, DOMINE, SECUNDUM JUSTITIAM TUAM; DOMINE DEUS MEUS, NON SUPERGAUDEANT MIHI.

Redit Propheta ad orationem, idipsum aliis et aliis verbis repetens ad insinuandum affectum. « Vidisti, inquit, Domine, » quanta videlicet sit oppressio pauperis servi tui; « ne sileas, » quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere sperantes in te. « Ne discedas, » vel, ut habet vox hebraica, *ne elongeris a me*, id est, ne deseras me in tribulatione positum, quomodo faciunt qui procul abeunt. Nec solum non sileas, et non discedas, sed nec sedeas, quasi otiose spectans, vel dormitans; sed exurge, et quasi judex justus et potens intende diligenter animum ad judicium meum, id est, ad litem, quam cum persecutoribus habeo; intende, inquam, « Deus meus in causam meam, et judica me secundum justitiam tuam, Domine, » id est, si justitia tua, quæ rectissima est, judicat me injuste ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ut non amplius gaudeant super miseriis meis.

Vers. 28. 28. NON DICANT IN CORDIBUS SUIS : EUGE, EUGE, ANIMÆ NOSTRÆ, NEC DICANT : DEVORAVIMUS EUM.

Vers. 29. 29. ERUBESCANT ET REVEREANTUR SIMUL, QUI GRATULANTUR MALIS MEIS.

Vers. 30. 30. INDUANTUR CONFUSIONE ET REVERENTIA, QUI MAGNA LOQUUNTUR SUPER ME.

Explicat id quod dixerat : Non supergaudeant mihi, « non dicant, inquit, in cordibus suis : Euge, euge, animæ nostræ, » id est, non exultent in cordibus suis super vitam meam, quasi jam exstinctam. Sicut enim illud, *non supergaudeant mihi*, significat, *non gaudeant super me* : sic etiam hoc, *non dicant euge, animæ nostræ*, debet exponi : *Non dicant euge super animam nostram*, et explicat in verbis sequentibus : « Nec dicant, inquit, devoravimus eum, » id est, non possint jactare ab eis, quasi a leonibus me devoratum. Sed contra potius amissa spe victoriæ erubescant et revereantur, id est, verecundentur simul omnes inimici mei, qui nunc spe victoriæ gratulantur sibi de malis meis, id est, mihi imminentibus; nec solum leviter erubescant et verecundentur, sed « induantur confusione et erubescentia, » id est, toti cooperiantur confusione, « qui magna loquuntur super me, » id est, qui magnifice jactabant potentiam suam super me. Aliqui legunt *maligna*, pro *magna;* sed nostra lectio consentit græcæ et hebraicæ veritati.

31. EXULTENT ET LÆTENTUR, QUI VOLUNT JUSTITIAM MEAM, ET DICANT SEMPER : MAGNIFICETUR DOMINUS, QUI VOLUNT PACEM SERVI EJUS. Vers. 31.

32. ET LINGUA MEA MEDITABITUR JUSTITIAM TUAM, TOTA DIE LAUDEM TUAM. Vers. 32.

Quemadmodum precatus est Propheta ut iniqui confundantur, sic etiam nunc precatur, ut justi exultent et lætentur, qui bene sibi volunt, et amant innocentiam suam, vel cupiunt justitiam suam palam apparere. Excitat quoque ad laudem Dei omnes, qui cupiunt pacem suam, quæ secutura erat ex liberatione sua ab omnibus malis. In hebræo habetur, *qui vult pacem servi sui.* Septuaginta Interpretes videntur legisse verbum in numero multitudinis, quod in nostris libris est in numero singulari; sed uterque sensus optimus est. Claudit Psalmum David promittens gratiarum actionem pro accepto beneficio : « Lingua mea, inquit, meditabitur justitiam tuam, » id est, exercebitur in prædicanda justitia tua; et hoc ipsum repetit, et repetendo declarat, dicens : « Tota die laudem tuam, » id est, lingua mea tota die meditabitur laudem tuam, id est, exercebitur in prædicanda laude justitiæ tuæ. Quod autem dicit, *tota die,* significat *frequenter* et *assidue,* ita ut nunquam tanti beneficii subrepat oblivio. S. Augustinus hoc loco pie monet, eum semper Deum laudare, qui semper bene agit.

PSALMUS XXXVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, servo Domini ipsi David.*

2. Dixit injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.

3. Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

4. Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere ut bene ageret.

5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

6. Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.

7. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis, Domine.

8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus!

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

V. S. H. — *Victori servo domini, David.*

Dixit scelus impii in medio cordis ejus : non est timor Dei ante oculos ejus.

Quia dolose egit adversus eum in oculis suis : ut inveniret iniquitatem ejus ad odiendum.

Verba oris ejus iniquitas et dolus : cessavit cogitare, ut benefaceret.

Iniquitatem cogitat in cubili suo, stabit in via non bona : malum non abjiciet.

Domine, in cœlo misericordia tua, fides tua usque ad nubes.

Justitia tua quasi montes, Deus [al. *Domine*], judicium tuum abyssus multa : homines et jumenta salvos facies, Domine.

Quam pretiosa misericordia tua, Deus [al. *Domine.*]

Et filii Adam in umbra alarum tuarum sperabunt.

9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

11. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos.

Quoniam tecum est fons vitæ : in lumine tuo videbimus lumen.

Attrahe misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam rectis corde.

Ne veniat mihi pes superbiæ : et manus impiorum non me commoveat.

Ibi ceciderunt operantes iniquitatem : expulsi sunt, et non potuerunt surgere.

Argumentum. — Strophæ tres : Ab improbis (vers. 2-5), pro tua gratia, fide, justitia (vers. 6-10), pios, o Jova, defende (vers. 11-13).

1. Præcentori, servi Jovæ Davidis *carmen.*

2. Effatum impietatis improbi *est* in corde meo, *scil. :*
Nullus pavor Dei in conspectu oculorum ejus (improbi).
3. Nam sibi dulce facit in oculis suis
percipere fructus iniquitatis suæ, et odisse.
4. Verba oris ejus iniquitas et dolus;
desiit recte sapere, recte agere.
5. Prava excogitat in cubili suo,
præsto est viæ non bonæ,
malum non aversatur.

6. Jova, in cœlos (pertingit) gratia tua,
fides (veritas) tua usque ad nubes.
7. Justitia tua ut montes Dei (altissimi),
judicia tua sunt abyssus magna;
homines et pecudes servas, Jova.
8. Quam pretiosa (magni facienda) *est* gratia tua, Deus!
et filii hominum in umbra alarum tuarum confidunt.
9. Inebriantur pinguedine domus tuæ (mundi),
et torrente deliciarum tuarum potas eos.
10. Nam apud te *est* fons vitæ,
luce tua (favore tuo) videmus lumen (utimur felicitate).

11. Protrahe (diuturnam, imo æternam fac) gratiam tuam cognoscentibus (colentibus) te,
et justitiam tuam rectis corde.
12. Ne veniat mihi pes superbiæ,
nec manus impiorum me ejiciat.
13. Ibi cecidere patrantes iniquitatem;
projecti sunt, nec surgere queunt.

NOTÆ.

Vers. 2. Illud effatum me affligit et urit veluti ignis : ita, si legas *libbi*. Cum *libbo* verte, *oraculum impietatis improbo est in corde suo*, i. e. quidquid homini impio improbitas suadet et imperat, id oraculi loco

habet, id sibi divinum videtur; seu : cor impii templum est sceleris. Maurer *neoum* cum titulo jungit, hunc que facillimum effert sensum : *Præcentori..... Davidis dictum* (de dicto poetico *neoum* legitur etiam II *Sam.* XXIII, 1; *Prov.* XXX, 1) : *Impietas* est *improbo in corde suo*, etc. — Vers. 3. Sensus : Illi dulce est inique agere et odisse. Maurer, *nam blanditur ei* (Deo), studet ei persuadere, simulat coram eo, *invenire*, agnoscere se *culpam suam*, eamque *odio habere*, i. e. coram Deo pœnitentiæ ac virtutis speciem ostendit. — Vers. 4. In secundo membro Rosenmullerus rejicit asyndeton, vertitque, *recte sapere ad bene agendum*. — Vers. 10. *Fons vitæ* (aquarum non stantium) sæpius poni solet pro qualibet re amœna ac salutari, sive pro bono eximio, quod in regionibus illis Orientis fervidioribus nihil perinde desideratur, quam aquæ limpidæ copia. — Vers. 11. *Justitiam*, qua innocentes defendis. — Vers. 12. *Dejiciat*, propr. vagari faciat, e sedibus meis in exilium propellendo. — Vers. 13. *Ibi*, subito, de repente. Hengstenberg : ubi mihi perniciem minabantur. Alii, *tunc*. Pro *cecidere*, Maurer ponit *cadent*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, servo Domini David.

De hoc titulo dictum est in explicatione Psalmi IV, ubi primum legitur, *in finem*. Sensus igitur est : Psalmus inspiratus servo Domini Davidi, qui canendus est jugiter usque in finem, quique ad Christum pertinet, qui legis et Prophetarum est finis. Argumentum est, immensam fere esse quorumdam hominum malitiam, sed multo majorem Dei misericordiam, et justitiam.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DIXIT INJUSTUS UT DELINQUAT IN SEMETIPSO : NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EJUS.

Duæ primæ peccati radices.

Describit Propheta duas primas peccati radices, quarum altera est in voluntate, quæ decernit male agere; altera in intellectu, qui non cogitat timorem Domini prohibentis peccatum. « Dixit, inquit, injustus ut delinquat in semetipso, » id est, apud se, in corde suo, decrevit injustus delinquere, id est, corde suo in peccatum consensit. « Non est timor Dei ante oculos ejus, » id est, ideo corde peccatum elegit, quia oculis mentis non cogitavit timorem Domini omnia videntis. Ubi timor ponitur pro objecto timoris, id est, non cogitavit Deum justum, fortem, videntem omnia : ex qua cogitatione timorem tantæ potestatis sine dubio concepisset. Sicut enim qui timet hominem, non audet in conspectu ejus malum exterius facere : ita qui timet Deum, non audet interius cogitare, quoniam Deus etiam corda scrutatur. Quod attinet ad verba, tres primæ hebraicæ voces sic ad litteram verti possent, *dictum prævaricationis impii* ; sed vox illa, נאם, quamvis proprie *dictum* significet, tamen accipitur passim pro verbo *dixit;* illud autem, פשע, quod significat *prævaricationem*, mutatis punctis, quæ a Rabbinis apposita sunt, legi poterit פושע *poseah*, id est *prævaricator*, sive *injustus* ; sic etiam illud, לרשע, quod S. Hieronymus vertit, *impii*, mutatis punctis significabit *ad delinquendum*, sive *ut delinquat*, ut græci et latini codices habent. Et hæc sine dubio vera lectio est, quod confirmat littera ל *lamed*, quæ signum est verbi modi infiniti, non autem nominis ex casu genitivo. Illud autem, *in semetipso*, in hebræo est, *in medio* לבי *cordis mei* ; sed corrupta videtur littera hebraica mutatione unius litteræ : nam ipse etiamS. Hieronymus vertit, *cordis ejus*, non *cordis mei*. Itaque legendum videtur לבו, id est *corde suo*.

Vers. 2. 2. QUONIAM DOLOSE EGIT IN CONSPECTU EJUS, UT INVENIATUR INIQUITAS EJUS AD ODIUM.

Demonstrat in hoc versiculo Propheta, quod dixit, injustum non habere timorem Domini. « Nam, inquit, in conspectu ipsius Dei dolose egit » cum ipso Deo et omnibus hominibus, adeo graviter, « ut iniquitas ejus non inveniatur » apud Deum ad veniam, sed « ad odium, » quod certe nunquam fecisset, si Deum timuisset. Quis enim delinquere audeat in conspectu judicis, si judicem timeat? Verba hebraica et græca possunt alium sensum facere, nimirum, quod injustus dolose agit, cum videtur velle redire ad cor, et confiteri peccata; nam non quærit peccata sua, dum conscientiæ suæ secreta rimatur, ut vere illa odio habeat, sed tantum ut fallat Deum, vel homines, et hunc sensum persequitur S. Augustinus. Verba hebraica sic sonant : *Quoniam dolose egit adversus eum in oculis ejus ad inveniendam iniquitatem ejus, ad odiendum*. Græca vero sic habent : *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, invenire iniquitatem suam, et odisse*. Quamvis autem sensus posterior verus sit, et verbis Prophetæ aptari possit, tamen prior sensus est magis uni-

versalis, et melius connectitur cum superioribus, et magis convenit cum Vulgata latina editione, et non difficulter accommodari potest verbis hebraicis et græcis. Quod enim dicitur in codice hebraico, *ad inveniendum iniquitatem ejus ad odium*, hunc sensum facit : Ut inveniat Deus iniquitatem ejus ad odiendum, id est, non ad parcendum, sed ad puniendum. Quod autem dicitur in græco codice, *invenire iniquitatem suam, et odisse*, potest etiam legi, *invenire iniquitatem ejus, et odisse*, id est, ut Deus inveniat iniquitatem ejus, et non ignoscat, sed odio habeat, et puniat; neque enim Græci habent discrimen inter *ejus* et *suam*, ut nos Latini habemus ; proinde illud αὐτοῦ, quod S. Augustinus legit *suam*, noster Interpres legit *ejus*.

Vers. 3. 3. VERBA ORIS EJUS INIQUITAS, ET DOLUS : NOLUIT INTELLIGERE, UT BENE AGERET.

Dixit Propheta hominem impium dolose agere, nunc addit etiam dolose loqui, additurus postea etiam dolose cogitare, ut undique manifestetur insignis perversitas ejus, qui Deum non timet. « Verba, inquit, oris ejus » sunt conformia factis, nimirum injusta, imo tam injusta, ut non sint aliud nisi « iniquitas et dolus ; » quidquid loquitur eo tendit, ut vel lædat aperte, vel decipiat. « Noluit intelligere, ut bene ageret, » id est, neque potest excusare culpam suam prætexendo ignorantiam: voluntarie enim ignoravit, cum non curaverit discere legem justitiæ, vel per se investigando, vel ab aliis quærendo, quoniam decreverat male agere : ut male ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

Vers. 4. 4. INIQUITATEM MEDITATUS EST IN CUBILI SUO : ASTITIT OMNI VIÆ NON BONÆ, MALITIAM AUTEM NON ODIVIT.

Ordine retrogrado descripsit primo opera injusta, deinde verba iniqua, nunc tandem cogitationes et affectiones malas describit; quamvis enim ex corde, ut est in Evangelio *Matth.* XIII, procedant verba et opera mala, nos tamen ex operibus et verbis malis, quæ videmus et audimus, cognoscimus cogitationes, et voluntates malas, quas videre et audire non possumus. « Iniquitatem, inquit, meditatus est in cubili suo, » id est, opera et verba iniqua, non casu aut imprudenter patravit vel effudit, sed in secreto cubilis sui multo ante meditatus est. « Astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit, » id est, dum meditaretur in corde suo, et varia consilia occurrerent, quasi viæ ad operandum, approbavit omnia mala consilia, et sic ingredi cœpit omnem viam non bonam, quia corrupta est ejus voluntas, et ideo malitiam non odivit, sed amavit potius, non quia mala est, sed quia utilis visa est. Illud, *omni viæ non bonæ*, positum est pro *omni viæ malæ*, ac si diceret : Non placuit illi ullum consilium bonum; sed e contrario elegit sequi omnia mala consilia, et sic *astitit viæ non bonæ*, id est, stetit in via non bona.

Vers. 5. 5. DOMINE, IN CŒLO MISERICORDIA TUA, ET VERITAS TUA USQUE AD NUBES.

Vers. 6. 6. JUSTITIA TUA SICUT MONTES DEI, JUDICIA TUA ABYSSUS MULTA.

Transit Propheta ad alteram partem Psalmi, atque ostendit magnam quidem esse aliquorum hominum malitiam ; sed majorem esse in Deo bonitatem, quæ in misericordia et justitia ejus consistit. Ac de misericordia dicit : « In cœlo misericorda tua, » id est, tam magna est misericordia tua, ut a terra ad cœlum pertingat, et omnia repleat : quod clarius habetur in *Psalm.* CVII : « Magna est misericordia tua super cœlos. » Misericordiæ adjungit veritatem, id est, fidelitatem, quæ facit observari quod misericorditer promittitur; de qua dicitur in *Psalm.* CXLIV : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. » « Et veritas tua usque ad nubes, » id est, misericordia ad cœlum usque pertingit cum sua comite veritate, quæ ipsa quoque extenditur « usque ad nubes, » id est, usque ad cœlum, in quo sunt nubes. Neque minor est in Deo justitia, qua reddit unicuique secundum opera sua. Nam « justitia tua, inquit, sicut montes Dei, » id est, magna est instar montium altissimorum, qui nubes aliquando superant. Dicuntur enim res magnæ res Dei, ut alio loco *Psalm.* LXXIX : « Sicut cedros Dei. » Adjungit justitiæ judicia, quæ sunt actus justitiæ, ac dicit : « Judicia tua abyssus multa, » id est, profunda et inscrutabilia, quomodo profundissima vorago, quæ abyssus dicitur, oculis penetrari non potest. His omnibus corporalibus similitudinibus, altitudinis et profunditatis divinæ misericordiæ et justitiæ, nec non veritatis et judiciorum, nihil significatur aliud, nisi misericordiam et justitiam Dei majores esse, quam ut a nobis perfecte intelligi possint, quemadmodum oculis corporalibus non pertingimus ad ea, quæ superant nubes, vel quæ sunt infra terram.

Misericordia et veritas et justitia in Deo infinitæ.

Vers. 7. 7. HOMINES, ET JUMENTA SALVABIS, DOMINE, QUEMADMODUM MULTIPLICASTI MISERICORDIAM TUAM, DEUS.

Ostendit nunc Propheta misericordiam Dei maximam esse, quoniam salvat homines et jumenta, id est, conservat, nutrit, replet corporalibus bonis, non solum homines, id est, eos qui ratione utuntur; sed etiam jumenta, id est, eos qui instar jumentorum, solo sensu et appetitu ducuntur, quorum malitiam supra explicavit. Et vere infinita et stupenda est misericordia et benignitas Dei, qui cum posset impios et blasphemos justissime perdere et ad nihilum redigere, tamen illo tempore, quo blasphemant et maledicunt Deum, et mandata omnia Dei prævaricantur, Deus illos quasi manibus propriis sustentat, portat et alit, delectationibus replet, solem suum oriri super eos facit, et pluviis de cœlo agros eo-

rum et hortos rigat. Illud autem, *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus,* admirantis est, ac si dicat : O quomodo multiplicasti misericordiam tuam, Deus ! Nam in hebraico codice habetur, מה יקר חסדך, *quam pretiosa est misericordia tua, Deus!* Neque dissentiunt codices græci; et nostra latina editio hunc sensum facile recipit. Est autem optimus commentarius textus originalis, quando ex eo versio nostra explicari potest.

Vers. 8. 8. FILII AUTEM HOMINUM IN TEGMINE ALARUM TUARUM SPERABUNT.

Dixit de misericordia erga impios et carnales, quos nomine jumentorum appellandos censuit. Nunc dicit de misericordia erga pios et spirituales, quos filios hominum vocat : quæ etiam justitia dici potest respectu impiorum, quos tam eximiis bonis juste privandos esse decrevit. Ait igitur : « Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, » id est, jumenta quidem corporali salute contenta esse debebunt, quam etiam solam noverunt, et solam appetiverunt. At filii hominum, quasi pulli sub alis gallinæ, ita ipsi sub alis tuis, Deus amantissime, collecti et quiescentes, omnia bona a te uno sperabunt. Quibus verbis significatur præcipua quædam providentia et singularis benevolentia Dei erga pios homines, et contra summa quædam et securissima fiducia piorum ad Deum, qualis est gallinæ sollicitudo in fovendis pullis, et pullorum fiducia sub alis gallinæ. Qua similitudine quoniam aptissima est, sæpe utitur idem Propheta, ut *Psal.* LXII : « In velamento alarum tuarum sperabo, adhæsit anima mea post te; » et *Psal.* XC : « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. » Quam autem dulce sit, et quam anteponendum omnibus humanis deliciis, sub alis Dei foveri, et paternam, vel maternam pietatem ipsius experiri, nemo scit, nisi qui accipit.

Dei providentia singularis erga pios homines.

Vers. 9. 9. INEBRIABUNTUR AB UBERTATE DOMUS TUÆ : ET TORRENTE VOLUPTATIS TUÆ POTABIS EOS.

Protectio sub alis Dei in hoc mundo habetur, ubi periculum est a morsibus milvorum et ferarum : at quod sequitur, in cœlesti patria nobis dabitur; explicat autem Propheta bona illa ineffabilia eo modo, quo potest, id est, corporalibus similitudinibus. Et quidem primum sumit similitudinem ab ipso recipiente : deinde ab ea re, quæ recipitur. Ipse quidem recipiens tunc est contentus, cum est plenus, ut nihil amplius appetat. Ista plenitudo, satians omnem appetitum, describitur hoc loco aptissime per ebrietatem. Qui enim est avidus vini, tum demum est vere satur, cum est ebrius; tunc enim non amplius sitit vinum, sed in somnum resolvitur. Ita igitur et nos, qui in hac vita nunquam satiamur, neque quiescimus, quantumlibet bona temporalia crescant, tum demum pleni, et saturi, ac per hoc beati erimus, cum inebriabimur ab ubertate bonorum, quæ sunt in domo Dei; quia tunc omni appetitu satiato, resolvemur in somnum sempiternæ quietis. Dicit autem, *inebriabuntur ab ubertate,* et non dicit, *inebriabuntur a vino,* quia vult nos intelligere, non accipi hoc loco ebrietatem proprie, sed ut significat plenam satietatem. Deinde adducit similitudinem ab ipsa re, quæ datur et recipitur, dicens : «Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.» In torrente tria sunt : multitudo maxima aquarum ex montibus descendentium; repentina inundatio : ubi enim paulo ante nihil erat aquæ, repente conspicitur flumen ingens; denique impetus aquarum decurrentium, et secum omnia obvia rapientium. Sic erit cœlestis beatitudo : aderit multitudo sapientiæ et scientiæ ex illo monte descendens, de quo dicitur *Eccli.* I : « Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, » id est, in excelso monte divinitatis est fons sapientiæ Verbum Dei : ex quo monte et fonte repentina oritur inundatio in Beatis. Nam qui in hac vita magno labore, et multo tempore, quasi guttatim sapientiam hauriebamus, ibi repente, et in momento Deo clare viso affluemus omni scientia, non solum rerum creatarum, sed etiam omnium attributorum ipsius Creatoris, quæ abundantia sapientiæ et scientiæ rapiet animum magno impetu ad amorem et fruitionem summi boni. Neque enim in patria liberum erit diligere, vel non diligere Deum; frui, vel non frui bono tam magno : sed erit felicissima necessitas adhærendi summo bono, et per complexum intimum infinita suavitate fruendi.

Felicitas æterna satiat.

Quomodo Beati sapientiam hauriemus?

Vers. 10. 10. QUONIAM APUD TE EST FONS VITÆ, ET IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN.

Reddit rationem, cur ex visione Dei sit futura in Beatis tanta sapientiæ et scientiæ inundatio : quia videlicet *apud Deum est fons vitæ,* qui idem est cum fonte sapientiæ. Deus igitur, qui fons est sapientiæ, hoc ipso fons est vitæ, quia sapere sapientibus est vivere : et quia fons est vitæ, hoc ipso fons est essendi, quia vivere viventibus est esse. Dicitur autem fons sapientiæ, vitæ, et essentiæ, quia non habet ab alio, ut sapiat, aut vivat, aut sit; sed ipse est sapientia, est vita, est esse; et omnia alia, quæ utcumque sapiunt, vivunt, aut sunt, ab illo id habent. Utitur autem David nomine fontis, ut persistat in metaphora torrentis, quasi dicat : Torrente nos potabis, quia apud te est fons, unde torrens ille descendit. Dicit autem : « Apud te est fons vitæ, » cum videretur dicere debuisse, *fons sapientiæ,* quia voluit ostendere vitam æternam justis promissam, atque ut summum bonum ab omnibus desideratam, in hac summa sapientia consistere, juxta verbum Domini, *Joan.* XVII : «Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Addit vero : « In lumine tuo videbimus lumen, » ut tandem verbis clarioribus explicet quod per metaphoras adumbraverat. Nam « in lumine tuo videbimus lumen, »

Deus fons est vitæ.

nihil aliud significat, nisi : In te ipso, qui lux, et fons luminis es, videbimus te lumen inaccessibile et indeficiens. Nunc enim videmus Deum, sed in speculo creaturarum; in mente nostra, quæ est imago Dei, ratiocinando, et discurrendo ab operibus ad opificis notitiam; denique in fide, non in specie : tunc autem videbimus Deum in seipso, et ut dicit Apostolus I *Corinth.* XIII, « facie ad faciem; » et, ut loquitur B. Joannes I *Joan.* III : « Videbimus eum sicuti est, » non sicut in imagine repræsentatur. Et quoniam, ut idem Joannes dicit I *Joan.* I : « Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, » ideo recte dicitur, « in lumine tuo, » id est, in ipsa tua divinitate, quæ lux est, non in figuris et ænigmatibus, « videbimus lumen, » id est te ipsum, « qui es lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » *Joan.* I. Recte quoque theologi ex hoc loco colligunt lumen gloriæ, quod necessarium esse volunt ad Deum videndum. Nam Deus *lux* quædam *est,* sed *inaccessibilis,* ut dicit B. Paulus I *Timoth.* VI; et ideo nisi mens elevetur, et confortetur quodam dono Dei, quod vocant lumen gloriæ, non potest obtutum figere in lucem illam increatam : proinde videbimus quidem lumen, quod est ipse Deus, sed *in lumine ipsius,* id est, adjuti lumine gloriæ, quod ipse donat iis, quos ad sui visionem dignatur admittere. Sed prior explicatio videtur magis litteralis.

Lumen gloriæ necessarium ad videndum Deum.

Vers. 11. 11. PRÆTENDE MISERICORDIAM TUAM SCIENTIBUS TE : ET JUSTITIAM TUAM HIS, QUI RECTO SUNT CORDE.

Docet nunc Propheta magna ista bona, de quibus hactenus locutus est, ad solos justos pertinere, quos paulo ante filios hominis appellavit, cum impios jumentorum nomine vocasset. Utitur quidem Propheta forma loquendi imperativi modi, sed vim habet apud prophetas ea forma modi indicativi, ut sæpe diximus : « Prætende, inquit, misericordiam tuam scientibus te, » id est, extende hanc magnam misericordiam tuam scientibus, id est, illis tantum, qui te cognoscunt notitia familiaritatis et amicitiæ; qui tecum versantur, te invocant, qui audiunt te in præceptis tuis, et quos tu audis in precibus eorum : Quo modo loquendi dicitur in Evangelio, *Matth.* XXV : « Amen dico vobis, nescio vos. » « Et justitiam tuam his qui recto sunt corde, » id est, extende, sive porrige hanc misericordiam, quæ simul est corona justitiæ, his « qui recto sunt corde, » id est, justis et piis, qui cor habent rectum et conforme rectitudini tuæ, et ideo placent illis omnia mandata tua et judicia tua. Idem enim petit Propheta more suo diversis vocabulis : nam scientes Deum notitia amicitiæ, ipsi sunt recti corde; et felicitas æterna, misericordia et justitia est : misericordia quidem, quia ex dono gratiæ facti sumus justi ex impiis, et amici ex inimicis, et recti corde ex distortis et obliquis, et operarii bonorum operum, ex operariis iniquitatis; sed tamen eadem felicitas est etiam corona justitiæ, et merces bonorum operum : nam, ut habetur in concilio Arausicano II, *Can.* XVI : Debetur merces operibus bonis, si fiant; sed misericordia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

Vers. 12. 12. NON VENIAT MIHI PES SUPERBIÆ, ET MANUS PECCATORIS NON MOVEAT ME.

Sollicitus jam de se Propheta, ne a tanto bono forte excidat, precatur Deum pro dono perseverantiæ, ac præsertim contra vitium superbiæ, cui obnoxii sunt magni viri, qualis ipse erat. « Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ, » id est, ne quæso sinas, ut mihi appropinquet pes superborum, ne forte manus ipsorum moveat me verbo, vel exemplo, vel alia tentatione, et dejiciat de statu gratiæ in foveam peccati. Nomine superbi et peccatoris, cujus pedem et manum, id est, cujus accessum et potentiam timet, intelligitur præcipue diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ; et deinde etiam ministri et satellites ejus. Posset etiam cum S. Augustino ita exponi : « Non veniat mihi pes superbiæ, » id est, non contingat mihi, ut incipiam habere pedem superbiæ, id est affectum superbiæ; « et manus peccatoris non moveat me, » id est, et operatio peccato ris non inducat me ad consensum peccati, et sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum dejiciat de statu meo, et cadam.

Vers. 13. 13. IBI CECIDERUNT QUI OPERANTUR INIQUITATEM : EXPULSI SUNT, NEC POTUERUNT STARE.

Reddit rationem cur tantopere timeat sibi a superbia : quoniam, inquit, « ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, » id est, a « superbia initium sumpsit omnis perditio, » ut ait Tobias cap. IV; nam et primus angelus cum sociis suis, et primus homo cum uxore sua, ob superbiam ceciderunt, et per eos peccatum in mundum intravit. Et postea quam ceciderunt a justitia ad iniquitatem, expulsi sunt a Deo e loco felicitatis, et dejecti in profundum miseriarum. Nam « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, » ut dicunt Apostoli, Petrus in *epist.* I, cap. V, et Jacobus cap. IV. « Nec potuerunt stare, » in loco illo felicitatis, in quo posuerat illos Deus, ut ad majora proveheret, si in bono perseverarent.

Omnis perditio a superbia initium sumpsit.

PSALMUS XXXVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Psalmus ipsi David.*

1. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent : et quemadmodum olera herbarum cito decident.

3. Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.

6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem.

7. Subditus esto Domino, et ora eum.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.

8. Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari ut maligneris.

9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

10. Et adhuc pusillum, et non erit peccator; et quæres locum ejus, et non invenies.

11. Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

12. Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.

13. Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

14. Gladium evaginaverunt peccatores; intenderunt arcum suum :

Ut dejiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.

15. Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.

16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

17. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.

18. Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit.

19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur :

20. Quia peccatores peribunt.

V. S. H. — *David.*

[*Aleph.*] Noli contendere cum malignis : neque æmuleris facientes iniquitatem.

Quoniam sicut herba velociter conterentur, et sicut olus viride marcescent.

[*Beth.*] Spera in Domino, et fac bonum; peregrinare [*h. habitare*] in terra, et pascere fide :

Et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

[*Ghimel.*] Volve super Dominum [*h. Revela Domino*] viam tuam, et confide in eo, et ipse faciet.

Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicia tua [al. *judicium tuum*] sicut meridiem.

[*Daleth*]. Tace Domino, et exspecta eum; noli contendere adversus eum, qui proficit in via sua, adversus virum, qui facit quæ cogitat.

[*He.*] Dimitte iram, et derelinque furorem : noli contendere ut malefacias.

Quoniam qui malefaciunt, interibunt : exspectantes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

[*Vav.*] Adhuc enim modicum, et non erit impius; et cogitabis de loco ejus, et non subsistet.

Mites autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

[*Zain.*] Cogitat impius de justo, et frendet adversus eum dentibus suis.

Dominus deridebit eum, quia vidit quoniam venit dies ejus.

[*Heth.*] Gladium evaginaverunt impii : tetenderunt arcum suum, ut percutiant [*h. ut dejiciant*] egenum et pauperem, et interficiant rectos in via.

Gladius eorum ingrediatur in cor eorum, et arcus eorum confringantur.

[*Teth.*] Melius est parum justo, quam divitiæ impiorum.

Quia brachia impiorum confringentur, sublevat autem justos Dominus.

[*Iod.*] Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum æterna [*h. in sæculum*] erit.

Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.

[*Caph.*] Quia impii peribunt, et inimici Do-

Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati : deficientes, quemadmodum fumus deficient.

21. Mutuabitur peccator, et non solvet; justus autem miseretur et tribuet.

22. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.

23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.

24. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

25. Junior fui : etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26. Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.

27. Declina a malo, et fac bonum : et inhabita in sæculum sæculi.

28. Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur.

Injusti punientur, et semen impiorum peribit.

29. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

30. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

31. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

32. Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus; nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

34. Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te ut hæreditate capias terram : cum perierint, peccatores videbis.

35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.

36. Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem : quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

38. Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

39. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.

40. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos; et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos : quia speraverunt in eo.

mini gloriantes ut monocerotes : consumentur, sicut fumus consumitur.

[*Lamed.*] Fœnus accipit impius, et non reddet : justus autem donat, et tribuit.

Quia qui benedicti fuerint ab eo, hæreditabunt terram; et qui maledicti, interibunt.

[*Mem.*] A Domino gressus viri firmantur, et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non allidetur : quia Dominus sustentat manum ejus.

[*Nun.*] Puer fui, siquidem et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem.

Tota die donat et commodat, et semen ejus in benedictione.

[*Samech.*] Recede a malo, et fac bonum, et habita in sempiternum [*h. sæculum*].

Quia Dominus diligit judicium, et non derelinquet sanctos [*h. misericordes*] suos.

In æternum [*h. in sæculum*] custoditi sunt, et semen impiorum peribit [al. *perit*].

Justi hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum [*h. in æternum*] super eam.

[*Phe.*] Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ejus : non deficient gressus ejus.

[*Sade.*] Considerat impius justum, et quærit, ut occidat eam.

Dominus non derelinquet eum in manu ejus, et non condemnabit eum cum judicabitur [al. *judicatur*].

[*Coph.*] Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut possideas terram; cum interibunt [al. *pereunt*] impii, videbis.

[*Res.*] Vidi impium robustum, et fortissimum, sicut indigenam virentem.

Et transivi, et ecce [al. tac. *ecce*] non erat : et quæsivi eum, et non est inventus.

[*Sin.*] Custodi simplicitatem, et vide rectum : quia erit in [al. *ad*] extremum viro pax.

Prævaricatores autem interibunt pariter, et novissimum impiorum peribit.

[*Thav.*] Salus autem justorum a Domino : fortitudo eorum in tempore tribulationis.

Et auxiliabitur eis Dominus, et salvabit eos : eripiet eos ab impiis, et salvabit eos : quia speraverunt in eo.

Argumentum.— Ne homines falsa improborum felicitate decepti, illos æmulari studeant virtute rejecta, docet hoc carmine, brevem et vanam illorum esse prosperitatem ac potentiam, contraque piorum hominum ærumnam brevem,

piuturnam porro felicitatem. Quam sententiam vates perpetua antithesi conditionis, eventuum, fortunæ, exitus, morum et vitæ piorum et impiorum inculcat.

« Structura hujus Psalmi, ait Amyraldus, duo habet maxime memoranda. *Prius* est, quod nullus in eo fere ordo a Davide observatus est, nulla partium cohærentia, nisi quod una eademque res diversisque locutionibus et considerationibus variatur... *Posterius,* quod in initio versiculorum aliquam artem auctor observasse videtur. Nam, ut in nonnullis aliis, ordinem alphabeticum secutus est, nisi quod inter א et ב, exempli causa, et sic deinceps, versum interseruit, cujus prima littera talis est, qualis calamum poetæ nullo consilio subiit. Quocirca ne anxii simus in hoc carmine in quærendis connexionibus versiculorum inter ipsos. Sunt enim certe quidem in Vet. Testamento nonnulla scripta, quorum partes inter se satis accurata methodo continentes et continuatæ sunt, et quarum veluti commissuras, tanquam in corpore naturali, facile observare queas. At non minus certum est, esse itidem alia, in quibus sententiæ, tanquam flores in fasciculum, congestæ sunt, et quos commune vinculum ita continet atque coercet, ut non magis aliæ ex aliis dependeant, quam gemmæ plures aut margaritæ, quæ eodem filo trajectæ, monile unum efficiunt. »

Igitur strophæ tot, quot litteræ alphabeti, pleræque quatuor membrorum.

1. Davidis *carmen.*

Ne exardescas ob malos,
neque invideas prave agentibus.
2. Nam sicut gramen propere abscindentur,
et quasi herba viridis (propr. *viriditas herbæ)* flaccescunt.

3. Confide Jovæ, et fac bonum;
incole terram, et sectare (propr. *pasce)* veritatem (recta et honesta).
4. Oblecta te in Jova (quod sit tuus patronus),
et dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Devolve super Jovam viam tuam (res tuas);
et confide in eo, et is faciet *optata tua.*
6. Et educet ut lucem jus tuum,
et judicium tuum (causam tuam) ceu meridiem *splendescere faciet.*

7. Sile (confidens) Jovæ, et exspecta eum;
ne succenseas in eum (seu *de eo),* qui prospere expedit viam suam,
in virum facientem fraudes.

8. Remitte ab ira, et relinque excandescentiam,
ne succenseas (hoc effecturus) tantum ut malefacias.
9. Nam male facientes exscindentur;
at qui Jovam fuerint præstolati, illi terram hæreditario possidebunt.

10. Et adhuc paulisper *exspecta,* et non erit improbus;
atque attendes ad locum ejus, et non erit ille.
11. At mansueti hæreditario terram possidebunt,
et oblectabuntur multitudine pacis.

12. Mala meditatur improbus justo,
et infrendet contra eum dentibus suis
13. Dominus ridet eum;
nam videt advenire diem ejus *exitialem.*

14. Gladium stringunt improbi,

et calcant (tendunt) arcum,
ut prosternant afflictum et pauperem,
ut trucident rectos viæ.
15. Gladius eorum in cor ipsorum intrabit,
et arcus eorum confringentur.

16. Præstat pauxillum *quod* justo *est,*
quam opes improborum multorum.
17. Nam brachia sceleratorum confringentur;
at sustentat justos Jova.

18. Novit (curat) Jova dies integrorum,
et hæreditas (possessio) eorum in perpetuum erit.
19. Non afficientur pudore tempore adverso,
et diebus famis saturabuntur.

20. Nam improbi peribunt,
et hostes Jovæ ut decus pratorum
evanescent, fumo evanescent.

21. Mutuatur improbus, nec solvit;
at justus miseretur et largitur.
22. Nam benedicti ejus (Jovæ) terram hæreditario possidebunt,
et maledicti ejus exscindentur *e terra.*

23. A Jova gressus viri *justi* stabiliuntur,
et via ejus delectatur.
24. Cum ceciderit, non prosternetur;
nam Jova sustentat manum ejus.

25. Puer fui, etiam senui,
nec vidi justum derelictum (a Deo),
aut semen ejus quærens panem.
26. *E contra :* quotidie *justus* miseretur et dat mutuum,
et semen ejus est benedictioni (benedictum).

27. Recede a malo, et fac bonum,
et habita (habitabis) perpetuo *patriam terram.*
28. Nam Jova amat judicium (jus),
nec derelinquet pios suos :
in sempiternum custodientur,
at semen improborum exscindetur.
29. Justi hæreditario possidebunt terram,
et perpetuo eam habitabunt.

30. Os justi meditatur (eloquitur) sapientiam,
et lingua ejus loquitur judicium (justitiæ congrua).

31. Lex Dei sui in corde ejus,
non vacillat (a recta via) gressus ejus.

32. Insidiatur improbus justo,
et studet occidere eum.
33. Jova non relinquit eum in manu illius,
nec condemnat (condemnari sinit) eum, cum judicatur.

34. Exspecta Jovam, et observa viam ejus,
et sublevabit te ut possideas terram;
excidium improborum videbis.

35. Vidi improbum violentum (ferocientem),
et qui diffunderet se ut arbor indigena læte virens.
36. Et interiit, et ecce non fuit;
et quæsivi eum, nec inventus est.

37. Custodi intregritatem, et vide (sequere) *quod* rectum *est :*
quia posteritas est homini pacis.
38. At scelerati delentur una,
posteritas improborum exscinditur.

39. Et salus justorum a Jova, *qui ipse*
propugnaculum *est* eorum tempore angustiæ.
40. Et adjuvat eos Jova, et liberat eos;
liberat eos ab improbis et servat eos,
quia confiderunt in eo.

NOTÆ.

Vers. 1. *Ne exardescas,* conspectis eorum rebus secundis. — Vers. 2. *Abscindentur* : Alexandrinus retulit ad rad. מלל. — Vers. 3. *Incole :* promissio est : cf. infra vers. 9 et 11. — Vers. 5. Pro *faciet,* Maurer vertit *præsentem se exhibebit.* — Vers. 14. *Stringunt,* propr. *aperiunt* gladium in vagina veluti *inclusum.* — Vers. 20. *Decus pratorum,* herba. Rosenmullerus, *pingue ovium.* Alexandrinus legit *kigor keroum,* ut utrumque sit infinitivus. — Vers. 21. Sensus : impius ita egestate premitur, ut ne mutuum quidem et debitum restituere possit; pius vero omni bonorum genere ita Deo favente abundabit, ut possit esse erga pauperes misericors, erga omnes liberalis. — Vers. 34. *Viam,* quam vult te ingredi. *Sublevabit te* prostratum et abjectum. — Vers. 35. *Diffunderet se;* alii, *nudaret se,* velut athleta, ut suas vires exserat. *Indigena,* suo solo sita. — Vers. 37. Maurer vertit, *observa integrum... rectum,* scil. hominem.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus, ipsi David.

In titulo nihil est novi. Continet autem hic Psalmus pharmacum saluberrimum ad curandos animos pusillorum, qui facile scandalizantur, cum vident in hoc mundo impios prosperari, et inde dubitare incipiunt de providentia Dei, et animari ad imitanda opera impiorum. Non est in hoc Psalmo continuata quædam oratio, sed collectio

quædam sententiarum, quasi aphorismorum, et ideo ut facilius memoria custodiretur, per alphabetum digestus est, ita ut primus quasi aphorismus continens duos versiculos incipiat a prima littera, secundus a secunda, et sic de aliis. Quas litteras notabimus, ut appareat distinctio sententiarum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. *Aleph.* NOLI ÆMULARI IN MALIGNANTIBUS, NEQUE ZELAVERIS FACIENTES INIQUITATEM.

Vers. 2. 2. QUONIAM TANQUAM FŒNUM VELOCITER ARESCENT, ET QUEMADMODUM OLERA HERBARUM CITO DECIDENT.

Prosperitas impiorum non diu durabit.

Admonet Propheta, tanquam spiritualis medicus, fideles, ut si videant impios prospere agere, non provocentur ad eos imitandos, neque irascantur, aut indignentur adversus Deum, quasi injustum : quoniam prosperitas impiorum non diu durabit, imo velocissime transibit; et tunc apparebit justitia et providentia Dei, quæ impios non sinit diu exultare et lætari. Verba tamen sunt obscuriora, propter constructionem verborum cum præpositionibus, quæ hebraismum, vel græcismum redolent : sed conabimur perspicuam sententiam reddere. « Noli æmulari in malignantibus, » id est, noli provocari ad æmulationem, sive, noli fieri æmulus et rivalis malignorum. In hebræo est, אל תתחר *al thithchar*, id est *ne irascaris;* vel, ut S. Hieronymus reddit, *ne contendas cum malignantibus;* sed idem est sensus. Loquitur enim non de contentione et pugna, quæ fit gladio, vel hasta; sed de ira et contentione æmulationis, quomodo quidam certant in theatro carminibus canendis, alii in agone cursu equorum, vel curruum, et irascuntur nisi vincant. Itaque sensus est : ne contendas cum malignantibus in temporalibus bonis per fas et nefas acquirendis, neque irascaris, si minus bene æmulatio ista succedit. Quod sequitur : «Neque zelaveris facientes iniquitatem,» idem est ac si dictum fuisset : Neque indigneris succensus zelo super operantibus iniquitatem, injustum videlicet judicans, ut Deus tantis bonis afficiat iniquos. Clarius id habetur in *Psalm.* LXXII : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, » id est, Deus quidem bonus videtur his qui conformes sunt voluntati ipsius : sed ego, qui non tanta rectitudine polleo, pene cecidi in scandalum et dubitationem, dum zelo succendor quasi pro justitia, et irascor super impiorum prosperitate, dum cogito pacem et reliqua bona, quæ possident, cum tormentis et pœnis dignissimi sint. Sequitur : « Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. » Aptissima similitudo ad ostendendam brevitatem temporalis prosperitatis. Fœnum siquidem, et olera non habent profundas radices, ut cedri et palmæ, quibus comparari solent justi. « Justus, inquit idem David *Psalm.* CXI, ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. » Inde fit ut fœnum et olera continuo arescant et putrescant, ut palmæ et cedri diutissime perseverent. Neque dixit Propheta prosperitatem impiorum cito perituram, sed ipsos impios citissime perituros : ipsis autem pereuntibus, dubium non est quin omnis eorum gloria et prosperitas pereat. Et quamvis nonnunquam impii multos annos vivant, et prospere illis omnia succedant, tamen multitudo illa annorum nihil omnino est, si ad diuturnitatem justorum et felicitatis ipsorum comparetur. Nam « justi in perpetuum vivent, » *Sap.* V; et : « In memoria æterna erit justus, » *Psalm.* CXI; et nihil est diuturnum quod habet finem. Vide *Sap.* V, si vis ad vivum depictam videre velocitatem et brevitatem rerum omnium temporalium. « Transierunt, inquit, omnia tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, quæ cum præterierit, non est vestigium invenire; aut avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius : sic et nos nati continuo desinimus esse, » etc.

Nihil est diuturnum, quod habet finem.

3. *Beth.* SPERA IN DOMINO, ET FAC BONITATEM, ET INHABITA TERRAM, ET PASCERIS IN DIVITIIS EJUS. Vers. 3.

4. DELECTARE IN DOMINO, ET DABIT TIBI PETITIONES CORDIS TUI. Vers. 4.

Absterruit nos a malo David in primo aphorismo; nunc in secundo incitat ad bonum, quasi dicat : Si vis beatus et felix esse, intellige quis sit auctor omnis felicitatis, et ab eo exspecta, ab illo spera, non ab aliis. « Spera, inquit, in Domino. » Ipse enim, qui Dominus rerum omnium est, ipse solus res suas vere dare potest; sed ut spes firma sit, et non confundaris, « fac bonitatem, » bene operando, juxta Dei mandata : quis enim facile sperare audeat in eo quem scit inimicum sibi esse? Et tum demum securus « inhabita terram : » quis enim te expellet, si amicus ejus fueris, cujus est terra, et plenitudo ejus; quin etiam « pasceris in divitiis ejus : » terra enim ad te alendum abunde proferet fructus suos. S. Hieronymus ex hebræo legit *fide*, pro *divitiis*. Et vere in textu hebraico est אמונה *emunah*, quod *fidem*, aut *veritatem* significat. Sed Septuaginta Interpretes non videntur in suo textu habuisse *emunah*, sed המונה *hamonah*, quæ vox *divitias* significat, et patet ex hoc eodem Psalmo vers. 16, ubi legitur : « Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. » Quam-

vis etiamsi legamus, *pasceris fide*, aut *veritate*, erit sensus : Pasceris in terra fide, id est, fideliter et vere, quod est fere idem cum *pasceris in divitiis ejus*. Ille enim fideliter et vere pascitur in terra, cui non deest abundantia fructuum terræ, quæ sunt ejus divitiæ. Sed ut quis bene operetur, et sit amicus Dei, ita ut in illo secure confidat, necessaria est charitas; ideo dicit : « Delectare in Domino, » id est, ama Deum ex corde, et ille sit deliciæ tuæ ; et tunc securus eris, quia « dabit tibi petitiones cordis tui, » id est, quidquid cor tuum desiderabit. At, inquies, multos novimus, qui sperabant in Deo, et faciebant bonitatem, et delectabantur in Domino, et tamen non sinebantur habitare terram, nec pascebantur in divitiis ejus, nec dabat illis Deus petitiones cordis eorum. Nam, ut omittam multitudinem prope infinitam fidelium, quos videmus quotidie in summa egestate vitam degere, certe B. Paulus sperabat in Domino, et faciebat bonitatem, et tamen, ut ipse testatur I *Corinth.* IV, « ut purgamentum mundi, et peripsema ejiciebatur, » et esuriebat, et sitiebat, et nudus erat. Et cum delectaretur in Domino, non dabat ei Dominus petitiones cordis sui, cum ter rogaverit, « ut auferretur ab eo stimulus carnis, » et non impetraverit, II *Cor.* XII. Respondeo maximam partem illorum, qui in summa egestate versantur, non sperare in Domino sicut oportet, nec observare mandata ejus, ut ipse jubet; multo etiam minus delectari in Domino : nam præter promissiones hujus Psalmi, Christus ipse *Matth.* VI, apertissime dicit : « Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Deus pascit illa : nonne vos magis pluris estis illis ? » et infra : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » Itaque dubium esse non potest, Deum provisurum suis omnia necessaria, si serio illi confidant in Deo, et mandata ejus observent. Quod si aliquando id non fiat, ut dicebatur de Apostolo, ratio est, quia Deus dat illis aliquid melius, et quo illi magis contenti sunt, id est, meritum ingens patientiæ. Idem enim B. Paulus, qui scripsit suam egestatem aliasque tribulationes, scripsit etiam : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, » II *Cor.* VII. Et si non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis; dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit rem parvam, ut daret rem magnam, quam sciebat esse veram petitionem cordis ipsius.

Justi cur aliquando gravi premantur inopia ?

Vers. 5. 5. *Ghimel.* REVELA DOMINO VIAM TUAM, ET SPERA IN EO, ET IPSE FACIET.

6. ET EDUCET QUASI LUMEN JUSTITIAM TUAM, ET JUDICIUM TUUM TANQUAM MERIDIEM.

Propinavit Propheta, ut bonus medicus, pharmacum contra morbum interiorem famis, sitis et similium malorum : nunc proponit aliud contra morbum exteriorem persecutionum et calumniarum. Quando enim ista nobis eveniunt, non prohibemur nos defendere, et calumnias propulsare, sed præcipuum remedium esse debet oratio ad Deum, et fiducia in Deo : quod observavit Susanna, quæ condemnata ad mortem per calumniam, flens suspexit ad cœlum, inquit Scriptura *Daniel.* XIII : « Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. » « Revela, inquit David, Domino viam tuam, et spera in eo, » id est, aperi in oratione coram Deo opera tua, et confide in Domino, committens illi causam tuam; « et ipse faciet, » nimirum judicium et justitiam. Ipse inveniet rationem, qua detegatur falsitas testium, qui adversus te dixerunt testimonium, et qua innocentia tua manifesta fiat. Id quod clarius habetur in sequenti versiculo : « Et educet quasi lumen justitiam tuam, » id est, Deus admirabili providentia sua faciet, ut justitia tua, id est, jus tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum propter calumnias persecutorum, emergat et clarissime conspiciatur, quo modo lumen cernitur, cum candela accenditur, vel cum profertur ex clausa et obscura laterna. Et repetens idem aliis verbis, addit : « Et judicium tuum tanquam meridiem, » id est, producet in apertum, et clarum idem jus tuum, ut luceat, et conspiciatur ab omnibus, ut conspicitur sol meridianus. Quod quidem in Susannæ judicio manifeste apparuit. Nam sicut initio justitia et innocentia Suzannæ in tenebris erat, quando a duobus testibus, contestibus, et omni exceptione majoribus convicta erat : ita paulo post, providentia Dei excitante spiritum Danielis, et per eum demonstrata falsitate testium ex ore proprio ipsorum, tam clare apparuit innocentia Susannæ, et iniquitas testium, ut continuo et ipsa liberata fuerit, et illi damnati a populo mala morte perierint. Quod attinet ad verba, illud, *revela*, S. Hieronymus et Judæorum magistri ex hebræo vertunt *volve*, sive *revolve*, ut sensus sit : Rejice in Deum causam tuam, juxta illud *Psalm.* LIV : « Jacta cogitatum in Dominum. » Sed *revela*, quod nos habemus ex versione Septuaginta Interpretum, non repugnat hebraicæ voci גול *gol*, quod significat *revolve;* nam et revolvitur quod in alium rejicitur, et revolvitur etiam quod aperitur et explicatur, ut cernatur : quod coincidit cum *revela*, sive *aperi*. Utraque expositio vera est, sed nos latinam editionem et commentarios græcorum et latinorum Patrum sequi debemus, qui *revela*, non *rejice*, exposuerunt. Porro cum revelare aliquid jubemur Deo, non ideo jubemur, quia Deus aliquid nesciat; sed quia vult orari a nobis, et per orationem explicari, quæ volumus, ut nos ipsi intelligamus, qua de causa divino auxilio egeamus. De vocibus, *justitia* et *judicium* notum est, illa varie in variis locis accipi. Sed hoc loco justitiam certum est accipi pro jure; judicium autem vel accipiendum est etiam

Susannæ exemplum singulare providentiæ Dei in suos.

pro jure, cum eadem res agatur; vel pro justa sententia, quæ juri debetur : judicium enim actus justitiæ est.

Daleth. SUBDITUS ESTO DOMINO, ET ORA EUM.

Vers. 7. 7. NOLI ÆMULARI IN EO, QUI PROSPERATUR IN VIA SUA, IN HOMINE FACIENTE INJUSTITIAS.

Verba illa, *subditus esto Domino, et ora eum,* in editione græca et latina pertinent ad versiculum superiorem; in hebræo vero codice sunt initium versiculi, ut manifeste apparet ex littera quarta alphabeti, quæ hic habetur. Nos ut ostenderemus Psalmum esse alphabeticum, posuimus ea verba sub littera *daleth,* et tamen non adjunximus illi numerum versiculi septimi, ne mutaremus distinctionem versiculorum, quam in editione latina habemus, et juxta quam distinctionem Psalmi canuntur in Ecclesia. Sensus hujus sententiæ, quæ quartus aphorismus spiritualis numerari potest, hic est : Vide ut sis semper Deo ad nutum obediens, et ora eum assidue, ne forte si videris hominem felicem in sæculo, et simul injustum, ejus felicitas tentet te, et inducat ad injustitiam. Vere enim magna tentatio est felicitas iniquorum; sed facile superatur, cum quis habet Deum semper ante oculos cordis, et illi per obedientiam et orationem adhæret. Nam qui Deo ita adhæret, respicit quasi ex alto felicitatem iniquorum, et videns eam modicam et fugacem, facile contemnit ac despicit. Ait igitur : « Subditus esto Domino, et ora eum, » id est, exhibe Deo puram ac simplicem obedientiam, et cum illo per orationem frequenter versare et colloquere. S. Hieronymus ex hebræo vertit, *tace Domino, et exspecta eum;* sed idem est sensus, quem Septuaginta Interpretes pluribus verbis explicare voluerunt. Illud igitur, *tace Domino,* quod est in hebræo, significat : non murmures contra Deum, etiamsi nescias, cur ille aliquid jubeat, vel faciat, sed, ut subditum decet, silens obedias in omnibus. Illud autem, *exspecta eum,* significat : pete in oratione, et patienter exspecta. Dabit enim Dominus, quod petis, sed quando opportunum judicabit. « Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias, » id est, noli fieri æmulus, et quasi rivalis hominis, qui in via sua, id est, in actionibus suis prosperatur; hominis, inquam, injusti et iniqui, qui malefaciendo prosperatur. S. Hieronymus ex hebræo vertit, *qui facit quæ cogitat,* pro eo quod nos ex græco habemus, *faciente injustitias.* Sed vox מזמות *mezimmoth,* quamvis descendat a verbo זמה *zamah,* quod est *cogitare,* tamen significat etiam *scelera,* ut idem S. Hieronymus eamdem vocem interpretatur in *Psalm.* XXV, vers. 12, et *Jerem.* XI, vers. 15.

Magna tentatio est impiorum felicitas.

Vers. 8. 8. *He.* DESINE AB IRA, ET DERELINQUE FUROREM, NOLI ÆMULARI, UT MALIGNERIS.

Vers. 9. 9. QUONIAM QUI MALIGNANTUR EXTERMINABUNTUR, SUSTINENTES AUTEM DOMINUM, IPSI HÆREDITABUNT TERRAM.

Hæc sententia est quasi repetitio et declaratio primæ sententiæ; in toto enim Psalmo res eadem sæpe repetitur et inculcatur, ut illustrior fiat, et memoriæ magis inhæreat. In primo versu dixerat : « Non zelaveris facientes iniquitatem; » idipsum nunc dicit clarius, cum ait : « Desine ab ira, et derelinque furorem, » id est, cum videris impium in terra florere, non irascaris, neque incipias furere, et dicere : Quare iste iniquus prosperatur, ubi est justitia Dei? ubi providentia illius? Item in primo versu dixerat : « Noli, æmulari, ut maligneris, » id est, noli æmulando malignos fieri socius malignantium; noli imitari opera injusta eorum quorum felicitati invides, et addit : « Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, » ut declaret quod antea dixerat, « quoniam tanquam fœnum velociter arescent. » Adjungit postea : « Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram, » ut repetat et declaret quod ibi dixerat : « Spera in Domino, et inhabita terram. » Sustinent enim Dominum, qui patienter exspectant promissiones ejus, et securi exspectant; quoniam fidelis et potens est Dominus, qui promisit. Et ideo sine ullo dubio, qui malignantur, etiamsi ad tempus florere videantur, non diu florebunt, sed exterminabuntur de terra, et in gehennam ad æternam infelicitatem detrudentur : qui autem abstinent se ab iniquitate, et a Domino mercedem suam sperant, « ipsi hæreditabunt terram, « id est, ipsi stabili possessione terram obtinebunt, quasi propriam hæreditatem quæ ab eis nunquam auferetur. Vere enim homines pii cum migrant ad Deum, non amittunt possessionem terræ, sed acquirunt cœlum et terram, cum dicatur de eis : « Super omnia bona sua constituet eos, » *Matth.* XXIV.

Vers. 10. 10. *Vau.* ET ADHUC PUSILLUM, ET NON ERIT PECCATOR, ET QUÆRES LOCUM EJUS, ET NON INVENIES.

Vers. 11. 11. MANSUETI AUTEM HÆREDITABUNT TERRAM, ET DELECTABUNTUR IN MULTITUDINE PACIS.

Quia dixerat : « Malignantes exterminabuntur, » addit hoc brevi futurum. « Et adhuc, inquit, pusillum » temporis pertransibit, et « peccator, » qui videbatur felix, non apparebit in terra; « et quæres locum ejus inter homines, et non invenies, » quia videlicet periit omnino, et quasi arbor infructuosa radicitus evulsus est. « Mansueti autem, » id est, illi qui non indignantur, nec irascuntur Deo, cum vident impios prosperari, sed patienter ferunt, et tolerant id quod Deo placet, « hæreditabunt terram, » non solum hanc ubi peregrinamur, sed etiam illam viventium quæ sola proprie terra est, id est, firma et stabilis; unde et Dominus ait *Matth.* V : «Beati mites, quo-

niam ipsi possidebunt terram; » et quia terra illa dicitur Jerusalem, id est, visio pacis, cum omnes inimici longissime ab illa absint, ideo « delectabuntur in multitudine pacis, » id est, fruentur pace multa, quia pax illa erit cum multitudine magna incolentium terram illam, et durabit multo tempore, vel potius æterno tempore, et sic delectationem habebunt, quam pax adferre secum solet.

Vers 12. 12. *Zain.* OBSERVABIT PECCATOR JUSTUM, ET STRIDEBIT SUPER EUM DENTIBUS SUIS.

Ver. 13. 13. DOMINUS AUTEM IRRIDEBIT EUM : QUONIAM PROSPICIT, QUOD VENIET DIES EJUS.

Monet S. Propheta justum, ut non multum formidet insidias iniquorum, quia Deus vigilat ad custodiam ejus. « Observabit, inquit, peccator justum. » id est, attente respiciet peccator omnes actiones justi, ut inveniat aditum ad eum perdendum. « Et stridebit super eum dentibus suis, » id est, instar famelici canis desiderabit interitum ejus, ac præ iracundia et indignatione dentibus frendebit. « Dominus autem irridebit eum, » id est, Dominus, qui omnia prospicit, et in cujus manu sunt omnia, ita ut non cadat folium in terram, nisi ipso jubente, vel permittente, « irridebit eum. Quoniam prospicit quod veniet dies ejus, » id est, irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus ejus, et illum ante rapiendum, quam justo nocere potuerit. Nam etiamsi forte Deus permittat justum a peccatore occidi, tamen prius peccator animam suam occidit, quam justi corpus occidat; et quoniam mors justi pretiosa est in conspectu Domini, et lucrum est, non detrimentum, mors autem peccatorum pessima, et ad mortem sempiternam peccatorem detrudit, ideo semper ante rapitur peccator, quam justo nocere potuerit. Proinde irridendus merito est, quia dum alterius interitum procurat, imminentem interitum suum non videt.

Vers 14. 14. *Chet.* GLADIUM EVAGINAVERUNT PECCATORES, INTENDERUNT ARCUM SUUM.

Vers. 15. 15. UT DEJICIANT PAUPEREM ET INOPEM, UT TRUCIDENT RECTOS CORDE.

Vers. 16. 16. GLADIUS EORUM INTRET IN CORDA IPSORUM, ET ARCUS EORUM CONFRINGATUR.

Declarat hic Propheta, quod obscurius dixerat in superioribus versiculis litteræ *zain*. Quod enim ibi dixit, *observat peccator justum*, hic declarat, dicens : « Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, » id est, stant peccatores armati districtis gladiis, et arcubus extensis, observantes quando sit tempus occidendi justum, ut videlicet tunc dejiciant arcu, et trucident gladio justum, qui pauper et inops est, et rectus corde. Sed Deus, qui prospicit omnia ex alto, facit ut gladius convertatur in corda ipsorum, et arcus eorum conteratur, et ipsis solis noceat, et sic irridebit eos. Observandum hoc loco est, quod hic dicitur de gladio et arcu, posse intelligi tum de arcu, et gladio ferreo, tum de gladio, et arcu linguæ. Sæpe enim peccatores occidunt justos, vel certe conantur occidere calumniis et falsis testimoniis, sæpe etiam vero gladio et arcu. Item notandum est verbum illud, *ut dejiciant*, recte sic positum esse in editione Sixti V Pontificis, cum antea haberetur in codicibus vulgatis, *ut decipiant* : nam, cum in hebraico et græco codice habeatur להפיל *lehappil, dejiciant,* et sic legerint veteres Patres, et hoc requirat conjunctio cum arcu et gladio, et denique non deessent codices antiqui latini manuscripti qui haberent, *ut dejiciant,* facile dijudicari potuit, errore librariorum, ob litterarum similitudinem, irrepsisse *decipiant,* pro *dejiciant.* Rursum considerandum est justum hoc loco dici *rectum corde,* vel, ut est in hebræo, ישרי דרך, *rectum via,* quia justus cor habet conforme legi Dei, quæ est rectissima; et quia eadem lex est via recta, per quam ambulare debemus, dum operamur; ideo rectus corde dicitur etiam rectus via, quia nunquam aberrat a recta via, quæ est lex Domini. Præterea notandum hoc loco, justum dici pauperem et inopem, vel quia omnes justi sunt pauperes spiritu; et licet interdum divitiis abundent, intelligunt eas divitias non esse proprie suas, cum de eis rationem reddituri sint Deo; vel certe non loquitur David de omnibus justis, sed solum de pauperibus et abjectis, qui a potentibus opprimuntur. Porro inter *pauperem* et *inopem* hoc interest quoad voces hebraicas, quod עני, pro qua habemus *pauperem*, significat *humilem, afflictum, mitem*; אביון, pro qua voce habemus, *inopem*, significat proprie *egenum,* quia omnia desiderat, qui omnibus caret. Denique illa imprecatio, *gladius eorum intret in corda ipsorum,* est prædictio potius, quam imprecatio. Tunc autem gladius peccatoris, extensus adversus justum, intrat in corda peccatoris, quando peccator, dum nocere intendit justo, sibi ipse magis nocet : dum enim forte spoliat justum pallio, se ipse spoliat fide et charitate; et dum justum privat vita carnis, se ipse privat gratia Dei, quæ est vita animæ; et dum justum calumniis suis trudit in carcerem, se ipse præcipitat in gehennam.

Peccator dum nocere vult justo, sibi ipse magis nocet.

17. *Teth.* MELIUS EST MODICUM JUSTO SUPER DIVITIAS PECCATORUM MULTAS. Vers. 17.

18. QUONIAM BRACHIA PECCATORUM CONTERENTUR, CONFIRMAT AUTEM JUSTOS DOMINUS. Vers. 18.

Ne justi pauperes iniquis divitibus invideant, et dimissa justitia ad perpetrandam iniquitatem accedant, munit eos David his duobus versiculis : « Melius, inquit, est modicum justo super divitias peccatorum multas, » id est, plus prodest justo modica substantia, quam peccatori ingentes divitiæ : proinde felicior est justus tenuis, quam peccator locuples; et ideo magis expetenda est jus-

titia cum parvis opibus, quam multæ copiæ cum justitia. Ratio est, quia justus dirigitur a Deo, ut sciat uti divitiis; non est avarus, non est prodigus, ac propterea non eget, neque gravatur ære alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Peccator autem superbus et prodigus est, nec scit uti divitiis; inde semper eget, semperque debet, nec diu statum suum conservare potest. Atque hoc est quod sequitur : « Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus; » id est, potentia et fortitudo peccatoris facile deficient, quia nititur brachio carnis, nec divitiæ illum juvare poterunt. Justi autem fortitudo et potentia non potest deficere, quia nititur brachio Dei; Deus etiam, qui amicus justorum est, illum confirmat, vel, ut clarius rem explicat vox hebraica סומך, *sustentat*. Denique peccator non obstantibus maximis suis divitiis, non effugiet æternum interitum, quia cum morietur nihil secum asportabit, neque descendet cum eo gloria ejus. Justus autem, qui non in divitiis terrenis, sed in Deo confidit, in sempiternum vivet.

Vers. 19. 19. *Iod.* NOVIT DOMINUS DIES IMMACULATORUM, ET HÆREDITAS EORUM IN ÆTERNUM ERIT.

Vers. 20. 20. NON CONFUNDENTUR IN TEMPORE MALO, ET IN DIEBUS FAMIS SATURABUNTUR.

Confirmat Propheta quod paulo ante dixit de felicitate justorum, etiamsi modicas opes habeant : « Novit, inquit, Dominus dies immaculatorum, » id est, approbat Dominus vitam justorum, eisque favet, et benedicit, et ideo dies eorum diuturni erunt, et hæreditas eorum cum ipsis diutissime conservabitur. « Non confundentur in tempore malo, » id est, tempore sterilitatis et penuriæ non confundentur, quia non cogentur erubescere mendicando panem; « et in diebus famis saturabuntur, » id est, non solum non erubescent mendicando tempore communis famis, sed etiam habebunt ex suis copiis, unde comedant ad satietatem. Sed hæc interdum implentur in hoc sæculo, semper autem implebuntur in futuro. Ventura enim est post hanc vitam incredibilis quædam sterilitas, quando nemo poterit serere, vel metere, et dives in inferno guttam aquæ desiderabit, nec obtinebit. Tunc igitur immaculati, qui nihil dimiserunt in terra, sed in cœlum omnia transtulerunt, invenient æternam hæreditatem, neque confundentur mendicando cum stultis virginibus : « Date nobis de oleo vestro, » *Matth.* XXV; satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini.

Caph. QUIA PECCATORES PERIBUNT.

Vers. 21. 21. INIMICI VERO DOMINI MOX UT HONORIFICATI FUERINT, ET EXALTATI, DEFICIENTES QUEMADMODUM FUMUS DEFICIENT.

Tres primæ dictiones pertinent ad versiculum superiorem in editione græca et latina; sed voluimus eas hoc loco ponere, ut appareat artificium Prophetæ, qui per litteras alphabeti Psalmum digessit. Nam in illa particula, *quia*, posuit litteram *caph*, quæ in alphabeto sequitur; et inde incipit in hebræo novus versus. Ergo illa verba : « Quia peccatores peribunt, » reddunt rationem, cur immaculati pacifice possidebunt hæreditatem in terra, et in tempore famis saturabuntur. Id enim fiet, quia « peccatores, » qui eos perturbare, eisque bona sua diripere solebant, « peribunt. » Quod autem sequitur : « Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient, » respondet duobus versiculis superioribus, ut hic sit sensus : Immaculati homines, tanquam amici Dei habebunt æternam hæreditatem, et in tempore malo non confundentur; « inimici vero Domini, » quales sunt omnes peccatores, e contrario habebunt brevissimam felicitatem; statim enim atque exaltari cœperint, evanescent instar fumi, qui dum exaltatur consumitur, neque vestigium ullum post se relinquit. Illud verbum, *exaltati*, a S. Hieronymo legitur, *sicut monocerotes;* ab aliis, *agni*, quæ sunt res diversissimæ. In hebræo nunc habetur כרים *carim*, quod proprie *agnos* significat, et ad sententiam hujus loci nihil facit. S. Hieronymus videtur legisse *carem*, et ideo vertit, *sicut monocerotes;* nam monocerotes in libro *Num.* cap. XXIII et XXIV, dicitur ראם *reem*, et in lib. *Judic.* cap. XXXVIII, dicitur רים *rem*, et tunc sensus est, quod *inimici Domini cum honorificati*, et gloriantes fuerint *sicut monocerotes, tanquam fumus consumentur*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt כרים *carim*, neque *carem*, sed *carum*, et ideo recte verterunt, *cum exaltati fuerint*, quæ lectio optima est, eamque noster Interpres etiam secutus est, et tota frequentat Ecclesia.

Vers. 22. 22. *Lamed.* MUTUABITUR PECCATOR, ET NON SOLVET : JUSTUS AUTEM MISERETUR, ET TRIBUET.

Vers. 23. 23. QUIA BENEDICENTES EI HÆREDITABUNT TERRAM, MALEDICENTES AUTEM EI DISPERIBUNT.

Confirmat quod supra dixerat : « Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. » Nam sæpissime accidit ut peccator, quamvis ditissimus, mutuo accipiat pecuniam, et tamen non restituat; quia volunt peccatores supra censum laute vivere, vel superbe vestiri, aut habitare : inde semper laborant ære alieno gravati; justus autem, qui, ut supra diximus, scit uti divitiis, etiamsi modicum habeat, tamen ex modico multo habet, unde misereatur pauperum, et retribuat sine spe recuperandi. « Quia benedicentes ei, » Deo videlicet, ut Augustinus exponit, « hæreditabunt terram, » et sic semper habebunt unde tribuant; « maledicentes autem ei, » tanquam blasphemi et ingrati, « disperibunt, » ut etiamsi velint tribuere, non possint. S. Hieronymus legit passive, *quia benedicti ab eo*, nimirum a Deo, *hære-*

Cur pauperes minus sæpe habent quam divites?

ditabunt terram, maledicti ab eo disperibunt. Et quidem verba hebraica, modica facta mutatione punctorum, tam active quam passive exponi possunt, et una sententia aliam infert. Qui enim Deum in omnibus rebus benedicunt, ab eo quoque benedicuntur; et qui Deo maledicunt, maledictionem ipsius consequentur.

Vers. 24. 24. *Mem.* APUD DOMINUM GRESSUS HOMINIS DIRIGENTUR, ET VIAM EJUS VOLET.

Vers. 25. 25. CUM CECIDERIT NON COLLIDETUR, QUIA DOMINUS SUPPONIT MANUM SUAM.

Incipit hoc loco Propheta exponere singularem Dei providentiam erga justos, ut tanto magis eos confirmet, ne forte prosperitas impiorum eos alliciat ad peccandum. Dicit igitur vitam justorum a Domino dirigi et custodiri. « Apud Dominum, inquit, gressus hominis » justi, id est, ille diriget actiones et opera justi, qui justum fecit. « Et viam ejus volet, » id est, hinc fiet, ut justus viam Domini velit, diligat, libenter sequatur : vel, *Deus volet viam justi*, id est, approbabit actiones et opera ejus. Prior explicatio S. Augustini, posterior Euthymii est. Illud, *apud Dominum*, in textu originali est מיהוה, *a Domino*, et sic legunt S. Augustinus et græci Interpretes; sed verba nostræ editionis, ut non dissentiant a textu originali, sic explicanda sunt : « Apud Dominum, » id est, in secreto consilio Domini « dirigentur. » Sequitur : « Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. » Potest hoc referri ad miserias corporales, et etiam ad miserias animæ. Nam si justus ceciderit in aliquam afflictionem et tribulationem, quæ sunt quasi foveæ, vel saxa, vel lutum in via vitæ hujus, « non collidetur, » id est, non omnino succumbet, aut opprimetur, « quia Dominus supponit manum suam, » ne lædatur, vel, ut est in hebræo, *quia Deus sustentat eum manu sua*, id est, auxilio et providentia sua. Et si forte ceciderit in tentationem peccati, non collidetur, id est, non perveniet ad consensum culpæ lethalis, nec amittet patientiam, aut fidem, aut aliam virtutem, quia Dominus auxilio gratiæ suæ sustentabit eum.

Vers. 26. 26. *Nun.* JUNIOR FUI, ETENIM SENUI, ET NON VIDI JUSTUM DERELICTUM, NEC SEMEN EJUS QUÆRENS PANEM.

Vers. 27. 27. TOTA DIE MISERETUR ET COMMODAT, ET SEMEN ILLIUS IN BENEDICTIONE ERIT.

Probat ab experientia sua, quod supra dixerat, justos in tempore malo non confundendos, et in diebus famis saturandos. « Junior fui, » inquit, vel, ut expressius habetur in hebræo נערי הייתי, *puer fui*, et postea senui, et in tam longo tempore « nunquam vidi justum derelictum a Deo, » ita ut inopia premeretur; nec vidi semen ejus, id est filios ejus, quærentes et mendicantes panem. Sed contra potius vidi, quod justus « tota die miseretur et commodat, » id est, omni tempore ita abundat, ut vel ex misericordia donet, vel certe mutuo, aut commodato det proximis de facultatibus suis. Quare « semen illius, » id est, filii ejus non solum non mendicabunt panem, sed « in benedictione erunt, » id est, benedicti a Deo copiis abundabunt, vel ab omnibus benedicentur, tanquam filii optimorum parentum. Observa circa verba, illud *etenim* in hebræo esse גם *gam*, quod significat *etiam*, ut sensus sit, *puer fui, et etiam senui.* In græco quidem habetur καὶ γάρ, *etenim*; sed accipi potest pro *etiam*. Observa præterea non repugnare hanc sententiam veritati, etiam si videamus in Ecclesia multos fideles mendicantes panem. Nam mendicantes religiosi sponte mendicant amore paupertatis, non necessitate inopiæ, neque derelicti dici possunt, cum Deus eos mirabili providentia sua alat et sustentet. Cæteri mendicantes, ut plurimum non sunt filii eorum, qui consueverint misereri aliorum, et donare : ad hos enim proprie hæc promissio pertinet. Sæpe etiam neque justi sunt ipsi, neque filii justorum. Denique, ut supra diximus, si qui vere justi, et sperantes in Domino derelicti videntur, et quærentes micas panis, ut Lazarus de Evangelio *Luc.* XVI, ii melius aliquid a Domino acceperunt, quam sit copia rerum temporalium : neque mutarent meritum patientiæ cum omni temporali felicitate.

Mendicantes religiosi non repugnant huic sententiæ.

28. *Samech.* DECLINA A MALO, ET FAC BONUM, ET INHABITA IN SÆCULUM SÆCULI. Vers. 28.

29. QUIA DOMINUS AMAT JUDICIUM, ET NON DERELINQUET SANCTOS SUOS : IN ÆTERNUM CONSERVABUNTUR. Vers. 29.

Ex iis quæ dixit paulo ante, se fuisse expertum a pueritia usque ad senectutem, concludit per modum adhortantis, ac dicit : « Declina a malo, et fac bonum, » quæ sunt duo prima præcepta justitiæ; « et inhabita in sæculum sæculi, » id est, vide ut justus sis, et securus inhabitabis terram usque in sempiternum. Et reddit rationem, cur justi terram perpetuo habitaturi sunt. « Quoniam, inquit, Dominus amat judicium, » id est, justos servos suos; ideo affirmo, quod « in æternum conservabuntur. » Hæc promissio pertinet quidem aliquo modo ad hanc vitam, in qua per varias successiones justi longo tempore terram inhabitare solent : sed absolute et proprie pertinet ad vitam futuram, quæ in terra viventium sempiterna erit.

30. *Ain.* INJUSTI PUNIENTUR, ET SEMEN IMPIORUM PERIBIT. Vers. 30.

31. JUSTI AUTEM HÆREDITABUNT TERRAM, ET INHABITABUNT IN SÆCULUM SÆCULI SUPER EAM. Vers. 31.

Hoc loco desunt in hebræo duæ primæ dictiones, videlicet, *injusti punientur*, quæ apertissime leguntur in textu græco : et hinc factum est ut

non appareat littera *ain* initio horum duorum versiculorum, ut numerus et ordo litterarum alphabeti postulabant. Sed vox *injusti*, quæ est apud Græcos et Latinos, apud Hebræos esset יעוילים, quæ incipit per *ain*. Itaque si addatur ad hebræum textum : « Injusti punientur, » vocibus hebraicis constabit ratio alphabeti. Sententia autem horum versiculorum clarissima est, ut explicatione non egent.

Vers. 32. 32. *Phe.* Os JUSTI MEDITABITUR SAPIENTIAM, ET LINGUA EJUS LOQUETUR JUDICIUM.

Vers. 33. 33. LEX DEI EJUS IN CORDE IPSIUS, ET NON SUPPLANTABUNTUR GRESSUS EJUS.

Dixit paulo ante divinam providentiam vigilaturam, ne justi ab impiis opprimantur : nunc addit justos quoque per sapientiam suam, quæ est etiam Dei donum, effecturos, ut non supplantentur a malitia iniquorum. « Os justi meditabitur sapientiam, » id est, justus sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone : meditari enim sapientiam ore, nihil est aliud, nisi exercere sapientiam inter loquendum, ut alibi diximus; et ipsum repetit David cum addit : « Et lingua ejus loquetur judicium, » id est, lingua justi non temere profundet verba, sed loquetur quod justum est, et quod pro tempore dici debet, quod est sapienter loqui. Addit rationem, dicens : « Lex Dei ejus in corde ipsius, » id est, sermo justi sale sapientiæ conditus erit, quia justus habet in corde legem Dei, et propterea dum loquitur, cogitat mandata Dei, ut non delinquat in lingua sua; et propterea « lex est lux, » ut ait Salomon *Proverb.* VI; et, ut idem David ait *Psalm.* XVIII : « Lex Domini illuminat corda, et sapientiam præstat parvulis; » et ideo non est mirum, si justus qui habet legem in corde, eamque cogitat et diligit, sapienter loquatur. Ex his colligit Propheta : « Et non supplantabuntur gressus ejus, » id est, quia justus semper loquitur, nemo illum supplantando impellet ad casum. Supplantare dicitur, qui plantam alterius tenendo vel impediendo, cadere illum cogit, præsertim quando id astutia potius, quam violentia fit. Ergo non supplantabuntur pedes ejus, ac per hoc non impelletur justus ad casum dolo alicujus iniqui circumventus.

Quid sit meditari sapientiam ore.

Vers. 34. 34. *Zade.* CONSIDERAT PECCATOR JUSTUM, ET QUÆRIT MORTIFICARE EUM.

Vers. 35. 35. DOMINUS AUTEM NON DERELINQUET EUM IN MANIBUS EJUS : NEC DAMNABIT EUM, CUM JUDICABITUR ILLI.

Declarant hi duo versiculi versiculos duos superiores. « Considerat, inquit, peccator justum, » nimirum observans diligenter quid loquatur, et quid agat, ut supplantet eum; « et quærit mortificare eum, » id est, quærit supplantando illum occidere. Quod quidem præcipue fieri solet in judiciis, cum judex, vel accusator iniquus innocentem aliquem circumvenire et perdere cupit. « Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, » id est, Dominus non permittet ut peccator habeat justum in potestate, et ideo inspirabit illi sapientiam, ut cognoscat fraudes inimicorum, et sapienter loquendo evitet supplantationes eorum. « Nec damnabit eum, cum judicabitur illi, » id est, judex non damnabit justum, cum tempus judicii ejus advenerit, quia Deus non permittet obscurari justitiam. Verba illa, *cum judicabitur illi*, clariora sunt in textu originali, בהשפטו *behiscapto*, et nihil aliud significant, nisi *cum ille*, justus videlicet, *judicandus erit*; sive, *cum fiet ei judicium*; sive, *cum judicabitur*. Habentur eadem fere verba vers. 12 : « Observabit peccator justum, et stridebit dentibus in eum, » etc.; sed ibi de violentia agitur, hic de astutia.

Vers. 36. 36. *Coph.* EXPECTA DOMINUM, ET CUSTODI VIAM EJUS : ET EXALTABIT TE, UT HÆREDITATE CAPIAS TERRAM; CUM PERIERINT PECCATORES, VIDEBIS.

Hortatur Propheta justum, ut speret in Deo, et perseveret in justitia. « Exspecta Dominum, » id est, spera in Deo, si forte differri tibi videtur promissio ejus; « et custodi viam ejus, » id est, observa legem ejus, et non declines a via jam inchoata sanctitatis et justitiæ, « ut hæreditate capias terram, » id est, ut cum implebitur promissio ejus, possideas quasi propria hæreditate terram viventium. « Cum perierint peccatores, videbis, » id est, cum peccatores omnes judicio divino condemnati perierint, tunc videbis quod nunc speras.

Vers. 37. 37. *Resch.* VIDI IMPIUM SUPEREXALTATUM, ET ELEVATUM SICUT CEDROS LIBANI.

Vers. 38. 38. ET TRANSIVI, ET ECCE NON ERAT; QUÆSIVI EUM, ET NON EST INVENTUS LOCUS EJUS.

Quia dixerat : « Cum perierint peccatores videbis, » poterat justus quærere, quando hoc erit; ideo nunc addit brevi hoc futurum esse. Nam « vidi, inquit, impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani, » id est, positum in altissimo gradu dignitatis et potestatis, et radicatum ac fundatum opibus, clientelis, et similibus rebus, ut videretur æterna futura ejus felicitas : et tamen vix « pertransii, et ecce non erat, » id est, transiens vidi hominem illum elevatum et radicatum, ut cedros Libani, et vix illum pertransii, et ecce respicio post me, et evanuerat; « quæsivi » ubi fuisset, et an vestigia remanerent tantæ magnitudinis, « et non est inventus locus ejus » quasi nunquam ibi fuisset. Hæc verissima esse quotidiana experientia docet. Ubi enim nunc sunt potentissimi illi monarchæ, ut de minoribus taceam, Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum? Certe nisi aliquid in libris historicorum legeremus, ignoraremus illos unquam fuisse. Ita nulla supersunt vestigia tantæ

Humana superbia non videt quæ tangi possunt.

potentiæ et tamen humana superbia mortalibus oculos perstringit, ut videre non possint, quæ tangunt manibus, et credere nolint, quæ vel inviti sentire et experiri coguntur. Quod attinet ad verba, in hebræo habetur, *vidi impium robustum, fortissimum, sicut indigenam virentem.* Sed Septuaginta Interpretes respicientes ad similitudinem cedri, ut rem magis explicarent, dixerunt, *superexaltatum, et elevatum;* ex quo tamen sequitur ut robustus et fortissimus esset: cedri enim altissimæ, et robustæ, et fortissimæ sunt. Et pro illo, *sicut indigenam virentem,* verterunt Septuaginta, *sicut cedros Libani,* quia non legerunt, ut nunc habemus, כאזרח, *sicut indigenam,* sed una littera transposita, כארזים, *sicut cedros;* et quia cedri virentes in monte Libano potissimum inveniuntur, ideo pro *cedros virentes,* posuerunt *cedros Libani.* Porro ubi nos legimus, *et transivi,* in hebræo est ויעבר, *et transivit;* sed credibile est hebraicam vocem incuria librariorum esse corruptam unius litteræ mutatione. Nam non solum Septuaginta Interpretes verterunt in prima persona, sed etiam S. Hieronymus.

Vers. 39. 39. *Schin.* CUSTODI INNOCENTIAM, ET VIDE ÆQUITATEM, QUONIAM SUNT RELIQUIÆ HOMINI PACIFICO.

40. INJUSTI AUTEM DISPERIBUNT SIMUL, RELIQUIÆ IMPIORUM INTERIBUNT. Vers. 40.

Pergit Propheta in adhortatione, et ait: « Custodi innocentiam, et vide æquitatem, » id est, conserva innocentiam erga te ipsum, « et vide æquitatem, » id est, judica quod rectum est erga proximos. « Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico, » id est, quia dabit Deus in præmium homini pacifico, ut relinquat filios post se. Vel altiore sensu, quia multa bona reliqua sunt homini pacifico post mortem ejus. « Opera enim bona sequuntur illos, qui in Domino moriuntur, » ut dicitur *Apoc.* XIV. « Injusti » autem e contrario « peribunt, » ipsi simul omnes nullo excepto, « et reliquiæ peribunt cum eis, » quia nec filios in hoc sæculo relinquent, nec boni aliud eis reliquum erit, cum omnia in concupiscentiis suis sceleribusque consumpserint.

41. *Thau.* SALUS AUTEM JUSTORUM A DOMINO, ET PROTECTOR EORUM IN TEMPORE TRIBULATIONIS. Vers. 41.

42. ET ADJUVABIT EOS DOMINUS, ET LIBERABIT EOS, ET ERUET EOS A PECCATORIBUS, ET SALVABIT EOS, QUIA SPERAVERUNT IN EO. Vers. 42.

Hæc est quasi recapitulatio Psalmi totius, et satis aperta et perspicua.

PSALMUS XXXVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.*

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

6. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

7. Miser factus sum et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.

10. Domine, ante te omne desiderium

V. S. H. — *Canticum* [*h. Psalm.*] *David in commemoratione.*

Domine, ne in ira [*h. indignatione*] tua arguas me, neque in furore tuo [*h. ira tua*] corripias me:

Quia sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et tetigit [*h. terruit*] me manus tua.

Non est sanitas in carne mea a facie indignationis tuæ: non est pax [al. add. *in*] ossibus meis a facie peccati mei.

Quia iniquitates meæ transierunt caput meum: quasi onus grave aggravatæ sunt super me.

Computruerunt, et tabuerunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

Afflictus sum, et incurvatus sum nimis: tota die mœrens ambulabam.

Quia lumbi [al. *renes, h. ilia mea*] mei repleti sunt ignominia [*h. vililate*], et non est sanitas in carne mea.

Evigilavi, et afflictus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, in conspectu tuo [*h. coram te*] omne

meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

12. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt:

13. Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

15. Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones.

16. Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

17. Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei; et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18. Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

20. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum fluctuabat, dereliquit me fortitudo mea: et lux oculorum meorum etiam ipsa non est mecum.

Chari mei, et amici [*h. sodales*] mei contra lepram meam steterunt, et vicini [*h. propinqui*] mei longe steterunt.

Et irruebant quærentes animam meam: et investigantes mala mihi loquebantur insidias, et dolos tota die meditabantur.

Ego autem quasi surdus non audiebam, et quasi mutus qui non aperit os suum.

Et eram quasi homo [*h. vir*] non audiens, nec habens in ore suo redargutiones.

Te enim, Domine, exspectabam, tu exaudies, Domine Deus meus.

Quia dixi, ne forte insultent mihi, et cum vacillaverit pes meus, super me magnificentur.

Quia ego ad plagam [al. *plagas*] paratus sum, et dolor meus contra me [al. add. *est*] semper.

Quia iniquitatem meam [al. add. *ego*] annuntio et contristabor pro peccato meo.

Inimici autem mei viventes confortati sunt, et multiplicati sunt odientes me mendaciter.

Et qui reddunt malum pro bono, adversabantur mihi, quia sequebar bonum.

Ne derelinquas me, Domine: Deus meus, ne elongeris a me.

Festina in auxilium meum, Domine [al. add. *Deus*] salutis meæ.

Argumentum. — Querela animo et corpore graviter affecti, vers. 2-9; et ab amicis deserti, simulque ab hostibus afflicti, vers. 10-15; quas quidem ærumnas etsi peccatis suis commeruisse fatetur, attamen Deum auxilium suum ei non prorsus subtracturum esse et sperat et optat, vers. 16-23. Hinc strophæ tres.

1. Carmen Davidis, ad revocandum *se Jovæ* in memoriam.

2. Jova, ne in ira tua corripias me,
et *ne* in æstu tuo castiges me.
3. Nam sagittæ tuæ demissæ (conjectæ) sunt in me,
et descendit super me manus tua.
4. Nihil integri *est* in carne mea propter indignationem tuam,
nihil pacis (quietis) in ossibus meis propter peccatum meum.
5. Iniquitates enim meæ transeunt (superando) caput meum,
ut onus grave graviores sunt me.
6. Fœtent, sanie diffluunt ulcera mea (tumores mei),
propter stultitiam meam (qua peccavi).

7. Incurvatus sum, demissus admodum,
tota (et omni) die atratus incedo.
8. Nam lumbi mei pleni sunt inflammatione,
et nihil integri est in carne mea.
9. Torpeo et contusus sum vehementer,
rugio præ fremitu (ob gemitus tumultuantes) cordis mei.

10. Domine, coram te (tibi notum est) omne desiderium meum,
et gemitus meus te non latet.
11. Cor meum palpitat vehementer,
deseruit me robur meum,
et lux oculorum meorum, etiam illi non sunt mecum.
12. Amici mei et socii mei e regione (procul) plagæ meæ consistunt,
et propinqui mei e longinquo sistunt.
13. Et laqueos ponunt qui appetunt vitam meam;
et qui quærunt malum meum, loquuntur perniciosa,
et fraudes per totum diem meditantur.
14. At ego, velut surdus, nihil audio;
ac ceu mutus *sum, qui* non aperit os suum.
15. Et sum ut homo qui non audit,
et cujus in ore non sunt redargutiones.

16. Nam te, Jova, exspecto;
tu exaudies, Domine, mi Deus.
17. Nam dixi (precibus ad te fusis) : Ne lætentur de me *hostes!*
Cum nutat pes meus, contra me fastuose agunt.
18. Nam ego ad lapsum (propr. *claudicationem*) paratus (proximus),
et dolor meus (e peccatis) continuo coram me *est*.
19. Nam iniquitatem meam confiteor,
sollicitus sum ob peccatum meum.
20. Et hostes mei vivunt (valentque) *et* potentes sunt,
et multi sunt osores mei immeriti.
21. Et rependentes malum pro bono
adversantur mihi, pro eo quod persecutus sum bonum.
22. Ne derelinquas me, Jova;
Deus meus, ne sis longinquus a me.
23. Festina ad auxilium meum,
Domine, salus mea.

NOTÆ.

Vers. 4. *Pacis;* Maurer, *sanitatis*. Quæ inde ab hoc versu usque ad 11 proferuntur, de morbo videntur intelligenda, quanquam ea improprie accipienda esse quidam monent. — Vers. 5. Pro *iniquitates* Maurer vertit *miseriæ*, i. e. iniquitatum *pœnæ* per metonym. : non male. — Vers. 7. *Atratus*, et squalidus, lugentium more. — Vers. 8. *Inflammatione*. Quia vero קלה et *vilipendendi* notionem habeat, hinc Vulgatus vertit, *illusionibus*, quasi vates diceret, se exsecrabili morbo in ea corporis parte laborare, ita ut illudi et ab inimicis irrideri posset propter ejus ignominiam. — Vers. 11. *Illi* pro *illa* lux. Ubi enim subjectum efficiunt duo nomina, quorum prius est constructum, ibi prædicatum, si fieri potest per sensum, i. e. si vis subjecti primaria posita est in nomine posteriore, interdum refertur ad nomen posterius. *Non sunt*, præ

morbo, aut lacrymis. — Vers. 17. Alii cum priori membro jungunt posterius ita : *hostes*, qui, cum nutat pes meus, contra me, etc. — Vers. 20. *Potentes*, viribus puta; Ewaldus, *numero*. — Versum 21 cum præcedenti jungit Rosenmullerus : *qui rependunt... qui adversantur*, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.

Titulus hujus Psalmi in hebræo codice non facit mentionem *Sabbati*, sed solius *rememorationis*; tamen placuit Interpretibus Septuaginta, viris gravissimis, explicandi gratia, addere vocem *Sabbati*. Videtur autem satis apta esse explicatio S. Augustini, quam etiam sequitur S. Gregorius, ut hic Psalmus, qui unus est ex iis, qui proprie ad pœnitentiam pertinent, compositus sit a pœnitente Davide, in rememorationem *Sabbati*, id est, quietis amissæ in statu innocentiæ, vel promissæ in resurrectione justorum. Posset etiam intelligi de Sabbato quod agit bona conscientia, dum gratia Dei fruitur; et quod amittit, qui peccat; et cujus cum gemitu recordatur, qui veram pœnitentiam agere incipit. Argumentum Psalmi est oratio pœnitentis, similis illi quæ habetur in Psalmo VI, qui idem omnino principium habet, et valde probabile est compositam fuisse hanc orationem eo tempore, quo David fugit de Jerusalem ob persecutionem Absalonis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME.

Precatur David pœnitens, ut Deus eum non puniat in ira et furore suo, ut judex cum reis facit, sed in misericordia, ut medicus cum ægrotis se gerit. Vide quæ diximus ad initium *Psalm.* VI, ubi ostendimus nihil interesse hoc loco inter furorem et iram, et inter arguere et corripere. Si tamen placet discrimen admittere, poteris cum S. Augustino et S. Gregorio dicere, illos argui in furore, qui damnantur ad gehennam; illos in ira corripi, qui post mortem in igne purgatorii cruciantur : Prophetam autem precari Deum, ut hic illum puniat pro peccatis admissis, non in purgatorio, vel gehenna. Monet autem S. Augustinus non esse contemnendum ignem purgatorii, quoniam gravior est ille ignis, quam quicquid pati potest homo in hac vita. Illud quoque addendum est, quamvis hoc loco, et in *Psalm.* II, vers. 5, et *Psalm.* VI, vers. 1, accipiatur ira Dei pro damnatione ex justitia, tamen alibi accipi aliquando pro zelo patris, qui irascitur filiis, non ut perdat, sed ut custodiat.

Ignis purgatorii non contemnendus.

Vers. 2. 2. QUONIAM SAGITTÆ TUÆ INFIXÆ SUNT MIHI, ET CONFIRMASTI SUPER ME MANUM TUAM.

Quia noverat Propheta nihil esse utilius ad veniam peccatorum impetrandam, quam plene cognoscere miseriam peccati, et eam cum Domino deplorare; deflet in hoc versiculo et aliquot sequentibus infelicitatem, quam secum adfert lethale peccatum. Ait igitur : « Non arguas me in ira tua, » quoniam ea gravissima est, ut jam experientia didici. Siquidem « sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, » id est, multæ tribulationes, te puniente peccatum meum, acciderunt mihi; « et confirmasti super me manum tuam, » id est, sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et non leviter tantum tetigerunt, quia tu manum tuam aggravasti super me, ut sagittæ profundius penetrarent. Videtur autem per has tribulationes et supplicia intelligere mortem filii ex Bethsabea suscepti, stuprum filiæ a proprio ejus fratre illatum, cædem Ammonis filii, incestum et adulterium uxorum suarum a proprio filio patratum, expulsionem suam a regno, et alia id genus, quæ propter peccatum suum, Domino ulciscente, perpessus est. Fortasse etiam sagittas vocat verba illa increpatoria et comminatoria, quæ a Nathan Dei nuntio audivit, II *Reg.* XII : « Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Ethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, » etc. Certe ista exprobratio beneficiorum, et comminatio pœnarum pupugit sine dubio gravissime animum Davidis, et verecundia, timore et dolore vehementissimo illum affecit.

Ob adulterium quot et quanta passus sit David.

Vers. 3. 3. NON EST SANITAS IN CARNE MEA A FACIE IRÆ TUÆ, NON EST PAX OSSIBUS MEIS A FACIE PECCATORUM MEORUM.

Describit effectum sagittarum Domini, ac dicit se vehementer conturbari, nec requiescere posse, dum iram Dei et peccata sua recogitat, quæ iram

illam meruerunt. « Non est sanitas, inquit, in carne mea a facie iræ tuæ, » id est, aspectus iræ tuæ, quæ mihi semper ante oculos mentis versatur, carnem meam mœrere et tabescere facit. Dolor enim animi carnem quoque affligit et extenuat, pallere et languere cogit. « Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, » id est, aspectus deformitatis et gravitatis culpæ meæ ita me conturbat, ut nulla mihi sit requies, et ipsa etiam ossa mea contremiscant.

Vers. 4. 4. QUONIAM INIQUITATES MEÆ SUPERGRESSÆ SUNT CAPUT MEUM, ET SICUT ONUS GRAVE GRAVATÆ SUNT SUPER ME.

Reddit rationem cur tantopere conturbetur, dum respicit peccata sua, et dicit rationem esse, quia peccata sunt multa et magna. De multitudine dicit : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, » id est, in tantum cumulum creverunt, ut me quasi obruant : quomodo obruitur aquis, qui ita profundum fluvium ingreditur, ut aquæ supergrediantur caput ejus. De magnitudine dicit : « Et sicut onus grave gravatæ sunt super me, » id est, peccata mea quasi pondus importabile gravant humeros animæ meæ, quia super vires meas est, pro tam gravi debito satisfacere. Id clarius est in textu hebraico, ubi illud, *super me*, significat proprie, *super vires meas*, sive gravius quam ferre possim. Peccatum Davidis fuit adulterium cum homicidio conjunctum, sed verus pœnitens multas valde deformitates in eo considerat. Nam offendit David servum fidelem, cui uxorem et vitam eripuit : offendit Bethsabeam, quam ad peccandum induxit, et spiritualiter interfecit : offendit uxores proprias, quibus fidem non servavit : offendit populum universum, imo etiam infideles ipsos malo exemplo, unde Nathan dixit III *Reg.* XII : « Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini; » offendit denique Deum, cujus leges aperte prævaricatus est. Itaque si numerentur tot offensiones et tot delicta, quot personas illo suo peccato David offendit, non sine causa dicere poterit idem David : « Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. » Deinde gravitas peccati ex circumstantiis cognosci potest; nam occidit David Uriam, primo innocentem, secundo fidelissimum, tertio qui tum Davidi militabat, quarto quia uxorem ejus polluerat per adulterium, quasi vellet, quia injuria illum affecerat, majori adhuc injuria afficere; quinto, quia ipsum eumdem ministrum suæ mortis esse voluit; sexto, quia cum scripsit ad Joab, ut Uriam occideret, credi voluit, illum magni alicujus criminis reum esse, et eo modo famam ejus maculavit. Sed ingratitudo erga Deum præcipua causa est gravitatis peccati Davidis. Deus enim in unum Davidem omnia fere dona temporalia et spiritualia abundantissime contulit. Illum enim regem magnum, prophetam eximium, imperatorem fortissimum fecit; donavit prudentia, robore, pulchritudine, divitiis, omnibus bonis, quæ ab hominibus expeti possunt : quæ certe omnia gravissimum reddebant peccatum ejus, quod cum ipse appenderet in statera diligentissimæ considerationis, merito dicebat : « Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me. » Atque hæc est causa cur sensum doloris, quem par esset, ex peccatis suis pauci percipiant, quia peccati magnitudinem pauci in statera seriæ considerationis appendunt.

Peccatum Davidis quam grave fuerit.

Vers. 5. 5. PUTRUERUNT ET CORRUPTÆ SUNT CICATRICES MEÆ, A FACIE INSIPIENTIÆ MEÆ.

Hæc pertinent ad tempus illud, quod intercessit inter peccatum adulterii, et admonitionem Nathan prophetæ, quod fuit plusquam novem mensium. Siquidem Nathan Davidem corripuit, postquam natus fuerat puer ex adulterio illo conceptus, ut dicitur II *Reg.* XII. Toto igitur illo tempore distulit David curare vulnera peccati sui per pœnitentiam. Interim autem obducta erat quædam quasi cicatrix oblivionis, quæ non sinebat vulnus agnosci; sed revera cicatrices illæ putrescebant, et vulnera graviora, magisque incurabilia fiebant, atque hoc est, quod nunc deplorat, dicens : « Cicatrices meæ, » non ex arte medici curantis, sed ex negligentia et oblivione superinductæ, « putruerunt, et corruptæ sunt a facie insipientiæ meæ, » id est, insipientia mea, quæ causa fuit, ut vulnera mea non adverterem, eadem fuit etiam causa, ut ipsa vulnera putrefacta fœtorem scandali latius longiusque diffunderent. Per cicatrices hoc loco non intelliguntur signa, quæ remanent post curationem plagæ, sed intelligitur plaga non curata, quæ solet claudi ad modum cicatricis, et quia non est expressus sanguis corruptus ex ea, « neque ipsa fota oleo, aut circumligata, » ut dicitur *Isai.* I; ideo putrescit, et corrumpitur. Id colligitur ex textu originali, ubi habetur vox חבורת *chaburoth*, quæ non significat *cicatrices* proprie dictas, sed *livorem*, et *plagam* tumentem : quare vel in latina editione accipiuntur cicatrices pro plagis, vel, ut diximus, pro cicatricibus, quæ per se fiunt, dum vulnus non curatur, sed per se clauditur, et plaga negligitur et corrumpitur.

Vers. 6. 6. MISER FACTUS SUM, ET CURVATUS SUM USQUE IN FINEM : TOTA DIE CONTRISTATUS INGREDIEBAR.

Ex corruptione illa factum est, ut David miser et curvus fieret; quod potest intelligi duobus modis, primo de culpa, secundo de pœna. Nam qui graviter peccat, præsertim peccato luxuriæ, hoc ipso fit miser, quia relicto Deo, in quo est nostra beatitudo, curvatur ad terram, et fit jumentis similis, ac per hoc miser, et miser valde : et hoc significat illud, *usque in finem*, nimirum, miser et curvatus sum adeo, ut miserior et magis curvatus fieri non potuerim, cum a delectatione an-

Peccatum luxuriæ reddit curvum et valde miserum.

gelorum curvatus sim ad voluptates pecorum. Id colligitur ex textu hebraico, ubi habetur, שחותי עד מאוד, *miser et curvatus sum usque valde*. Proinde illud, *in finem*, non significat, *usque ad finem vitæ*, vel *usque ad finem temporis*, vel *usque in æternum*, sed *usque ad finem curvationis*, ut magis curvari nequeam. Nam versu octavo ubi legimus : « Humiliatus sum nimis, » eadem est vox hebraica, quam Interpres nunc vertit, *usque in finem*, nunc *nimis*, aut *valde*. Potest etiam intelligi de pœna ; nam qui peccat peccato luxuriæ, miser efficitur, et curvatus valde propter conscientiæ remorsum, timorem iræ divinæ, et verecundiam humiliantem et confundentem, ut non audeat talis homo ad cœlum oculos levare. Sed potest etiam utraque intelligentia simul conjungi, ut sensus sit : Miser factus sum miseria culpæ et pœnæ, et curvatus valde, tum quia faciem animæ, quam defixam in Deo habere debui, converti ad carnales et infimas voluptates; tum quia pudore cœlum aspicere non possum, et humilis atque abjectus terram aspicere cogor; et propter hæc omnia, « tota die contristatus ingrediebar, » id est, semper conscientia mordente et accusante, tristis ac mœrens incedebam : quæ enim lætitia esse potest homini misero, si miseriam suam agnoscat?

Vers. 7. 7. QUONIAM LUMBI MEI IMPLETI SUNT ILLUSIONIBUS, ET NON EST SANITAS IN CARNE MEA.

Vers. 8. 8. AFFLICTUS SUM, ET HUMILIATUS SUM NIMIS : RUGIEBAM A GEMITU CORDIS MEI.

Transit Propheta a peccato suo particulari ad corruptionem generalem, quam in carne sua experiebatur ex peccato primi parentis, unde peccatum illud suum particulare tanquam ex fonte manaverat : et ex ea corruptione dicit se affligi et humiliari, et continuo gemere et rugire. « Quoniam, inquit, lumbi mei, » hoc est, pars illa bestialis et concupiscens, disrupto freno justitiæ originalis, parit perpetuo desideria ignominiosa et turpia, et ideo repletur illusionibus spirituum malignorum; « et non est sanitas in carne mea, » quia non habitat in ea bonum, sed malum passionum variarum, quæ illam infirmam reddunt; ideo « afflictus sum et humiliatus sum nimis, » quia pudet me hominem ratione præditum, ejusmodi bestialibus motibus non posse carere; et ideo «rugiebam» præ dolore, « a gemitu interiore cordis mei » provocatus ad rugitum et clamorem exteriorem. Scio Rabbinos, et qui eos sequuntur, fabulari nescio quid de morbo corporali et fœtente, quo David laboraverit in partibus corporis pudendis; sed SS. Patres nostri Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius in commentariis hujus loci referunt hos versiculos ad carnalem concupiscentiam, ut similis sit hæc Davidis querimonia illi, quæ legitur apud Apostolum *Rom.* VII : « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit? » etc. S. Ambrosius et S. Augustinus legunt, *anima mea impleta est illusionibus*, ubi nos legimus, *lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Sed accidit hoc, quia apud Græcos lumbi dicuntur ψοαὶ, et animæ dicuntur ψυχαὶ, unica littera addita. Proinde facile fuit corrumpi græcum textum, ob litterarum similitudinem, quæ nulla est in textu hebraico. Itaque lectio ea est quæ cum textu hebraico et latino concordat. Quod autem vox hebraica, pro qua habemus *illusionibus*, significare videatur proprie *ignominiam*, ut Hieronymus vertit, non variat sensum : nam qui repletus est ignominia, ille derisioni expositus est. Quod vero S. Hieronymus vertit *evigilavi*, pro eo quod nos habemus *afflictus sum*, non video quid secutus sit. Vox enim quam nunc habemus in textu hebraico, *debilitari* proprie significat; debilitari autem et affligi pro eodem accipi possunt.

Vers. 9. 9. DOMINE, ANTE TE OMNE DESIDERIUM MEUM, ET GEMITUS MEUS A TE NON EST ABSCONDITUS.

Quia dixerat gemitum cordis sui excitare rugitum, declarat ad quem gemat corde, ac dicit gemere se ad illum, qui scrutatur corda, et scit quid desideret spiritus. « Domine, inquit, ante te omne desiderium meum, » id est, tu, Domine, solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberer a concupiscentia mala, ut perveniam ad sabbatum perfectæ quietis; et de hac re «gemitus meus» interior «tibi non est absconditus. » Simile quid Apostolus dicit, cum ait *Rom.* VIII : «Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri. »

Vers. 10. 10. COR MEUM CONTURBATUM EST, DERELIQUIT ME VIRTUS MEA, ET LUMEN OCULORUM MEORUM, ET IPSUM NON EST MECUM.

Pergit describere corruptionem naturæ humanæ, ac dicit : «Cor meum conturbatum est, » quod significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris a superiore, et addit : « Dereliquit me virtus mea, » quia nata ex illa rebellione tanta infirmitas, ut homo velit, nolit, patiatur desideria mala, et dicat cum Apostolo *Rom.* VII : « Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. » Addit postremo : « Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum, » quia non solum infirmitas in voluntate, sed etiam ignorantia in mente ex eadem rebellione orta est. Sæpe enim de rebus judicamus, non ut sunt, sed ut nobis male affectis videntur, quomodo febricitantes, quod dulce est, amarum judicant, et quod amarum dulce. Itaque non ait : «Lumen oculorum meorum extinctum est, » sed « non est mecum ; » nam lumen intelligentiæ et orationis est quidem in anima rationali; sed quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, sæpe impediti carnalibus passionibus, illo non possumus uti, ideo dicit : «Et lumen oculorum meorum, et ipsum,

Mala quæ peccatum luxuriæ sequuntur.

inquam, lumen oculorum meorum, » interiorem videlicet, « non est mecum, » dum operor, licet in me sit. Proinde est in me quoad essentiam, non est mecum quoad usum.

Vers. 11. 11. AMICI MEI ET PROXIMI MEI ADVERSUM ME APPROPINQUAVERUNT, ET STETERUNT.

Posteaquam descripsit bellum intestinum, quod intra hominem continuo geritur, describit etiam bella externa, persecutiones et detractiones, quæ omnia peccatorum pœnæ sunt. Ac primum queritur quod amici et proximi facti sint illi inimici, quod accidit præcipue in rebellione Absalonis filii, cum quo multi amicorum et proximorum Davidis adversus eum conspirarunt. Sed moderni expositores ex textu hebraico longe aliter exponunt, quam veritas Vulgatæ editionis habeat; textus hebraicus nunc habet, אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו, *amici mei et proximi mei e regione lepræ meæ steterunt.* Quomodo etiam fere vertit S. Hieronymus, ex quo multi colligunt, hoc loco tantum significari amicos et proximos Davidis, non quidem factos esse illi inimicos, sed non fuisse ausos accedere ad eum juvandum, vel consolandum; et ideo e regione procul stetisse. At cum versio Septuaginta Interpretum habeat ἤγγισαν, et latinus Interpres antiquus reddiderit, *appropinquaverunt*, certe nimis durum videtur dicere, non *appropinquaverunt*, sed *longe steterunt;* neque obstat vox hebraica : nam illud, נגעי, quod vere significat *lepræ meæ*, vel *plagæ meæ*, Septuaginta Interpretes, qui habuerunt codices correctiores, legerunt נגעו, *appropinquaverunt*. Sunt enim litteræ eædem, excepta ultima, quæ facillime mutatur in alteram, cum non differant, nisi quod una est paulo major, quam altera. *Iod* enim si paulum extendatur, efficitur *vau*, et ideo vitio librariorum facillime contigit, ut una poneretur pro alia. At, inquiunt, in versiculo sequenti dicitur, « de longe steterunt. » Verum est, sed non est sermo de iisdem personis, ut jam dicemus.

Vers. 12. 12. ET QUI JUXTA ME ERANT DE LONGE STETERUNT, ET VIM FACIEBANT QUI QUÆREBANT ANIMAM MEAM.

Dixit amicos et proximos, ut Absalonem et socios ejus, factos esse inimicos, et adversum se appropinquasse et stetisse, ut nocerent; nunc dicit alios, qui juxta eum esse solebant, ut milites, aut servos, longe recessisse, nec adesse voluisse tempore persecutionis; et interim inimicos vi magna conatos esse vitam illi adimere, I *Reg.* II. Neque solum habuit David, « qui quærerent animam ejus, » id est, qui quærerent eum occidere, ut milites Absalonis; sed habuit etiam, qui detraherent honori et famæ ejus, ut Semei, « qui maledixit ei maledictione pessima, » et alios, qui consilia dolosa contra eum dabant, ut Achitophelem et alios; ideo subjungit:

13. ET QUI INQUIREBANT MALA MIHI, LOCUTI SUNT VANITATES, ET DOLOS TOTA DIE MEDITABANTUR. Vers. 13.

14. EGO AUTEM TANQUAM SURDUS NON AUDIEBAM, ET SICUT MUTUS NON APERIENS OS SUUM. Vers. 14.

15. ET FACTUS SUM SICUT HOMO NON AUDIENS, ET NON HABENS IN ORE SUO REDARGUTIONES. Vers. 15.

Hæc perspicua sunt et verissima, quod præcipue intelligi potest ex lib. II *Reg.* cap. XVI, ubi cum Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret, et regni invasorem, David incredibili patientia eum sustinuit, neque permisit ut ullus ei noceret eumve reprehenderet; sic « factus est quasi surdus, et non audiens, et tanquam mutus, et non habens in ore suo redargutiones. »

16. QUONIAM IN TE, DOMINE, SPERAVI; TU EXAUDIES ME, DOMINE DEUS MEUS. Vers. 16.

Reddit tres rationes, cur ita obsurduerit et obmutuerit : prima est, quia utilius sibi existimavit sperare in Domino, quam in sua propria defensione. Ait igitur : Obmutui, « quoniam in te, Domine, speravi; » non attendi quanta illi falsa et vana in me jactarent, quoniam sciebam a te omnia audiri et cognosci, in quo semper speravi, qui es judex justus, et reddens unicuique secundum opera sua; et quia « in te speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus, » et liberabis a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

17. QUIA DIXI, NEQUANDO SUPERGAUDEANT MIHI INIMICI MEI : ET DUM COMMOVENTUR PEDES MEI, SUPER ME MAGNA LOCUTI SUNT. Vers. 17

Hæc est altera ratio, cur elegerit obsurdescere et obmutescere : « Quia dixi, » inquit, apud me : « Nequando supergaudeant mihi inimici mei, » id est, bonum est mihi patientiam habere, et sperare in adjutorio Domini, ne forte si impatiens fuero, et reddam maledictum pro maledicto, Deus derelinquat me, et gaudeant inimici mei super me, id est, super ruina mea lætentur. « Et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt, » id est, non sine causa metuo, ne de exitio meo lætentur inimici; nam « dum commoventur pedes mei, » id est, dum incipiunt nutare pedes mei, et ego inclino ad casum (quod factum est, quando fuit in periculo regni amittendi) « inimici mei magna locuti sunt super me, » comminantes mihi, et prædicantes extremum exitium. Est autem hoc loco observandum, particulam *et* sæpe in Scripturis poni pro *quia*, ut *Isai.* LXIII : « Tu enim pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos, » id est, tu solus, Domine, pater noster es : nam Abraham et Jacob, qui videbantur patres nostri esse, non agnoscunt nos pro filiis. Sic etiam cap. LXIV, 5 : « Tu iratus es, et peccavimus tibi, » id est, quia peccavimus tibi. Ita igitur hoc loco dicitur : « Et dum commoven-

Et pro *quia* in Scriptura frequens.

tur pedes mei, » illud *et* ponitur pro *quia*, ut sensus sit : nequando glorientur super me inimici mei. « Et dum commoventur pedes mei, » id est, quia dum commoventur pedes mei, etc. Illud etiam, *dum commoventur*, positum est pro *dum commoverentur*. Siquidem in hebraico et græco textu habetur per infinitivum, *in commoveri pedes meos*, quod potest verti, *dum commoventur*, et *dum commovebantur*, et *dum commoverentur*; proinde debet exponi juxta exigentiam verbi sequentis, ut oratio cohæreat.

Vers 18. 18. QUONIAM EGO IN FLAGELLA PARATUS SUM, ET DOLOR MEUS IN CONSPECTU MEO SEMPER.

Addit tertiam rationem, cur voluerit obsurdescere et obtumescere coram adversariis : « Quoniam, inquit, ego » propter peccata mea « paratus sum flagellari, » non solum flagellis verborum et detractionum, sed etiam flagellis verberum et plagarum. Nam *dolor* quem merui, semper ante oculos mentis meæ versatur, vel quia *dolor meus*, id est peccatum meum, quod mihi doloris continui causa est, nunquam ab oculis cordis mei recedit. In hebræo est vox צלע, quam aliqui verterunt *claudicationem*; alii putant legi debere צרע, id est *lepram*; nos habemus *flagella*, ex græco; sed nulla est difficultas : nam vox illa צלע communiter significat *latus*, sive *costam*; sed traducitur ad significandam *claudicationem*, quia claudi dum ambulant, declinant ad unum latus, et non recti incedunt. Traducitur etiam ad significandam *plagam*, vel *attritionem*, ac per hoc etiam *flagellum*, quia flagellis accipiuntur plagæ. Itaque S. Hieronymus vertit : *Ego ad plagas paratus sum*, et Septuaginta Interpretes : *Ego autem in flagella paratus sum*.

Vers 19. 19. QUONIAM INIQUITATEM MEAM ANNUNTIABO, ET COGITABO PRO PECCATO MEO.

Reddit rationem cur in flagella paratum se dixerit : « Quoniam, inquit, iniquitatem meam annuntiabo, » id est, quoniam agnosco et confiteor me peccasse, et flagella commeruisse; « et cogitabo pro peccato meo, » expiando videlicet. Significantius ex hebræo vertit S. Hieronymus : *Et sollicitus ero pro peccato meo*, id est, diligenter et anxie cogitabo, quo modo possim Domino satisfacere ac plenam indulgentiam obtinere. Quod quidem salutare documentum est pro pœnitentibus, ut solliciti sint pro expiatione peccati, et libenter accipiant occasiones a Deo oblatas patientiam exercendi.

Salutare documentum pro pœnitentibus.

Vers 20. 20. INIMICI AUTEM MEI VIVUNT, ET CONFIRMATI SUNT SUPER ME, ET MULTIPLICATI SUNT, QUI ODERUNT ME INIQUE.

Posteaquam Propheta exposuit rationes, cur obsurduerit et obmutuerit coram adversariis suis, ut per patientiam Deum placaret, opponit patientiæ suæ contrariam adversariorum malitiam. Cum enim ipse non redderet malum pro malo, illi e contrario retribuebant mala pro bonis : et tamen vivebant, et exultabant, et roborabantur. Quæ ad eum finem commemorantur a Davide, ut facilius Deum ad misericordiam inclinet. « Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, » id est, ego quidem humiliatus sum et afflictus, et tamen patientiam servo, ac si surdus et mutus essem : interim autem « inimici mei vivunt, » id est, alacres sunt et exultant, « et confirmati sunt super me, » id est, robustiores et fortiores evaserunt, « et multiplicati sunt, » id est, et creverunt etiam quoad numerum, « qui oderunt me inique, » id est, illi vivunt, et roborati sunt, « et multiplicati, qui oderunt me, » sine ulla justa causa. In hebræo est שנאי שקר, *qui oderunt me mendaciter*, id est, ob causam falsam et ementitam. Videntur enim hæc referri ad conjurationem Absalonis, qui mendacio suo persuaserat populis, regem non constituisse aliquos, qui juste judicarent; se autem justissime judicaturum, si rex constitueretur. Hinc enim factum est ut populus rebellaret, et toto corde sequeretur Absalonem, ut dicitur lib. II *Reg.* cap. XV.

Vers. 21. 21. QUI RETRIBUUNT MALA PRO BONIS, DETRAHEBANT MIHI, QUONIAM SEQUEBAR BONITATEM.

Probat quod dixit, sine justa causa se odio habitum fuisse ab inimicis, dicens : « Qui retribuebant mala pro bonis detrahebant mihi, » quasi dicat : Vere oderunt me inique inimici mei; nam illi detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, quales fuerunt Absalon filius, et Achitophel consiliarius. Absalon enim plurima bona a Davide acceperat, et paulo ante obtinuerat indulgentiam fratricidii, et tamen detrahebat Davidi patri suo tanquam negligenti et injusto, dicens iis, qui veniebant ad judicium regis : « Videntur mihi sermones tui justi et boni, sed non est, qui te audiat constitutus a rege, » II *Reg.* XV. Sic etiam Achitophel acceperat a Davide magnum honorem, ut esset principalis regni consiliarius, et tamen oblitus beneficii defecit a Davide ad Absalonem, et consilia iniquissima contra eumdem Davidem Absaloni dedit, II *Reg.* XVI et XVII. Nec solum detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, sed etiam (quod gravius est) « detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem, » id est, quia sincero corde et bona voluntate cum omnibus agebam, et eo modo contrarius eram iniquis eorum desideriis et operibus.

Vers. 22. 22. NE DERELINQUAS ME, DOMINE DEUS MEUS, NE DISCESSERIS A ME.

Vers. 23. 23. INTENDE IN ADJUTORIUM MEUM, DOMINE DEUS SALUTIS MEÆ.

Concludit ex iis quæ dixit, Deumque precatur, ut protectione sua illi adsit, et quasi idem repetit, quod in principio Psalmi dixit : tunc

enim Deus in ira, vel furore suo gravissime punit aliquem, cum illum gratia sua destituit, et tanquam ab inimico recedit, et inter hostes nudum adjutorio suo constituit. Sicut igitur dixerat initio Psalmi : « Domine, ne in furore tuo arguas me, » ita nunc in fine concludit : « Ne derelinquas me, Domine Deus meus, » id est, ne deserat me gratia tua, quandoquidem tu es Dominus meus, qui me condidisti, et Deus meus, qui ad te summum bonum me fecisti. « Ne discesseris a me, » tanquam ab inimico; sed potius, ut pater, « intende in adjutorium meum, » id est, diligenter incumbe in auxilium meum, tu « Domine Deus salutis meæ, » id est, tu qui auctor es salutis meæ, a quo solo salutem exspecto, et in quo solo confido.

Et hic quidem mihi visus est hujus Psalmi sensus litteralis : tamen quoniam SS. Patres Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus et Gregorius vel totum Psalmum, vel certe a medio usque ad finem de Christo exponunt; sciendum est posse totum Psalmum de Davide explicari: primum, ut Davidis personæ proprie convenit, deinde ut David personam Christi gerebat. Spiritus enim Sanctus plura simul intendere potest in verbis iisdem, nimirum narrare tribulationes Davidis, et simul prædicere Christi passiones, qui Davidis filius secundum carnem futurus erat. Cum igitur de persona Davidis Psalmum exposuerimus, indicemus etiam breviter quemadmodum ad Christum idem Psalmus applicari possit.

Psalmus hic Davidi ut personam Christi gerebat convenit.

ALIA EXPLICATIO EJUSDEM PSALMI.

Vers. 1. 1. DOMINE, NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME.

Christus pro corpore suo loquitur, quod est Ecclesia, eique postulat liberationem.

Vers. 2. 2. QUONIAM SAGITTÆ TUÆ INFIXÆ SUNT MIHI, ET CONFIRMASTI SUPER ME MANUM TUAM.

Dicit juste se petere Ecclesiæ liberationem, quoniam sagittas iræ Dei, quæ ad illam pertinebant, in se suscepit.

Vers. 3. 3. NON EST SANITAS IN CARNE MEA A FACIE IRÆ TUÆ, NON EST PAX OSSIBUS MEIS A FACIE PECCATORUM MEORUM.

Describit passionem suam generatim, ob quam a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Quod autem dicit : a facie peccatorum *meorum*, intelligitur de peccatis, non quæ ipse fecit, sed quæ in se punienda suscepit.

Vers. 4. 4. QUONIAM INIQUITATES MEÆ SUPERGRESSÆ SUNT CAPUT MEUM, ET SICUT ONUS GRAVE GRAVATÆ SUNT SUPER ME.

Dicit ideo in carne sua non fuisse sanitatem a planta pedis usque ad verticem capitis, quoniam peccata, quæ suscepit expianda, tam multa sunt, et tam gravia, ut supergressa sint caput ejus multitudine sua, et instar plumbi fuerint ob gravitatem suam.

Vers. 5. 5. PUTRUERUNT, ET CORRUPTÆ SUNT CICATRICES MEÆ A FACIE INSIPIENTIÆ MEÆ.

Vers. 6. 6. MISER FACTUS SUM, ET CURVATUS SUM USQUE IN FINEM, TOTA DIE CONTRISTATUS INGREDIEBAR.

Vers. 7. 7. QUONIAM LUMBI MEI IMPLETI SUNT ILLUSIONIBUS, ET NON EST SANITAS IN CARNE MEA.

Hæc dicit pro corpore suo, deplorans corruptionem generis humani, quomodo quando quis dicit : Doleo pedes, manus, vel stomachum; caput est quod loquitur, sed non loquitur de dolore, quod in se patiatur, sed quod in membris, et in corpore suo habeat.

Vers. 8. 8. AFFLICTUS SUM, ET HUMILIATUS SUM NIMIS, RUGIEBAM A GEMITU CORDIS MEI.

Hic incipit ordine recensere passionem suam. Pertinent enim hæc verba ad orationem in horto habitam.

Vers. 9. 9. DOMINE, ANTE TE OMNE DESIDERIUM MEUM, ET GEMITUS MEUS A TE NON EST ABSCONDITUS.

Vers. 10. 10. COR MEUM CONTURBATUM EST, DERELIQUIT ME VIRTUS MEA, ET LUMEN OCULORUM MEORUM, ET IPSUM NON EST MECUM.

Ad eamdem orationem pertinent, in qua desideravit calicem transire, et cœpit turbari, pavere, tædere, et mœstus esse. Et ut experiretur amaritudinem imminentis passionis, noluit virtutem et lumen divinæ consolationis in partem inferiorem influere, ita ut etiam angelus de cœlo apparuerit confortans eum.

Vers. 11. 11. AMICI MEI, ET PROXIMI MEI ADVERSUM ME APPROPINQUAVERUNT, ET STETERUNT.

Hoc impletum est in Juda amico, et Judæis proximis, quando comprehenderunt eum.

Vers. 12. 12. ET QUI JUXTA ME ERANT, DE LONGE STETERUNT.

Hoc impletum est in Apostolis, qui fugerunt, et in Petro, qui sequebatur a longe.

ET VIM FACIEBANT, QUI QUÆREBANT ANIMAM MEAM.

Impletum est in concilio sacerdotum, sollicite quærentium falsa testimonia, ut eum perderent.

Vers. 13. 13. ET QUI INQUIREBANT MALA MIHI, LOCUTI SUNT VANITATES, ET DOLOS TOTA DIE MEDITABANTUR.

Ad idem concilium pertinent.

Vers. 14. 14. EGO AUTEM TANQUAM SURDUS NON AUDIEBAM, ET SICUT MUTUS NON APERIENS OS SUUM.

Vers. 15. 15. ET FACTUS SUM SICUT HOMO NON AUDIENS, ET NON HABENS IN ORE SUO REDARGUTIONES.

Ad litteram impleta sunt in Christo, qui coram Caipha primum, deinde coram Pilato et Herode nullam attulit defensionem, sed sicut agnus coram tondente se obmutuit, ut etiam prædixit Isaias cap. LIII.

Vers. 16. 16. QUONIAM IN TE, DOMINE, SPERAVI, TU EXAUDIES ME, DOMINE DEUS MEUS.

Ad idem silentium pertinet; ideo enim siluit coram hominibus, quoniam non tacebat coram Deo, a quo exspectabat remunerationem, salutem populi sui.

Vers. 17. 17. QUIA DIXI, NEQUANDO SUPERGAUDEANT MIHI INIMICI MEI, ET DUM COMMOVENTUR PEDES MEI, SUPER ME MAGNA LOCUTI SUNT.

Servavit Christus invictam patientiam, ne de impatientia gauderent inimici, qui, dum commovebantur pedes ejus, id est, dum infirmitas ejus ad tempus ostendebatur, magna loquebantur super eum, dicentes, *Joan.* XIX, *Luc.* XXIII: « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum; » et: « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. »

Vers. 18. 18. QUONIAM EGO IN FLAGELLA PARATUS SUM, ET DOLOR MEUS IN CONSPECTU MEO SEMPER.

Ad litteram impletum scimus in flagellatione, et colaphizatione, et spinarum coronatione.

Vers. 19. 19. QUONIAM INIQUITATEM MEAM ANNUNTIABO, ET COGITABO PRO PECCATO MEO.

Dicit se annuntiaturum peccatum suum, quod, ut dictum est, non fecit, sed expiandum suscepit: et cogitaturum, id est, sollicitum futurum pro eo penitus delendo; quod fecit cum « peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, » ut S. Petrus scribit in *Epist.* I, cap. II.

Vers. 20. 20. INIMICI AUTEM MEI VIVUNT, ET CONFIRMATI SUNT SUPER ME, ET MULTIPLICATI SUNT, QUI ODERUNT ME INIQUE.

Hoc impletum est, cum principes et sacerdotes existimantes se jam victoriam obtinuisse exultabant, et crucifixo insultabant.

Vers. 21. 21. QUI RETRIBUUNT MALA PRO BONIS DETRAHEBANT MIHI, QUONIAM SEQUEBAR BONITATEM.

Quando videlicet pendenti in cruce dicebant: « Vah! qui destruis templum Dei; » et: « Descendat nunc de cruce, » etc., *Matth.* XXVII.

Vers. 22. 22. NE DERELINQUAS ME, DOMINE DEUS MEUS, NE DISCESSERIS A ME.

Hoc disertis verbis in cruce Dominus locutus est, cum ait: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Matth.* XXVII. Quasi dicat: Si dereliquisti ad tempus, quoad consolationem, non derelinquas quoad resurrectionem.

Vers. 23. 23. INTENDE IN ADJUTORIUM MEUM, DOMINE, DEUS SALUTIS MEÆ.

« Non derelinquas in inferno animam meam, neque des sanctum tuum videre corruptionem; » sed « intende in adjutorium meum, ostendens mihi vias vitæ, et adimplens me lætitia cum vultu tuo, » *Psalm.* XV.

PSALMUS XXXIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, ipsi Idithun, Canticum David.*

2. Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.

3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.

4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

5. Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum,

V. S. H. — *Victori Idithun, canticum* [*h. Psalm.*] *David.*

Dixi: Custodiam vias meas, ne peccem in lingua mea.

Custodiam os meum silentio, donec est impius contra me.

Obmutui silentio, tacui de bono, et dolor meus conturbatus est.

Incaluit cor meum in medio mei, in meditatione mea incensus sum igne: locutus sum in lingua mea.

Ostende mihi, Domine, finem meum, et mensuram dierum meorum quæ sit,

Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.

6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos; et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.

7. Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.

8. Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.

10. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.

11. Amove a me plagas tuas.

12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : verumtamen vane conturbatur omnis homo.

13. Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.

14. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

sciam [alias, *ut sciam*] quid mihi desit.

Ecce breves posuisti dies meos, et vita mea quasi non sit in conspectu tuo : omnia enim vanitas, omnis homo subsistens. SEMPER.

Tantum in imagine ambulat homo [*h. vir*], tantum frustra conturbatur : congregat et ignorat cui dimittat [*h. congregat*] ea.

Nunc ergo quid exspecto, Domine? præstolatio mea tu es [*h. ad te est*].

Ab omnibus iniquitatibus [*h. erroribus*] meis libera me : opprobrium stulto ne ponas me.

Obmutui, non aperui [al. *aperiam*] os meum : quia tu fecisti.

Tolle a me plagas [*h. lepras*] tuas : a contentione manus tuæ ego consumptus sum.

In increpationibus pro iniquitate [al. *propter iniquitatem*] corripuisti virum;

Et posuisti quasi tineam desiderabilia ejus : verumtamen vanitas omnis homo. SEMPER.

Audi orationem meam, Domine, et clamorem meum exaudi [*h. auribus percipe*].

Ad lacrymam meam ne obsurdescas, quia advena ego sum apud te, peregrinus sicut omnes patres mei.

Parce mihi, ut rideam, antequam vadam, et non subsistam.

Argumentum. — Carmen hocce est ejusdem fere cum superiore argumenti, sed majori vi, magisque incitato animo fusum. Strophæ tres. Vers. 2-7, canit vates, ut acerbissimis doloribus exagitatur, continuerit tamen se, ne indigna, præsertim audientibus improbis, effutiret querendo; vers. 8-12, Jovam, ut ipsum ærumnis, quanquam castigatione haud indignum, liberet, perturbatus adhuc, deinde sedatiori animo in strophe ultima precatur. Hunc Psalmum *pulcherrimam psalterii elegiam* vocat Ewaldus, eumque cum libro *Job* confert.

1. Præcentori, Jedithuno, carmen Davidis.

2. Dixi (apud me statueram) : « Custodiam vias meas,
ne peccem lingua mea;
custodiam ori meo capistrum,
dum improbus coram me *erit.* »
3. Obmutui silentio, conticui de bono;
at dolor meus perturbatus (gravius commotus) *est.*
4. Incaluit cor meum intra me,
in fervore meo exarsit ignis (indignationis),
loquutus sum lingua mea :
5. « Fac me scire, Jova, finem meum,
et mensura dierum meorum quænam sit;
sciam quæso. quam caducus ego sim.

6. En palmas fecisti dies meos,
et ævum meum instar nihili *est* coram te;
nil nisi merus halitus omnis homo constitutus est (in hoc mundo).
7. Nonnisi tanquam umbra ambulat (degit) homo,
nonnisi inania strepunt (satagunt mortales);
coacervat, nec scit quis collecturus ea. »

8. Et nunc, quid spero, Domine?
præstolatio mea ad te est *directa*.
9. Ab omnibus delictis meis eripe me,
contumeliam stulti ne facias me.
10. Obmutesco, nec os aperio,
nam tu *id* fecisti!
11. Remove a me plagam tuam;
ab iracundia (vel *exagitatione*) manus tuæ ego consumor.
12. Pœnis ob culpam *si* castigaveris hominem,
et (utique) dissolvis, ut tinea, desiderabile ejus.

13. Audi preces meas, Jova, et clamorem meum ausculta;
ad lacrymas meas ne sileas:
nam peregrinus ego *sum* apud te,
advena, ut omnes patres mei.
14. Oculos *iratos* averte a me, ut exhilarem *vultum meum*,
antequam abeam, et esse desinam.

NOTÆ.

Vers. 1. Est Jedithunus is qui I *Chron.* XVI, 41; II *Chron.* V, 12, commemoratur. Maurer, *ad modum* instrumenti *Jedithun* dicti, ita autem dictum ab ejusdem nominis præfecto musices. — Vers. 2. *Coram me*, fortunatus scil., meque sua felicitate pungens. Maurer: « Quod subdit de *præsentibus improbis*, ratio est, quod timebat, ne qui ipsum, quod a Deo esset castigatus, tanquam frustratum spe sua ludibrio haberent improbi. — Vers. 3. *De bono*; Ewaldus, *felicitate*, non importune postulans meliorem statum; alii, *a bono*, puta semotus, in malis versans: quod languet; alii, *de bono*, i. e. ut ne de bonis quidem rebus aliquid loquerer; alii, *a bono* usque ad malum, i. e. nil omnino dixi: dura ellipsis; alii, *a bono*, i. e. meis benefactis, non excusavi me, qui potuissem; Maurer, *ab* homine *felice*, silui fugiens eorum adspectum, ne conspecta eorum felicitate in querelas de mea miseria raperer. Ego, si liceat, meam sententiam proponam: *de bono*, i. e. omnino, gall. *tout de bon*. — Vers. 4. *Fervore*, seu æstu animi, multis cogitationibus agitati. *Locutus sum*, jam non potis me amplius continere. — Vers. 5. *Quam caducus*; Crelier, *quando cessabo*, puta vitam meam, propr. *quid desinens ego sim*. Maurer: « Quorum verborum hic est sensus atque nexus: Talia cum mihi patienda sint, qui tandem vitæ meæ est modus? Si longa sit vita, ferre potero quibus nunc crucior mala, spe erectus temporum lætiorum. At tu brevissimam mortalibus vitam admensus es; itaque eripe me ex malis, priusquam vivere desinam. » Cf. *Job.* VI, 7; VII, 7; XVI, 22. Non male Vulgatus, *quid desit mihi*, quod mihi vitæ sit reliquum. — Vers. 6. *Palmas*, i. e. palmares, i. e. perbreves, minutissima mensura, scil. quatuor digitorum, vitam meam mensus est; Græci quoque dicere solent: σπιθαμὴ τοῦ βίου. *Constitutus est*: ita Maurer; alii, *consistens*, i. e. florens licet et vegetus. — Vers. 7. *Umbra* inanis, ceu *imago* descripta lineolis, nec quidquam habens solidi. — Vers. 8. *Nunc*, quum res humanæ tam fluxæ sint, quæ mihi spes superest? — Vers. 9. *Delictis*, eorumque pœnis. *Stulti* irrident pios calamitate pressos. — Vers. 12. *Desiderabile*, omne robur, omnem vigorem, i. e. vitam. — Vers. 13. *Peregrinus*: sicut miser peregrinus ad aliquem opulentum civem aut indigenam confugiens, omnia ab eo solo exspectat, totusque inde pendet. Alii: advenas et peregrinos ne quis violaret, lege sanxisti (*Exod.* XII, 48; *Levit.* XIX, 33; XXV, 35, 47, etc.); eadem ut lege mecum agas, oro, qui in terra possessionis tuæ advena sum et colonus tuus (*Levit.* XXV, 23). Sed prior sensus confirmatur loco parallelo I *Paral.* XXIX, 14, 15.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, ipsi Idithum, Canticum David.

Titulus demonstrat Psalmum compositum esse a Davide, sed datum ipsi Idithum ad canendum. Erat enim Idithum unus ex tribus principibus Cantorum, ut habemus lib. I *Paralip.* cap. XVI, et lib. II, cap. V. Quid autem sit *in finem*, vel *pro victoria*, ut ex hebræo S. Hieronymus vertit, diximus in explicatione Psalmi IV. Sed hoc loco convenit materiæ de qua agitur, tum *in finem*, tum *pro victoria*. Quamvis enim Rabbini et recentiores aliqui doceant Davidem ægrotum corporali morbo optasse finem vitæ et miseriarum, et hæc a Domino petere in præsenti Psalmo, nos tamen secuti veteres Patres, existimamus longe altiorem doctrinam in hoc divino Spiritus Sancti cantico per Prophetam edito contineri. Nimirum censemus hic describi brevitatem præsentis vitæ, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo vita æterna est, esse ponendam; et ideo dandam esse operam patientiæ, et paci cum omnibus hominibus, et præcipue linguam esse custodiendam ab omni rixa, et jurgio, et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernæ vocationis. Certe enim qui ad bravium maximi pretii currit, si in medio cursu videret sibi litem pro pallio moveri, pallium potius dimitteret, quam se a cursu impediri pateretur. Neque litigant, aut contendunt homines in terris, nisi pro temporalibus rebus. Itaque Psalmus præsens doctrinam evangelicam et apostolicam continet. Nam et Dominus docuit, « ut percutienti maxillam, præbeamus etiam alteram, et volenti pallium nobis eripere, demus illi et tunicam, » *Matth.* V; et Apostolus dicit: « Delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos: cur non magis fraudem patimini? » I *Cor.* VI. Hic igitur Psalmus, propter doctrinam tam sublimem, cani debet *in finem*, id est *semper*, usque ad mundi finem; et non solum tempore illo Davidis et Idithum. Idem etiam Psalmus recte inscribitur, *pro victoria*, quia nulla esse potest victoria nobilior, quam per patientiam vincere in bono malum, et sibi ipsi hominem imperare.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DIXI: CUSTODIAM VIAS MEAS, UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA.

Sollicitus erat David de vero bono non amittendo; ideo deliberavit, ac firmiter apud se constituit, magna circumspectione uti in omnibus actionibus suis, ut si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet, quasi audivisset ab Apostolo: « Videte quomodo caute ambuletis, » *Ephes.* V; et a B. Jacobo: « Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir, » *Jacob.* III. Ait igitur: « Dixi, » nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, « ut custodiam vias meas, » ut cautissime ambulem in via vitæ hujus, et diligenter attendam, ubi gressum pono, ne forte in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel lutosam viam pro munda eligam, vel certe deviem ab itinere recto, id est, deliberavi, et statui considerare omnes actiones meas. Et quoniam nihil est facilius, neque periculosius, quam verbo offendere, cum ex verbis inconsiderate prolatis oriantur rixæ, contentiones, jurgia, et alia mala tam multa, ut S. Jacobus dixerit, « linguam esse universitatem iniquitatis, » *Jacob.* III; ideo singulariter addit Propheta: « Ut non delinquam in lingua mea, » id est, ad hoc potissimum custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: sic enim infinita mala effugiam.

Vers. 2. 2. POSUI ORI MEO CUSTODIAM, CUM CONSISTERET PECCATOR ADVERSUM ME.

Nunquam est periculum majus delinquendi per linguam, quam cum ab aliquo detractore, vel contumeliam faciente provocamur: ideo dicit Propheta, « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me, » id est, cum aliquis iniquus forte irritaret me convicio, aut detractione, aut alio injurioso verbo, tum maxime custodivi os meum, ne prorumperet in aliquod verbum, cujus postea pœnitentiam agere deberem.

Vers. 3. 3. OBMUTUI, ET HUMILIATUS SUM, ET SILUI A BONIS, ET DOLOR MEUS RENOVATUS EST.

Declarat quam custodiam ori suo adhibuerit, dicens: « Obmutui, » id est, silui omnino, ac si mutus essem; « et humiliatus sum, » id est, humiliter patientiam habui; et « silui a bonis, » id est, abstinui etiam a justa defensione, et a debita reprehensione; et « dolor meus renovatus est, » propter hoc ipsum, quod silui a bonis. Nam dolueram primo propter acceptam injuriam, sed mitigaverat dolorem præmium patientiæ: iterum ergo dolor renovatus est, quia « silui a bonis, » et proximum meum debita correptione fraudavi. Ita S. Augustinus; sed posset etiam ita exponi: « Dolor meus renovatus est, » quia dolueram ex passione mea, sed « dolor renovatus est, » ex compassione fratris, quem vidi tam graviter ægrotare, ut medicina correptionis nihil ei profutura videretur, propter quod etiam « silui a bonis. »

Vers. 4. 4. CONCALUIT COR MEUM INTRA ME, ET IN MEDITATIONE MEA EXARDESCET IGNIS.

Exponit quid ille dolor renovatus effecerit, ac

dicit : « Concaluit cor meum intra me, » id est, ex dolore illo compassionis calefactum est cor meum dilectione, et in demeditari cœpi de miseria humana, de misericordia Dei, de ingratitudine hominum, de abundantia charitatis Dei erga ingratos et malos, et alia id genus multa. « Et in meditatione mea exardescet ignis, » ille, inquam, ignis, de quo dicebant duo illi discipuli apud Lucam cap. XXIV : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? » Diligens enim et attenta meditatio rerum cœlestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. Scio alios aliter exponere istum ignem ex meditatione exardescentem, de igne videlicet iracundiæ et indignationis : sed nos S. Ambrosium secuti sumus, et rationem connexionis, et lectoris ædificationem.

Vers 5. 5. LOCUTUS SUM IN LINGUA MEA, NOTUM FAC MIHI, DOMINE, FINEM MEUM.

Vers. 6. 6. ET NUMERUM DIERUM MEORUM QUIS EST, UT SCIAM QUID DESIT MIHI.

Ex illo æstu interiore « locutus sum, inquit, in lingua mea, » id est, non sum locutus in lingua, quam omnes intelligunt, sed in lingua mihi nota, quasi dicat : Ego scio quid voluerim dicere. « Notum fac mihi, Domine, finem meum, » etc.; videtur sensus esse, quod cupiat scire finem vitæ suæ, id est, « numerum annorum, et dierum quibus victurus sit super terram, » ut sciat quantum ei temporis supersit usque ad mortem; sed non hoc voluit dicere : ista enim curiositas vitiosa, et temeritas quædam fuisset; ideo præmisit : « Locutus sum in lingua mea, » in sensu meo, sermone mihi noto. Illud igitur significare voluit, vitam humanam esse brevissimam, et quasi quoddam nihil. Sed quoniam hanc veritatem, quamvis alioqui clarissimam, et experimento notissimam, pauci bene norunt, ideo precatur Deum, ut non sinat se decipi, ut plurimi decipiuntur, ut existimet diuturnum quod est brevissimum. Cur enim maxima pars hominum tota intenta est in cumulandis opibus terrenis, proque iis pugnat, et contendit acerrime, et bona futura contemnit et negligit, nisi quia non cogitat, vel non credit, vitam præsentem fugere velut umbram? Ait igitur : « Notum fac mihi, Domine, finem meum, » id est, fac, Domine, per gratiam tuam, ut illustrentur oculi mentis meæ, et aperte cognoscam finem vitæ meæ jam prope adesse. « Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi, » id est, fac ut attenta cogitatione penetrem quam sit brevis numerus dierum meorum, et sciam quam parum temporis mihi supersit. Hanc esse veram expositionem sequentes versiculi docebunt. Nam exauditus a Domino non refert præcise numerum annorum, qui sibi supererant, sed variis modis ostendere nititur tempus humanæ vitæ brevissimum esse, præsertim si ad æternitatem Dei et futuri sæculi conferatur.

Vita humana brevissima, et quasi quoddam nihil.

7. ECCE MENSURABILES POSUISTI DIES MEOS, ET SUBSTANTIA MEA TANQUAM NIHILUM ANTE TE. Vers. 7.

Edoctus a Domino, quod postulaverat, dicit, *mensurabiles esse dies suos*, id est, tam brevem esse durationem vitæ suæ, ut facillime mensurari possit. Sed observandum est S. Hieronymum ex hebræo, הנה טפחות נתתה ימי, vertisse, *ecce breves posuisti dies meos*; S. Augustinum cum aliis legisse, *ecce palæstras posuisti dies meos*; denique Chrysostomum et alios legisse, *ecce palmares posuisti dies meos*. Sed hæc omnia in idem recidunt; vox hebraica טפחות significat *res palmares*, id est, palmo uno mensurabiles : nam vox טפח significat *mensuram palmi quatuor digitorum*, quod idem significat vox græca παλάστη, quam habemus in editione Septuaginta Interpretum. Igitur S. Hieronymus recte vertit, *breves dies;* breves enim sunt, qui mensura brevissima mensurari possunt. S. Augustinus, et alii qui legerunt, *veteres dies*, fortasse habuerunt in græco textu παλαίας pro παλαιστάς; sed tamen *dies veteres* recte dicuntur dies vitæ nostræ, quoniam, ut Apostolus ait *ad Hebr.* VIII : « Quod antiquatur et senescit, prope interitum est. » Et novimus vestes veteres, et domos veteres, et similia vetera non diu durare. S. Ambrosius vocem græcam non a mensura, sed a palæstra deduxit : tamen aptissima similitudine explicuit cursum velocissimum et brevissimum, et simul laboriosissimum vitæ nostræ. Qui enim in palæstra currunt vel dimicant, tempus habent brevissimum, sed laboriosissimum, ut notum est. Nostra editio recte posuit, *mensurabiles dies*, id est, qui tam breves sunt, ut nullo negotio mensurari possint : quod idem significat *dies palmares*, ut Chrysostomus ex interpretatione Symmachi legit. Sed Propheta non contentus dixisse, dies suos breves et mensurabiles esse, addidit quasi corrigendo : « Et substantia mea tanquam nihilum ante te, » quasi dicat : Parum dixi, dies breves esse; nam *substantia mea*, id est, subsistentia mea, hoc ipsum quod sum et subsisto, nihil est ante te. Est quidem aliquid ante oculos hominum, qui non vident nisi præsentia, sed *ante te*, qui vides futura, et intueris æternitatem, quæ omni caret mensura, nihil omnino est. Quid enim sunt pauci anni, qui velocissime transeunt, ad infinitam durationem? Nomen *substantia* hoc loco non significare aliud quam *subsistentiam* et spatium vitæ, intelligi potest ex voce hebræa חלדי, quæ significat proprie *tempus*, sive *sæculum*, ut sensus sit : *Tempus meum*, vel, ut S. Hieronymus reddidit, *vita nihil est coram te.*

Dies vitæ nostræ recte dicuntur dies veteres.

8. VERUMTAMEN UNIVERSA VANITAS OMNIS HOMO VIVENS. Vers. 8.

Adhuc magis declarat, et nobis persuadere nititur quod ipse plane perspexit. Non solum, in-

quit, tempus vitæ nostræ brevissimum est, sed *omnis homo*, quicumque ille sit, etiam rex et monarcha, quem omnes mirantur, et cui cæteri omnes invident, ille, inquam, etiam *dum vivit*, id est, dum viget, et floret, et in optimo statu est, vel, ut est ad verbum in hebræo נִצָּב *nitsab, dum stat, dum firmiter consistit*, et radicatus videtur in terra, nihil est aliud, nisi universa vanitas, sive universitas vanitatis. Quidquid enim in illo est, sive sanitas, sive robur, sive pulchritudo, sive divitiæ, sive dignitas, sive potentia, totum fragile et momentaneum est.

Vers. 9. 9. VERUMTAMEN IN IMAGINE PERTRANSIT HOMO, SED ET FRUSTRA CONTURBATUR.

Videbat Propheta tam alto sopore depressum esse genus humanum, ut non contentus tonitruis verborum, quibus hactenus usus est ad homines excitandos, addat aliud adhuc vehementius percellens humanas mentes, si forte somno discusso vigilare incipiant. Quoniam igitur poterat aliquis dicere, non videri verum, vitam hominum nihil esse, cum videamus tam multis bonis vitam hominum circumfluere, opibus, honoribus, sanitate, robore, et similibus; ideo nunc dicit Propheta ista non esse vera bona, sed imagines et umbras rerum bonarum; et ideo frustra turbari homines, cum ista vel non possunt acquirere, vel acquisita coguntur amittere. Quomodo frustra rex conturbaretur ob amissam imaginem ligneam, vel papyraceam regni, quando regnum verum illi maneret. « Verumtamen, inquit, in imagine pertransit homo, » id est, homo pertransit, et perambulat viam vitæ hujus in imagine rerum, non in rerum veritate, habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non res veras, sed rerum umbras, atque imagines. Vita enim quam hic habemus imago est vitæ beatæ, quæ sola vera est vita; sanitas hujus temporis, imago est immortalitatis, quæ sola vera est sanitas; pulchritudo, quam hic videmus, vix umbra quædam est pulchritudinis illius quam habebimus, cum « justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, » ut dicitur *Matth.* XIII. Divitiæ terrenæ non sunt divitiæ, sed illarum divitiarum imagines, quas habebimus, cum nulla omnino re indigebimus, sed erit Deus omnia in omnibus. Idem dici potest de sapientia, de gloria, de celsitudine et de cæteris, quæ hic dicuntur bona. Porro phrasis illa, *in imagine pertransit*, sive *perambulat homo*, similis est illis phrasibus in Scriptura sacra frequentibus, *ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione*, et quæ est bis, terve in secunda et tertia epistola apostoli Joannis, *ambulare in veritate*; cui potest opponi, *ambulare in imagine*, quatenus imago opponitur veritati. « Sed et frustra conturbatur, » id est, sine ulla causa conturbatur homo in rebus temporalibus anxie quærendis, vel conservandis; frustra lætatur in earum lucro, et frustra plorat in earum jactura, quasi res solidæ et veræ, ac permanentes essent : cum imaginariæ, fragiles et caducæ sint. S. Joannes Chrysostomus, quem Theodoretus et Euthymius sequuntur, exponit illud, *in imagine pertransit homo*, ac si dictum esset, *instar imaginis pertransit homo*, ut non solum res humanæ sint imagines rerum verarum, sed ipse etiam homo non tam sit homo, quam hominis imago in tabella depicti.

Vita hæc et cætera sunt umbra et imago futuræ.

10. THESAURIZAT, ET IGNORAT CUI CONGREGABIT EA. Vers. 10.

Probat unico exemplo, frustra conturbari homines in opibus quærendis, augendis, conservandis : quoniam nesciunt cui laborent. Existimant illi quidem se filiis, aut nepotibus, qui grati memoriæ parentum futuri sint, thesaurizare; sed accidit sæpissime ut filii vel nepotes continuo moriantur, et hæreditas ad ignotos, vel inimicos perveniat; vel certe ut filii vel nepotes dissipent brevissimo tempore, quæ pater vel avus magno labore, et longissimo tempore acquisivit; vel denique ut hæredes ingrati sint, et reddant mala pro bonis, detrahentes industriæ et laboribus majorum suorum; quæ si prævidere homines illi potuissent, thesaurizassent potius sibi thesauros in cœlo, et sine turbatione vitam istam traduxissent. Vide similes sententias in *Eccles.* cap. II, IV, V et VI.

11. ET NUNC QUÆ EST EXSPECTATIO MEA? NONNE DOMINUS? ET SUBSTANTIA MEA APUD TE EST. Vers. 11.

Ex brevitate et vanitate vitæ præsentis tam clare perspecta, concludit se quidem spem suam in solo Deo ponere constituisse. « Et nunc, » inquit, his ita se habentibus, « quæ exspectatio mea? » quid spero? quid quæro? quid opto? « nonne Dominus » exspectatio et spes mea est? Denique conversus ad ipsum Deum dicit : « Substantia mea apud te est, » id est, vita mea et opes meæ apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas, te unum pro rebus omnibus habere cupio, quia in te sunt omnia. In hebræo ad verbum habetur : *Et nunc quid exspecto, Domine? exspectatio mea tibi ipsa.* Ex quo intelligere possumus hebraicæ lectioni respondere illa tantum : *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus?* Illa vero, *et substantia mea apud te est*, videntur addita explicandi gratia a Septuaginta Senioribus, quæ a nostro latino Interprete fideliter reddita sunt. Itaque non oportet quærere, ut multi faciunt, cur *substantiam* latinus Interpres posuerit pro voce hebraica תּוֹחַלְתִּי *thochalthi*, quæ *spem* vel *exspectationem* significat. Latinus enim Interpres non *substantiam* pro *exspectatione* posuit; sed addidit ad verba hebraica, id quod Septuaginta Interpretes addiderunt. Simile est in *Psalm.* XXI, ubi legimus : « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? » illud enim, *respice in me*, non habetur in hebræo codice, sed additum est a Septuaginta Interpre-

tibus, et inde translatum est ab Interprete latino in editionem Vulgatam.

Vers. 12. 12. AB OMNIBUS INIQUITATIBUS MEIS ERUE ME, OPPROBRIUM INSIPIENTI DEDISTI ME.

Quoniam dixit se terrena contemnere, et solum Deum exspectare, et in eo spes suas omnes collocasse, consequenter adjungit de peccatis in Deum sollicitum se esse, non autem de opprobriis hominum. « Ab omnibus, inquit, iniquitatibus meis erue me, » id est, quia sola peccata sunt, quæ mihi ad te viam impedire possunt, et quæ sola vera sunt mala; ideo precor ut ab illis me liberes, et quidem omnibus, non præteritis tantum, sed etiam futuris, illa delendo, ista impediendo. Quo loco notandum est viros etiam perfectos, qui terrena despiciunt, et ad Deum toto corde anhelant, habere semper aliquid, quod sibi petant ignosci, et sollicitos esse debere pro quotidianis peccatis quotidianas Deo preces offerre. « Opprobrium insipienti dedisti me. » Hæc pars versiculi conjungitur cum sequentibus hoc modo : Tu quidem opprobrium insipienti dedisti me, ego autem obmutui, et non aperui os meum. Significat autem se, propterea quod diceret vana esse et contemnenda præsentia, et in solo Deo spem esse ponendam, derideri solitum ab insipientibus, qui non capiunt quæ Dei sunt. Quomodo etiam dicit Evangelium de Christo Domino *Luc.* XVI : « Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. » In hebræo habetur contraria sententia, nimirum, *opprobrium insipienti non pones me.* Sed anteponenda est lectio Septuaginta Interpretum, ut S. Ambrosius admonet, quoniam sequentia verba : « Obmutui, et non aperui os meum, » manifeste docent Davidem audivisse opprobria insipientium, et sic etiam legunt et exponunt Augustinus, Chrysostomus, et alii veteres Patres. Ipse etiam S. Hieronymus, qui in versione ex hebræo posuit particulam negantem, tamen in Commentario legit et exponit hunc locum sine tali particula. Proinde videtur ea particula irrepsisse in textum hebraicum post tempora Septuaginta Interpretum.

Peccata sola sunt vera mala.

Vers. 13. 13. OBMUTUI, ET NON APERUI OS MEUM, QUONIAM TU FECISTI, AMOVE A ME PLAGAS TUAS.

Cum opprobria ab insipientibus audivi, non respondi, neque defendi me, sed « obmutui, » id est, ita me gessi, ac si mutus fuissem; imo etiam « non aperui os meum, » sed ita me gessi, ac si surdus fuissem, neque opprobria illa audivissem. Qui enim muti sunt, et non surdi, aperiunt os suum, et conantur respondere, cum aliquid audiunt; qui autem surdi sunt et muti, neque loquuntur, neque aperiunt os suum. Reddit autem rationem, cur obmutuerit, et non aperuerit os suum. « Quoniam, inquit, tu fecisti, » nimirum, ut opprobria in me jactarentur : tu enim es qui posuisti me opprobrium insipientibus. Et hanc eamdem rationem reddidit idem David, quando obmutuit ad maledictionem Semei, II *Reg.* cap. XV: « Sinite, inquit, illum ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere quare sic fecerit? » Ubi tamen observandum est Deum non præcepisse Semei, ut malediceret Davidi præcepto ejusmodi, ubi obedientia laudaretur : scimus enim Semei graviter peccasse maledicendo Davidem, et propter hoc postea fuisse a Salomone punitum; sed dicitur Deus præcepisse Semei, ut malediceret, quoniam videns malam Semei voluntatem, usus est mala voluntate, quam ipse non fecerat, ad humiliandum et corripiendum Davidem. De qua re vide S. Augustinum, lib. *De Gratia et libero arbitrio,* cap. II et seq.; vel si vis fusius aliquid tractatum legere, vide in Controversiis nostris lib. II *De amissione gratiæ, et statu peccati,* cap. XIII et seq. « Amove a me plagas tuas, » quasi dicat : Libenter accipio contumelias et opprobria insipientium, quæ tu ad meam humiliationem paterna severitate ordinasti; sed plagas tuas ferre non possum : ideo precor ut eas a me omnino removeas. Vocat enim, *plagas Dei,* flagella et supplicia, quæ Deus iratus immittit, non ut pater aut medicus, sed ut judex, de quibus in Psalmo superiore dixit : « Domine, ne in furore tuo arguas me. » Tales plagæ sunt excæcatio, obduratio, sensus reprobus, et ipsa damnatio ad ignem sempiternum.

Quomodo Deus præceperit Semei ut malediceret David?

Vers. 14. 14. A FORTITUDINE MANUS TUÆ EGO DEFECI IN INCREPATIONIBUS, PROPTER INIQUITATEM CORRIPUISTI HOMINEM.

Vers. 15. 15. ET TABESCERE FECISTI SICUT ARANEAM ANIMAM EJUS, VERUMTAMEN VANE CONTURBATUR OMNIS HOMO.

Explicat cur tantopere cupiat a se removeri plagas Dei, et dicit causam esse, quoniam expertus est in seipso, et in aliis, quam intolerabiles sint ejusmodi plagæ. De se primum ita dicit : « A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, » id est, ego ipse fortitudinem et potentiam, sive gravitatem manus tuæ percutientis expertus defeci, et plane consumptus sum, et perii « in increpationibus, » id est, in illa crudeli increpatione, quando in furore tuo arguisti me. Hoc autem Davidi contigit, quando ob peccatum adulterii commissum Deus in pœnam hujus permisit, illum cadere in peccatum homicidii, quod est gravius, et in tantam cæcitatem, ut per multos menses non redierit ad se, neque statum suum, id est mortem animæ suæ, cognoverit : nullum enim est supplicium gravius, quam quando pœna peccati est aliud peccatum. Quod enim peccatum sit aliquando pœna peccati, et quidem pœna horribilis, et timenda super omnes pœnas, docet Apostolus *Rom.* I : « Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt : propterea tra-

Nullum est gravius peccati supplicium, quam cum peccati pœna

Est aliud peccatum.

didit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua; » et infra : « Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; » et infra : « Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. » Vide de hoc flagello S. Augustinum, lib. V *ad Julianum*, cap. III. Deinde addit Propheta de aliis peccatoribus, hac plaga crudeli a Deo punitis : « Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, » id est, propter peccata præcedentia corripuisti in furore tuo hominem peccatorem, et fecisti ut anima ejus contabesceret instar araneæ, quæ laborat in texenda tela, ut capiat muscas, et interim ipsa exsiccatur et consumitur. Sic enim animæ hominum carnalium, justo Dei judicio, perpetuo laborant in rebus temporalibus acquirendis, et in eo labore consumunt ingenium et mentem, et inde anima exsiccatur omni humore gratiæ, ut ne cogitet quidem de salute sua, neque ullo desiderio teneatur veræ felicitatis. Contra quam animæ ariditatem desiderabat in alio Psalmo LXII idem Propheta adipem et pinguedinem spiritualem, dicens : « Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea. » Concludit Propheta : « Verumtamen vane conturbatur omnis homo, » id est, omnis homo, cujus anima tabescit sicut aranea, vane conturbatur, frustra laborat, sine ulla causa tot contentionibus agitatur. « Quid *enim* prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » *Matth.* XVI. Sed hoc loco multa observanda sunt : *primo*, verba illa, *in increpationibus*, in textu hebraico et græco, et apud Ambrosium et Hieronymum, conjungi cum verbis sequentibus, nimirum sic : *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem;* tamen apud Augustinum, et in nostris communibus libris, conjungi cum superioribus, nimirum cum illis : *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus*; sed utroque modo sensus constat. *Secundo*, nota S. Hieronymum ex hebræo non vertere, *araneam*, sed *tineam;* sed credibile est vocem hebraicam utrumque significare. Certe similitudo magna est inter araneam et tineam; ut enim aranea texendo telam se exsiccat, ita etiam tinea rodendo pannum se ipsa interimit. *Tertio*, nota, ubi nos habemus ex græco textu, *animam ejus*, in hebraico haberi, חמודו *chamudo, desiderabile ejus;* proinde Septuaginta Interpretes non tam verba reddiderunt, quam exposuerunt.

Animæ humanæ tia.

Vere enim anima ratione prædita est id quod in homine est maxime pulchrum, pretiosum et desiderabile; ipsa enim imago Dei est, ipsa æterna est, ipsa capax est æternæ felicitatis, et per illam communicamus cum angelis, ut per carnem communicamus cum bestiis; proinde incredibilis cæcitas est, propter explendas carnis appetitiones, perdere quod in nobis est summe pretiosum et desiderabile. *Quarto*, nota non haberi in hebræo vel græco textu verbum *conturbatur*, sed solum *vane omnis homo*, sive *vanitas omnis homo*. Cæterum latinus Interpres addidit verbum explicationis gratia, et addidit illud quod supra habetur vers. 9. Nota ultimo, non deesse, qui hos duos versus exponant, vel de flagello temporalis calamitatis, vel de paterna correptione, quæ facit homines, qui antea dura cervice erant, molles, ut araneas, id est, humiles et contritos. Sed in his, quæ non sunt contra fidem, et obscurissima sunt, licet unicuique abundare in sensu suo. Nobis illa verba, *amove a me plagas tuas*, facile persuaserunt hic non agi de flagello temporali, cum Psalmo superiori dixerit idem David : « Ego in flagella paratus sum; » neque de paterna correptione, sed de correptione illa terribili, quam justi maxime horrent : paternam enim correptionem, quæ humiles et contritos reddit, justi diligunt et expetunt, non horrent aut fugiunt. Similitudo quoque araneæ tabescentis nihil boni nobis significare visa est. Non tamen reprehendimus, sed laudamus potius explicationes aliorum, quæ prosunt ad ædificationem, quamvis non videantur nobis litterales.

16. EXAUDI ORATIONEM MEAM, DOMINE, ET DEPRECATIONEM MEAM; AURIBUS PERCIPE LACRYMAS MEAS. Vers. 16.

Magno affectu Psalmum concludit orans Deum; quid autem oret, paulo post explicabitur. Interim illud sciendum est, per *orationem* intelligi simplicem petitionem; per *deprecationem* autem vehementem clamorem, ut vox hebraica ושועתי demonstrat; per *lacrymas* autem affectum, cujus vox magis resonat coram Deo, quam ulla verba. In hebræo et græco, ut nunc se habent, continuantur cum hoc versiculo verba illa, *ne sileas*, quæ nos habemus in sequenti versu; et eo modo tribus nominibus tria verba respondent hoc modo: *Exaudi orationem meam, deprecationem meam auribus percipe, et lacrymas meas ne sileas.* Cæterum nostram lectionem habent veteres Patres, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus in Commentariis hujus loci, et verba hebraica remotis distinctionibus, quas Rabbini addiderunt, optime distinctionem librorum nostrorum recipiunt.

17. NE SILEAS, QUONIAM ADVENA EGO SUM APUD TE, ET PEREGRINUS SICUT OMNES PATRES MEI. Vers. 17.

Adhuc postulat exauditionem, et nondum explicat petitionem; sed loquitur ad eum, qui scit quid desideret spiritus. « Ne sileas, » inquit, id est, responde petenti, ne despice clamantem; qui enim silet audita petitione, idem facit, ac ille qui non vult concedere quod petitur. Reddit autem causam, cur debeat audire, dicens : « Quoniam advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei, » id est, quoniam tu nosti, et apud notitiam tuam est, quod ego non sim civis hujus

mundi, sed advena et peregrinus, ac per hoc civis civitatis supernæ Jerusalem, quamvis hic interim degam; decet autem ut audias civem civitatis tuæ in exilio positum, et ex peregrinatione sua ad te clamantem. Notat hoc loco S. Joannes Chrysostomus, magnum virum et spiritualem fuisse Davidem, qui cum regni gloria et opibus terrenis abundaret, tamen vere agnoverit se advenam et peregrinum in terra.

Vers. 18. 18. REMITTE MIHI, UT REFRIGERER PRIUSQUAM ABEAM, ET AMPLIUS NON ERO.

Hic jam exponit petitionem suam, et est illa, de qua dicitur in *Psalm.* XXXI : « Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. » Petit igitur cum clamore et lacrymis veniam peccatorum, ut pacata conscientia, de peregrinatione ad patriam lætus perveniat, atque in summa gratiam et gloriam petit; quæ est illa petitio, quam soli, et omnes illi toto corde Deo proponunt, qui mundi vanitatem agnoscunt. Ait igitur : « Remitte mihi; » vel, ut S. Hieronymus vertit, *parce mihi;* vel, ut ad verbum ex hebræo verti posset, *desine a me,* id est, ne sis durus exactor, non instes pro solutione debitorum, desine a me repetere quæ male dissipavi. « Ut refrigerer priusquam abeam, » id est, ut ante discessum ex hac vita refrigerer, intelligens mihi peccata esse remissa : nisi enim hic remiseris, non ibo ad requiem, sed ad carcerem. Dic igitur animæ meæ : Salus tua ego sum, antequam de corpore egredi jubeatur. « Et amplius non ero, » advena videlicet, et peregrinus, sed civis Sanctorum, et domesticus Dei. Vel, antequam « abeam, et amplius non ero, » id est, antequam discedam ex hac vita, et amittam omnem vitam : qui enim post hanc vitam non habet æternam vitam, consequenter habet æternam mortem, et quoddam non esse, cum longissime absit ab eo qui est. Sunt enim et vivunt, qui damnati sunt ad inferos; sed dicuntur non esse, nec vivere, quoniam ideo solum habent esse, et vivere, ut semper moriantur, et non esse desiderent. Posteriorem sensum habet S. Augustinus, utrumque autem attingit S. Ambrosius.

PSALMUS XL

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

2. Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.

3. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.

4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt, et sperabunt in Domino.

5. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

6. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum.

7. Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mei.

Holocaustum et pro peccato non postulasti.

8. Tunc dixi : Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me,

9. Ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

V. S. H. — *Victori David canticum* [*h. Psalm.*]

Exspectans exspectavi Dominum : et inclinatus est ad me, et audivit clamorem meum.

Et eduxit me de lacu sonitus, de luto cœni : et statuit super petram pedes meos, stabilivit gressus meos.

Et dedit in ore meo canticum novum, laudem Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.

Beatus vir, qui posuit Dominum confidentiam suam, et non est aversus ad superbias pompasque mendacii [al. *mendaces*].

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationes tuas pro nobis.

Non invenio ordinem coram te : si narrare voluero, et numerare, plura sunt quam ut narrari queant.

Victima et oblatione non indiges [*h. non voluisti*], aures fodisti mihi : holocaustum et pro peccato non petisti.

Tunc dixi : Ecce enio : in volumine libri scriptum est de me,

Ut facerem placitum tibi [al. *tuum*], Deus meus, volui, et legem tuam in medio ventris [al. *cordis*] mei.

10. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu scisti.

11. Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam, a concilio multo.

12. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me; misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

14. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice.

15. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge.

17. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

18. Ego autem mendicus sum et pauper; Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.

Annuntiavi justitiam in ecclesia multa ; ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu nosti.

Justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei, fidem tuam et salutare tuum dixi : non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam in ecclesia multa.

Tu, Domine, non prohibeas [al. *prohibebis*] misericordias [*h. pietates*] tuas a me : misericordia tua et veritas tua jugiter servabunt me.

Circumdederunt enim me mala, quorum non est numerus ; comprehenedrunt me iniquitates meæ, et non potui videre :

Plures factæ sunt, quam capilli capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Placeat tibi, Domine, ut liberes me : Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur simul quærentes animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et confundantur, qui volunt mala mihi.

Pereant post confusionem suam, qui dicunt mihi Vah : vah!

Gaudeant, et lætentur in te omnes qui quærunt te :

Dicant jugiter : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem sum egenus et pauper : Dominus sollicitus erit pro me.

Auxilium meum et salutare meum tu, Deus meus, ne moreris.

Argumentum. — Cum gratiarum actione preces junctæ sunt in hoc Psalmo, qui duabus absolvitur strophis sic inter se cohærentibus: vers. 2-11, qui e maximis periculis me meosque eripuisti, eoque pietatis in te hoc carmine testandæ occasionem mihi fecisti; vers. 12-18, ab iis etiam quæ nunc patior gravissimis malis me libera, o Jova. Ex hoc Psalmo precandi formula in usum sacrum excepta est, ac denuo edita nonnullis mutatis : legitur enim iisdem fere verbis in *Ps.* LXX. Patres fere omnes plurimique interpretes, loco epist. *ad Hebr.* X, 5, adducti, hoc carmen ad Christum in sensu *litterali* referunt. Quibus objicit Meignan : *a*) loca Vet. Testamenti a Novi Testam. scriptoribus ad Christum *directe* sæpius referri, quæ tamen in sensu spirituali tantum et typico illi conveniunt ; *b*) Christo minus convenire verba vers. 13, quæ peccatorum *suorum* confessionem continent ; *c*) SS. Patres in suam sententiam potius versione Alexandrina, quam textu genuino fuisse adductos ; *d*) denique vel inter catholicos non deesse interpretes, v. g. Calmet, Allioli, etc., qui Psalmum XL in sensu spirituali tantum Christo referunt.

1. Præcentori, Davidis carmen.

2. Confidenter (propr. *expectando*) exspectavi Jovam,
et inclinavit ad me (se, vel *aurem*), et audivit vociferationem meam.
3. Et adscendere me fecit e fovea vastitatis (vasta),
e cœno luti ;
et statuit in rupe pedes meos,
stabilivit gressus meos.
4. Et dedit in os meum canticum novum,
laudem Deo nostro ;
videbunt multi, et timebunt (Jovam).

5. Beatus vir qui Jovam facit fiduciam suam,
nec convertit se ad feroces (superbos) et declinantes ad mendacium.
6. Multa fecisti tu, Jova, mi Deus,
mirabilia tua et consilia tua in nos :
nihil est comparandum tibi;
si velim nuntiare *ea* et eloqui,
plura sunt, quam ut enarrem.
7. Victima et oblatione (incruenta) non delectaris;
aures forasti mihi :
holocaustum et victimam pro peccato non postulas.
8. Tunc dixi : « Ecce venio
cum volumine libri præscripti mihi.
9. Facere voluntatem tuam, mi Deus, *hoc* delector,
et lex tua *est* in mediis visceribus meis *infixa*. »
10. Prædico justitiam (*tuam* erga pios) in concione magna;
ecce, labia mea non cohibeo :
Jova, tu nosti.
11. Justitiam tuam non celo in medio cordis mei,
fidem tuam et auxilium tuum nuntio;
non occulto gratiam tuam et fidem tuam concioni magnæ.

12. Tu, Jova, non retinebis misericordiam tuam a me;
gratia tua et fides tua continuo custodiant (alii, *custodiunt*) me.
13. Nam circumdant me mala usque ad non numerum (infinita);
prehendunt me delicta mea (eorum pœnæ), nec possum videre;
plura sunt præ capillis capitis mei,
et cor meum (vigor) deseruit me.
14. Placeat tibi, Jova, liberare me;
Jova, ad auxilium meum festina.
15. Pudore afficiantur et erubescant ad unum omnes,
qui appetunt vitam meam ut auferant eam;
cedant retro et contumelia afficiantur,
qui volunt malum meum.
16. Obstupescant propter sui confusionem,
qui dicunt ad me : Eia! eia!
17. Exsultent et lætentur de te,
quicumque te quærunt (precibus adeunt);
dicant continuo : Magnus est (alii, *sit*) Jova!
qui amant auxilium tuum.
18. Et ego afflictus *sum* et miser,
sed Jova cogitabit de me (consulet mihi);
auxilium meum et liberator meus *es* tu.

NOTÆ.

Vers. 3. *Vastitatis* : alii, *perniciei*; alii rectius, *fovea strepitus*, in qua delapsæ aquæ perstrepunt *Fovea* et *cœnum* imagines periculorum. Simile in Plauto extat, *Bacchid.* Act. III, scen. I, vs. 17 :

Ut eum ex lutulento cœno propere hinc ejiciat foras.

— Vers. 4. *Novum*, materiam nova ipsum laude celebrandi. *Videbunt*; alii, *viderunt*. Cæterum *canticum*, de quo h. l., est illud ipsum quod tractamus, quanquam censet Ewaldus illud esse tantum fragmentum, quod verbis *laudem Deo* incipit, et usque ad vers. 6 extenditur. —Vers. 7. Nexus : quas tibi persolvam gratias? *forasti*, i. e. *aperuisti*, et ad auscultandum tibi ac prompte obsequendum, aptasti. Cf. *Isai.* L, 4; I *Sam.* XX, 2. Reinke restringit sensum : hanc saniorem sacrificiorum æstimationem tu me docuisti. Alii : addixisti me tibi servum in perpetuum. Cf. *Exod.* XXI, 6; *Deut.* XV, 17. Sed de illa, quæ servis fiebat, auris perforatione verbum רצע adhibetur, nec *duæ aures* perforabantur. Difficile dictu est, cur Alexandrinus pro *aures* habeat σῶμα : videtur librariorum incuria ortum esse ex ὠτία; nisi putes, quod placet, exstitisse in synagogis oralem traditionem, fore ut sacrificia Mosaicæ legis cessarentur, postquam Messias *corpus* suum immolasset. Cf. *Hebr.* X, 8. — Vers. 8. *Tum*, de sacrificiis saniora edoctus. *Venio*, frequento templum tuum, non ut offeram sacrificia. *Libri*, puta legis, ut ex ea me aliosque ad te recte colendum instituam. Alii, *scripti in me*, i. e. cum lege inscripta animo meo. Alii, *in volumine legis præscriptum est mihi*, hoc scil., ut animum potius quam pecudum hostias offeram. Alii, *in... præscriptum est de me*, scil. Messia : non male. — Vers. 11. כחד negare quod verum est, כזב quod falsum asserere. — Vers. 13. *Videre*, absolute positum, hoc sensu : delicta mea circumdant me et visum obstrudunt. Alii, *videre* eorum numerum, vel terminum. —Vers. 14. *Præ capillis*. Quidam volunt sensum esse : superant altitudinem (non *numerum*) capillorum, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XXXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In titulo nihil est novi. Psalmum hunc nonnulli ex recentioribus nimis humiliter exponunt, referentes eum ad morbum corporalem Davidis; de quo morbo nihil legimus in Scripturis, sed tantum in fabulis Rabbinorum. B. Paulus *ad Hebr.* X, de Christo exponit nonnulla, quæ in hoc Psalmo dicuntur, quæ Davidi non conveniunt ullo modo. Quædam etiam alia sunt, quæ ad Davidem accommodari non possunt, ut illa: « In capite libri scriptum est de me;» et illa : « Ego autem mendicus sum, et pauper. » Recte igitur S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus et Euthymius Psalmum hunc totum de Christo et Ecclesia exponunt, id est, de capite et corpore, ita ut Christus semper loquatur; sed primo in persona corporis sui, deinde in persona sua.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXSPECTANS EXSPECTAVI DOMINUM, ET INTENDIT MIHI.

Christus in persona populi sui exponit longam exspectationem redemptionis. Exspectavit enim supra quatuor annorum millia, dum interim per Patriarchas et Prophetas, partim figuris, partim oraculis promitteretur liberatio a miseriis, in quas per peccatum primi hominis genus humanum ceciderat. « Exspectans, inquit, exspectavi Dominum, » id est, longo tempore, sine intermissione exspectavi Dominum miserantem, visitantem, et liberantem populum suum; « et intendit mihi, » id est, et tandem a mea spe fraudatus non fui : nam ad me audiendum intendit aures suas. Ex hebræo ויט אלי colligitur illud, *intendit mihi*, proprie significare, *inclinavit se ad me*, sive *extendit se ad me*, nimirum audiendum.

Vers. 2. 2. ET EXAUDIVIT PRECES MEAS, ET EDUXIT ME DE LACU MISERIÆ, ET DE LUTO FÆCIS.

Explicat quod dixit, *intendit mihi*, dicens : *Intendit mihi*, nam « exaudivit preces meas; » et effectus exauditionis fuit, quod « eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. » Per lacum miseriæ intelligitur profunda fovea; nam vox hebraica בור *bor* significat *cisternam*, et vox hebraica שאון significat *tumultum*, *confusionem*, *desolationem*, et similia. Describitur igitur locus profundus, carens lumine, et luto putrido plenus, in quem multi deciderint, ex quorum motu et ejulatu existat tumultus, et confusio magna, quam Septuaginta Interpretes generatim miseriam appellarunt. Hic status est impiorum, qui carent lumine notitiæ Dei, et mandatorum ejus, et infixi sunt in limo carnalium cupiditatum; ex quibus non solum fit ut non possint ambulare ad æternam felicitatem, sed perpetuo inter se tumultuentur et contendant. Ab hoc profundo liberat nos gratia Redemptoris, cum incipimus per fidem cognoscere verum Deum, et vera ac sempiterna bona, et per spem et charitatem liberari a cupiditatibus terrenis, et pacem Dei, atque animæ tranquillitatem possidere. Illud autem observandum est cum S. Augustino, eum qui exauditus dicitur, ut educeretur de lacu, jam caput sustulisse, et agno-

Sine præveniente gratia nemo clamaret.

visse miseriam suam, et ideo de profundo clamare cœpisse; Deus enim inspirat electis suis, adhuc in peccato manentibus, spiritum fidei, et timoris, et invocationis, sine qua præveniente gratia nemo unquam de profundo clamaret, sed contemneret potius Deum et salutis monita, juxta illud *Proverb.* XVIII : « Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. »

Vers. 3. 3. ET STATUIT SUPRA PETRAM PEDES MEOS, ET DIREXIT GRESSUS MEOS.

Ille qui ceciderat in lacum miseriæ, de via ceciderat, in qua posuerat eum Deus initio creationis, ut per eam recto et facili tramite perveniret ad regnum : ideo qui postea illum eduxit de lacu miseriæ, et luto fæcis, in viam restituit, in viam stabilem ac firmam, nec minus rectam et planam; atque hoc est quod ait : « Et statuit supra petram pedes meos, » id est, pedes meos, quos de profundo et lutoso lacu eruit, statuit supra altam et firmam petram; « petra autem erat Christus, » I *Corinth.* X, qui de se ait, *Joan.* XVI : « Ego sum via, veritas et vita; » itaque statuit supra fidem et doctrinam, atque exempla Christi, pedes justificatorum, ut sequantur vestigia ejus. « Et direxit gressus meos, » id est, non solum constituit pedes meos in via lapidibus strata, sed etiam in via recta, et sic direxit gressus meos in viam pacis.

Vers. 4. 4. ET IMMISIT IN OS MEUM CANTICUM NOVUM, CARMEN DEO NOSTRO.

Ex eo quod constituit Deus me in via firmissima et rectissima, factum est ut cœperim cantare *canticum novum* : antea siquidem, ut eram homo vetus, ita cantabam cantica vetera de amoribus mundi; sed renovatus spiritu mentis meæ, cœpi cantare canticum novum de amore Dei : quod canticum ipse Deus immisit in os meum, et ipsum idem est carmen Deo nostro jucundissimum. In hebræo pro *carmen Deo nostro*, habetur, *laudem Deo nostro*. Itaque *carmen Deo nostro* debet intelligi, *carmen laudis Dei nostri;* et hoc est canticum novum, de quo diximus supra : qui enim canit amores mundi, mundum sine dubio laudat; et qui canit amores Dei, Deum sine dubio laudat.

Vers. 5. 5. VIDEBUNT MULTI, ET TIMEBUNT, ET SPERABUNT IN DOMINO.

Populus Dei jam liberatus a lacu miseriæ, sive idem Christus in persona populi jam liberati, prædicit multos ad eorum exemplum liberandos.

Initium salutis unde sit?

« Multi, inquit, videbunt » lacum miseriæ et liberationem aliquorum, « et timebunt, » et « sperabunt in Domino, » id est, timebunt lacum, et sperabunt in liberatore. Hoc enim est initium salutis, cum Deus per gratiam suam incipit aperire oculos interiores hominibus peccatoribus, ut videant statum peccati miserrimum, et simul cognoscant a quo liberari possint, et inde timere et sperare incipiant.

Vers. 6. 6. BEATUS VIR, CUJUS EST NOMEN DOMINI SPES EJUS, ET NON RESPEXIT IN VANITATES ET INSANIAS FALSAS.

Hæc est quasi adhortatio, et laudatio invitans homines ad imitandos liberatos. « Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, » id est, ille vere felix est, qui spem suam vere ponit in Domino, qui solus omnipotens et misericors est, et ideo potest et vult de omni miseria liberare eos qui sperant in se. Illud, *nomen Domini*, significare potest invocationem, sive notitiam familiaritatis, sive potentiam et auctoritatem, sive simpliciter ipsum Deum. Addit ad majorem explicationem : « Et non respexit in vanitates et insanias falsas, » id est, non respexit ad auxilium alicujus alterius, ac præsertim non respexit ad auxilium rerum vanissimarum et fallacium, quæ salvare non possunt, ut respiciunt homines vani et stulti. Nonnulli, ut Euthymius et aliqui moderni, referunt vanitates ad idola gentium, et insanias falsas ad vaticinia oraculorum gentilium. S. Hieronymus vertit ex hebræo, *ad superbias et pompas mendacium;* sed communis explicatio SS. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Chrysostomi in commentario hujus loci, generalis est, ut per *vanitates* intelligantur omnia vana auxilia, sive in hominibus, sive in rebus aliis creatis; et per *insanias falsas* intelligantur eadem falsa, sive fallacia auxilia, quæ etiam insaniæ dici possunt, id est res insanæ, quæ non eligerentur nisi ab insanis. Ejusmodi sunt præter cætera, prædictiones astrologorum, vel incantationes necromanticorum, vel observationes et auguria, quibus multi credunt et confidunt, sed vanissimi ac stultissimi sunt.

Vers. 7. 7. MULTA FECISTI TU, DOMINE, DEUS MEUS, MIRABILIA TUA, ET COGITATIONIBUS TUIS NON EST QUI SIMILIS SIT TIBI.

Transit nunc ad explicandum mysterium altissimum redemptionis humanæ, per quod educti sunt, et educentur plurimi de lacu miseriæ et luto fæcis, et primo generatim significat mirabilia esse opera Dei. « Multa, inquit, fecisti tu, Domine, mirabilia tua, » id est, multiplicasti mirabilia tua; « et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi, » id est, et in cogitationibus, sive in adinventionibus sapientiæ tuæ non est qui tibi perfecte similis sit, ita ut tibi comparari possit. S. Hieronymus ex hebræo vertit, *non invenio ordinem coram te,* pro eo quod nos habemus : *Non est qui similis sit tibi,* sed Septuaginta Interpretes clarius interpretati sunt verba hebraica : nam verbum עָרַךְ non significat solum *ordinare,* sed etiam *æstimare, æquare, comparare.* Itaque recte ad verbum sic verteremus : *Non est qui tibi comparari,* vel *æquari possit;* quod idem est cum eo quod nos habemus in græco, οὐκ ἔστιν τις ὁμοιωθήσεται σοι, *non est qui similis sit tibi.*

Vers. 8. **8. ANNUNTIAVI, ET LOCUTUS SUM : MULTIPLICATI SUNT SUPER NUMERUM.**

Reddit rationem, cur nemo possit cum Deo comparari, quoad opera mirabilia et cogitationes profundas, et ait : « Annuntiavi, et locutus sum, » id est, manifestavi aliqua ejusmodi opera per Prophetas, per sapientes homines, per ipsa elementa mundi : nam « cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, » ut legitur *Psalm.* VIII; sed « multiplicata sunt super numerum, » id est, tam multa sunt, ut numerari non possint, proinde neque annuntiari et manifestari omnia possunt. Ex hebræo posset etiam hic esse sensus : Majora sunt, quam ut enarrari queant; nam ad verbum sic habetur, עצמו מספר, *roborata sunt præ enarrari*, sive *præ numerari* : idem enim verbum significat *numerare* et *narrare*; et fortasse de industria posuit Propheta verbum ambiguum, ut ad utramque significationem referretur. Vere enim opera Dei, etiam si solum naturalia respiciamus, roborata sunt, sive creverunt, tam quoad magnitudinem, quam multitudinem, ut neque narrari, neque numerari possint : nam in singulis rebus etiam minimis, ut in una arbuscula, in uno animalculo, in uno flosculo tot sunt mirabilia, ut ne summi quidem philosophi eorum rationem investigare potuerint. Sed hoc loco illud est observandum, quod cum hæc verba referuntur ad Christum, intelligendum est mirabilia Dei non esse inenarrabilia, vel innumerabilia respectu ipsius Christi, sed respectu nostri : ipse enim, qui fecit opera illa mirabilia, novit exactissime magnitudinem et multitudinem ipsorum; sed mortales homines capaces non sunt tantæ scientiæ. SS. Patres Ambrosius, Hieronymus et Augustinus in Commentariis, quia legerunt ut nos nunc habemus, « multiplicati sunt super numerum, » retulerunt hunc totum versiculum ad conciones Christi, et audientium persuasionem, ut sensus sit : *Annuntiavi, et locutus sum* mirabilia tua, *et multiplicati sunt*, qui crediderunt *super numerum*, id est, innumerabiles crediderunt, posito numero infinito pro finito per hyberbolem, vel, crediderunt multi super numerum præordinatorum ad vitam æternam, quia multi reprobi cum electis in aream Domini, sive in rete dominicum intraverunt. Et potest ad hunc sensum non difficulter accommodari codex hebraicus : nam ubi habemus *præ numerari*, mutatis punctis, potest fieri, *præ numero*, ut notum est intelligentibus. Et quidem hæc explicatio vera est, sed non ita perfecte respondet textui originali, neque tam apte connectit hunc versiculum cum superiori, ut expositio prior, quæ est Euthymii et aliorum, et est conformis versioni S. Hieronymi, neque contraria est editioni nostræ Vulgatæ : illud enim *multiplicati sunt*, vel est error librariorum, ut multi suspicantur; et scriptum est *multiplicati*, pro *multiplicatæ*, id est cogitationes, aut *multiplicata*, id est opera mirabilia; vel certe ipse Interpres posuit genus masculinum, dicens : *Multiplicati sunt*, quia respexit ad nomen græcum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet διαλογισμοί. Simile quid habemus *Sap.* I, 7 : « Spiritus Domini replebit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. » Ubi, illud *hoc*, et illud, *quod*, referuntur ad *spiritum Domini*, et debuisset scribi : *Et hic qui continet omnia*, secundum grammaticam latinam; sed Interpres posuit genus neutrum, quia *spiritus* græce est generis neutri, videlicet πνεῦμα.

Opera Dei sunt inenarrabilia.

Vers. 9. **9. SACRIFICIUM ET OBLATIONEM NOLUISTI, AURES AUTEM PERFECISTI MIHI.**

Vers. 10. **10. HOLOCAUSTUM ET PRO PECCATO NON POSTULASTI, TUNC DIXI : ECCE VENIO.**

Mirabilia vere sunt omnia, quæ fecit Deus, et in omnibus relucent profundissimæ cogitationes ejus; sed omnibus aliis quasi in infinitum excellunt opera redemptionis humanæ. Quid enim majus cogitari potest, quam Deum descendere ad formam servi, et fieri mendicum et pauperem, ut homo educatur de lacu miseriæ, et ad summum cœlum evehatur? Eumdem etiam Deum in forma servi virgis cædi atque inter latrones crucifigi, ut servos exaltet inter angelos ad consortium regni sempiterni? et hæc omnia justissime sapientissimeque sine ulla injuria, imo cum summa gloria Divinitatis fieri? Hoc igitur admirabile mysterium sequentibus versiculis Christus ipse per linguam et calamum Davidis exponit : « Sacrificium, inquit, et oblationem noluisti, » hoc est, non voluisti placari sacrificio pecorum, neque oblatione panum, vel thuris, sed victima infiniti pretii : ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem, expiarem primi hominis inobedientiam; et quoniam *holocaustum* pecorum, et *sacrificium* pro peccato non admisisti, idcirco « dixi : Ecce venio, » ut ego ipse fiam sacerdos et sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriæ et de luto fœcis. Multa sunt hoc loco notanda : *primo*, per sacrificium et oblationem non intelligi hoc loco actionem sacrificandi, vel offerendi, sed hostiam mactandam, ut agnum, aut vitulum, et donum offerendum, ut panem, vel quid aliud; nam in hebræo est זבח *zebach*, et מנחה *minchah*; et S. Paulus, *Hebr.* X, legit *hostiam*, pro eo quod nos habemus *sacrificium*. Notandum *secundo*, non esse contrarium quod hic dicitur, *sacrificium et oblationem noluisti*, tot præceptis Domini de sacrificiis offerendis, quæ habentur in Levitico; nam voluit quidem olim Deus sacrificia, oblationes et holocausta, et victimas pro peccato, sed voluit ad significandam, non ad faciendam expiationem; nam, ut docet Apostolus in epist. *ad Hebr.* cap. X : « Impossibile erat sanguine hircorum et vitulorum auferri peccata. » *Tertio*, notandum vulgatam latinam editionem, quæ habet : « Aures

Opus redemptionis humanæ operum omnium mirabilium mirabilissimum.

Quid per sacrificium et oblationem intelligatur?

autem perfecisti mihi,» non convenire cum hebraico textu, neque cum græco : nam in hebræo habetur, *aures autem fodisti mihi*; in græco vero, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *corpus autem perfecisti mihi.* Sed lectio illa, quæ habet : *Corpus autem perfecisti mihi*, nullo modo rejici potest, quia non solum habetur in textu græco, et recipitur a Patribus latinis et græcis, ut Ambrosio et Augustino, Chrysostomo et Theodoreto, sed etiam approbatur ab Apostolo *ad Hebr.* x, et fortasse in textu hebraico antiquo, quem habuerunt Septuaginta Interpretes, erat vox aliqua, quæ corpus significaret. Lectio quoque latinæ editionis : Aures autem perfecisti mihi, rejici non potest, tum quia lectio illa est etiam antiquissima, ut perspicuum est ex Chrysostomo in secunda expositione hujus Psalmi, et ex Hieronymo in commentario hujus Psalmi; tum quia latina vulgata editio approbata est in concilio Tridentino, et potest facile concordari cum lectione græca et hebraica. Nam verbum hebraicum כרה *carah*, non solum significat *fodere*, sed etiam *præparare*, sive *apponere*, ut notum est lib. IV *Reg.* cap. VI, vers. 22, ubi *parare mensam*, et *appositio ciborum* significatur per hoc idem verbum. Idem autem est, *aurem apposuisti mihi*, et, *aurem perfecisti mihi*; neque diversa sunt, *corpus perfecisti mihi*, et, *aures perfecisti mihi*, nisi quod prior locutio est propria, posterior est figurata; qui enim dicit, *aures perfecisti mihi*, ex parte significat totum, et non sine causa per aures, potius quam per aliud membrum significatur hoc loco totum corpus, quoniam aures sunt instrumenta, per quæ accipiuntur præcepta superiorum, quibus debetur obedientia, juxta illud *Psalm.* XVII : « In auditu auris perfecisti mihi. » Christus autem ob id potissimum corpus humanum accepit, ut Patri Deo per obedientiam in forma servi obediret, et obediendo pro peccatis totius mundi satisfaceret. « Ego veni, inquit ipse *Joan.* V et VI, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me; » et *Joan.* IV : « Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me; » et *Joan.* VIII : « Quæ placita sunt ei facio semper. » Sola restat illa lectio : *Aures autem fodisti mihi*, quæ non videtur recipienda, ut neque expositio illorum, qui verba illa : *Aures autem perfecisti mihi*, significare volunt : *Aures purgasti*, sive *aperuisti*, ut idem sit, quod *fodisti*, id est *aperuisti*. Hæc enim lectio non habetur in commentariis ullius veteris Patris, quod ego sciam; et videtur repugnare veritati mysterii; qui enim dicit : *Aures fodisti*, vel *purgasti mihi*, significat se habuisse aliquando aures clausas, vel immundas. Christus autem, qui hic loquitur, semper habuit apertas et purgatissimas, ut nunquam vere potuerit dicere : *Aures fodisti*, vel *aperuisti*, vel *purgasti mihi*. Notandum *quarto*, illa verba : *Holocaustum et pro peccato*, non significare holocaustum esse sacrificium pro peccato : distinguuntur enim eo loco duo genera sacrificiorum, videlicet holocaustum, et sacrificium pro peccato; nam in hebræo est, עולה וחטאה *holah vechataa, holocaustum et peccatum*; sed nomine *peccati* intelligitur sacrificium pro peccato, ut etiam apud Apostolum II *Cor.* V : « Qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit. » Igitur sensus est, *holocaustum et sacrificium pro peccato non postulasti.* Meminit autem in his duobus versiculis omnium generum sacrificiorum veterum, ut ostendat omnia fuisse figuras sacrificii Christi. Nam, ut scribit S. Leo serm. 8 *De Passione Domini*, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio. Notandum *quinto*, illud : *Tunc dixi, ecce venio*, referri ad tempus, quo Deus decrevit, nolle admittere sacrificia veteris Testamenti pro expiatione; tunc enim ubi Deus hoc decrevit, dixit Filius Dei : « Ecce venio ego, » ut per sacrificium corporis et sanguinis mei reconciliatio impleatur.

Approbatur diversa lectio hujus loci.

11. IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME, UT FACEREM VOLUNTATEM TUAM : DEUS MEUS, VOLUI, ET LEGEM TUAM IN MEDIO CORDIS MEI. Vers. 11.

Exponit jam ad quid veniat, cum dixerit : « Ecce venio, » et ait : Venio ut faciam voluntatem Dei, sicut de me scriptum est. Voluntas autem Dei erat, ut per oblationem corporis sui ad passionem et mortem, sanctificaret nos. Sic enim hunc locum exponit Apostolus *ad Hebr.* X, ubi posteaquam citavit hunc locum Psalmi, addit : « In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. » « In capite libri scriptum est de me. » S. Ambrosius intelligit per *caput libri*, initium libri Geneseos, cap. II, ubi scriptum est : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ. » Quod exponit Apostolus *ad Ephes.* V : « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. » S. Augustinus exponit hoc dictum esse de principio libri Psalmorum, ubi dicitur de Christo : « In lege Domini voluntas ejus. » S. Joannes Chrysostomus, Euthymius et Theodoretus intelligunt generatim de libris Prophetarum, in quibus plurima de Christi passione scripta sunt : neque putant vim esse faciendam in illa voce, *in capite*, quoniam in hebræo non habetur, *in capite*, sed במגלת ספר *bamgillath sepher, in volumine libri.* S. Hieronymus in Commentario, ut etiam Chrysostomus in secunda expositione, intelligit per *caput libri* initium Evangelii secundum Joannem, ubi scriptum est : « In principio erat Verbum, » etc.; et infra : « Et Verbum caro factum est. » Non desunt, qui per *caput libri*, intelligant initium libri vitæ, de quo libro vitæ multa dicuntur in *Psalm.* LXVIII, *Daniel.* XII, *Luc.* X, *Philipp.* IV et *Apoc.* XX et XXI; et quadrat in hunc librum, quod dicitur hoc loco secundum hebraicas voces *in volumine libri*, sive, *in libro involuto*, et *clauso*. Liber enim vitæ, in quo scripta sunt nomina prædestinatorum, clausus est, quia non potest hoc tempore legi; sed constat tamen

Liber vitæ clausus est.

in capite ejus libri, Christum scriptum esse, ejusque passionem et mortem. Hæc omnia probabilia sunt : sed videtur simplicissima et maxima litteralis expositio, si nomine capitis intelligatur summa totius libri divinarum Scripturarum. Siquidem in textu hebraico, ideo non habetur, in qua parte libri hoc scriptum sit, sed dicitur : *In volumine libri scriptum est de me,* quasi dicat : In toto volumine, quia summa totius Scripturæ Christum loquitur ; Dominus enim dixit *Luc.* cap. ultimo : « Oportet impleri, quæ scripta sunt in lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de me ; » et ibidem : « Interpretabatur duobus discipulis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis. » Et *Joan.* v, idem Dominus dixit in genere : « Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. » Et quod habetur in textu græco, ἐν κεφαλίδι βιβλίου ; et latino, *in capite libri*, apte exponi potest, *in summa libri* : nam et græce et latine, dicitur caput non solum initium libri, sed etiam id quo omnia referuntur. Nam et recapitulare, est in summam redigere, et capita librorum distingui solent juxta ea, ad quæ revocantur partes principales librorum. Et hoc modo accipitur quod ait Apostolus *ad Hebr.* VIII : « Capitulum super ea, quæ dicuntur, talem habemus Pontificem, » id est, summa eorum, quæ dicuntur, est, quod talem habemus Pontificem, etc. Quoniam igitur non ait hoc loco Dominus, *in capite primi libri*, vel *in capite primo libri*, sed generatim, *in capite libri,* recte dixerunt Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius hoc loco *in capite libri* significare totum volumen divinarum Scripturarum : id enim coincidit cum eo, quod nos dicimus, summam totius Scripturæ ad Christum pertinere ; ipse enim est finis legis, ex Apostolo *ad Rom.* x. Dicit igitur Dominus : « In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, » id est, Scripturæ omnes testantur me ad hoc venturum fuisse in mundum, « ut facerem voluntatem tuam, » tibi per omnia accuratissime obediendo. Deinde conversus ad Patrem addit : « Deus meus, volui, » id est, libentissime acceptavi decretum tuum, « et legem tuam in medio cordis mei, » supple, posui, id est, nihil majori affectu desideravi, quam implere legem tuam. De justis dicitur in *Psalm.* XXXVI : « Lex ejus in corde ipsius ; » sed de capite justorum, « legem tuam in medio cordis mei » posui. Et qui sunt Christi, spiritum hunc Christi habere debent, ut legem Domini rebus omnibus anteponant, eamque in medio memoriæ, in medio intelligentiæ, et in medio voluntatis semper habeant. Non multum refert quod in hebræo et græco est, *in medio ventris mei :* agitur enim de ventre animæ, non corporis ; in anima vero cor et venter idem omnino sunt.

Vers. 12. 12. ANNUNTIAVI JUSTITIAM TUAM IN ECCLESIA MAGNA ; ECCE LABIA MEA NON PROHIBEBO, DOMINE, TU SCISTI.

Quamvis divinæ voluntatis finis præcipuus fuerit, ut Christus pro humano genere moreretur ; voluit tamen Deus Pater, ut Christus antea assidue prædicaret, et prædicatio veritatis esset quasi via ad passionem, et ipse non solum redemptor, sed etiam doctor et magister esset generis humani ; ideo nunc dicit : « Annuntiavi justitiam tuam, » *Matth.* III et XVII, id est, prædicavi legem tuam justissimam, et etiam opera veræ justitiæ, quæ tu ab hominibus requiris ; et hoc prædicavi palam et publice audientibus innumerabilibus populorum turbis ; et tu, Domine, testis esse potes, quia id feci, et faciam deinceps. Et vere tota vita sua Christus prædicavit : ab infantia prædicare cœpit exemplo suo contemptum rerum visibilium, modestiam, temperantiam, humilitatem. Deinde a Baptismo, in quo dictum est a Patre : « Ipsum audite, » prædicare cœpit etiam verbo, neque cessavit usque ad mortem per se prædicare, et prædicationem postea per Apostolos continuavit, et continuabit usque ad mundi consummationem per Apostolorum successores.

Christus non solum redemptor, sed etiam doctor et magister et generis humani.

Vers. 13. 13. JUSTITIAM TUAM NON ABSCONDI IN CORDE MEO ; VERITATEM TUAM, ET SALUTARE TUUM DIXI.

Multi prædicant, dum spes lucri adest, vel timor damni non terret, sed cessante spe, urgente timore, abscondunt in corde suo prædicationem veritatis, neque eam foris erumpere sinunt. Ab iis vitiis longissime Christus abfuit, et nos exemplo suo docet, ut idem faciamus ; ideo dicit : « Annuntiavi justitiam tuam, » et neque per negligentiam, neque per ullum timorem illam unquam abscondi in corde meo. Quod autem dixit de justitia, quam a nobis Deus exigit, videlicet quod eam annuntiaverit, et non absconderit, idem nunc subjungit de justitia et misericordia, quæ est in ipso Deo : nam justitiam vocat veritatem, id est fidelitatem, per quam fideliter reddit unicuique secundum opera sua ; et misericordiam vocat *salutare*, id est, salutem, quam misericorditer præbet sperantibus in se. Ait igitur : « Veritatem tuam et salutare tuum dixi, » id est, annuntiavi quoque veritatem, quæ in te est, manifestans omnibus quam fideliter reddas ineffabilia præmia justis, et horrenda supplicia injustis ; et simul annuntiavi salutare tuum, id est, quam misericorditer salves omnes, qui in te spem suam constituunt.

Vers. 14. 14. NON ABSCONDI MISERICORDIAM TUAM, ET VERITATEM A CONCILIO MULTO.

Quam paulo ante vocaverat *salutare,* nunc expressius vocat *misericordiam*, et cum *veritate*, id est cum justitia, conjungit. Dicit igitur : « Non abscondi, » propter ullum timorem, « a concilio multo, » id est, a multitudine populorum, «mise-

ricordiam et justitiam, » quæ in te sunt; sed eas publice et libere prædicavi. Hæc verissima esse manifeste colligimus ex Evangelio : nam *Matth.* cap. v, vi et vii, prædicavit Dominus justitiam, quam nos facere debemus; et in variis parabolis, *Matth.* xiii, xiv et xxv, prædicavit justitiam et misericordiam Dei.

Vers. 15. 15. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me; misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Transit nunc a prædicatione ad passionem : et sicut ipse manifestavit hominibus justitiam et misericordiam Patris, ita nunc precatur Patrem, ut non differat misericordiam et veritatem suam in ipso, per resurrectionem celerem, ab omni passione et morte liberando. « Tu autem, Domine, inquit, ne longe facias miserationes tuas a me, » id est vides, Domine Pater, in quam acerbam passionem incidi, quia non tacui manifestare hominibus justitiam et misericordiam tuam : ideo tu quoque non longe facias miserationes tuas a me, celeriter resuscitando, sicut hactenus « misericordia tua et fidelitas tua semper susceperunt me. »

Vers. 16. 16. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem.

Vers. 17. 17. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Passiones Christi fuerunt innumerabiles.

Reddit rationem, cur dixit : « Ne longe facias miserationes tuas a me; » et ait : « Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus. » Vere enim passiones Christi plurimæ fuerunt, et simul omnes quasi agmine facto in eum irruerunt. Cur autem tot fuerint ejus passiones, causa fuit, quoniam peccata nostra, quæ ipse super se accepit, innumerabilia sunt. « Comprehenderunt me, ait, iniquitates meæ, » id est, iniquitates omnium hominum, quas Pater « super me posuit, » ut dicitur *Isai.* liii, et quas proinde meas fecit, ut super lignum in corpore meo illas portarem, illæ, inquam, omnes comprehenderunt me. « Et non potui, ut viderem, » id est, tot sunt iniquitates, quæ me comprehenderunt, ut non prævaluerim videre quot sunt. Nam « multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, » id est, superant multitudine sua numerum capillorum : capilli enim capitis tot sunt, ut numerari non possint; et ideo quasi obrutus multitudine tanta malorum defeci, « et cor meum dereliquit me, » id est, vigor ipse, et ipsa vita dereliquit me. Porro quod hic dicit Christus, « non potui ut viderem, » non est accipiendum proprie, quasi revera non potuerit Dominus videre numerum peccatorum, ob nimiam eorum multitudinem; nam sine dubio novit accuratissime numerum peccatorum præteritorum, præsentium et futurorum; sed loquitur more humano, et solum significare voluit peccata, quæ expiando suscepit, esse innumerabilia. Simile est quod dicitur *Marc.* cap. vi : « Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum; » poterat enim, si voluisset, virtutes in eo loco facere; sed dicitur non potuisse, ut significaretur incredulitas illius populi, ob quam non volebat in eo loco miracula facere. Sicut etiam non proprie mirabatur, quia admiratio nascitur ex ignoratione, quæ in Christo locum non habebat; sed dicebatur mirari, quia signum admirantis edebat, ut ostenderet, mirum esse, quod populus ille tanta incredulitate teneretur. S. Augustinus versiculum hunc et duos superiores vult accipiendos esse in persona membrorum infirmorum Christi, id est fidelium imperfectorum : ejus nos sententiam non rejicimus, sed ostendere voluimus quomodo sint exponendi tres isti versiculi, si accipiantur scripti in persona Christi, ut vere in persona Christi scripti sunt versiculi præcedentes, quos Apostolus allegavit ad Hebræos cap. x, cum quibus isti continuari videntur.

Christus non proprie mirabatur.

Vers. 18. 18. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me; Domine, ad adjuvandum me respice.

Redit ad orationem quam inchoaverat in versiculo quinto decimo, ac petit liberationem a tantis malis per celerem resurrectionem, ut supra diximus : « Complaceat, inquit, tibi, Domine, » id est, placeat tibi Pater, quem etiam Dominum agnosco propter formam servi, quam accepi; placeat, inquam, « ut eruas me » de tot doloribus qui circumdederunt me. « Domine, ad adjuvandum me respice, » id est, videris quidem ad tempus me dereliquisse, et a me faciem avertisse, dum sinis me crucis tormenta sine ulla consolatione perpeti, sed jam « respice ad me adjuvandum, » ut brevi repleas me lætitia gloriosæ resurrectionis.

Vers. 19. 19. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam.

Ex Christi resurrectione secuta est maxima confusio adversariorum, qui eum plane a se exstinctum existimabant. Id nunc prædicit per modum imprecationis : quæ forma loquendi frequens est apud Prophetas : « Confundantur, inquit, et revereantur, » id est, confusi erubescant, « qui quærunt animam meam, ut auferant eam, » id est, qui quærunt vitam meam auferre, me occidendo, et penitus exstinguendo : hoc enim erat votum Judæorum, et hoc se assecutos crediderunt, cum Christum cruci affixum viderunt; sed paulo post cum eum resurrexisse audierunt, et signis ac prodigiis maximis resurrectionem ejus confirmari, et a populis credi viderunt, confusione et erubescentia repleti sunt; sed multo majore confusione et verecundia replebuntur in die novissimo, cum eum Judicem suum justissi-

Christus novit accuratissime numerum omnium peccatorum omnium hominum.

Christi resurrectio maximam Judæis confusionem attulit.

mum esse videbunt, quem in concilio suo, falsis testibus inductis, judicare præsumpserunt.

Vers. 20. 20. CONVERTANTUR RETRORSUM, ET REVEREANTUR QUI VOLUNT MIHI MALA.

Idem repetit ad rem magis explicandam, vel confirmandam. « Convertantur, inquit, retrorsum, » id est, confusi recedant; « et revereantur, » id est, verecundentur et erubescant, « qui volunt mihi mala, » id est, non ii solum, qui quærunt me interficere, sed etiam omnes alii, qui cupiunt confusionem et ignominiam meam. S. Augustinus exponit hunc versiculum in bonam partem, quasi Dominus precetur adversariis suis conversionem a peccatis ad Deum, ut jam non amplius superbe præcedant, sed humiliter subsequantur Dominum suum. Pia expositio; sed prior videtur magis litteralis, et facilius cum superiori versiculo continuatur.

Vers. 21. 21. FERANT CONFESTIM CONFUSIONEM SUAM, QUI DICUNT MIHI : EUGE, EUGE.

Idipsum tertio repetit, dicens : « Ferant confestim confusionem suam, » id est, non in longum tempus differatur eorum confusio; sed statim, post tridui videlicet brevissimum spatium, confusionem suam experiantur, « qui dicunt mihi : Euge, euge, » id est, qui de me quasi victo inter se gratulantur dicentes : « Euge, euge. » S. Hieronymus ex hebræo vertit, *qui dicunt mihi : Vah, vah;* quam vocem fuisse Judæorum deridentium Christum in cruce pendentem, in Evangelio legimus. Sed Septuaginta verterunt, *euge, euge,* Matth. XVII, et non dubium est, quin ipsi quoque recte intelligerent vim hebraicæ vocis, הֵאח הֵאח. Proinde illud pronomem *mihi* non ita accipiendum est, quasi adversarii Christo blandiri vellent, aut eum laudare, vel hortari, ut nos solemus cum alicui dicimus : « Euge, euge; » sed intelligendum est, adversarios inter se exultantes super Christi passionem dixisse : « Euge, euge, » ita ut illud *mihi*, accipiatur pro *de me*, vel *super me*. Paulo clarius idem legimus in Psalmo XXXIV : « Non dicant in cordibus suis : Euge, euge, animæ nostræ; nec dicant : Devoravimus eum; » ubi apparet illud, *euge*, dictum esse in cordibus eorum qui putabant se Christum jam devorasse. Quod autem nos habemus ex græco, *ferant*, S. Hieronymus ex hebræo vertit *pereant*. Sed credibile est Septuaginta non legisse ישמו, a verbo ישם, quod est *desolare*, sed ישאו *issehu*, unica littera mutata, a verbo נשא, quod est *ferre*. Denique quod nos habemus, *confestim*, S. Hieronymus vertit ex hebræo *post*. Cæterum verba hebraica, על עקב, significant proprie *ad calcaneum*, sive *ad vestigium*, id est immediate, sive confestim, quod est idem; et ipse idem S. Hieronymus hanc eamdem vocem in *Ps.* LXIX vertit, *ad vestigium*. Recte igitur Septuaginta Interpretes reddiderunt verba hebraica, παραχρῆμα, et latinus Interpres fideliter verba græca.

Vers. 22. 22. EXULTENT, ET LÆTENTUR SUPER TE OMNES QUÆRENTES TE, ET DICANT SEMPER : MAGNIFICETUR DOMINUS, QUI DILIGUNT SALUTARE TUUM.

Sicut prædixit per modum imprecationis confusionem persecutoribus suis : ita nunc per modum precationis bonæ prædicit lætitiam sectatoribus suis. « Exultent, inquit, et lætentur super te, » id est, exultabunt et lætabuntur in Deo, divino videlicet et inenarrabili gaudio, « omnes qui quærunt te, » id est, omnes qui quærunt gloriam Dei, et qui diligunt Deum, et in eo spem suam ponunt. « Et dicant semper : Magnificetur Dominus, » id est, et non sibi tribuant, nec suis viribus aut virtutibus, bonum, quod habent; sed dicant : « Magnificetur Deus ab omnibus qui diligunt salutare tuum, » id est, qui diligunt Salvatorem quem misisti ad homines, Christum videlicet Jesum, sive, qui diligunt salutem quæ abs te est, id est, qui cupiunt veram atque æternam salutem, quam tu solus dare potes.

Vers. 23. 23. EGO AUTEM MENDICUS SUM ET PAUPER, DOMINUS SOLLICITUS EST MEI.

Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis, ac dicit : « Ego mendicus sum et pauper, » id est, egenus et destitutus humano auxilio. Sunt enim in hebræo duo vocabula, אביון et עני; prius significat *egenum, inopem, mendicum:* posterius significat *afflictum, humilem, destitutum :* quæ omnia conveniebant Christo toto tempore suæ mortalitatis, sed præcipue quando nudus pendebat in cruce. Sed quamvis egenus et pauper esset quantum ad temporalia bona, tamen ditissimus erat protectione paterna; ideo subjungit : « Dominus sollicitus est mei, » vel, ut est in hebræo, *Dominus cogitat pro me.* Vocat autem Patrem Dominum, quoniam loquitur in forma servi, id est, ut filius hominis, secundum quam naturam pendebat in cruce.

Vers. 24. 24. ADJUTOR MEUS ET PROTECTOR MEUS ES TU, DEUS MEUS, NE TARDAVERIS.

Quod unico vocabulo dixerat : « Dominus sollicitus est, » id nunc duobus vocabulis exponit dicens : « Adjutor meus et protector meus es tu. » Deus enim Pater sollicitus erat Filii sui, illum adjuvando et protegendo, adjuvando in superandis malis præsentibus, et protegendo in removendis futuris. Concludit postremo : « Deus meus, ne tardaveris, » nimirum eripe me ab omnibus malis per celerem resurrectionem.

PSALMUS XLI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.

3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

5. Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.

6. Inimici mei dixerunt mala mihi : quando morietur, et peribit nomen ejus?

7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, et loquebatur 8. in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi.

9. Verbum iniquum constituerunt adversum me : Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi : qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

11. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me; quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti; et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : Fiat, fiat.

V. s. h. — *Victori canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Beatus qui cogitat de paupere : in die malo liberabit [al. *salvabit*] eum Dominus.

Dominus custodiet eum et vivificabit eum : et beatus erit in terra, et non tradet [al. *tradat*] eum animæ inimicorum suorum.

Dominus confortavit eum in lecto infirmitatis : totum stratum ejus vertisti in ægrotatione sua.

Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.

Inimici mei loquentur [al. *loquuntur*] malum mihi : quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si venerit ut videat, vana loquetur; cor ejus congregabit iniquitatem sibi, egrediens foras detrahet.

Simul adversum me murmurabant omnes odientes me : contra me [al. tac. *me*] cogitabant malum mihi.

Verbum [*h. Belial*] diaboli infundebant sibi : qui dormivit, non addet ut resurgat.

Sed et homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, levavit contra me plantam.

Tu autem, Domine, miserere mei : et leva me, et reddam eis.

In hoc cognovi quod velis me : quia non insultabit inimicus meus mihi.

Ego autem in simplicitate mea adjutus sum a te, et statues me ante faciem tuam in perpetuum [*h. sæculum*].

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum, amen et amen.

Argumentum. — Insunt querelæ et preces hominis gravi morbo affecti, ejusdemque circumdati ab inimicis infidisque amicis ipsius mortem avide exspectantibus. Quæ de morbo dicuntur in hoc Psalmo, improprie intelligenda esse, Hengstenberg cum SS. Patribus asserit. Carmen durante morbo compositum fuisse cum hodiernis multis putat Maurer. Strophæ tres. Vers. 2-4, beatus, qui misericordia ductus, miseros curat juvatque; vers. 5-10, me graviter ægrotantem tantum abest ut curent, ut mortem meam exspectent non tantummodo inimici, sed etiam animi qui fuerunt; vers. 11-13, redde mihi sanitatem, o Jova, ut excidant spe sua, eisque ego debitam rependam gratiam : quod te facturum esse spero. — Fortasse hæc contigerunt circa ea tempora, quando jam Absalom pravis artibus magnatum et populi studia sibi conciliasset.

1. Præcentori, carmen Davidis.

2. Beatus *ille* qui attendit ad miserum (propr. *tenuem*) !
die mali liberabit eum Jova.
3. Jova custodiet eum et vivum conservabit eum ;
felix reddetur in terra,
nec tradas eum, *Deus,* animæ (furori) hostium ejus.
4. Jova suffulciet eum in lecto ægritudinis ;
omnem cubationem tu mutas in morbo ejus.

5. Ego dico : Jova, miserere mei,
sana animam meam (me), quia in te peccavi.
6. Inimici mei loquuntur malum de me :
« Quando morietur, interibitque nomen ejus ? »
7. Et si quis venit ad *me* invisendum, falsa loquitur ;
cor ejus pravitatem colligit sibi ;
egressus foras, eloquitur.
8. Una contra me susurrant inter se omnes osores mei,
contra me excogitant malum mihi.
9. « Exitiosum quid effusum est in eum ;
et qui jacet, non amplius surget. »
10. Etiam vir pacis meæ, cui confisus eram, qui comedit panem meum,
effert contra me calcem.

11. Et (igitur) tu, Jova, miserere mei, et fac ut assurgam (ex morbo),
et ut rependam iis !
12. In hoc agnosco, te favere mihi,
quod non exsultat hostis meus de me.
13. Et ego, in integritate (corporis) mea sustentas me,
et colloces me coram te in perpetuum.

14. Laudatus sit Jova, Deus Israelis, ab æternitate ad æternitatem !
Amen, amen.

NOTÆ.

Vers. 2. *Attendit,* miseretur et curat. Hac sententia orditur vates, quia, cum ipse semper miseros adjuverit, hinc confidit se quoque a Deo curationem esse recepturum. Aliter Rosenmullerus : *attendit,* i. e. de misero et morbo afflicto homine non temere judicat, aut pro impio illum propter morbum habet. Cf. vers. 9. — Vers. 4. *Omnem cubationem,* etc. i. e. quotiescumque jacet, sanum eum reddis. Alii, *omne stratum* (gall. *sa couche*) *versas,* ut mollius cubet. — Vers. 5. *Dico* ; alii, *dixi,* vel *dicebam,* ita ut non ægrotans, sed sanus factus loquatur vates. *Quia* : tu percussisti solus, solus idem sanare potes. — Vers. 7. *Falsa,* simulat se dolere meum morbum. *Pravitatem* : ex iis quæ circa me geruntur, calumniandi materiam colligit. *Eloquitur,* quas sibi, cum apud me esset, excogitavit malignas criminationes. — Vers. 9. *Exitiosum quid,* morbus lethifer ; german. *etwas heilloses* ; propr. *verbum Belial,* quod Rosenmullerus interpretatur, *scelus aliquod grande,* ultio grandis. Alii : consilium perniciosum nostrum. — Vers. 10. Cf. II *Sam.* IX, 11. *Cui confisus eram,* vel, *de quo confidebam.* Qui *comedit panem* alicujus, illius est convictor et *familiaris. Calcem,* etc. i. e. insidias et dolos mihi struxit ; imago petita est ab iis qui eum, quocum certant, supplantant. — Vers. 11. *Rependam,* puta dignam iis sua nequitia gratiam. Regem vindicta non dedecet. — Vers. 13. *Coram te,* i. e. tueberis me. — Vers. 14. Est doxologia libro qui hic finitur addita a collectore. Pari fere modo terminantur reliqui libri, excepto ultimo : conf. *Ps.* LXXII, LXXXIX, CVI.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XL.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus ipsi David.

Videtur hic etiam Psalmus, ut præcedens, ad Christi passionem totus pertinere. Sic enim eum Patres accipiunt, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus, qui addit temerarium esse aliter exponere, cum citetur ab ipso Christo, *Joan.* XIII, unus versiculus ex Psalmo ad demonstrandum Judæ proditionem fuisse multo ante prædictam. De titulo nihil dicimus, quia nihil continet.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. BEATUS QUI INTELLIGIT SUPER EGENUM ET PAUPEREM : IN DIE MALA LIBERABIT EUM DOMINUS.

Christus pauper non necessitate, sed voluntate.

« Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, » id est, beatus qui attente considerat Christum pauperem : inveniet enim esse pauperem, non necessitate, sed voluntate; et pauperem voluntate, ut nos sua inopia locupletaret. Item inveniet pauperem foris, sed intus divitem : in eo enim « absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, » ut scribit Paulus *Coloss.* II. Denique inveniet pauperem in carne, ut dicit S. Ambrosius, sed divitem in regno : idem enim pauper erat, cum non haberet ubi caput reclinaret; et simul hæres erat universorum, Rex regum et Dominus dominantium. Præterea, « beatus est qui intelligit » super Christum pauperem, nudum videlicet in cruce pendentem, id est, qui attente cogitat passionem ejus; nam et Jeremias antea dixerat : « Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus, » *Thren.* I; et Apostolus postea idem repetivit : « Recogitate eum, qui talem adversus semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem, » *Hebr.* XII. Infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus et diligenter meditantibus. Denique beatus quoque est, qui intelligit super egenum et pauperem Christum in membris suis, de quibus dicturus est, *Matth.* XXV : « Quod uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. » Sed non dicit Psaltes : *Beatus qui dat eleemosynam pauperi*, sed *qui intelligit super egenum et pauperem*, id est, qui prudenter considerat pauperum necessitates, et dat cui, quando, quantum oportet, ex pura charitate et liberalitate, non ex inani gloria, vel spe retributionis. Hanc enim vim habet verbum hebraicum משכיל *maschil* : significat enim attente cogitare, sive prudenter considerare. Sequitur : « In die mala liberabit eum Dominus. » Hæc est ratio, cur sit beatus dicendus qui intelligit super egenum, quia videlicet ipse ab egestate liberabitur : dies enim mala est dies penuriæ et sterilitatis. Sed hoc loco præcipue dicitur dies mala, dies ultimi judicii, quæ erit dies solius justitiæ, ac per hoc erit in illa summa penuria miserationis et gratiæ. In illa igitur die securi erunt, qui Christi crucem amaverint, et qui propter Christum pauperibus benevoli fuerint; dicetur enim illis : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. Sed etiam in hoc sæculo liberabit Deus viros misericordes in die mala, ut Psalmus trigesimus sextus antea nos docuit, dicens : « Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. » Mirifice enim delectatur Deus, cum videt filios suos, ad Patris imitationem, quæ ab illo liberaliter accipiunt, cum aliis quoque liberaliter communicare : et ideo cum fœnore reddit, quod pauperibus datur, juxta illud *Proverb.* XIX : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. »

Dies mala quæ?

Vers. 2. 2. DOMINUS CONSERVET EUM, ET VIVIFICET EUM; ET BEATUM FACIAT EUM IN TERRA, ET NON TRADAT EUM IN ANIMAM INIMICORUM EJUS.

Declarat quod dixit : « In die mala, liberabit eum Dominus; » et per modum bonæ imprecationis prædicit bona, quæ dabuntur intelligenti super egenum et pauperem. « Dominus, inquit, conservet eum, » id est, custodiat dum vivit; « et vivificet eum, » id est, post mortem iterum vivere faciat resuscitando eum cum justis. « Et beatum faciat eum in terra, » id est, et tunc vere perfecteque beatum reddat in terra viventium. « Et non tradat eum in animam inimicorum ejus, » id est, et neque in hoc sæculo, neque in futuro sinat eum subjici voluntati inimicorum, sive homines, sive dæmones sint. Vocat enim *animam*, voluntatem, sive desiderium. Codices græci variant hoc loco; nam alii habent, *in manus inimicorum*; alii, *in animam inimicorum*, ut notavit S. Ambrosius; sed sensus est fere idem, nisi quod videtur esse aliquid amplius tradi *in animam*, id est, in voluntatem, sive arbitrium, sive libidinem, quam tradi *in manus*, id est in potestatem; nam qui supplicio afficiendi sunt, traduntur in manus carnifi-

Tradi in animam plus est quam

tradi in manus. cum, sed non in voluntatem: quia possunt carnifices eos interimere, non tamen eo modo, quo voluerint, sed eo tantum modo, quo leges præscribunt.

Vers. 3. 3. DOMINUS OPEM FERAT ILLI SUPER LECTUM DOLORIS EJUS : UNIVERSUM STRATUM EJUS VERSASTI IN INFIRMITATE EJUS.

Quoniam tam multa bona pollicitus fuerat misericordibus, intelligentibus super egenum et pauperem, poterat aliquis suspicari nullam tribulationem passuros in terris ejusmodi pios homines: ideo nunc subjungit passuros quidem in hoc exilio pios homines varias tribulationes, seu tentationes, sed non absque divina consolatione. « Dominus, inquit, opem ferat illi super lectum doloris ejus, » id est, si quando pius ille inciderit in lectum doloris, sive dolor sit corporalis, sive spiritualis, sive sit proprie in lecto ægrotus, sive metaphorice decumbat quasi in lecto afflictus quacumque tribulatione, « Dominus opem feret illi, » atque ita consolabitur eum, ut patienter ferat, et ipsa patientia probari se intelligat, et ex probatione spem magnam concipiat, et ex illa spe gaudium tale inveniat, ut glorietur in tribulationibus, et cum Apostolo dicat : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, » II *Corinth.* VII. Adjungit deinde, ad probandum id esse futurum, exemplum de præterito dicens : « Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus, » id est, tu Deus suavis et mitis, ita soles facere cum fidelibus tuis; nam si quando vidisti pium aliquem gravari tentationibus, vel afflictionibus, ita illum consolari consuevisti, quomodo consolatur ægrotum, qui totum stratum ejus versat et reversat, ut mollius cubet et quiescat. S. Ambrosius et S. J. Chrysostomus ita exponunt, ut velint versari stratum in infirmitate, esse mutari statum ægroti in statum sanitatis. S. Hieronymus et S. Augustinus contrario modo exponunt, sed egregie omnino et utilissime; volunt enim hunc sensum esse. Quia dixerat Propheta : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, » poterat pius homo respondere : Si Deus fert opem, unde tot scandala et tribulationes hominibus piis? Respondet Propheta, quia idem Dominus « universum stratum, » id est, eas res terrenas, in quibus etiam pii acquiescunt et delectantur, versat et removet, ut pius peregrinus non diligat stabulum pro domo; sed ex amissione temporalium, quamvis licitarum, consolationum, discat in solo Deo delectari, illum unum quærere, ad illius visionem anhelare et suspirare. Hæc enim est causa, cur sancti homines non solum tribulationes aliunde advenientes amaverint, sed ipsi etiam eas sibi accersierint, jejuniis, vigiliis, humicubationibus, nuditate et flagellis carnem propriam atterendo : quoniam intelligebant animum non omnino erigi posse ad quærendum Deum, dum aliquid habet in terra quod amet, vel in quo delectetur et quiescat. Utraque expositio amplectenda est, quamvis prior videatur nobis magis litteralis.

Vers. 4. 4. EGO DIXI : DOMINE, MISERERE MEI, SANA ANIMAM MEAM, QUIA PECCAVI TIBI.

Hic jam incipit Christus declarare se esse egenum illum et pauperem, de quo initio dixerat : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. » « Ego, inquit, dixi : Domine, miserere mei, » id est, miserere corporis mei mystici, infirmorum membrorum meorum. « Sana animam meam, quia peccavi tibi, » id est, ad hoc misericordiam tuam imploro, ut sanes languores fidelium meorum, quorum peccata mihi ipse imputo, quasi ego illa fecissem. Potest etiam sic exponi, ut Christus ipse de passione sua loquatur, dicens : « Miserere mei » in tribulatione positi, ut celeriter resuscitando ab omni passione me liberes. « Sana animam meam, » quæ tristis est usque ad mortem, et ideo tristis est et languet, pavens, mœrens et tædens; « quia peccavi tibi, » id est, peccata totius mundi in me recepi. Nam quod non loquatur de peccatis a se commissis, perspicuum est ex versiculo decimo tertio, ubi dicit : « Me autem propter innocentiam suscepisti. » Itaque is qui loquitur in Psalmo, non est David, vel quivis alius, sed ille solus qui et innocens erat, quoad actiones proprias, et peccata aliorum portabat.

Vers. 5. 5. INIMICI MEI DIXERUNT MALA MIHI, QUANDO MORIETUR ET PERIBIT NOMEN EJUS?

Hæc manifeste pertinent ad pharisæos et sacerdotes Judæorum, qui avidissime Christi mortem sitiebant, et de ipso interficiendo sæpe inter se colloquebantur. Illud autem, *mihi*, positum est pro *de me*, ut in Psalmo superiore : « Qui dicunt mihi, » id est *de me*, « euge, euge; » vel abundat, ut in hoc ipso Psalmo : « Adversum me cogitabant mala mihi, » et alibi sæpe.

Vers. 6. 6. ET SI INGREDIEBATUR UT VIDERET, VANA LOQUEBATUR; COR EJUS CONGREGAVIT INIQUITATEM SIBI.

Transit a Judæis ad Judam, quasi dicat : « Et si aliquis eorum, » ut Judas proditor, « ingrediebatur ut videret, » id est, exploraret et quæreret opportunitatem me prodendi, « vana loquebatur, » id est, falsi aliquid fingebat, ne animus ejus detegeretur. Posset etiam hoc referri ad alios, qui ad Christum accedebant, « tentantes eum, ut caperent eum in sermone, » ut *Matth.* XXII. Sed iste « vana quidem loquebatur » ad Christum; sed interim « cor ejus congregabat iniquitatem sibi, » id est, corde meditabatur dolos, et proinde multiplicabat et congregabat iniquitatem sibi, ad suam videlicet æternam perditionem. Hæc nimirum justa merces est mendacium et dolosorum, ut dum alios decipere tentant, ipsi decipiantur a

Satana, et dum aliis moliuntur interitum, ipsi sibi interitum parent.

Vers. 7. 7. EGREDIEBATUR FORAS, ET LOQUEBATUR IN ID IPSUM.

De eodem Juda Patres hæc etiam accipiunt, qui cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, « egrediebatur, et loquebatur simul » cum iis, quibus Dominum proditurus erat. Illud, *in idipsum*, hebræi codices conjungunt cum sequenti versiculo; sed nos sequimur distinctionem antiquam Septuaginta Interpretum, qui majori fide digni sunt, quam recentiores Rabbini, qui puncta et distinctiones, quas nunc habemus, bibliis addiderunt.

Vers. 8. 8. ADVERSUM ME SUSURRABANT OMNES INIMICI MEI, ADVERSUM ME COGITABANT MALA MIHI.

Audito Juda proditore, cœperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si alta voce loquerentur, de pecunia danda et ratione invenienda Christum capiendi atque perdendi. « Adversum me, inquit, susurrabant, » id est, summissa voce loquebantur « omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi, » susurrando deliberabant de morte mihi inferenda. Jam supra dixi illud *mihi* redundare ex phrasi hebraica.

Vers. 9. 9. VERBUM INIQUUM CONSTITUERUNT ADVERSUM ME : NUMQUID QUI DORMIT NON ADJICIET UT RESURGAT?

Ex illa susurratione inimicorum hoc secutum est, ut firmiter constituerent Judæi Christum occidere, et hoc est quod subjungit, dicens : « Verbum iniquum constituerunt adversum me, » id est, decretum iniquum statuerunt contra me, ut videlicet me, quamvis innocentem, morti traderent. Addit vero continuo : « Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? » Id est, quamvis illi tam injustum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent? quin potius ideo mortem suam somnum vocavit, quia quam facile est homini dormientem socium suum excitare a somno, tam facile est Verbo Dei carnem suam mortuam ad vitam revocare. Id quod multo ante prædicit, cum ait : « Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam : potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, » *Joan.* x. In hebræo codice longe aliter habetur; sic enim ad verbum verti potest : *Verbum belial infusum sibi, et qui dormivit non adjiciet ut resurgat.* Sed Septuaginta Interpretes, qui et doctissimi erant, et codices correctissimos habebant, pro *verbum belial*, recte verterunt, *verbum iniquum*; nam *belial* significat *absque jugo*, et accipitur etiam pro *diabolo*, sed passim *viri belial* dicuntur *viri iniqui*, quasi qui jugum legis excusserint, et diabolum ducem sequantur; et sicut *viri belial* sunt viri iniqui, ita *verbum belial* est verbum iniquum. Quod sequitur *infusum*, hebraice יצוק, legerunt Septuaginta יציקו, quod est *constituerunt*; et pro בו *bo*, quod est *ei*, vel *sibi*, legerunt בי *bi*, id est *mihi*, sive *in me*, aut *contra me* : hebraice enim *sibi* et *mihi* similia sunt. Denique pro ואשר, quod significat *et qui*, legerunt Septuaginta האשר, quod significat *numquid*. Viderint autem Hebræi utrum negligentia, an malignitate, hunc locum corruperint; certe Vulgata nostra editio cum græca editione concordat, et græca cum vera hebraica omnino consentit; necesse enim est, ut vel hebraica lectio, qualis nunc est, ob litterarum similitudinem corrupta sit, vel Septuaginta Interpretes imperitissimi fuerint. Non desunt, qui hunc versiculum ad Davidem ægrotantem, et ad sermones hominum de ejus valetudine disputantium referant. Sed ii cum Patribus omnibus repugnant, cum nimis humiliter Spiritus Sancti oracula exponunt.

Vers. 10. 10. ETENIM HOMO PACIS MEÆ, IN QUO SPERAVI : QUI EDEBAT PANES MEOS, MAGNIFICAVIT SUPER ME SUPPLANTATIONEM.

Reddit rationem, cur inimici verbum iniquum adversum se constituerint, et dicit fuisse causam ejus iniqui decreti Judæ proditionem. « Etenim, inquit, homo pacis meæ, » id est, verbum iniquum adversum me constituerunt inimici mei, quoniam « homo pacis meæ, » id est, cum quo pacem habebam, ut magister cum discipulo et cum servo dominus; et homo « in quo speravi, » id est, in quo tanquam in amico et familiari confidere poteram. « Qui edebat panes meos, » id est, qui in mensa mea, ut domesticus, mecum vescebatur. « Magnificavit super me supplantationem, » id est, mirifice me supplantavit, cum per insidias inimicis me tradidit. Hunc locum Dominus ita citavit *Joan.* XIII : « Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. » In hebræo ad litteram est, *elevavit contra me calcaneum*; sed Septuaginta explicaverunt sensum : nam *levare calcaneum* contra aliquem, et illum *supplantare*, idem est. Quo loco notandum est, cum dicitur *ut adimpleatur Scriptura*, significari proditionem Judæ fuisse prædictam, et adimpletam, ut prædicta fuerat; et ideo hunc locum Psalmi non fuisse citatum a Christo, ut aliquid simile, vel commune, sed ut proprie ad hanc rem pertinentem, ut notavit S. Joannes Chrysostomus, et ideo non recte facere, qui hæc verba Psalmi ad alios sensus detorquere conantur. *Secundo* notandum est, cum S. Augustino, vocatum fuisse Judam *hominem pacis*, quoniam prævidit Propheta Christum a Juda per signum pacis, id est, per osculum fuisse tradendum : quod etiam Dominus significavit, cum illi ait : « Amice, ad quid venisti? » et : « Juda, osculo Filium hominis tradis? » Item dictum esse a Propheta, « qui edebat panes meos, » quoniam præviderat per buccellam Judæ proditionem fuisse

Locus hic de Christo proprie est interpretandus.

manifestandam. Addi potest dictum fuisse ab eodem Propheta, « in quo speravi, » quoniam præviderat Christum crediturum fuisse Judæ marsupium, quod erat confidentiæ signum; itaque prædictio cum eventu rei optime convenit. *Tertio* notandum, exprimi a Propheta miro modo hujus proditionis indignitatem : primo enim vocat Judam *hominem pacis Christi,* ut ostendat nullam intercessisse inimicitiam, nullam injuriam, nullam odii causam inter Christum et Judam; deinde addit, non solum non intercessisse causam odii, sed intercessisse causam benevolentiæ, cum addit : « In quo speravi, » quia Dominus credens Judæ loculos, signa confidentiæ, ut diximus, illi ostendebat. Denique addidit, non solum non fuisse inimicum, nec solum fuisse amicum, sed etiam intimum familiarem, et maximis beneficiis affectum; nam illa ipsa nocte qua Christum tradidit, non solum panem communem in mensa Christi comederat, sed etiam panem cœlestem ac divinissimum; et ante cœnam idem Christus pedes illi humiliter laverat, et per hoc exempla summæ charitatis atque humilitatis ostenderat.

Vers. 11. 11. TU AUTEM, DOMINE, MISERERE MEI, ET RESUSCITA ME, ET RETRIBUAM EIS.

Precatur nunc Patrem, et per modum precationis prædicit, quod futurum erat : vere enim post resurrectionem suam retribuit Judæis excidium, quod merebantur. « Tu autem, Domine, inquit, miserere mei, et resuscita me, » id est, illi quidem verbum iniquum statuerunt contra me, et discipulo meo supplantante et prodente, interficient me; sed « tu, Domine, miserere mei, » in cruce morientis, et paulo post « resuscita me; » et tunc retribuam eis quod merentur. Precatur autem Filius Patrem, non quod ipse ut Verbum Patris carnem suam resuscitare non posset; sed quia loquitur in forma servi, defert Patri, cui in forma Dei æqualis erat; alioqui ipse idem dixit *Joan.* II : « Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud : hoc autem dixit de templo corporis sui; » et *Joan.* X : « Potestatem habeo ponendi animam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Quid vero Christus Judæis retribuerit post resurrectionem suam, notum est omnibus, qui ab eo tempore vident Judæos de terra sua eradicatos, dispersos esse inter gentes, sine rege, sine sacerdote, sine Deo vagari. Quod illis prædixerat Dominus, quando ait : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus; » et alibi : « Relinquetur vobis domus vestra deserta; » et alibi : « Non relinquent in te lapidem super lapidem, » *Matth.* XXI et XXIII, et *Luc.* XIX.

Christus homo defert Patri.

Vers. 12. 12. IN HOC COGNOVI, QUONIAM VOLUISTI ME, QUONIAM NON GAUDEBIT INIMICUS SUPER ME.

Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque inde posse cognosci, quod « non gauderet inimicus de morte ejus. » Quod quidem in Juda impletum est, qui ante se ipse suspendio necavit, quam Christus moreretur, et quam ipse pretio proditionis suæ frui posset. Potest tamen hoc etiam referri ad reliquos inimicos ejus, qui tam brevi tempore gavisi sunt, ut dici possint non esse gavisi.

Vers. 13. 13. ME AUTEM PROPTER INNOCENTIAM SUSCEPISTI, ET CONFIRMASTI ME IN CONSPECTU TUO IN ÆTERNUM.

Docet inimicos non diu gavisuros de morte sua, quoniam a Deo susceptus et exaltatus ob innocentiam suam fuerit. « Me autem, inquit, propter innocentiam, » tibi optime notam, « suscepisti, » de manibus eorum, « et confirmasti me in conspectu tuo in æternum, » id est, humiliasti me ad horam in conspectu hominum, sed « suscepisti et confirmasti me in conspectu tuo, » id est, stare fecisti ante conspectum tuum in cœlo usque in æternum : vox enim ותציבני significat *statuisti ante conspectum tuum;* quod factum est per exaltationem et assumptionem in cœlum.

Vers. 14. 14. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL A SÆCULO, ET USQUE IN SÆCULUM : FIAT, FIAT.

Ista conclusio, sive Christi sit, sive Prophetæ, nihil aliud significat, nisi propter exaltationem Christi, et confusionem inimicorum ejus, deberi honorem et gloriam, « et benedictionem Deo ab æterno et usque in æternum, » id est, sine fine. Illud autem, *fiat, fiat,* hebraice autem אמן אמן, *amen, amen,* confirmatio est dictorum, ut sensus sit : vere, seu fideliter ita sit, sive ita fiat, ut semper Deo laus et gloria deferatur. Atque hic est finis libri I secundum Hebræos, qui Psalterium in quinque libros distribuerunt.

LIBER II PSALMORUM

SECUNDUM HEBRÆOS,

USQUE AD PSALMUM LXXII.

De filiis Coræ. — Cora, pronepote Levi, principe conjurationis contra Mosen, a terra absorpto (*Num.* XVI), servati fuerunt filii ejus tres (*ibid.* XXVI, 11). Ex horum posteris fuerunt quidam cum aliis Levitis a Davide ad decantandum sacros hymnos constituti, et inter eos Heman, præcipuus cantorum princeps (I *Paral.* VI, 33 seqq. IX, 19; XXVI, 1; II *Paral.* XX, 19). His undecim Psalmi inscripti leguntur; sed incertum est, an ideo, quod ipsi eorum Psalmorum auctores sint, an quod solum per eos fuerint decantati. Prior sententia nobis præplacet, ob rationes sequentes : *a*) Si ab aliis dictati essent hi Psalmi, alicubi auctorum nomina legerentur adscripta, sicut supra *Psalm.* XXXIX titulum habet *Ieduthuni, carmen Davidis,* ut per ordinem Jeduthuni decantatum, et a Davide agnoscas editum. *b*) Auctor lib. I *Reg.* IV, 31, volens prædicare sapientiam Salomonis, qui spiritu carmina pangendi fuerit præditus, confert eum nominatim Ethani, Hemani, Calcal et Dardæ : hinc satis aperte colligitur, Hemanem, Coraitam, aliosque Coraitas, quos Davides sacris præfecerat cantionibus, eodem spiritu valuisse. *c*) Denique quotquot inter Psalmos Coraitarum præscriptum habent nomen, a Davidicis carminibus tum stylo concitatiori, tum quibusdam locutionibus et dictionibus, tum frequentiori usu nominis *Elohim* pro *Jova* differunt. Porro, admissa hac sententia, insuper tenendum est, filios Coræ in multis suis Psalmis non tam sua ipsius, quam sub Davidis potius persona canere.

PSALMUS XLII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, intellectus filiis Core.*

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei :

In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.

6. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, 7. et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est; propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

V. S. H. — *Victori doctissimo* [*h. erudito*] *filiorum Core.*

Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum : sic anima mea præparata [*h. desiderat*] ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem [al. *fontem*] viventem : quando veniam, et parebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes per diem ac noctem, cum diceretur mihi tota die : Ubi est Deus tuus?

Horum recordatus sum, et effudi in me animam meam, quia veniam ad umbraculum.

Tacebo usque ad domum Dei in voce laudis et confessionis, multitudinis festa celebrantis.

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me?

Exspecta Deum, quia adhuc confitebor ei salutaribus vultus ejus.

Deus meus, in meipso anima mea incurvatur: propterea recordabor tui de terra Jordanis et Hermonim de monte minimo.

8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.
Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.
Apud me oratio Deo vitæ meæ.

10. Dicam Deo : Susceptor meus es.
Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.
Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus?

12. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

Abyssus abyssum invocat, in [*h. ad*] vocem cataractarum tuarum : omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt.

Per diem mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte canticum ejus mecum : oratio Deo vitæ meæ.

Dicam Deo : Petra mea [*h. El salei*, quod interpretatur, *Deus petra mea*, et est unum de nominibus Dei], quare oblitus es mei : quare tristis incedo, affligente inimico?

Cum me interficerent [al. *interfecerint*] in ossibus meis, exprobraverunt mihi hostes mei, dicentes ad me tota die : Ubi est Deus tuus?

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me : exspecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei, salutaribus vultus mei et Deo meo.

Argumentum. — Maurero arridet hodiernorum sententia Psalmum esse elegiam sacerdotis, fortasse summi (vers. 5), qui exsul procul a sacris versaretur inter barbaros. Sed nil impedit quin eam Davidicis temporibus, ipsoque Davidi Hierosolymis profugo, orta seditione filii Absaloni, referamus. Cf. II *Sam.* VI, 14-5 XV, 26; XVII, 22 seqq. Quæ Davidis fuga occasioni fuisse videtur Coraitis, ut plures Psalmos, v. g. *Ps.* LXXXIV, hac de re componerent, in quibus regis summopere afflicti questus et preces exprimerent, atque ea carmina vel ipso illo tempore, vel postmodum, in illarum calamitatum memoriam, inter sacra decantarent. Strophæ duæ : vers. 2-6, ardentissimum quo flagret desiderium sacrorum; vers. 7-12, quæ patitur, adversariorum ludibrium et afflictio. Cf. argumentum Psalmi seq.

1. Præcentori, carmen Coraitarum.

2. Quemadmodum cerva desiderat rivos aquarum,
sic anima mea desiderat te, Deus.
3. Sitit anima mea Deum, Deum vivum;
quando veniam et comparebo coram facie Dei?
4. Sunt mihi lacrymæ meæ cibus die noctuque,
dum dicunt ad me quotidie : « Ubinam est Deus tuus? »
5. Illud reminiscor, et effundo animam meam in me,
quod incedebam in (alii, *cum*) densa turba,
lente ducebam eos ad domum Dei,
cum voce jubili et laudis,
multitudinem festum agentem.
6. Quid te deprimis (deprimeris), anima mea,
et infremis in (seu *apud*) me?
Spera *in* Deum, nam adhuc celebrabo eum,
salutem faciei meæ, et Deum meum.

7. In me anima mea deprimitur :
ideo reminiscor tui de terra Jordanis,
et *de* Hermonibus, de monte Mizar.
8. Fluctus fluctum advocat ad strepitum cataractarum tuarum;
omnes fluctus tui et undæ tuæ super me transeunt.

9. Interdiu demandat (ad me) Jova gratiam suam (quasi famulam),
et noctu canticum ejus mecum *est*,
hymnus ad Deum vitæ meæ.
10. Dicam Deo petræ meæ :
« Quare oblitus es mei?
quare atratus (lugens) incedo opprimente hoste? »
11. Cum contritione in ossibus meis conviciantur me adversarii mei,
cum dicunt ad me quotidie : « Ubi est Deus tuus? »
12. Quid deprimeris, anima mea,
et infremis in me?
spera *in* Deum, nam adhuc celebrabo eum,
salutem faciei meæ, et Deum meum.

NOTÆ.

Vers. 2. *Desiderat* : Rosenmullerus, *glocitat* sitibunda. — Vers. 3. *Facie Dei*, in sacro tabernaculo. — Vers. 4. Cf. Ovid. *Metamorph.* lib. X, 288 :

Cura dolorque animi lacrymæque alimenta fuere.

— Vers. 5. Non sine lacrymis vates illud tempus memorat, quo ipsi licuerit sacris Jovæ interesse. *Illud*, scil. *quod*, vel *quomodo*. *Effundere animam* est non coercere animi affectus, dolori laxare habenas. *Lente ducebam eos*, propr. *lente incedebam iis*. *Multitudinem* appositione cohæret cum *eos*. *Festum agentem* : cogitat vates de solemni pompa ipso duce ad templum procedentium. Nonnulli *illud*, sub versus initio, ad insultationes improborum referunt.— Vers. 6. *Salutem* τῷ *eum* apponitur. *Meæ* : ita legendum cum veteribus. Sensus : *Salutem* in quam semper prospicio, quæ semper mihi ante oculos est. Ewaldus *faciei* interpretatur *capitis*, i. e. in maximis periculis. — Vers. 7. *Ideo*, propter nexum. Alii, *propterea quod*. *Hermonibus*, in plurali, ut Alpes, Apennini, quia montana sunt, non unicus mons, sed longe exporrecta montium juga. In montium illorum radicibus erant Machanaim, ubi commoratus est Davides in exilio Absalonico, II *Sam.* XVII, 24. — Vers. 8. *Fluctus*, etc. i. e. calamitas calamitatem sequitur. Ut in fluminibus torrentibusve non ante prior gurges defluxit, quam alter influat, adeo ut prior sequentem, ut veniat, vocare, et sequens priori, quasi advocatus, occurrere videatur : ita noster queritur calamitatibus et ærumnis tam multis premi, ut finis nullus esse videatur, sed aliæ nascantur ex aliis, et uni recedenti succedat altera. *Ad strepitum*, strepentibus cataractis, etc. Huic ærumnarum quibus prematur vates, imagini, cæteroquin valde usitatæ, haud improbabile est occasionem dedisse montium factam mentionem vers. 7.— Vers. 9. *Interdiu* et *noctu* ad utrumque membrum pertinent, hoc sensu : *continuo*. *Canticum*, cantici materia et causa. *Hymnus*, puta gratiarum et laudis; alii, *precatio*. *Vitæ meæ* tum auctorem, tum servatorem. — Vers. 10. *Petræ*, qui est petra mea. — Vers. 11. *Cum contritione*, i. e. tanquam si ossa mea frangerentur, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLI

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, intellectus filiis Core.

Admonitio cantoribus Ecclesiasticis memoriæ commendanda.

Titulus admonet filios Core, quibus dabatur Psalmus cantandus, ut intelligant quæ canunt, ut et auditores intelligere faciant : quæ admonitio cantoribus Ecclesiasticis memoriæ commendanda est : cantus enim in Ecclesia spiritui deservire debet, et non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter et devote canunt, animos audientium rapiunt in Deum, ita qui theatrales modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei scenam mundi faciunt. Vide S. Hieronymum in cap. V *ad Ephes.* Argumentum Psalmi aliqui esse volunt, quod David exsul tempore Saulis queratur, se non posse ter in anno in Jerusalem ad festa Domini accedere; sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Jerusalem, sed in Silo, et ad eum locum ibant ter in anno Israelitæ. Præterea tam ingens desiderium, quale hoc loco exprimitur, non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum et arcam ligneam. Propterea Psalmi argumentum esse putamus, ut SS. Patres Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus docent, quod David

amore divino succensus exprimere conatur vehemens desiderium, quo tenebatur, perveniendi ad visionem Dei, quæ est vera et sempiterna felicitas, cum tamen inter tentationes et pericula peregrinationis viveret. Sed dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet quæ sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS AD FONTES AQUARUM, ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE, DEUS.

Amor est igneæ naturæ.

Amor res est igneæ naturæ, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba et suspiria foras erumpit. David igitur, ut amorem suum aliquo modo exprimat, comparat se servo sitibundo, dicens: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, » videlicet pervenire, « ita desiderat anima mea *pervenire* ad te, Deus; » quæ aptissima similitudo est; cervus enim quatuor habet qualitates: primum, inimicissimus est serpentibus, atque cum eis perpetuum bellum gerit; deinde, cum a venatoribus quæritur, ad montes altissimos velocissimo cursu confugit; tum mandatum illud Apostoli *Galat.* VI: « Alter alterius onera portate, » ab instinctu quodam naturæ observat: nam, ut scribit S. Augustinus, tum hoc loco, tum serm. 21 *De verbis Apostoli*, traduntur cervi, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere; denique si quando vel ex pugna cum serpentibus, vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel natando fatigatur, ardentissime sitire solet aquas, neque ab eis inquirendis ulla, vel tenetur amœnitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam et cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit; et cum tentationibus, vel persecutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, et infirmorum molestias patienter tolerat, sed præcipue summo desiderio Deum sitit, neque ulla terrena felicitate, vel adversitate impeditur, quominus ad Deum semper anhelet. Talis erat David, quamvis miles; talis Paulus, talis Petrus, tales apostoli cæteri et martyres, tales omnes qui exilium agnoscentes, sive per prospera, sive per adversa gradientes cursum ad patriam nunquam relaxabant.

Quatuor cervi qualitates.

Amor Dei qualis?

Vers. 2. 2. SITIVIT ANIMA MEA AD DEUM FORTEM VIVUM: QUANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM DEI?

Tria amorem conciliant, quæ in Deo eminent.

Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quæ amorem, ac per hoc sitim et desiderium accendere solent, pulchritudo, beneficia et amor; nam et res pulchræ amari se quodam modo cogunt, et qui beneficia præstant, ad se amandos provocant, et qui amant redamari merentur. Sed si hæc tria in unum conveniant, id est, si persona aliqua pulcherrima et nobilissima, te summis et quotidianis afficiat beneficiis, et eumdem te maximi faciat, teque ardentissime amet, quomodo non vehementissimam in tuo pectore flammam amoris accendet? Hæc igitur tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, id est, amore et desiderio ejus ardere se dicit. « Sitivit, inquit, anima mea ad Deum, » id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, præstantissimam, quæ bona omnia in se una complectitur. *Fortem*, id est, ad rem non fluxam et caducam; sed stabilem, permanentem, æternam. *Vivum*, id est, ad rem operantem, intelligentem, amantem, quæ nos continuis beneficiis afficit, quæ nos magni facit, quæque nos incredibili amore diligit. Hæc ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere: « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » id est, quando finis erit peregrinationis; quando initium fruitionis? Ex hebræo clarius verti posset: *Quando veniam et videbo faciem Dei?* id enim solum est, quod sitim animæ rationalis explere potest.

Vers. 3. 3. FUERUNT MIHI LACRYMÆ MEÆ PANES DIE AC NOCTE, DUM DICITUR MIHI QUOTIDIE: UBI EST DEUS TUUS?

Qui vere et intime cogitat tria quæ diximus, videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum, et omnia quæ nos habemus ab illo, ut a fonte manare, et eumdem ipsum tanti nos æstimare, atque ita nos diligere, ut Filium suum unigenitum pro nobis dederit: fieri non potest, quin lacrymis desiderii opprimatur, dum visio tanti boni differtur. David igitur, qui ista serio contemplabatur, recte adjungit: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, » id est, lacrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies et noctes, id est, toto tempore hujus peregrinationis, vel per dies prosperitatis et noctes adversitatis; nam renuit anima consolari terrena felicitate, nec minus renuit contristari terrena adversitate; sed utroque tempore lacrymæ meæ fuerunt mihi cibus et potus, « dum dicitur mihi quotidie » ab impiis et incredulis: « Ubi est Deus tuus ad quem sitis? cui suspiras? cur diligis, quem non vides? sed posset etiam sic exponi, *dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus,* » id est, dum quotidie per circuitum omnia lustro quærens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, a cogitatione mea: « Ubi est Deus tuus? » hæc enim omnia quæ contemplando perlustrasti, opera sunt Dei, pulchra quidem omnia, sed non sicut Deus tuus. Ubi est igitur Deus tuus? ubi quæres, ut invenias? Quando venies, et videbis faciem Dei tui?

Vers. 4. 4. HÆC RECORDATUS SUM, ET EFFUDI IN ME ANIMAM MEAM, QUONIAM TRANSIBO IN LOCUM TABERNACULI ADMIRABILIS, USQUE AD DOMUM DEI.

Pergit in explicando desiderio suo: «Hæc, inquit, recordatus sum,» quæ dicta sunt de inquisitione Dei, «et effudi in me animam meam.» Hæc effusio tribus modis accipi potest. *Primo*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, evacuavi apud me animam meam omni terrena delectatione, ut intraturus tabernaculum admirabile et ipsam domum Dei, implerem eam delectationibus Domini mei. *Secundo*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, dilatavi animam meam, extendi desiderium meum, ut capax esset tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili, ubi est ubertas indeficiens domus Domini. *Tertio*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, effudi super me animam meam, transcendi contemplando ipsam animam, quomodo dicitur *Thren.* III, 28: «Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levabit supra se.» Vere enim nulla est in hac peregrinatione scala aptior ad attingendum aliquo modo tabernaculum admirabile et ipsam domum, ubi videtur Deus, quam anima nostra quæ est imago Dei: ipsa enim est sublimior cœlo et profundior abysso; et qui animam suam contemplari novit, ac deinde eam transcendere, et per eam ad exemplar ascendere didicit, is pertransibit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ac, ut breviter hunc ascensum attingamus, anima spiritus est, ac per hoc longe transcendit omnia corpora: sic igitur et Deus spiritus est et spirituum corporumque creator; proinde longe transcendit, non solum corpora, sed etiam spiritus. Deinde anima simplex et indivisibilis cum sit, tamen in toto corpore est, et in singulis partibus tota, omnia membra replens, et nullum occupans locum: sic igitur et Deus unicus et simplicissimus, atque indivisus est, et tamen mundum totum et res creatas omnes replet, ubique totus, ubique præsens, nusquam inclusus. Tertio, anima non movetur in corpore, et totum corpus portat, movet, regit, vivificat atque sensificat, quod in morte cognoscitur: anima enim recedente, corpus continuo cadit, et motum, sensum, speciem et quicquid habebat boni in momento amittit: quod autem est anima corpori, id est rerum universitati Deus, non quod proprie Deus sit anima mundi, ut philosophi quidam sensisse videntur; sed quod similitudinem animæ habere videatur: ipse enim immobilis in se manens, «portat omnia verbo» virtutis suæ, «et in eo vivimus, movemur et sumus.» Quarto, anima intelligens est, et tota intellectus quidem est, eminenter continens cognitiones omnium sensuum, et multa præterea cognoscit, ad quæ sensus corporis nullus attingit: sic Deus totus intellectus est, eminenter continens cognitiones omnium hominum et angelorum, et infinita præterea, quæ intelligentiam nostram superant. Quinto, anima non solum theorice multa intelligit, sed etiam practice, atque inde existunt opera ingenii humani plane admirabilia in variis artibus, in ædificiis, hortis, fontibus aliisque id genus plurimis, ut sæpe opera artis humanæ cum operibus naturæ contendere videantur: sic etiam Deus non solum theorice, sed etiam practice intelligit, et sine instrumentis, sine labore, et sine spatio temporis, solo nutu atque imperio voluntatis condidit universa. Sexto, anima liberum habet arbitrium, atque inde ad nutum movet corporis membra: sic Deus liberrime dominatur rebus omnibus creatis; unde David ait *Psal.* CXVIII: «Omnia serviunt tibi.» Neque solum anima imago Dei est, quoad essentiam, sed etiam (quamvis obscurius, quoad personarum trinitatem: nam in anima est mens intelligens, quasi Pater; est notitia producta, quasi Verbum Patris: est et amor a mente per notitiam productus, quasi Spiritus. Est etiam in anima fecunditas memoriæ, est intellectus et voluntas, quæ tres divinas personas utcumque repræsentant. Anima igitur supra seipsam effunditur, seque ipsam transcendit contemplando, ut transire possit ad tabernaculum admirabile; ideo subjungit Propheta: «Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.» Per locum tabernaculi admirabilis, intelligimus cœlestem Jerusalem, quæ est tabernaculum non manufactum, æternum in cœlo, ubi est domus Dei, de qua dixit in *Ps.* XXVI: «Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. «S. Hieronymus ex hebræo vertit *tacebo*, pro eo quod nos habemus, *admirabilis*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt אדרם, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legerunt אדרת, quod significat *admirabilis*, et differentia solum est in duabus litteris similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas litteras in alias similes, et credendum est Septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos meliores quam nos habeamus. Alioqui non potuissent vertere *admirabilis*, pro *silebo*, nisi imperitissimi fuissent.

Anima hominis scala qua Deus attingitur.

Anima in quibus Deo nos similes reddat.

Anima habet liberum arbitrium.

Trinitatis sanctissimæ imago in anima.

5. IN VOCE EXULTATIONIS ET CONFESSIONIS, SONUS EPULANTIS. Vers. 5.

Declarat Propheta, in illa sua exstasi, qua effudit supra se animam suam, et contemplando pertransivit ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, non pertransivisse tacitum, sed exultabundum et laudabundum admiratione. «In voce, inquit, exultationis et confessionis,» adde, pertransibo in locum tabernaculi admirabilis, id est, pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis et confessionis, laudis videlicet conditoris illius tabernaculi, quæ vox erit sonus epulantis, id est, vox læta et festiva, quales au-

diuntur in solemnibus et festivis, ac nuptialibus epulis. Neque enim potest animus contemplantis erigi ad considerandam gloriam cœlestis Jerusalem, sine admiratione et exultatione maxima. Quod attinet ad verba, illud *sonus* in græco est casus genitivi; et S. Augustinus legit *soni*, ex quo fieri potest ut noster Interpres posuerit *sonus*, pro *sonitus*, genitivi casus; sed potest etiam fieri ut significare voluerit, vocem exultationis et confessionis fuisse *sonum epulantis*. In hebræo, pro *sono*, habetur המון *hamon*, quod S. Hieronymus vertit, *multitudinis*; sed vox illa hebraica utrumque significat, *sonitum* et *multitudinem*. Illud autem *epulantis*, tam in hebraico textu, חוגג *chogeg*, quam in græco, ἑορτάζοντος, *festa celebrantis*, et sic etiam legunt Augustinus et Euthymius. Sed videtur latinus Interpres declarare voluisse quale festum illud esset, et dixisse « epulantis, » id est, festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica et cantica amatoria, et habetur vox *epulantis* in Commentario S. Hieronymi in hunc locum, ne quis existimet recens irrepsisse in editionem Vulgatam.

Vers. 6. 6. QUARE TRISTIS ES, ANIMA MEA, ET QUARE CONTURBAS ME?

Vers. 7. 7. SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI, SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS.

Ex illa mentis elevatione et gaudio spirituali consolatur lacrymas suas, dicens : « Quare tristis es, anima mea? » id est, quare lacrymæ tuæ sunt tibi panes die ac nocte, « dum dicitur tibi : Ubi est Deus tuus? quare » tam incessabili fletu « conturbas me? Spera in Deo, » id est, quamvis Deum non videas, quem tu ardenter videre cupis, tamen spera in eo, « quoniam adhuc confitebor illi, » id est, quia nondum tempus præteriit, adhuc erit, quando præsens laudabo Deum, et confitebor misericordias ejus, et dicam illi : « Salutare vultus mei et Deus meus, » id est, tu salus es vultus mei, dum illuminas fulgore tuo vultum meum, et facis ut videat facies mea faciem tuam, et cognoscam sicut et cognitus sum, et ex clara notitia dicam : « Tu es Deus meus. » In hebræo habetur, ut etiam S. Hieronymus vertit : *Salutes vultus ejus, Deus meus ad me ipsum*, etc.; sed manifeste corruptus est hoc loco textus hebraicus, et una littera, videlicet *vau*, non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Id quod ex repetitione horum verborum, quæ habentur in fine hujus Psalmi, et in fine Psalmi sequentis perspicuum est. Itaque non est legendum, פני אלהי, ut hic legitur, sed פני ואלהי, ut legitur in repetitione; et vera lectio hebraica ad verbum hæc est, *salutes vultus mei, et Deus meus*. Dicit autem *salutes* in numero multitudinis, non *salus*, vel *salutare*, quia, licet una sit *salus* nostra, tamen ea multa bona continet, quæ etiam *salutes* dici possunt.

8. AD ME IPSUM ANIMA MEA CONTURBATA EST; PROPTEREA MEMOR ERO TUI DE TERRA JORDANIS, ET HERMONIIM A MONTE MODICO. Vers. 8.

Exponit vicissitudines tristitiæ et consolationis suæ : tristitiæ, ex metu et periculis hujus vitæ; consolationis, ex spe et promissione futuræ. Dicit igitur : « Ad me ipsum anima mea conturbata est, » id est, quamvis dixerim animæ meæ : « Spera in Deo, » tamen anima mea ad me ipsum respiciens, ad infirmitatem meam, ad modicum lumen et modicas vires quæ in me sunt, timore magno concutitur, et eo terrore conturbat me. « Propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico, » id est, propterea, ut huic terrori et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam; et ab hoc Jordane, quem video in hac terra, « memor ero tui, » id est, memor ero fluminis, quod lætificat civitatem tuam, et torrentis voluptatis tuæ, quo potantur, qui apud te sunt; et ab hoc monte modico, qui dicitur *Hermoniim*, quem ante oculos habeo, « memor ero montis sancti tui, » in quo habitas cum sanctis angelis tuis, et ex hac memoria consolabor animam meam et desiderium meum. Quis proprie sit mons Hermoniim, et an diversus sit a monte Hermon, non omnino liquet : tamen verisimile est esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam, et S. Hieronymus in *Vita S. Paulæ* distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem amplissimum, et Hermoniim hoc loco dicitur esse modicus. Fortasse igitur Hermoniim erat mons aliquis in Galilæa non longe a Jordane, cum David hæc duo conjungat

Hermoniim mons quis sit dubitatur.

9. ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT, IN VOCE CATARACTARUM TUARUM. Vers. 9.

10. OMNIA EXCELSA TUA, ET FLUCTUS TUI SUPER ME TRANSIERUNT. Vers. 10.

Pergit narrare tentationes et afflictiones hujus vitæ, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnum diluvium, quod fuit tempore Noe. « Abyssus, inquit, abyssum invocat, » id est, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et alia transeunte alia supervenit, quasi a priore vocata; venerunt autem istæ magnæ inundationes « in voce cataractarum tuarum, » id est, in strepitu et sonitu apertionis cataractarum cœlestium, unde aquarum inundatio descendebat. « Et omnia excelsa tua, » id est, omnes gurgites altissimi, et « omnes fluctus tui super me transierunt, » id est, omnis illa inundatio, et universum diluvium super me venit. Alludit, ut dixi, ad diluvium generale, in quo « cataractæ cœli apertæ sunt, » id est, tam ingens pluvia descendit, ac si cataractæ aliquæ in cœlo apertæ fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset : et ex ea inundatione facta est abys-

sus, id est, maxima aquarum altitudo et profunditas. Sed hæc metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes, et pericula, quibus divina Providentia sinit exerceri electos suos. Horum autem periculorum magnitudinem soli spirituales viri, qualis erat David, intelligunt, qui norunt multiformes insidias diaboli, et sciunt quanti referat excidere a gratia Dei : atque hæc videtur esse litteralis expositio, quamvis repudiandæ non sint piæ nonnullorum expositiones, qui volunt, *abyssus abyssum invocat*, significare : Abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ divinæ. Item, abyssus humanæ malitiæ invocat abyssum divinæ justitiæ. Item, abyssus secretorum Testamenti veteris invocat abyssum arcanorum Testamenti novi. Item, abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiæ Dei, qui scrutatur renes et corda. Illud solum addendum est, per vocem *invocat* non significari *implorat*, sed *vocat*, ut ex hebræa voce colligitur : est enim sensus, *abyssus abyssum vocat*.

Vers 11. 11. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Redit ad vicissitudinem consolationis, post narratam, et miro modo amplificatam magnitudinem tentationis : « In die, inquit, mandavit Dominus misericordiam suam, » id est, postea quam transierunt inundationes aquarum, et horrendæ illæ abyssi, in die prosperitatis « mandavit, » id est misit « Dominus misericordiam, » consolantem et visitantem. « Et nocte canticum ejus, » id est, sed tempore nocturno, tempore, videlicet, tentationis et tribulationis, non cessabit canticum ejus, id est, oratio, et gratiarum actio illi oblata. Id quod clarius explicatur in sequenti versiculo.

Vers 12. 12. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo : Susceptor meus es.

Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius quam oris. « Apud me, inquit, oratio Deo vitæ meæ, » id est, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitæ meæ; cui cum fide et fiducia dicam : « Susceptor meus es, » id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsum eriges.

Vers. 13. 13. Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Miratur vicissitudines divinæ providentiæ in servis suis gubernandis, quasi dicat : Cum tu Deus vere susceptor meus sis, « quare oblitus es mei, » id est, unde hoc accidit, ut tentationes et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis et fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, « ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus, » cum tu sis protector meus et adjutor meus?

Vers. 14. 14. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Vers. 15. 15. Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Vers. 16. 16. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente et spectante, qui susceptor meus es; sed etiam « dum confringuntur ossa mea, » id est, dum ad summam debilitatem et infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim, « exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me, » dum assidue mihi dicunt : « Ubi est Deus tuus? » id est, illi ipsi, qui me persequuntur et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim : dicunt enim : « Ubi est Deus tuus, » quem tu adjutorem et protectorem tuum esse jactabas? Sic legimus exprobratum Tobiæ : « Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? » et infra : « Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt, » *Tob.* II. Sic etiam Christo exprobratum legimus *Matth.* XXVII : « Confidit in Deo, liberet eum si vult. » Sic igitur, et Davidi in tribulatione posito, exprobrabant increduli hostes ejus; sed is tamen, quamvis ad horam turbatus et contristatus, se ipse reprehendebat et dicebat : « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus; » quæ sunt explicata in expositione vers. 6 et 7.

PSALMUS XLIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Psalmus David.*

1. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

2. Quia tu es, Deus, fortitudo meo, quare me

V. S. H.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta [*h. immisericorde*], a viro doloso et iniquo salva me.

Tu enim es, Deus, fortitudo mea, quare pro-

repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

5. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

jecisti me? quare tristis incedo, affligente inimico?

Mitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa ducent me : introducent me ad montem sanctum tuum, et ad tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exsultationis meæ, et confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

Quare incurvaris, anima mea, et quare conturbas me? exspecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei, salutaribus [al. *salutibus*] vultus mei et Deo meo.

Argumentum. — Ita hic Psalmus et argumento et ipsa dictione cum superiore convenit, ut pars illius et tertia stropha, potius quam novus Psalmus putandus sit, præsertim quum intercalationem eamdem repetat ad calcem, quam superior in medio et ad extremum habet. Quid, quod in codd. 37 a Kennicotto citatis, novemque a de Rossio inspectis, hic Psalmus cum XLII ita conjunctus sit, ut unum continuum carmen efficiant. Stropha una : rogatio pro liberatione ab hostibus et ad templum reditu.

1. Judica me, Deus,
et age causam meam contra gentem non benignam.
A viro fraudis et pravitatis eripe me.
2. Nam tu es Deus præsidii mei : quare me respuisti?
Quare pullatus incedo opprimente hoste?
3. Mitte lucem (opem) tuam et veritatem tuam; eæ ducant me,
et perferant me ad montem sanctum tuum et ad habitationes tuas.
4. Ut adire liceat aram Dei,
Deum lætitiæ meæ, exultationis meæ,
et celebrem te cithara, Deus, mi Deus.
5. Quid deprimeris, anima mea,
et infremis in me?
Spera *in* Deum, nam adhuc celebrabo eum
salutem faciei meæ, et Deum meum.

NOTÆ.

Vers. 2. *Contra,* propr. *præ,* ut stet mea causa. *Non benignam,* impiam; Græci dicunt ἀνόσιος. — Vers. 4. *Aram,* cum hostiis eucharisticis, qualia offerre solebant liberati e magnis periculis.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David.

Hunc Psalmum, qui sine titulo est apud Hebræos, et apud Græcos et Latinos nihil habet in titulo, nisi *Psalmus David,* et est quasi appendix, vel potius epitome Psalmi superioris, brevissime declarabimus. Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe futuræ beatitudinis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. JUDICA ME, DEUS, ET DISCERNE CAUSAM MEAM DE GENTE NON SANCTA, AD HOMINE INIQUO ET DOLOSO ERUE ME.

Videtur David oppressus fuisse, vel a rege Saule, vel tentatus graviter a dæmonibus, a quibus cum non posset refugium habere ad homines, Deum judicem appellat. Ait igitur : « Judica me, Deus, » id est, tu Deus, esto judex meus; non enim habeo ad quem pro justitia confugiam, nisi ad te. In græco habetur clarius, κρῖνόν μοι, *judica mihi*, id est, sis mihi judex. « Et discerne causam meam de gente non sancta, » id est, dijudica causam, quæ mihi intenditur a gente non sancta. In hebræo et græco est pulchra allusio nominis ad verbum : hebraice enim habetur, ריבה ריבי *riba, ribi*; græce autem δίκασον τὴν δίκην, quomodo si nos diceremus, *litiga litem meam*, vel *judica judicium meum;* et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis : Unus, ut petat a Deo, ut non solum sit judex, sed etiam patronus, quasi dicat : « Judica me, » et, « litiga litem meam; » alter, ut declaret quod dixit : « Judica me, » per verba sequentia, « discerne causam meam, » id est, cognosce causam, et judica judicium meum, proferens justam sententiam ad meum favorem. Vocat autem *gentem non sanctam*, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox hebraica manifestat, quæ proprie significat hominem sine misericordia, et patet etiam ex sequentibus : « Ab homine iniquo et doloso erue me; » id est, sic judica causam meam, ut per hoc judicium liberes me ab homine iniquo et doloso, id est, a quovis homine iniquo et doloso, vel certe ab aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat princeps gentis non sanctæ, a quo ipse affligebatur.

Vers. 2. 2. QUIA TU ES, DEUS, FORTITUDO MEA; QUARE ME REPULISTI, ET QUARE TRISTIS INCEDO, DUM AFFLIGIT ME INIMICUS?

Hic versiculus est fere idem cum versiculo duodecimo Psalmi superioris, et eumdem habet sensum, id est, cum tu, Deus, « sis fortitudo mea, » et ego in tuo adjutorio unice confidam, unde fit ut me repulisse videaris, et ego tanquam a gratia repulsus tristis incedam, « dum affligit me inimicus? » Itaque est quædam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua.

Vers. 3. 3. EMITTE LUCEM TUAM ET VERITATEM TUAM : IPSA ME DEDUXERUNT, ET ADDUXERUNT IN MONTEM SANCTUM TUUM, ET IN TABERNACULA TUA.

Ex hoc versiculo intelligimus Davidem spiritualem virum fuisse, ut dictum est in Psalmo superiore, et sollicitum fuisse de liberatione non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis æternæ vitæ. Ait enim : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam, » id est, concede mihi lucem gratiæ et misericordiæ tuæ, et veritatem, ac fidelitatem tuam : ipsa enim « me deducent » in hac periculosa peregrinatione, et « adducent in montem sanctum tuum, » ubi cœlestis est Jerusalem, « et in tabernacula tua, » id est, in ipsam domum tuam, ubi sunt multæ mansiones, et multa tabernacula pro electis tuis. Per lucem et veritatem S. Augustinus intelligit Christum, qui est lux et veritas. Sed videtur obstare illud pronomen, *ipsa*, cum dicitur, *ipsa me deduxerunt*, quod habetur expresse in textu hebraico et græco in numero multitudinis. Præterea similis est hæc locutio ei quæ habetur in *Psalm.* LVI : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, » et familiare est Davidi per lucem intelligere gratiam, sive misericordiam, ut *Psalm.* LXVI : « Deus misereatur nostri, et benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. » Illa vero, *ipsa me deduxerunt, et adduxerunt*, in hebraico codice habentur in futuro, *ipsa me deducent, et adducent;* et quamvis Septuaginta Interpretes et Vulgata editio habeant in præterito, tamen videtur esse positum tempus pro tempore, ut Euthymius annotavit. Sæpe enim Scriptura prophetica, quæ futura sunt, explicat per tempus præteritum ad certitudinem rerum indicandam.

Christus lux est et veritas.

Vers. 4. 4. ET INTROIBO AD ALTARE DEI, AD DEUM QUI LÆTIFICAT JUVENTUTEM MEAM.

Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei, nimirum se facturum quod cæteri faciunt, qui in domo Dei habitant, quorum munus est sacrificare sacrificium laudis : « Beati, inquit idem David *Psalm.* LXXXIII, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » « Introibo, inquit, ad altare Dei, » sacrificaturus videlicet sacrificium laudis : omnes enim, qui domum illam ingrediuntur, continuo sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, » *Apoc.* V. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo « ad ipsum Deum, » id est, coram ipso Deo apparebo, quasi in intimum ejus cubiculum introductus, « ad Deum, inquam, qui lætificat juventutem meam, » id est, qui lætificat novam meam juventutem. Nam in patria « renovabitur sicut aquilæ juventus nostra, » ut dicitur in *Psalm.* CII, et ut Apostolus ait *ad Ephes.* IV : « Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. » S. Hieronymus vocem גיל *ghili* vertit *exultationem*, pro qua Septuaginta verterunt *juven-*

tutem. Sed vocabulum hoc rarissime invenitur in Scripturis; et sicut ex auctoritate S. Hieronymi credere possumus significare *exultationem*, ita auctoritate Septuaginta Interpretum credere possumus significare *juventutem*. Quod autem habetur *Daniel.* I, גלכם *ghilchem*, non significat, ut quidam scripserunt, *juventutem*, sed *similitudinem ætatis*. Sanctus enim Hieronymus pro illa voce posuit, *coævis vestris*, et ex ejus auctoritate Sanctes Pagninus in *Dictionario* suo docuit, גיל *ghil* significare *similitudinem*. Nemo igitur reprehendere potest Septuaginta Interpretes, vel editionem Vulgatam.

Vers. 5. 5. CONFITEBOR TIBI IN CITHARA, DEUS, DEUS MEUS : QUARE TRISTIS ES, ANIMA MEA, ET QUARE CONTURBAS ME?

Vers. 6. 6. SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI : SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS.

Explicat clarius quod sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, æternum in cœlis. « Confitebor, inquit, tibi in cithara, » id est, laudabo te confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tua, et laudabo non solum ore, sed etiam opere; tunc enim optime, et sine ulla discordia, vel repugnantia concordabunt cantus, et « cithara, » id est, voces et opera, quæ duo in hac peregrinatione raro perfecte concordant. Porro citharæ meminit etiam Apocalypsis, cum describit laudes Sanctorum in cœlo, *Apoc.* V : « Habentes singuli citharas in manibus; » et cap. XIV : « Et vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. » Quæ sequuntur, explicata sunt in fine Psalmi superioris.

PSALMUS XLIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, filiis Core ad intellectum.*

2. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis,

Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; afflixisti populos, et expulisti eos.

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos :

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.

9. In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitemur in sæculum.

10. Nunc autem repulisti et confudisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio, et

V. S. II. — *Victori, filiorum Core eruditio.*

Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri narraverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.

Tu manu tua gentes delesti [*h. exhæredasti*, et plantasti eos [al. *eas*]; afflixisti populos, [al. *plebes*], et emisisti eos.

Non enim in gladio suo possederunt terram, neque brachium eorum salvavit eos :

Sed dextera tua, et brachium tuum, et lux vultus tui, quia complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus Deus : præcipe salutibus Jacob.

In te hostes nostros ventilabimus : in nomine tuo conculcabimus adversarios nostros.

Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus salvabit me.

Quia salvasti nos de hostibus nostris, et eos qui oderant nos, confudisti.

In Deo laudabimus tota die, et nomini tuo in æternum confitebimur. SEMPER.

Verum tu projecisti, et confudisti nos : et non egredieris in exercitibus nostris.

Vertisti terga nostra hosti : et qui oderunt nos, diripuerunt sibi.

Dedisti nos tanquam gregem ad vorandum, et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio : nec

non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.

17. A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.

18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.

19. Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.

20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.

21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.

23. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.

24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ.

25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.

Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

grandis fuit commutatio eorum [*h. et non fœnerasti in commutatione eorum*].

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et irrisum his qui erant in circuitu nostro.

Posuisti nos similitudinem [*h. parabolam*] in gentibus, commotionem capitis in tribubus [*h. plebibus*].

Tota die confusio [al. *verecundia*] mea contra me, et ignominia faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis et blasphemantis, a facie inimici et ultoris.

Omnia hæc venerunt super nos, et non sumus obliti tui, nec mentiti sumus in pacto tuo.

Non est conversum retro cor nostrum, nec declinaverunt gressus nostri a semita tua.

Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis.

Si obliti sumus nominis Dei nostri, et expandimus manus nostras ad Deum alienum.

Numquid non Deus investigabit istud? ipse enim novit cogitationes cordis.

Quoniam propter te mortificati sumus tota die : reputati sumus ut grex occisionis.

Consurge [*h. Expergiscere*], quare dormitas, Domine? vigila, quare projicis [al. *projecisti*] nos in sempiternum?

Quare faciem tuam abscondis, oblivisceris afflictionis nostræ et inopiæ nostræ?

Quoniam incurvata est in pulvere anima nostra : adhæsit in terra [al. *terræ*] venter noster.

Surge, auxiliare nobis, et redime nos propter misericordiam tuam.

Argumentum. — In calamitatibus populi maximis, cum succumberet in multis præliis, et premeretur graviter ab hostibus, has preces fecit auctor Psalmi hujus, Coraites, quibus præmittit gloriosam commemorationem summorum beneficiorum, quæ Deus in populum judaicum contulerit; atque ita implorat opem Dei ardenter et fidenter, ut talem, nunc etiam, se Deus præbere velit populo adversus hostes suos et gentes exteras, qualem superioribus temporibus semper se ei præbuerit, cum in veræ pietatis constanti cultu atque studio eum coluerint. « Egregie falluntur, qui quæ vers. 23 dicta sunt non nisi Machabaicis temporibus congruere putant. Quæ vers. 12 habentur ostendunt, aut in exsilio compositum esse hunc Psalmum, aut, quod ob vers. 7 aliis probabilius videri possit, temporibus quæ fuerunt proxima ante exsilium, ut quibus jam magna pars Judæorum patria essent ejecti. » Hæc Maurer. Aliter Hengstenberg : Dum Davides, ait, gereret bellum in Arabia et juxta Euphraten, Edomitæ irruperunt in Palæstinam, Israelitasque plurimos tum occiderunt, tum captivos (vers. 12 : conf. I *Reg.* VIII, 46 seqq. *Amos,* I, 6, 9, etc.) abduxerunt. Hac occasione Coraites quidam hanc precationem fudit. Paulo post Davides, misso Joab adversus Edomitas, eos in Valle Salis devicit (II *Sam.* VIII, 13), tumque Psalmum LX ipse cecinit. Cæterum strophæ quinque : vers. 2-4, tu, Jova, ope tua majoribus nostris adfuisti, victricia reddidisti eorum arma; vers. 5-9, tuo adjuti auxilio nos quoque prosternimus qui nos opprimunt hostes; vers. 10-17, at tu nos deseruisti, victos quippe atque prostratos, patria ejectos, omnibus contumeliis affectos; 18-23, nec quod a te defecimus hæc mala nobis acciderunt, imo tua causa talia patimur; vers. 24-27, succurre tandem ad extremam miseriam redactis.

1. Præcentori, Coraitarum carmen.

2. Deus, auribus nostris (ipsi) audivimus,
majores nostri narrarunt nobis

facinus *quod* fecisti temporibus illorum,
in diebus priscis.
3. Tu manu tua gentes (Cananæas) expulisti (sedibus suis),
et plantasti illos (majores nostros);
afflixisti populos,
et extendisti illos (majores nostros).
4. Neque enim gladio suo occuparunt terram,
nec brachium eorum salvavit eos;
sed dextera tua, et brachium tuum, et lux faciei tuæ (favor tuus):
nam favebas illis.

5. Tu ipse (idem) rex meus *es*, Deus:
demanda salutes (auxilium) Jacobi.
6. Per te vexatores nostros ferimus (vel *feriemus*);
tuo nomine (auspicio) conculcamus insurgentes contra nos.
7. Neque enim in arcu meo fiduciam pono,
nec gladius meus servat me.
8. Sed tu salvas nos a vexatoribus nostris,
et osores nostros pudore afficis.
9. Deo gloriamur quotidie,
et nomen tuum in perpetuum celebramus.

10. Nunc autem (imo vero) rejecisti et contumelia affecisti nos,
neque exivisti cum exercitibus nostris.
11. Reverti nos fecisti retro ab oppressore,
et osores nostri prædati sunt sibi (facultates nostras).
12. Fecisti nos instar gregis mactandi,
et inter gentes dispersisti nos.
13. Vendidisti tuum populum nullo pretio,
nec multiplicasti in *statuendis* pretiis eorum.
14. Fecisti nos contumeliam vicinis nostris,
irrisionem et ludibrium *incolis* (alii, *locis;* proprie, *circuitibus*) qui circa nos sunt.
15. Fecisti nos proverbium inter gentes,
agitationem capitis inter nationes.
16. Quotidie ignominia mea coram me *est*,
et pudor faciei meæ operit me:
17. Propter vocem exprobrantis et conviciantis,
propter aspectum hostis et vindictæ cupidi.

18. Hæc omnia supervenerunt nobis, nec tamen obliti sumus tui,
nec fefellimus (perfide egimus contra) fœdus tuum.
19. Retro non cessit (a te) cor nostrum,
nec deflexit gressus noster a semita tua,
20. quod (gall. *pour que*) contrivisti nos in loco canum ferorum
et operuisti nos umbra mortis.
21. Si obliti essemus nomen Dei nostri,
et *si* expandissemus manus nostras ad deum alienum,

22. nonne Deus explorasset (ultione) hoc?
nam novit ipse recondita cordis.
23. Sed propter te occidimur quotidie,
reputamur ut grex mactandus.

24. Evigila! quare obdormis, Domine?
Expergiscere! ne rejicias *nos* in perpetuum.
25. Quare faciem tuam occultas,
oblivisceris afflictionis nostræ et oppressionis nostræ?
26. Nam depressa est anima nostra ad pulverem,
adhæret terræ corpus (propr. *venter*) nostrum.
27. Surge in auxilium nobis,
et redime nos propter bonitatem tuam.

NOTÆ.

Vers. 2. *Nobis facinus* quod : alii, *nobis : Facinus fecisti,* etc. *Facinus,* mirabilia tua in eorum gratiam, quæ mox enarrantur. — Vers. 9. *Deo gloriamur;* Ewaldus, *von Gott lobsingen*, i. e. *de Deo laudem canimus.* Aliis affix. ב laudis *objectum* indicat. — Vers. 10. אַף, gall. *quoi donc, et après cela.* — Vers. 11. *Ab,* ־ paragog. — Vers. 13. *Multiplicasti,* quod Galli dicunt *l'enchère,* seu, *vous n'avez pas été loin;* alii, *nec magni fecisti,* scil. populum; alii, *neque auxisti* res tuas *pretiis eorum : Prov.* XXII, 16. — Vers. 16. *Proverbium,* ut in proverbium inter eos abiret summe probrosa nostra conditio. — Vers. 20. Locus canum ferorum sunt terræ terrore ac sterilitate deformes, aut ab hostibus in solitudinem redactæ; alii : in servitute inter crudeles gentes. Pro *canum ferorum* alii vertunt *draconum. Operuisti*, propr. *super nos cum umbra mortis,* instar eorum qui in solitudine quadam horrida noctu oberrant. — Vers. 21. *Si :* alii, vi majori, *nequaquam unquam obliti sumus...* — Vers. 23. *Tantum abest, ut e contra,* etc. Hæc bene conveniunt Ezechiæ regis et Sennacherib temporibus. — Vers. 27. *Ezerathah* pro *ezerah, ah* in *ath* mutato, cum ת paragog.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem filiis Core ad intellectum.

Titulus hujus Psalmi nihil differt a titulo Psalmi XL, nisi quod in eo vox *intellectus* præponebatur, hic postponitur. Ibi erat *intellectus filiis Core*, hic est, *filiis Core intellectus*, ut est in hebræo, vel *ad intellectum*, ut est in græco et latino. Et fortasse nullum est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox *intellectus* præposita significabat in eo Psalmo deplorari calamitates præteritas, vel præsentes ; in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futuræ longe post tempora Davidis : conveniunt enim SS. Patres hunc Psalmum continere prædictionem rerum, quæ post tempora Davidis contigerunt; et Græci quidem, ut Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius docent, Psalmum hunc cantari in persona Machabæorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque regibus Syriæ, vel Ægypti passi sunt. Latini vero, ut Ambrosius, Hieronymus et Augustinus, volunt in hoc Psalmo exprimi voces SS. Martyrum, qui crudelissimas persecutiones a Romanis Imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt hæ Patrum sententiæ, si dicamus Psalmum præsentem ad utrosque pertinere, ad Machabæos et ad Christianos : similes enim persecutiones utrique passi sunt, et propter causam eamdem, propter confessionem videlicet, et legem ejusdem veri Dei. Sicut enim hic Psalmus non solum pertinet ad martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos, qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Nerone posterior: sic etiam pertinere potest ad martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Neronem præcessit.

Ad quos hic Psalmus pertineat?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS, AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS; PATRES NOSTRI ANNUNTIAVERUNT NOBIS. 2. OPUS QUOD OPERATUS ES IN DIEBUS EORUM, Vers. 2. ET IN DIEBUS ANTIQUIS.

Incipit populus Dei in persecutione positus, et pro afflictione gemens commemorare magnalia, quæ Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit, et mirari cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur, ut hac commemoratione et admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideo præmisit in titulo David hic intellectu opus esse, quoniam Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat, prout populo suo ægrotanti convenire judicat. Deus, inquit Propheta in persona Ecclesiæ, vel martyrum utriusque Testamenti, « auribus nostris audivimus. » Dicit autem *auribus nostris*, cum satis fuisse videretur dicere, *audivimus*, vel *auribus audivimus*, ad majorem certitudinis expressionem : quo modo S. Joannes scribit initio primæ epistolæ : « Quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt ; » videbatur satis fuisse dicere, *quod vidimus, et contrectavimus* ; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratam, illud *oculis nostris*, *manibus nostris*. Ita igitur hoc loco dicunt : « Auribus nostris audivimus, » id est, nos ipsi audivimus. Addunt continuo unde audierint ; ac dicunt : « Patres nostri annuntiaverunt nobis, » id est, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis, sed ipsi patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos nunquam decepissent, ipsi, inquam, « annuntiaverunt nobis. » Quid autem audierint a patribus explicant, cum addunt : « Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis, » id est, annuntiantibus patribus audivimus mirabile opus, quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus ; et etiam « opus, quod fecisti in diebus antiquis, » quod patribus suis narrantibus ipsi patres nostri audierunt. Non multum refert, quod in hebræo non habetur *et*, unde aliqui exponunt : In diebus eorum, qui sunt dies antiqui.

Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat.

Vers. 3. 3. MANUS TUA GENTES DISPERDIDIT, ET PLANTASTI EOS ; AFFLIXISTI POPULOS, ET EXPULISTI EOS.

Explicat in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus patrum, ac dicit ; « Manus tua gentes disperdidit, » id est, potentia tua disperdidit ex terra promissionis gentes Chananæorum et Jebusæorum, quæ in illa habitabant ; « et plantasti eos, » id est, et gentibus illis ejectis, plantasti patres nostros in illa ipsa terra. « Afflixisti populos, et expulisti eos, » id est, disperdidit illos manus tua, quia afflixisti gravissimis prœliis populos illarum gentium, et tandem devictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est : « Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, » non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, id est, mediante successione filiorum : quod enim hoc loco narratur, factum est tempore Mosis et Josue ; non potuit autem Moses, vel Josue, id narrare per se Machabæis, aut Apostolis, neque Davidi, qui Psalmum scripsit, sed narraverunt per successores suos. Illud autem, *plantasti eos*, continet insignem metaphoram ; significat enim ita constitutos et stabilitos fuisse in terra promissionis Hebræos, ut nonnisi difficulter expelli possent, quomodo ponuntur arbores in terra, quando plantantur, et firmiter radicantur, ut non facile avelli possint. Præterea quæ plantantur non solum firma consistunt, sed etiam crescunt, et multiplicantur ; quam metaphoram explicat clarius Psalmus LXXIX : « Plantasti radices ejus, et implevit terram : operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. »

Vers. 4. 4. NEC ENIM IN GLADIO SUO POSSEDERUNT TERRAM, ET BRACHIUM EORUM NON SALVAVIT EOS :

Vers. 5. 5. SED DEXTERA TUA, ET BRACHIUM TUUM, ET ILLUMINATIO VULTUS TUI, QUONIAM COMPLACUISTI IN EIS.

Probat quod dixit : « Manus tua disperdidit eos, » etc. Nam, inquit, « non in gladio suo possederunt terram, » id est, patres nostri, tempore Mosis et Josue, pugnaverunt quidem cum Chananæis ; sed nisi adjutor et protector eorum tu fuisses, neque terram possedissent, neque evadere potuissent de manibus hostium suorum : ipsi enim pauciores erant, minus in bello exercitati, et pugnaturi erant adversus urbes munitissimas. Non igitur in gladio suo, id est, virtute armorum suorum possederunt terram promissionis. « Neque brachium eorum salvavit eos, » id est, neque robur eorum tantum erat, ut in prœlio captivitatem, vel mortem evadere possent ; « sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, » dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte, vel captivitate, quando cum Chananæis pugnabant : et hoc ideo, « quia complacuisti in eis, » id est, non propter eorum virtutes, aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum. Illud, *illuminatio vultus tui*, significat proprie *benignum aspectum*, sive gratiam et favorem, ut diximus in Psalmo superiori, vers. 3. Dicitur enim Deus *illuminare vultum super aliquem*, quando illum sereno vultu respicere dignatur, id est, cum ejus miseretur, eique gratiam suam impertit. Esse autem verissima, quæ hoc loco dicuntur, perspicuum est ex libro Josue cap. VI, ubi legimus muros urbis Hierico ad solum clamorem filiorum Israel funditus corruisse, et ex capite X, ubi legimus, pugnante Josue, Deum immisisse de cœlo lapides grandinis super hostes, et ait Scriptura : « Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. »

Deus quo modo dicitur illuminare vultum suum super aliquem ?

Vers. 6. 6. TU ES IPSE REX MEUS, ET DEUS MEUS QUI MANDAS SALUTES JACOB.

Exponit nunc admirationem suam populus

Dei, dicens : « Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob, » id est, tu ipse, qui patres nostros adjuvabas et protegebas, quia Rex et Deus eorum eras, tu, inquam, « ipse es etiam Rex meus, et Deus meus; » et ille idem, « qui mandas salutes Jacob, » id est, qui consuevisti salvare populum tuum, qui a parente suo nominatur Jacob. Hoc loco nonnulli volunt supervacaneum esse illud, *et*, cum dicitur, *et Deus meus*, et exponunt, *tu es Rex meus et Deus meus.* Ratio eorum est, quia illud, *et*, non habetur in textu hebraico. At Septuaginta Interpretes habent *et*, et sic legunt, et exponunt omnes veteres græci et latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et sensus est sublimior : nam significat Scriptura, Deum non solum esse regem populi sui, sed etiam Deum, id est, judicem totius mundi, æternum et omnipotentem, qui possit non solum protegere populum suum, quem regit, sed etiam punire omnes adversarios ejus. Itaque retinendum est illud, *et*; et credendum, vel excidisse ex hebræo textu, vel Septuaginta seniores addidisse illud, ut declararent vocem *Deus* non esse vocativi casus, sed nominativi, et aliquid amplius eo nomine significari, quam nomine regis. Est etiam hoc loco observandum illud, *qui mandas salutes Jacob*, non significare, *qui mittis salutes*, sed *qui præcipis*, sive *jubes* : vox enim hebraica et græca hoc significant, et ex illis declaranda est ambiguitas vocis latinæ. Itaque sensus est, « qui mandas, » id est, qui jubes et præcipis salvari populum tuum, id est, qui solo imperio et nutu potes, et soles salutem dare populo tuo, quasi dicat : « Tu es Rex meus, » sed non ut alii reges, qui bellando protegunt; sed es etiam Deus, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu vales salvare Jacob.

Deus non solum rex, sed etiam judex populi sui.

Vers. 7. 7. IN TE INIMICOS NOSTROS VENTILABIMUS CORNU, ET IN NOMINE TUO SPERNEMUS INSURGENTES IN NOBIS.

Ostendit nunc, non solum Deum esse eumdem Deum, qui erat tempore patrum, sed etiam populum esse eumdem, et eamdem spem in Deo habere, quam patres habuerunt : hinc enim oritur admiratio, cur idem Deus cum eodem populo ita contrario modo se gerat, ut quem antea victorem nullo negotio faciebat, nunc vinci et debellari sinat. « In te, inquit, inimicos nostros ventilabimus cornu, » id est, nos quoque, si adjutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, id est, in tuo auxilio confidentes. « Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis, » id est, et invocato nomine tuo, non timebimus, nec magnifaciemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud, *ventilabimus cornu*, est metaphoricum, ducta similitudine a tauris, qui cornibus projiciunt in ventum et in auras quidquid illis objicitur. Nos, inquit, tua potentia freti, ea facilitate hostes nostros abigemus et fundemus, qua solet ferocissimus taurus cornibus ventilare paleas.

Vers. 8. 8. NON ENIM IN ARCU MEO SPERABO, ET GLADIUS MEUS NON SALVABIT ME.

Pergit in demonstranda similitudine inter populum Dei præsentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram, ita, inquit, « et ego populus tuus præsens non in arcu meo sperabo, » id est, non confidam in viribus et armis meis. « Et gladius meus non salvabit me, » id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

Vers. 9. 9. SALVASTI ENIM NOS DE AFFLIGENTIBUS NOS, ET ODIENTES NOS CONFUDISTI.

Declarat, quod dixit : « Gladius meus non salvabit me, » dicens : « Salvasti enim nos de affligentibus nos, » id est, confiteor salutem meam non a viribus meis pendere, quoniam quotiescumque salvus factus sum a quacumque tribulatione, tu « salvasti nos ab affligentibus nos, » et tu es qui inimicos nostros, « qui nos oderant, » et perdere cupiebant, « confudisti, » efficiens protectione tua, ut conatus eorum frustraretur, et ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

Vers. 10. 10. IN DEO LAUDABIMUR TOTA DIE, ET IN NOMINE TUO CONFITEBIMUR IN SÆCULUM.

Concludit ex iis, quæ dixit, populum Dei, quotiescumque liberabitur a tribulatione, id beneficium Deo acceptum relaturum, et gloriam omnem ipsi Deo daturum esse. « In Deo, inquit, laudabimur tota die, » id est, non in nobis, sed in Deo gloriabimur omni tempore, quo de hostium manibus liberabimur : et in nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem et gloriam usque in æternum. Quibus verbis confirmat quod demonstrare volebat, populum esse eumdem, qui antea fuerat, id est, confidentem in Dei auxilio, non in suis viribus, ut populus antiquus : non in viribus suis, sed in adjutorio Domini confidebat. Illud, *laudabimur*, phrasis est hebraica significans gloriari, non proprie laudari. Similis est phrasis italica, quando dicimus: *Mi lodo del tale*, et habetur hæc phrasis in aliis locis multis, ut in *Psalm.* XXXIII : « In Domino laudabitur anima mea; » *Psalm.* CIV : « Laudamini in nomine sancto ejus, » et alibi sæpe. Illud autem, *et in nomine tuo confitebimur*, clarius est in hebræo, *et nomini tuo confitebimur*. S. Augustinus hos versiculos, a septimo usque ad decimum, vult continere prophetiam futuræ victoriæ Christi et Christianorum, quando Ecclesia de omnibus hostibus triumphabit. Sed superior expositio, quæ est Chrysostomi, videtur magis litteralis : non enim hic loquitur Propheta, sed populus Dei, qui miratur se a Deo non juvari, cum sit idem populus cum eo, quem Deus tam manifeste auxilio suo protegebat. Sequitur igitur :

Vers 11. 11. NUNC AUTEM REPULISTI, ET CONFUDISTI NOS; ET NON EGREDIERIS, DEUS, IN VIRTUTIBUS NOSTRIS.

Hic jam incipit admiratio et conquestio miserabilis populi graviter afflicti ab inimicis. «Nunc autem, » id est, olim tanto favore nos prosequebaris, « nunc autem repulisti et confudisti nos; » nam et tempore Antiochi opprobrium erat vocari Judæum, et tempore tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. « Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris, » id est, si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Per *virtutes* intelliguntur exercitus, ut clare habetur in hebræo, בצבאותינו *betsibothenu*: sunt enim exercitus armati vires et robora populi; et *virtus* hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam et robur significat. Porro tempore persecutionum tam Antiochi quam imperatorum gentilium, tanta erat debilitas in populo Dei, ut non auderent ullo modo resistere; et ideo patiendo, et tolerando solum pugnabant. Sed quamvis ab hoste visibili fugarentur et cæderentur, tamen de hoste invisibili gloriosissime triumphabant: et quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur a Deo, tamen in occulto maxima Dei gratia juvabantur. Sed hoc loco de eo tantum agitur, quod foris agebatur, et relinquitur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

Debilitas christiani populi tempore persecutionum.

Vers. 12. 12. AVERTISTI NOS RETRORSUM POST INIMICOS NOSTROS, ET QUI ODERUNT NOS, DIRIPIEBANT SIBI.

Pergit in explicanda persecutione. « Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, » id est, fecisti ut qui in primo loco eramus, jam in postremo essemus, et tanquam victi et captivi sequeremur inimicos nostros; et iidem inimici nostri, « qui nos odio habebant, » pro arbitrio suo, et nos et nostra « diripiebant, sibi, » id est, in usum suum convertebant. S. Hieronymus ex hebræo reddidit, *vertisti terga nostra hosti:* quem sensum verba hebraica facile admittunt, quæ ad verbum sic sonant, *avertisti nos retrorsum ab inimicis nostris;* sed versio græca et latina, quæ habet, *post inimicos nostros,* non facile sensum illum ferre possunt: qui enim terga vertunt et fugiunt, non terga vertunt post inimicos, sed ante inimicos. Ideo sensum alium nos supra posuimus ex Chrysostomo et Augustino, neque repugnat nostra expositio verbis hebraicis; nam pro eo quod haberi diximus, *ab inimicis nostris,* potest etiam legi, *præ inimicis nostris,* ut legit S. Augustinus, et secundum eam lectionem optime constat explicatio, quam attulimus: sive enim legas, *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros,* sive legas, *avertisti nos retrorsum præ inimicis nostris,* semper significatur nos redactos esse ad locum inferiorem et posteriorem, et in hostium potestatem misere devenisse.

Vers. 13. 13. DEDISTI NOS TANQUAM OVES ESCARUM, ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS.

Mire describit martyria Sanctorum. « Dedisti, inquit, nos tanquam oves escarum, » id est, permisisti nos tam facile trucidari, et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatæ ad macellum, quæ in magna copia, et sine ulla resistentia occiduntur: « Et in gentibus dispersisti nos, » id est, et eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permisisti dispergi inter gentes. Ubi notantur exilia in loca remotissima, ad quæ frequenter Sancti ablegabantur.

Vers. 14. 14. VENDIDISTI POPULUM TUUM SINE PRETIO, ET NON FUIT MULTITUDO IN COMMUTATIONIBUS EORUM.

Aliud supplicium describit, quo sancti martyres tanquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, vel ut in theatris laniarentur a feris, ut eo spectaculo oblectarentur spectantium oculi. « Vendidisti, inquit, populum tuum sine pretio, » id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nihil pretii accepisti. « Et non fuit multitudo in commutationibus eorum, » id est, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniæ in commutationibus eorum, id est, tanquam vilissima mancipia fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abjectissima deputabantur. S. Augustinus legit: *Non fuit multitudo in jubilationibus eorum,* et exponit: non remanserunt multi in Ecclesiis, qui Domino jubilarent in officiis divinis celebrandis; sed codices græci variant: emendatiores autem habent, ut nos in Vulgata legimus, quæ lectio concordat cum textu hebraico, et sic etiam legunt et exponunt Ambrosius, Hieronymus et Chrysostomus.

Vers. 15. 15. POSUISTI NOS OPPROBRIUM VICINIS NOSTRIS, SUBSANNATIONEM ET DERISUM HIS, QUI SUNT IN CIRCUITU NOSTRO.

Ad supplicia corporalia adjungit irrisiones et opprobria. « Posuisti, inquit, nos opprobrium vicinis nostris, » id est, ex eo quod permissione tua devenimus in calamitates, quas paulo ante descripsimus, inde factum est ut jam simus opprobrio vicinis nostris, et subsannemur, ac irrideamur ab iisdem vicinis qui sunt in circuitu nostro.

Vers. 16. 16. POSUISTI NOS IN SIMILITUDINEM GENTIBUS, COMMOTIONEM CAPITIS IN POPULIS.

Per similitudinem intelligitur proverbium, sive parabola, ut clarius dicitur in *Psalm.* LXVIII: « Factus sum illis in parabolam.» Ait igitur, « : Posuisti nos in similitudinem gentibus, » id est, fecisti ut gentiles de nostra calamitate parabolam, sive proverbium sibi facerent, et cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandæ, nostram miseriam in medium adferrent.

Posuisti etiam nos « commotionem capitis in populis, » id est, fecisti ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

Vers. 17. 17. TOTA DIE VERECUNDIA MEA CONTRA ME EST, ET CONFUSIO FACIEI MEÆ COOPERUIT ME.

Vers. 18. 18. A VOCE EXPROBRANTIS ET OBLOQUENTIS, A FACIE INIMICI ET PERSEQUENTIS.

Explicat effectum irrisionum, quia sine dubio ingens confusio et verecundia erat. « Tota die, inquit, verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me, » id est, omni tempore hujus persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quæ confusio faciei meæ totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem hæc tota confusio « a voce exprobrantis et obloquentis, » id est, ab iis qui mihi exprobrant stultitiam, quod Crucifixum colam; exprobrant impietatem, quod Deos non venerer; exprobrant falsa crimina, infanticidia, incestus, et similia, et de his inter se obloquuntur. Explicat autem qui sint isti exprobrantes et obloquentes, cum addit : « A facie inimici et persequentis. » Sed videtur hæc verecundia et confusio non convenire sanctis martyribus, cum scriptum sit : « Qui erubuerit me, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris, » *Luc.* IX. Et : « Qui me confessus fuerit, et Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis, » *Marc.* VIII. Cæterum Dominus non prohibet quamcumque verecundiam et confusionem, sed eam, quæ impedit confessionem. Illi enim reprehenduntur, qui ab hujusmodi verecundia superati, Christum confiteri non audebant, vel etiam ad negandum adigebantur. Istos autem de quibus in hoc Psalmo agitur, non fuisse a verecundia victos, docent verba sequentia.

Vers. 19. 19. HÆC OMNIA VENERUNT SUPER NOS, NEC OBLITI SUMUS TE; ET INIQUE NON EGIMUS IN TESTAMENTO TUO.

Post explicata beneficia Dei erga patres antiquos, et destitutionem ac derelictionem populi junioris, subjungit Propheta in persona ejusdem populi causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis : unde colligitur ratio admirationis et querimoniæ. Sic igitur loquitur : « Hæc omnia venerunt super nos, » id est, has angustias et tribulationes passi sumus; et tamen « non obliti sumus te, » id est, non dimisimus te, ut coleremus deos alienos : solet enim Scriptura conjungere oblivionem Dei cum idololatria. *Psalm.* CV : « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, obliti sunt Deum, qui salvavit eos. Et *Deuteron.* XXXII : « Immolaverunt dæmonibus, et non Deo : Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. » Et in hoc ipso Psalmo : « Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum. » Isti igitur affirmant se non coluisse deos alienos; ideo aiunt : « Obliti non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, » id est, non solum non adhæsimus diis alienis, obliviscentes te Deum verum; sed neque iniquitatem fecimus contra pactum, quod pepigimus tecum in Sina, ut servaremus legem tuam; nam testamentum hoc loco, ut est clarius in hebræo ברית *berith*, *pactum* significat. Itaque protestantur se Deum non reliquisse, neque in legem ejus peccasse.

Vers. 20. 20. ET NON RECESSIT RETRO COR NOSTRUM, ET DECLINASTI SEMITAS NOSTRAS A VIA TUA.

Idem repetunt aliis verbis, ut magis innocentiam suam declarent. *Et non recessit retro cor nostrum*, idem est quod, *obliti non sumus te*, id est, cum tecum ambularemus ex corde adhærentes tibi, non recessimus retro, neque te deseruimus. Illud autem, *et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem præcedentis negationis, ut sensus sit : « Non recessit retro cor nostrum, et *non* declinasti semitas nostras a via tua, » id est, non permisisti ut gressus nostri declinarent a via tua, id est a lege tua, quod est idem cum illo, « et inique non egimus in testamento tuo. » S. Hieronymus clarissime vertit ex hebræo, *et non declinaverunt semitæ nostræ a via tua;* quamvis enim in hebræo non habeatur negatio, et verbum *declinasti* sit in secunda persona singulari, tamen voluit S. Hieronymus sententiam reddere, non verba. Alii quoque Interpretes, ut notat S. Joannes Chrysostomus, addiderunt negationem. Septuaginta Interpretes, quos sequitur editio Vulgata, non posuerunt in textu suo negationem, quia non invenerunt in originali, sed tamen ea subintelligenda est, ut in multis aliis locis. Quod si quis omnino velit affirmative exponere illud, *et declinasti semitas nostras a via tua*, poterit *per viam Domini*, intelligere viam misericordiæ et gratiæ; nam « universæ viæ Domini misericordia et veritas, » *Psalm.* XXIV, ait idem Propheta. Itaque sensus erit: declinasti semitas nostras a via misericordiæ tuæ, a favore, a gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris; cum qua expositione satis conveniunt quæ sequuntur.

Vers. 21. 21. QUONIAM HUMILIASTI NOS IN LOCO AFFLICTIONIS, ET COOPERUIT NOS UMBRA MORTIS.

Si sequamur posteriorem expositionem versiculi superioris, versiculus præsens declarabit quomodo declinaverit Deus semitas populi sui a via sua, quoniam videlicet, « humiliavit eum in loco afflictionis; » si vero sequamur priorem expositionem, particula *quoniam* vel redundabit, ut non semel in Scriptura sacra redundat, vel reddet causam sententiæ sequentis, non præcedentis, hoc modo : « Quoniam humiliasti nos

in loco afflictionis, *ideo* et cooperuit nos umbra mortis. » Porro humiliare aliquem in loco afflictionis, est dejicere illum in profundum miseriarum; ponitur enim *in loco*, pro *in locum*. S. Hieronymus vertit ex hebræo, *in locum draconum*. Et vere vox תנים, quæ est in textu hebraico, *dracones* significat. Sed videntur Septuaginta sensum vertisse, non verbum. Loca enim draconum sunt loca cavernosa, deserta, horrentia, ac per hoc loca afflictionis; et quoniam loca afflictionis obscura sunt et tenebricosa, ut cavernæ, putei, tetri carceres, ideo addit: « Et cooperuit nos umbra mortis, » id est, operuerunt nos tenebræ, et ingens obscuritas. Quæ omnia, metaphoræ sunt, quibus tribulationis et persecutionis magnitudo significatur; vocabulum *umbra mortis* frequentissimum est in Scripturis utriusque Testamenti, et ut plurimum conjungitur cum vocabulo *tenebrarum*, ut est videre *Job.* III, *Psalm.* LXXXVII et CVI, *Isai.* IX, *Matth.* IV, *Luc.* I, et nihil aliud significat, nisi magnam obscuritatem. Dicitur autem obscuritas umbra mortis, quoniam in morte extinguitur vita, quæ est quasi lumen quoddam, unde exstincta vita solum tenebræ relinquuntur. S. Augustinus dicit mortalitatem esse umbram mortis, id est imaginem mortis; mortem autem veram esse damnationem cum diabolo, quæ dicitur mors æterna.

Umbra mortis quid significat?

Vers 22. 22. SI OBLITI SUMUS NOMEN DEI NOSTRI, ET SI EXPANDIMUS MANUS NOSTRAS AD DEUM ALIENUM.

Vers. 23. 23. NONNE DEUS REQUIRET ISTA? IPSE ENIM NOVIT ABSCONDITA CORDIS.

Probant, qui in hoc Psalmo loquuntur, testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerunt. Dicunt enim: « Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum » deprecandum, « nonne Deus requiret ista, » quasi dicant: Certe requiret, et inveniet an ita sit. « Ipse enim novit abscondita cordis. » Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

Vers. 24. 24. QUONIAM PROPTER TE MORTIFICAMUR TOTA DIE, ÆSTIMATI SUMUS SICUT OVES OCCISIONIS.

Vers. 25. 25. EXURGE, QUARE OBDORMIS, DOMINE? EXURGE, ET NE REPELLAS IN FINEM.

Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. « Quoniam, inquit, propter te mortificamur tota die, » id est, quoniam propter confessionem nominis tui quotidie morti tradimur, multi quotidie occiduntur ex nobis, « æstimati sumus sicut oves occisionis, » id est, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quæ sine resistentia, vel misericordia jugulantur. « Exurge, quare obdormis, Domine? » id est, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patiantur, cur tu siles, quasi dormiens non adverteres? « Exurge » a somno, id est, fac quod illi faciunt, qui surgunt a somno, et incipiunt videre, quod antea non videbant. « Exurge in auxilium nostrum, et ne repellas nos » ab adjutorio tuo « in finem, » id est, usque ad consummationem, finiatur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit Apostolus *ad Rom.* VIII: « Quis, inquit, nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. »

Vers. 26. 26. QUARE FACIEM TUAM AVERTIS, OBLIVISCERIS INOPIÆ NOSTRÆ ET TRIBULATIONIS NOSTRÆ?

Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam in versu superiore sumpsit similitudinem a somno, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non juvat, quasi non videret miseriam nostram; et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum.

Quomodo Deus faciem avertere dicatur.

Vers. 27. 27. QUONIAM HUMILIATA EST IN PULVERE ANIMA NOSTRA, CONGLUTINATUS EST IN TERRA VENTER NOSTER.

In eadem oratione persistens, et sciens, orationem humiliantis se gratissimam esse Deo, dicit se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. Qui enim stans orat, potest humiliari flectendo genua; et qui genibus flexis orat, potest adhuc humiliari prosternendo se totum ad terram; sed qui humi prostratus orat, non habet, quo descendat, ut magis humilietur. Porro humiliari potest homo corde et corpore usque ad terram: corde, si vere cogitet, et intelligat, et fateatur se pulverem esse, quomodo orabat Abraham, cum diceret: « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, » *Gen.* XVIII; corpore autem, si ad terram prostratus oret, quod de Christo Domino referunt Matthæus cap. XXVI, et Marcus cap. XIV: « Procidit, inquiunt, in faciem super terram, dicens, » etc. Neque obstat quod Lucas cap. XXII, dicat: « Positis genibus oravit: » nam positis genibus orare cœpit, deinde procidit in terram. Utramque humilitatem præ se ferunt, qui in hoc Psalmo dicunt: « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster, » id est, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhæsit in terra venter noster, dum corpore prostrati oramus te. Possunt etiam hæc omnia referri ad magnitudinem persecutionis, per quam redacti erant ad extremam et summam ignominiam, et contemptum.

Humiliari homo potest corde et corpore.

Vers. 8. 28. EXURGE, DOMINE, ADJUVA NOS, ET REDIME NOS PROPTER NOMEN TUUM.

Addunt ultimam et efficacissimam rationem, cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum, ne videlicet blasphemetur am-

plius nomen ipsius. « Exurge, inquiunt, adjuva nos » in hac tribulatione, « et redime, » id est, libera nos, « propter nomen tuum, » id est, ut non blasphemetur, sed glorificetur nomen tuum, et sicut sine pretio vendidisti nos, ita sine pretio redime, non ob nostra merita, sed propter nomen tuum, propter misericordiam et benignitatem tuam. Ad majorem intelligentiam hujus Psalmi, videntur expediendæ quæstiunculæ, quæ lectori facile possent occurrere.

Cur qui in hoc Psalmo loquuntur, querantur se sine culpa sua puniri?

Prima quæstio est : Cur ii qui in hoc Psalmo loquuntur, querantur se sine culpa sua puniri, cum alii Sancti persecutiones peccatis suis imputare soleant; nam Daniel, cap. IX, loquens de captivitate Babylonica, dicit : « Peccavimus, inique fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis et judiciis tuis. » Et tres pueri sancti in fornacem ignis conjecti, et a Deo mirabiliter liberati confitentur hoc modo, *Daniel.* III : « Judicia vera fecisti juxta omnia, quæ induxisti super nos, et super civitatem sanctam Jerusalem : peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, deliquimus in omnibus. » Eadem est vox sanctorum Machabæorum lib. II, cap. VII : « Nos, inquiunt, propter nos ipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum. » Eadem dicit de persecutionibus christianorum S. Cyprianus in serm. quinto, qui est *De lapsis*. Respondeo, negari non posse, quin ob peccata populi Deus persecutiones excitari permittat. Cæterum sancti viri variis modis loquuntur : aliquando enim suscipiunt personam membrorum infirmorum (unum enim corpus sumus, alter alterius membra), et peccata fratrum suorum sibi tribuunt : quo modo sæpe lingua confitetur quasi peccata, quæ tamen a membris aliis patrata sunt; aliquando vero induunt personam perfectorum et sanctorum, qui revera puniuntur in communi persecutione sine propria culpa. Sic igitur Scripturæ allatæ inter se non pugnant : nam Daniel, tres pueri, et sancti Machabæi loquebantur in persona membrorum infirmorum; isti vero, qui in hoc Psalmo loquuntur, personam innocentium et Sanctorum induerunt.

Innocentes cur Deus puniri sinat?

Secunda quæstio : Cur Deus innocentes puniri sinit, cum propter iniquos persecutionem excitari permittat? Respondeo, innocentes in persecutione non proprie puniri, sed probari : vult enim Deus per atrocitatem persecutionis, quasi per ignem conflatorii, vel per ventilabrum areæ, purgare Ecclesiam suam, et efficere ut appareant qui sint veri, qui ficti fideles, qui sint aurum, qui aurichalchum, qui frumentum, qui paleæ. « Tribulatio, inquit Apostolus *Rom.* V, probationem operatur; » et in lib. *Sap.* cap. III : « Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se; tanquam aurum in fornace probavit illos. »

Tribulationes tolerare jubemur, non amare.

Tertia quæstio : Cur ergo Sancti queruntur de persecutione, et eam cito finiri precantur? Respondeo, quia tribulationem tolerare jubemur, non amare, et nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amet : quamvis enim gaudeat se tolerare, tamen mavult non esse quod toleret, ut scripsit S. Augustinus in lib. X *Confess.* cap. XXVIII. Deinde, quia persecutio atque tentatio periculosa est, cum sit incerta victoria, et Sancti de se non præsumant.

Temporalia bona a Deo dantur.

Quarta quæstio : Cur Deus, ut in hoc Psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuit temporalia bona et victoriam de inimicis, aliquando e contrario aufert eadem temporalia bona, et populum suum ab hostibus vinci, ac debellari sinit? Respondeo, ut omnes intelligant bona temporalia a Deo dari, non a dæmonibus, vel a fato aut fortuna; ideo tribuit illa amicis suis, quando ita expedire judicat. Ut autem amici Dei non hæreant temporalibus bonis, neque ament stabulum pro domo, et exilium pro patria, sæpe illis eripit ejusmodi bona, ut in explicatione Psalmi XL, vers. 3, fusius explicavimus.

PSALMUS XLV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V.—1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.*

2. Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

V. S. H. — *Victori, pro liliis, filiorum Core, eruditionis canticum amantissimi.*

Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi : lingua mea stylus scribæ velocis.

Decore pulchrior es filiis hominum, effusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit tibi Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super [al. *circa*] femur, fortissime, gloria tua et decore tuo.

5. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.

6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

7. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui.

8. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

9. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis; ex quibus delectaverunt te 10. filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

12. Et concupiscet rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis 15. circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi.

16. Afferentur in lætitia et exultatione; adducentur in templum regis.

17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.

18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum et in sæculum sæculi.

Decore tuo prospere ascende, propter veritatem, et mansuetudinem justitiæ, et docebit te terribilia dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent : in corde inimicorum regis.

Thronus tuus Deus in sæculum, et in æternum : sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem [*h. impietatem*] : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.

Myrrha et stacte et cassia in cunctis vestimentis tuis, de domibus [*h. de templis*] eburneis, quibus lætificaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Stetit conjux [*h. regina*] in dextera tua, in diademate aureo.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui et domus [al. *domum*] patris tui.

Et concupiscet rex decorem tuum : quia ipse est Dominus [al. ad. *Deus*] tuus, et adora eum.

Et, o filia fortissimi [*h. Tyri*], in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.

Omnis gloria filiæ regis intrinsecus : fasciis aureis vestita est [*h. præ fasciis aureis, vestimenta illius*].

In scutulatis ducetur ad regem, virgines sequentur eam, amicæ [*h. sodales*] ejus ducentur tibi.

Ducentur in lætitiis et exsultatione : ingredientur thalamum [*h. templum*] regis.

Pro patribus tuis erunt filii [al. *filiæ*] tibi [*h. tui*], pones eos principes in universa terra.

Recordabor nominis tui in omni generatione et generatione :

Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum et in æternum.

Argumentum. — Epithalamium in nuptiis regis alicujus decantatum. Laudat vates regem a dignitate formæ et gratia eloquentiæ, fortitudine, potentia, splendore et magnificentia, cum in se, tum in conjuge, postremo et a felicitate liberorum. Ex circumstantiis regni Salomonis desumptæ sunt imagines et ornamenta. Sed regem hunc esse *Regem Messiam*, sponsam illius aliasque virgines esse *Ecclesiam judaicam gentesque barbaras* ad Christum convertendas, veterum jam Judæorum opinio erat, ut arguit chaldaica hujus Psalmi paraphrasis, et SS. Patrum omnium sententia est, quam multis argumentis egregie confirmat Crelier, ad h. l., contra Rationalistas hoc carmen in sensu litterali referentes sive Salomoni, sive alicui ex Israelitarum regibus, ut Achabo, sive etiam novo cuidam Persarum regi. Post procemium, vers. 2, sunt strophæ duæ : vers. 3-10, canit regem : pulchrum, fortem, amantem æqui, opibus abundantem; vers. 11-16, canit reginam; sequitur epilogus de rege, vers. 17-18.

1. Præcentori, ad modum *instrumenti* shoshannim dicti, maskil, Coraitarum carmen, canticum amatarum.

2. Ebullit cor meum verbum bonum;

dico : Opera mea (ποιήματα) regi *sunto!*
lingua mea stylus *esto* scribæ prompti!

3. Pulcher es præ filiis hominum;
effusa est gratia (sermonis) in labiis tuis :
ideo benedixit te Deus in perpetuum.
4. Cinge gladio tuo femur, heros,
ornatu tuo et decore tuo.
5. Et decore tuo (indutus), prospere (curru bellico) vehitor,
propter veritatem, et mansuetudinem, *et* justitiam ;
et doceat te terribilia dextera tua.
6. Sagittæ tuæ acutæ,
populis sub te cadentibus,
in cor hostium regis *penetrent.*
7. Solium tuum, Deus, *est solium* sæculi et æternitatis;
sceptrum justitiæ *est* sceptrum regni tui.
8. Amas justitiam et odio habes improbitatem :
propterea unxit te, o Deus, Deus tuus
oleo lætitiæ præ sociis tuis (regibus).
9. Myrrha, et aloe, *et* cassia omnia vestimenta tua;
ex palatiis eburneis fides (fidium cantus) exhilarant te.
10. Filiæ regum *sunt* in charis tuis (inter puellas tuas);
adstat domina dexteræ tuæ obtecta auro Ophiritico.

11. Audi, filia, et vide (qualis sit tua conditio), et inclina aurem tuam (ad mea dicta) :
et obliviscere populi tui, et domus patris tui.
12. Et appetat rex pulchritudinem tuam (noli resistere) ;
nam dominus tuus is *est,* et (ideo) adora eum.
13. Et filia Tyri (Tyrus urbs) muneribus,
adulantur faciem tuam (te) ditissimi *quique* populi.
14. Tota magnifica filia regis in interiore;
ex pannis auro intertextis vestis ejus.
15. Vestibus acupictis (gall. *recamés*) adducitur regi ;
virgines post eam, sociæ ejus, adducuntur tibi.
16. Adducuntur cum gaudiis et exultatione,
ingrediuntur palatium regis.

17. Patrum tuorum loco sint (vel *erunt*) filii tui,
constituas illos principes in omni terra.
18. Celebrabo nomen tuum per omnes venturas ætates ;
propterea (vel *quin imo*) populi laudabunt te in sempiternum.

NOTÆ.

Vers. 1. *Shoshannim,* propr. *super liliis,* nomen instrumenti musici formam *lilii* referentis : ita Gesenius. Juxta Reinke τὸ *lilia* carmen designat, ad cujus modum et numeros Psalmus noster decantandus erat. Hengstenberg *lilia* figurate accipit : *super liliis,* i. e. super virginibus, de quibus agitur Psalmus. *Maskil :*

vid. Argumentum Psalmi XIV. *Amatarum*; Maurer, *amorum*; Rosenmullerus, *rerum dilectarum* (plurali femin. generis significatione neutrali accepto), i. e. jucundum, suave : ita et Aquila vertit, ἄσμα προσφιλίας, *carmen suavitatis*, sicut apud Theocritum, *Idyll.* VIII, est προσφιλὴς μέλος, *suave carmen*. — Vers. 2. *Bonum*, i. e. nobile et gratum. *Opera*, etc. *c'est un roi que je chante*. — Vers. 3. Quantopere formæ dignitas et facundia in regibus æstimatæ fuerint apud veteres, notum. *Ideo* : alii, *quia* minus recte. — Vers. 4. *Ornatus* et *decor* sunt insignia regia. Alii : *gladio*, qui est *decus tuum et*, etc. — Vers. 5. *Propter*, ut veritas, mansuetudo, etc. in terris regnent. Alexandrinus *horah* accepit significatione *viam monstrandi* : minus recte. — Vers. 6. *Regis*, pro *tuorum*. — Vers. 7. *Deus* : Rationalistæ vertunt *Dei*, seu divinum, i. e. æternum : contra veterum omnium auctoritatem; qui vero *o Deus* retinent, dicunt tum apud Hebræos, tum apud Orientales omnes *deorum* nomine reges appellari. — Vers. 8. *O Deus* : Rationalistæ, *Deus*, in nominativo. *Unxit oleo lætitiæ*, i. e. magna lætitia et felicitate affecit. Locutio inde desumpta, quod in conviviis lautioribus, festisque aliis unguentum adhibebatur. — Vers. 9. *Eburneis* (שֵׁן *dens*, deinde κατ' ἐξοχὴν ille dens ex quo fit ebur), quorum conclavia ebore vestita erant : conf. I *Reg.* XXII, 39; *Amos* III, 15; *Odyss.* IV, 72, 73; Horat. *Carm.* II, 18, 2; *Æneid.* X, 135 seqq. *Fides* : *minni* pro *minnim*. Alii : pro *min*, cum *iod* paragog., intellecto *hem*, *ex quibus* : ita post Alexandrinum Hengstenberg. Alii, *palatiis eburneis, iis exhilaraverunt te*, i. e. palatia eburnea tibi ædificata sunt in diem nuptiarum tuarum. — Vers. 10. *Domina*, regina, uxor, a concubinis distincta. Regionem *Ophir* auri optimi ditissimam fuisse patet in locis plurimis. — Vers. 13. Complendum est prius membrum ex posteriore, posterius ex priore. Alii, *et, o filia Tyri*, Tyria, sponsa, *adulantur tibi*, etc. — Vers. 14. *Interiore* regia, puta patris sui, ex qua nunc, comitantibus puellis, in sponsi palatium abducitur : ita Maurer; Rosenmullerus : in sponsi regis cubiculo jam versans. Alii : mente et animo, quam vestibus, pulchrior; sed *phenimah* de *locis* tantum usurpatur. — Vers. 15. Maurer, *in* via *stragulis variegatis* strata *adducitur*, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Summa consensione docent omnes expositores latini, græci, hebræi, Psalmum hunc continere laudes Messiæ et sponsæ ejus Ecclesiæ, ut sit quasi spirituale epithalamium; et huic argumento titulus satis apte respondet : nam per *eos qui commutabuntur*, intelligit Propheta fideles populos, qui Ecclesiam faciunt; dicuntur autem commutandi, quia mutandi erant per justificationem in hoc sæculo, et per resurrectionem in alio; qui enim adorabant idola, adoraturi erant Deum verum; et qui miseram et mortalem ducebant vitam in terris, acturi erant felicem et sempiternam in cœlis. Per *dilectum*, intelligunt omnes Christum, de quo non semel Pater cœlestis ait, *Matth.* III et VII : « Hic est Filius meus dilectus, » et quem nemo novit, qui non ardentissime diligat, cum totus sit suavis et pulcher, quippe « speculum sine macula, et candor lucis æternæ, » ut legitur *Sap.* VII. Sensus igitur tituli hic erit : Canticum datum filiis Core, ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, cujus materia est pro iis qui commutabuntur, et pro dilecto, id est pro Ecclesia et pro Christo, pro Sponsa et Sponso. In hebræo legitur, *pro liliis*, ubi nos habemus, *pro iis qui commutabuntur*; sed vox hebraica שׁשַׁנִּים utrumque significare potest, videlicet *lilia*, et *qui commutabuntur*, ut S. Hieronymus fatetur in epist. *ad Principiam virginem*, in qua totum hunc Psalmum diligenter explanat : et satis commode, qui commutandi sunt, lilia dici possunt, cum de Ecclesia, quæ est multitudo commutandorum, dicat Sponsus in *Cant.* cap. II : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. »

Qui commutantur cur fideles dicantur?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. ERUCTAVIT COR MEUM VERBUM BONUM, DICO EGO OPERA MEA REGI.

Vers. 2. 2. LINGUA MEA CALAMUS SCRIBÆ, VELOCITER SCRIBENTIS.

Hi duo versiculi continent præfationem totius Psalmi, in qua præfatione Propheta docet hunc Psalmum esse meram prophetiam a Spiritu Sancto dictatam, nihilque hic esse ab ingenio suo elaboratum : quamvis enim omnis divina Scriptura sit verbum Dei, et a Spiritu Sancto inspirata, tamen multum interest inter prophetias, et historias, vel epistolas : nam in edendis prophetiis sancti scriptores non laborabant cogitando, et discurrendo, et ad memoriam aliquid revocando; sed simpliciter loquebantur, vel scribebant quæ Deus illis ostendebat : quod de Hieremia testatur Baruch, *Hierem.* XXXVI, quod videlicet « ita loqueretur, ac si in libro aliquo legeret, quod dicebat. » Sed, cum sacri scriptores scribebant historias, vel epistolas, inspirabat quidem Deus illis scribendi voluntatem, eosque dirigebat, ut recte et sine errore ullo scriberent, sic tamen ut etiam ipsi memoriam exerce-

Discrimen inter prophetias, et alia divina scripta.

rent, et ingenium, ut recordarentur res gestas, et cogitarent rationem et ordinem scribendi : quod de se testatur auctor libri secundi Machabæorum cap. II. David igitur, cum in Psalmis cantabat historias beneficiorum Dei, vel calamitatum suarum, aut etiam totius populi, memoriam et ingenium exercebat, et non sine proprio labore Psalmos componebat, quamvis a Deo semper excitaretur et dirigeretur : cum autem meras prophetias caneret, vel scriberet, ut in hoc Psalmo fecit, nihil suum agnoscebat, nisi simplex linguæ, vel manus ministerium. Hoc igitur est quod in hac præfatione dicit, quod ipse idem clarius explicuit in *II* lib. *Reg.* cap. XXIII, cum ait : « Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. » Ait igitur : « Eructavit cor meum verbum bonum, » id est, mens mea ex plenitudine et copia illustrationis divinæ et cœlestium revelationum protulit foras ad aures hominum. Psalmum hunc, qui continet verbum bonum, sermonem videlicet gratum et salutarem omnibus. Sed ad majorem explicationem notanda sunt aliqua. *Primo*, usum esse Prophetam vocabulo eructandi, ut ostenderet se non propria voluntate, et propria inventione in hoc Psalmo loqui : ructus enim non emittitur voluntarie, et ex electione, sed velit, nolit homo, ex plenitudine stomachi erumpit. *Secundo*, voluisse etiam Prophetam ostendere, se non omnia quæ, Deo illustrante, cognovit, in hoc Psalmo expressisse; sed modicum quid ex illa plenitudine protulisse : ructus enim signum est repletionis, sed est exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Multa enim Prophetæ vident, quæ non licet homini loqui. Unde et Isaias dicebat : « Secretum meum mihi, » *Isai.* XXIV ; et qui revelationes a Deo percipiunt, id ut plurimum fateri solent, se non habere vocabula, quibus eas revelationes ita explicent, ut ipsi eas vident : et fortasse hac de causa Propheta dixit, « verbum bonum eructasse cor suum, » non verba bona in numero multitudinis. *Tertio*, verbum bonum vocari hunc Psalmum, quia non continet prophetiam rerum malarum, ut exitii civitatis, captivitatis populi, et similium, quæ passim a Prophetis prædici solebant; sed prædicationem rerum secundarum et felicium, quæ magnam lætitiam et voluptatem sint allaturæ. *Quarto*, Deum in his verbis ita descripsisse emanationem hujus verbi ex corde Davidis, ut alluserit ad productionem Verbi æterni, et voluerit nos quasi manu ducere ad intelligentiam generationis æternæ Verbi divini : vere enim Pater æternus non eguit auxilio conjugis ad Filium producendum, neque eum ex electione produxit, neque plures filios genuit; sed ex plenitudine cordis, sive ex perfectissima intelligentia Verbum mentis, et Verbum unicum, idque summe bonum naturaliter produxit, ut proprie dicere potuerit : « Eructavit cor meum verbum bonum. » Sequitur : « Dico ego opera mea Regi, »

Cur hæc prophetia dicatur verbum bonum ?

Verbi æterni generatio hic adumbratur.

non desunt, qui ista verba sic exponant : « Dico ego opera mea; Regi, » id est, confiteor peccata mea Deo; vel, dico carmina ista de rege ; vel, consecro opus meum regi; vel, alloquor in hoc Psalmo regem : quas expositiones, ut non reprehendo, sic existimo nostram explicationem melius connecti cum verbis præcedentibus et sequentibus; nostra enim opinione, hæc pars secunda primi versiculi reddit rationem, cur David dixerit : « Eructavit cor meum verbum bonum; » est enim ac si diceret : Ego simpliciter confiteor regi meo, qui est Deus, omnia opera mea; et non mihi tribuo, quod non est meum; ideo non dixi : Ego Psalmum istum scripsi, sed : « Eructavit cor meum verbum bonum, » id est, non ex electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuæ. Quod clarissime explicatur in sequenti versiculo, cum dicitur : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, » id est, lingua mea protulit hunc Psalmum, sed id fecit, non ut lingua mea, non ut membrum corporis mei, quod ad imperium voluntatis meæ movetur; sed ut calamus Spiritus Sancti, tanquam scribæ velociter scribentis. Dicit autem linguam suam esse calamum scribæ velociter scribentis, et non dicit linguam suam esse linguam spiritus velociter loquentis, quia vult ostendere linguam suam in prophetia edenda esse instrumentum separatum, ut revera est calamus; et non instrumentum conjunctum, ut sunt membra corporis; vel significare voluit prophetiam hanc non abituram in ventum, ut quæ ore pronuntiantur; sed perpetuo mansuram, ut quæ calamo exarantur. Illud autem, *velociter scribentis*, significat Spiritum Sanctum non egere tempore ad considerandum quid, et quomodo scribendum sit; illi enim tarde scribunt, qui inter scribendum cogitant, quam sententiam, et quibus verbis scribere debeant.

3. SPECIOSUS FORMA PRÆ FILIIS HOMINUM, DIFFUSA EST GRATIA IN LABIIS TUIS; PROPTEREA BENEDIXIT TE DEUS IN ÆTERNUM. Vers. 3.

Incipit Christum laudare, ac primum a pulchritudine laudat, deinde ab eloquentia, tum a fortitudine et robore, tertio a virtutibus animi, postremo a divina et regia dignitate, et potestate, quibus addit etiam exteriora, videlicet vestimentorum et palatii nobilitatem. Incipit autem a pulchritudine, vel quia describit Sponsum, et in Sponso pulchritudo potissimum desideratur : vel quia progreditur a minoribus ad majora, et pulchritudo eloquentiæ cedit, eloquentia robori, robur virtutibus, virtutes divinitati. Ait igitur : « Speciosus forma præ filiis hominum. » Videtur abrupta sententia, et obscura, cum non addiderit quis sit iste speciosus; sed, ut supra notavimus, ideo dictum est : « Eructavit cor meum verbum bonum, » id est, ex plenitudine contemplationis aliquid foras emanavit, non omnia.

Sensus igitur est: Non mirum est si tu, Christe, dilectus dicaris, « nam speciosus forma es præ filiis hominum; » dicit autem, « præ filiis hominum, » et non addit præ spiritibus angelicis, quoniam Deus Verbum non angelus, sed homo factus est, ac si dicat: Tu dilecte, homo es, sed speciosus forma supra homines. Et vere Christus supra homines formosus est: nam si respicias divinitatem, infinita pulchritudine præditum videbis; si respicias spiritualem animæ pulchritudinem, speciosus Christus est præ omnibus spiritibus creatis; si respicias splendorem corporis ejus glorificati, pulchrior sole est, et pulchritudinem ejus sol et luna mirantur. Sequitur: « Diffusa est gratia in labiis tuis, » quibus verbis laudat eumdem Christum a gratia sermonis; quæ mirum in modum pulchritudinem ipsam commendat. Dicitur autem, « diffusa gratia in labiis, » ut ostendatur permanens et naturalis fuisse Christo gratia sermonis, non acquisita per studium, aut exercitationem. In Evangeliis legimus *Luc.* IV: « Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius. » Et *Joan.* VI: « Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. » Experti sunt S. Petrus, S. Andreas, S. Jacobus, S. Joannes, S. Philippus, sed præcipue S. Matthæus vim verborum ejus, et energiam in sermone ejus latentem, qui ad simplicem vocationem subito efficacissime tracti et persuasi, relictis omnibus, secuti sunt eum. Sed mirabilius est, quod voci ejus venti, et mare, et ipsæ febres ac denique mortui obediebant: quanquam nec mirabile videri debet, si Verbum substantiale et divinum, per carnem assumptam verba gratiæ efficacissima et suavissima loqueretur. Sequitur: « Propterea benedixit te Deus in æternum. » Possunt hæc duplicem sensum facere, et utrumque rectum: potest enim accipi illud, *propterea,* pro *quia*, sive, *propterea quod,* ut sensus sit: « Speciosus es præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, » propterea quod « benedixit te Deus in æternum, » ut benedictio Dei æterna sit causa tantæ pulchritudinis et tantæ gratiæ. Significatur autem per benedictionem hoc loco gratia unionis hypostaticæ, quæ in æternum duratura est; inde enim tanquam ex fonte manaverunt omnia dona, quæ in Christi humanitatem copiosissime fusa sunt. Sed potest etiam, ut Chrysostomus et alii exponunt, simpliciter accipi, *propterea,* pro particula significante effectum, ut sensus sit: « *Quia* speciosus es præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, » id est, quia amabilis et gratiosus es præ omnibus, ideo te Deus præ omnibus dilexit, et benedixit in æternum. Ex quibus verbis non debet colligi Christum non fuisse amatum, et benedictum a Patre, antequam appareret ejus pulchritudo, et gratia sermonis; sed hæc fuisse meritum, sive titulum novum amoris: quomodo dicit ipse Christus *Joan.* X: « Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. » Et Apostolus *Philipp.* II: « Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. » Videtur tamen prior expositio anteponenda.

Christus speciosus præ filiis hominum cur dicatur?

Verbi Dei sermonis vis et efficacia.

4. ACCINGERE GLADIO TUO SUPER FEMUR TUUM, POTENTISSIME. Vers. 4.

Transit a laude pulchritudinis et facundiæ ad laudem fortitudinis militaris, et poetico more non simpliciter narrat, sed per modum precantis, sive invitantis dicit: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, » id est: Eia, dilecte Deo, qui non solum speciosissimus et gratiosissimus, sed etiam potentissimus et robustissimus es, accingere armis tuis, et veni, libera populum tuum. Quæ sint autem arma ejus, explicat in sequenti versiculo, dicens:

5. SPECIE TUA ET PULCHRITUDINE TUA INTENDE, PROSPERE PROCEDE, ET REGNA. Vers. 5.

Verba illa: « Specie tua et pulchritudine tua, » conjungi possunt cum præcedentibus, ut sit sensus: « Accingere gladio tuo, potentissime, specie tua et pulchritudine tua. » Possunt etiam conjungi cum sequentibus, ut sensus sit: « Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna; » sed utroque modo significatur arma Christi esse speciem et pulchritudinem ipsius. Quod ut intelligatur considerandum est, pulchritudinem veram et summam, ut Augustinus loquitur, esse pulchritudinem spiritualem, quæ nunquam marcescit, et quæ placet oculis, non hominum solum, sed etiam angelorum, et ipsius Dei, qui falli non possunt. Potest autem pulchritudo spiritualis cognosci ex pulchritudine corporali. Sicut enim corporum pulchritudo consistit in proportione membrorum et suavitate coloris, ita pulchritudo spiritualis consistit in justitia, quæ est proportio quædam; et sapientia, quæ splendet instar lucis, vel potius, ut Sapiens loquitur *Sap.* cap. VII: « Luci comparata invenitur prior. » Illa igitur est anima pulcherrima, quæ habet in voluntate justitiam, in intellectu sapientiam. Hæc autem duo, et pulchram reddunt animam, ac per hoc amabilem Deo, et simul arma sunt potentissima, quibus Christus diabolum superavit: pugnavit enim cum diabolo Christus, non sua omnipotentia, ut poterat, sed sapientia et justitia; sapientia vincens astutiam, et justitia vincens malitiam. Diabolus enim astutia sua primum hominem impulit, ut per inobedientiam Deum irritaret, et Deo quidem honorem, sibi autem, et toti humano generi vitam beatam detraheret: cum hac autem astutia, malitia, sive invidia conjuncta fuit; id enim fecit diabolus, quia torquebatur invidia, quod homo ad cœlum aliquando ascensurus videretur, unde

Pulchritudo summa et vera est spiritualis.

Anima sapientissima quæ sit?

Christus in quibus diabolum superavit?

ipse deciderat; sed Christi sapientia vicit astutiam, quoniam per obedientiam suam in natura humana Deo exhibitam, reddidit honorem Deo multo majorem, quam per inobedientiam Adami amiserat; et simul per eamdem obedientiam exaltavit genus humanum ad gloriam multo sublimiorem, quam ea futura esset, ex qua exciderat: Christus præterea charitate sua, quæ est vera, et perfecta justitia, vicit invidiam et malitiam diaboli : quoniam inimicos dilexit, et in ipsa cruce pro persecutoribus oravit, et pati ac mori voluit, ut inimicos suos Deo reconciliaret, et ex inimicis amicos et fratres, et cohæredes suos efficeret. Hoc est igitur quod nunc dicit : « Specie tua et pulchritudine tua, » id est, decore tuo, qui in specie sapientiæ et pulchritudine justitiæ consistit, quasi gladio et arcu accinctus, et instructus « intende, prospere procede, et regna, » id est, dirige cursum tuum ad prælium contra diabolum, prosperare in prælio, et devicto ac debellato Principe hujus mundi, acquire tibi regnum, ut tu deinceps in cordibus hominum per fidem et charitatem regnes. Per verbum *intende*, S. Joannes Chrysostomus exponit, *intende sagittas*, quæ expositio probabilis est, quia paulo post dicitur, « sagittæ tuæ acutæ. » Illud est certum ex textu originali, per *intende* non posse recte exponi *attende*, vel *considera;* sed solum, *intende sagittas*, aut *intende*, seu *dirige iter*. Quod attinet ad verba, ex hebræo S. Hieronymus sic reddit, *gloria tua et decore tuo prospere ascende*. Sed Septuaginta Interpretes aliter acceperunt, vel aliter legerunt easdem voces hebraicas, iisdem litteris servatis. Ubi enim Hebræi repetunt, *decore tuo*, quia legunt והדרך *vahadareca*, Septuaginta legerunt, *vahadrec*, quod significat, *et intende*, sive *dirige*, a voce דרך *darac*. Et vocem צלח *tselach*, quam S. Hieronymus accepit pro adverbio, et reddidit *prospere*, Septuaginta acceperunt pro verbo imperativi modi, et verterunt, *prospere procede*, sive *prosperare*. Et vere vox illa utroque modo accipi potest. Denique vocem רכב *recab*, quam S. Hieronymus recte vertit, *ascende*, Septuaginta verterunt *regna*, quia sensum potius respexerunt, quam verbum : nam per ascensionem, regnum interpretati sunt. Potest etiam eadem vox hebraica, et magis adhuc proprie significare, *sede in curru*, vel *in equo*, quæ ad regnum referri possunt. Nam, cum reges inaugurabantur, equum regium vel mulam regiam equitabant, ut colligitur ex primo capite libri tertii *Regum;* et, sedere in curru triumphali, proprium est regum, qui hostes prælio vicerunt.

Vers. 6.

6. PROPTER VERITATEM, ET MANSUETUDINEM, ET JUSTITIAM, ET DEDUCET TE MIRABILITER DEXTERA TUA.

Explicat rationem cur Christus merito regnare debeat, quia videlicet habet virtutes regias : ac si diceret : « Prospere procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, » id est, quia non desunt tibi regiæ virtutes. Hebræus codex clarius explicat hunc locum, ut possit esse vice commentarii; sic enim habet, *propter verbum veritatis et mansuetudinem justitiæ*. Ex quibus verbis docemus duo esse necessaria regi, ut sit verax, sive fidelis in verbis suis, et justus in operibus suis : quod etiam de Deo summo rege dicitur in *Psalm.* CXLIV : « Fidelis Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Sed quia justitia judicis solet habere annexam asperitatem, quæ est quasi nævus justitiæ, ideo Christi justitiæ, quæ perfectissima est, adjungitur mansuetudo. Est enim Christus mansuete justus, id est, justissime judicat, sed sine morositate, sine asperitate, sine arrogantia; non absterret, sed conciliat sibi subditos. Sic igitur verba nostræ editionis explicanda sunt: « regna propter veritatem, » quam in verbis et promissis tuis semper observas, « et mansuetudinem, et justitiam, » id est, propter mansuetudinem, quam justitiæ semper admisces. « Et deducet te mirabiliter dextera tua, » id est, et cum his virtutibus regnans, mirabiles progressus regni tui videbis, neque egebis auxilio aliorum; sed ipsa dextera tua, virtus, et potentia tua per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, et progredi faciat in regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum. In hebræo legitur paulo aliter quoad verba, sed sensus est idem; sic enim S. Hieronymus vertit : *Et docebit te terribilia dextera tua*, id est, dextera tua vincens, ac sternens hostes docebit te, id est, ostendet tibi, ac cernere te faciet terribiles eventus, strages videlicet inimicorum tuorum.

Duo sunt regi necessaria. Christus est mansuete justus.

Vers. 7.

7. SAGITTÆ TUÆ ACUTÆ (POPULI SUB TE CADENT) IN CORDA INIMICORUM REGIS.

Explicat modum, quo dextera regis Christi deductura sit ipsum in amplificando imperio, dicens : Id fiet, quia *sagittæ*, quas jaculaberis dextera tua, *acutissimæ sunt*, et ideo penetrabunt *inimicorum tuorum corda*, et *populi*, ipsi inimici *sub te cadent*, et tuæ subjicientur potestati. Nomine sagittarum intelliguntur verba Dei, sive prædicatio verbi Dei : hoc enim est generale instrumentum, quo Christus utitur ad regnum suum propagandum; hinc enim ipse dicit in *Psalm.* II : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.» Dicitur autem verbum Dei et gladius, et sagitta, et malleus, et similia, quia cum omnibus his armis similitudinem habet. Dicitur autem sagitta acuta, quia magnam habet efficaciam penetrandi corda, et multo majorem, quam habet humana cujusvis magni oratoris eloquentia. « Vivus est enim, ut Apostolus ait *ad Hebr.* IV, sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. » Illud autem, *populi sub te cadent*, per parenthesim legendum est; et dicuntur populi sagittis vulnerati cadere sub isto Rege,

Verbum Dei gladius et sagitta est.

quia non vulnerantur, ut omnino exstinguantur, sed ut moriantur peccato, et vivant justitiæ, et eo modo subjecti regi Christo remaneant, eique serviant, cui servire regnare est. Illud denique, *in corda inimicorum regis*, in hebræo et græco codice, et in multis latinis manuscriptis, legitur, *in corde*, non *in corda* : sed parum refert utrum legatur *in corde*, vel *in corda*; nam et verum est sagittas verbi Dei penetrare corda peccatorum, et verum est easdem sagittas semel in corde infixas ibidem hærere, et vulnus amoris alere et conservare, et eo modo ex inimicis et peccatoribus, amicos et sanctos facere. In græcis codicibus legitur, *sagittæ tuæ acutæ, potentissime* : sed illud, *potentissime*, non habetur in hebræo. Ex quo intelligimus auctorem latinæ Vulgatæ editionis codicem græcum emendatiorem habuisse, quam sint ii qui nunc circumferuntur; vel certe animadvertisse, illam vocem non esse a Septuaginta Interpretibus in textu positam; sed aliunde irrepsisse.

Vers. 8. 8. SEDES TUA, DEUS, IN SÆCULUM SÆCULI : VIRGA DIRECTIONIS, VIRGA REGNI TUI.

Christus Deus apertissime a Davide vocatur.

Venit tandem ad supremam dignitatem Messiæ, et apertissime vocat eum Deum, et sedem regni ejus æternam esse dicit; quem locum S. Paulus *ad Hebr.* I adduxit ad probandum Christum tanto esse angelis majorem, quanto major est dominus servis, et Deus rebus creatis. Ait igitur : « Sedes tua, » o Christe « Deus, » non temporalis erit, ut fuit Davidis et Salomonis; sed manebit « in sæculum sæculi. Et virga regni tui, » id est, sceptrum tuum, erit semper rectissimum atque justissimum : phrasis enim hebraica est, *virga directionis*, pro *virga rectissima*; sicut etiam, *Deus scientiarum*, pro *Deo scientissimo*.

Vers. 9. 9. DILEXISTI JUSTITIAM, ET ODISTI INIQUITATEM; PROPTEREA UNXIT TE, DEUS, DEUS TUUS OLEO LÆTITIÆ PRÆ CONSORTIBUS TUIS.

Hunc etiam locum dupliciter possumus intelligere, ut illum versiculi tertii, *propterea benedixit te Deus in æternum*. Nam illud, *propterea*, potest significare *effectum*, ut sensus sit, quia « dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, » obediendo usque ad mortem, et mortem crucis, « propterea Deus unxit te oleo lætitiæ, » id est, glorificavit te, « et exaltavit ad dexteram suam, et dedit tibi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *ad Philip.* II. Quæ glorificatio recte dicitur « unctio lætitiæ, » quia per eam finem accepit omnis dolor. Recte etiam dicitur « præ consortibus tuis, » quoniam etiamsi angeli quoque glorificati sint, et homines glorificandi sint, tamen nemo exaltatus, vel exaltandus est ad dexteram Patris, et nemo accepit, vel accepturus est nomen super omne nomen, uno Christo excepto, qui est caput hominum et angelorum, et est simul Deus et homo. Sed rursus illud, *propterea*, significare potest *causam*, et positum esse pro *quia*, sive *propterea quod*, ut sensus sit : « dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, » *propterea quod* Deus unxit te oleo gratiæ spiritualis præ consortibus tuis, quia videlicet unxit te gratia unctionis hypostaticæ, et inde factum est ut in te spiritus sine mensura effunderetur, cæteri autem omnes de plenitudine tua mensuram spiritus acceperunt; quam expositionem sequitur S. Augustinus, et videtur eam sequi S. Basilius, qui hunc locum exponens, dicit Christo fuisse naturalem dilectionem justitiæ, et aversionem ab iniquitate, quoniam illam habuit a nativitate, sive potius a conceptione, et a principio interno : cæteras autem exercitio et labore virtutes acquirere. Observat autem S. Augustinus adversus Hebræos et hereticos negantes Christi divinitatem, in illa repetitione, *Deus, Deus tuus*, priorem vocem esse casus vocativi, posteriorem nominativi, quomodo etiam hunc locum intelligendum esse docet S. Hieronymus in epist. *ad Principiam*. Itaque sensus est : Unxit te, o Christe Deus, Deus Pater tuus oleo lætitiæ; et affirmat idem Augustinus id clarissime apparere in textu græco; proinde existimandum est in textibus græcis, quos nunc habemus, incuria librariorum mutatum esse omega in omicron. Cum autem dicitur Deus Deum unxisse, non intelligimus Deum ratione divinitatis unctum, sed ratione humanitatis; unxit enim Deus Pater Deum Filium, quia Deus Filius homo factus est, et ratione humanitatis gratiam unctionis accepit, ipse tamen Deus Filius unctus dicitur, quia ille homo, qui unctus est, Filius Dei, et Deus est.

angelos et homines.

Christus unctus est ratione humanitatis a Deo Patre.

Vers. 10. 10. MYRRHA, ET GUTTA, ET CASIA A VESTIMENTIS TUIS, A DOMIBUS EBURNEIS : EX QUIBUS DELECTAVERUNT TE FILIÆ REGUM IN HONORE TUO.

Hic versiculus obscurissimus est : explicemus igitur primum vocabula, deinde sententiam. Myrrha succus est notus, amarus, et odoratus; gutta nomen est genericum, sed in græco habetur στάκτη, quæ apud Basilium in explicatione hujus loci, est gutta distillata ex myrrha, ita ut sit quasi flos myrrhæ, id est, pars subtilissima myrrhæ. Sed non videtur verisimile Prophetam dicere voluisse : « Myrrha, et gutta » myrrhæ subtilissima; in hebræo est, אהלות *ahaloth*, quam *aloe* latine dicimus. Est autem aloe succus item amarus et odoratus, sed specie distinctus a myrrha; unde in Evangelio legimus ad Christi sepulturam emisse « Nicodemum myrrhæ et aloes quasi libras centum. » Quod igitur noster Interpres dixit, « guttam, » intelligere debemus guttam esse aloes, ut S. Hieronymus scribit in Epist. *ad Principiam*; vel myrrhæ distillatæ, ut S. Basilius in Commentario docet. Casia denique frutex est,

Christus exaltatus super omnes

unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum et cinnamomum. Per *domos eburneas*, intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore; nam in hebræo non est בית *baith*, quod proprie *domum* significat, sed היכל *hechal*, quod *palatium, basilicam* et *templum* significat. Nomen etiam græcum βαρίων ἐλεφαντίνων magna palatia significat, ut dicit S. Basilius. Itaque improbabile est, quod aliqui volunt, domos eburneas esse cellas aromatum, et magis improbabile, quod alii volunt, esse thecas, sive arcas, in quibus vestimenta, vel aromata conservantur. At, inquiunt, thecæ fiunt ex ebore, non autem palatia : verum est, sed non dicuntur hoc loco domus eburneæ, quasi totæ sint ex ebore, sed quod tectæ sint ebore : quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis porta aurea, quod essent deauratæ, vel auri laminis coopertæ, non quod totæ essent aureæ ; et sic intelligimus illud III *Reg.* XXII : « Domus eburnea, quam ædificavit Achab. » Et *Amos* III : « Peribunt domus eburneæ. » S. Gregorius lib. XXXV *Moralium*, cap. XIII, legit *a gradibus eburneis* ; sed id natum esse ex ambiguitate vocabuli, colligitur ex S. Hieronymo in epist. *ad Principiam*. Scribit enim vocem græcam βαρίων ambiguam esse, et significare posse *gradibus*, et *palatiis*, sive *domibus*, inde aliquos Latinorum hac ambiguitate deceptos vertisse, *a gravibus eburneis* ; sed quia hoc nihil significat, credibile est mutatum fuisse et scriptum, *a gravibus eburneis*. Per *filias regum*, intelligi possunt multitudines variorum regnorum. Scriptura enim passim vocat filiam Hierusalem, filiam Babylonis, filiam Assyriorum, filiam Tyri, pro multitudine populi illarum civitatum, vel gentium. Possunt etiam intelligi, ut verba sonant, filiæ principum, per quas figurate significantur animæ excelsæ, ut dicit S. Basilius ; totus enim hic sermo figuratus est. His expositis, ut ad sensum veniamus, per aromata intelligimus virtutes sive dona Spiritus Sancti, quæ spiritualem odorem spirant ; et quia paulo ante dixerat Propheta Christo : « Unxit te, Deus, Deus tuus, » recte subjungit nunc : « Myrrha et gutta, et casia, » explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt : de quo odore B. Paulus loquitur, cum ait II *Cor.* II : « Christi bonus odor sumus. » Et quoniam in passione sua Christus præcipue spiravit odores maximos virtutum, præcipue fortis patientiæ, humilis obedientiæ, et ardentis charitatis, ideo nominavit myrrham amaram, sed odoratam, quæ convenit patientiæ ; aloem quoque similiter amarum et odoratum, qui convenit humilitati et obedientiæ, de qua B. Paulus : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, » *Philipp.* II ; denique, casiam calidam et odoratam, quæ convenit ardentissimæ charitati, qua etiam pro crucifixoribus oravit, *Luc.* XXVI. Hæc autem aromata manabant a vestimentis et domibus eburneis Christi. « Myrrha, inquit, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, » supple, manant, vel manabant. Per *vestimenta* intelligitur humanitas Christi, quæ quasi veste, aut velo divinitatem tegebat ; per *domos eburneas*, intelligitur eadem humanitas, quæ erat quasi templum sive palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Neque mirum videri debet, si res eadem, vestis et domus dicatur : nam et Apostolus II *Corinth.* V, hæc duo simul conjungit, cum sic loquitur : « Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cœlis ; nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, et non nudi inveniamur ; nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri ; ut absorbeatur quod mortale est a gloria. » Ubi vides corpus mortale dici domum et tabernaculum, et simul vestimentum, quo nollemus expoliari, sed supervestiri ; et similiter domum cœlestem dici vestem et habitationem. Sic igitur Christi humanitas, unde suavissimi odores virtutum spirabant, vestimentum dici potest, et domus eburnea, nisi quis velit vestimentum referri ad animam, domum eburneam ad corpus quod ipse Christus *Joan.* II, *templum* vocavit, cum ait : « Solvite templum hoc, et ego in triduo reædificabo illud. » Neque movere debet, quod in numero multitudinis dicat Propheta, « a domibus eburneis : » nam domus magna est una et multæ propter multitudinem cubiculorum, et cellarum ; unde etiam de domo una dicimus in numero multitudinis, *ædes nostræ*. Sequitur : « Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo, » id est, ex quibus aromatibus, quæ a vestimentis et domibus eburneis humanitatis tuæ spirant, « filiæ regum, » sive animæ regiæ et excelsæ, sive multitudines populorum ex variis regnis, « delectaverunt te, » dum currunt in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines Sanctorum excitatas, et tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Et vere qui spirituali sensu odoratus sentire incipit suavissimum odorem, qui spirat ex patientia, humilitate, charitate Christi, non potest non currere post eum, et quælibet tormenta pati potius, quam se ab illo separari patiatur ; dicit enim cum Apostolo : « Quis nos separabit a charitate Christi ? » *Rom.* VIII. Sed ideo potissimum Christum delectant filiæ regum currentes post odorem unguentorum ipsius, quia id faciunt in honore ejus, id est, ex pura intentione glorificandi Deum. Martyres enim passione sua currentes post Christum, Deum valde glorificabant ; unde dicit Joannes, cap. XXI, de passione S. Petri a Christo illi prædicta : « Significans, inquit, qua morte clarificaturus esset Deum. »

Christus quos odores virtutum in sua passione maxime spirarit ?

Christi humanitas et vestimentum dici potest, et domus.

Vers. 11. 11. ASTITIT REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO, CIRCUMDATA VARIETATE.

Sponsa Christi est quælibet anima perfecta, sed præcipue B. Maria Virgo.

Prophetavit hactenus David de sponso : nunc de sponsa prophetare aggreditur; per sponsam autem intelligunt omnes fere expositores Ecclesiam, quoniam Apostolus *ad Ephes.* v, apertissime docet, Ecclesiam sponsam Christi esse. Hic igitur est principalis sensus, ut per sponsam intelligatur Ecclesia; sed possunt etiam hæc omnia, quæ dicuntur de sponsa, accommodari unicuique animæ perfectæ, et potissimum B. Virgini Mariæ, quæ, licet mater Christi sit secundum carnem, tamen est etiam sponsa secundum spiritum, et inter membra Ecclesiæ primum locum tenet. Itaque non sine ratione hic Psalmus canitur in Festis B. Virginis et aliarum etiam virginum; nec sine ratione de singulis dicitur : « Veni, sponsa Christi. » Ait igitur David Christum alloquens : « Astitit Regina a dextris tuis, » id est, assistet sponsa tua quæ Regina etiam est, cum sit sponsa tua, qui Rex es, « a dextris tuis, » id est, proxima tibi, et in loco summi honoris infra regalem thronum : assistet autem « in vestitu deaurato, circumdata varietate, » id est, in veste pretiosa, qualis decet Reginam. Sed verba singula consideranda sunt. *Astitit* ponitur pro *assistet*, more prophetico qui vident futura, quasi jam facta sint. Præterea notat Chrysostomus non dici *sedit*, sed *astitit*, quia sedere convenit æquali, et ideo filius sedet ad dexteram Patris, ut æqualis; Ecclesia autem, ut inferior, astitit cum cœlestibus potestatibus, quæ assistere dicuntur coram Deo. Verbum hebraicum נצבה *nitsbah*, proprie significat *stetit*, et denotat firmitatem, quasi dicat Propheta : Sponsa tua firmiter tibi adhæsit, et ita constituta et confirmata est, ut nullum sit ei periculum repudii. *Regina* in hebræo est שגל *shegal*, quod uxorem et concubinam significat, inde natæ sunt variæ interpretationes; nam alii verterunt : *Astitit uxor*, alii, *astitit concubina*; sed Septuaginta Interpretes, ut explicarent eam vocem esse intelligendam de vera conjuge, non de concubinis, vertere maluerunt *reginam*; neque enim concubinæ regum, sed solæ legitimæ conjuges appellantur reginæ. « A dextris tuis : » hæ voces non significant sponsam ita esse a dextris sponsi, ut sponsus intelligatur esse a sinistris, sed sponsum collocant in medio et solio altiore, a dextris ejus reginam, a sinistris autem alios principes. Et fortasse voluit Spiritus Sanctus per has voces significare incredibilem dignitatem Ecclesiæ, quæ non solum admittitur ad regnum cœlorum, ut assistat cum angelis ante thronum Dei, sed etiam præcedat angelos, ita ut ipsa Ecclesia ex hominibus sit a dextris, cœtus autem angelorum a sinistris. Nam etiamsi intermixti sint homines sancti angelis sanctis, ut unam civitatem faciant : tamen multi sancti homines multos angelos in regno cœlorum præcedent; et est in Ecclesia hominum beata Virgo, quæ omnes angelos præcedit; et caput hominum et angelorum Christus est, qui non angelus, sed homo est. Hinc autem recte monet S. Joannes Chrysostomus ut cogitent homines, quam ingrati sint tantæ Dei benevolentiæ, quando peccant; Deus enim genus humanum, et præcipue Ecclesiam ex gentilitate et idololatria assumptam, ex profundo peccatorum, et vere ex luto fœcis, exaltavit ad summam dignitatem, ut cum angelis in regno cœlorum assistat, et sponsæ Dei nomen obtineat. Idque totum ex sola charitate sponsi cœlestis, qui « dilexit eam, et tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, et mundaret, et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, » ut scribit Apostolus *ad Ephes.* v. « In vestitu deaurato circumdata varietate ; » pro his omnibus verbis non sunt in textu hebraico, nisi hæc duo verba, בכתם אופיר, id est, *in auro de ophir*, quæ verba S. Hieronymus vertit, *in diademate aureo*, alii aliis modis. Sed Septuaginta Interpretes explicare voluerunt quid includeretur in illa generali voce hebraica, et recte dixerunt significari vestem pretiosam, et omnia alia ornamenta sponsæ quæ pro varietate membrorum varia sunt, ut diadema, monile, cingulum, calcei, et similia; quæ explicatio desumpta videtur ex eo, quod paulo infra dicitur : « In fimbriis aureis circumamicta varietatibus. » Quid autem hæc significent spiritualiter, Patres non uno modo exponunt; S. Augustinus per aurum intelligit *sapientiam*; per vestem, *doctrinam*; per varietatem, *linguas varias*, quibus hæc eadem doctrina ecclesiastica prædicatur. S. Basilius intelligit quidem per vestem auream doctrinam ecclesiasticam; sed per varietatem, varia dogmata moralia, naturalia, theorica, practica, etc. S. Hieronymus et S. Chrysostomus intelligunt per vestem auream gratiam justificationis, per varietatem varias virtutes, fidem, spem, dilectionem, humilitatem, et alias. Quæ explicatio confirmari potest ex cap. XIX *Apoc.*, ubi dicitur « Sponsa ornata byssino splendenti et candido; » et exponens S. Joannes dicit : « Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. » Posset addi, non solum varietatem ornamentorum sponsæ consistere in variis virtutibus, quæ singulis necessariæ sunt, sed etiam in variis donis, quæ pro varietate membrorum Ecclesia possidet : alia enim sunt dona Apostolorum, alia Martyrum, alia Virginum, alia Doctorum, alia Confessorum, et alia aliorum.

Homines sancti admixti angelis in cœlesti beatitudine.

Vers. 12 12. AUDI, FILIA, ET VIDE, ET INCLINA AUREM TUAM; ET OBLIVISCERE POPULUM TUUM ET DOMUM PATRIS TUI.

Filia cur Ecclesia dicatur?

Alloquitur nunc ipsam Ecclesiam, eamque fideliter et pie monet. Vocat autem *filiam*, vel quia loquitur in persona Dei Patris, ut S. Hieronymus dicit, vel quia loquitur ut unus ex Patribus Ecclesiæ, ut dicit S. Augustinus. Sed quando sponsa

intelligitur B. Maria Virgo, tunc omnino proprie, filiam vocat David, quia ex ejus carne propagata est. « Audi, filia, » inquit, id est, audi vocem sponsi tui, « et vide, » id est, considera diligenter quæ audis, « et inclina aurem tuam, » id est, humiliter obedias præceptis ejus, « et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, » id est, ut facilius sponso servias, obliviscere mundum, et quæ in mundo sunt : nam ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit; et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet, sicut et sponsus de mundo non est : mundus autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de paradiso ejectus fuit in hunc mundum; nisi magis placeat, per patrem intelligi diabolum, qui est pater omnium iniquorum, juxta illud *Joan.* VIII : « Vos ex patre diabolo estis. » Et certe, qui cogitabunt quæ supra diximus de ineffabili amore Sponsi, qui tradidit semetipsum, ut nos de profundo lacu erueret, et in summum cœlum transferret, et faceret nos gloriosam sponsam suam, non difficulter amorem suum a mundo abstrahent, ut totum in sponsum transferant. Vox autem illa, *obliviscere*, magnam emphasim habet : significat enim radicitus a mundo amorem abstrahendum, ut non solum a desiderio et cogitatione, sed etiam a memoria omnium recedat, ac si nunquam fuisset.

Christi amor erga nos ineffabilis.

Vers. 13. 13. ET CONCUPISCET REX DECOREM TUUM : QUONIAM IPSE EST DOMINUS DEUS TUUS, ET ADORABUNT EUM.

Reddit rationem, cur debeat Sponsa oblivisci populum suum et domum patris sui, ut tota sit amori et obedientiæ Sponsi cœlestis intenta : quia videlicet sic fiet, ut rex concupiscat pulchritudinem illius videre, et apud se habere. Et quoniam vera sponsæ pulchritudo interior est, ut paulo infra clarius explicatur, ubi dicitur : « Omnis pulchritudo filiæ Regis ab intus, » et in virtutibus consistit, ac præcipue in obedientia mandatorum ejus, sive in charitate, a qua dependent omnia mandata; ideo addit : « Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, » id est, ideo diliget pulchritudinem tuam, quæ in obedientia ipsius posita est, « quoniam ipse est Dominus Deus tuus. » Nihil enim magis requirit a servis dominus, neque Deus a creaturis, quam obedientiam. Et ut intelligamus hunc sponsum esse Dominum absolute, et Deum verum, addit : « Et adorabunt eum, » id est, sponsus tuus non est talis, ut cum eo prætendere possis æqualitatem, sed est quidem sponsus tuus per gratiam, sed Dominus tuus, et omnium creaturarum per naturam, et illi ab omnibus debetur adoratio. In hebraico textu non habetur *Deus*, sed solum *Dominus*, ubi nos habemus : « Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. » Sed non solum Septuaginta, verum etiam S. Hieronymus, verterunt, *Dominus Deus tuus*; et ex adoratione illi debita colligitur, eum esse non Dominum tantum, sed etiam Deum, id est, non dominum qualemcumque, sed supremum Dominum. In eodem hebraico textu, ut etiam in græco, habetur, *et adorabis eum;* sed in sensu non est discrepantia : Deum enim adorare debent omnes creaturæ, proinde ipsa etiam sponsa debet adorare; neque lectio ista, *adorabunt eum*, recens est : nam invenitur apud S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysostomum, et alios; imo S. Hieronymus in epist. *ad Principiam* dicit Septuaginta vertisse, *adorabunt eum*. Proinde lectio græca, quæ nunc habet, *adorabis eum*, non est ex editione Septuaginta Interpretum, vel corrupta est. Et quia, ut sæpe diximus, Septuaginta Interpretes habuerunt optimos codices hebraicos, credendum est lectionem hebraicam ab eo tempore librariorum errore fuisse mutatam, quod facile fieri potuit, cum voces hebraicæ, *adorabunt*, et *adorabis*, non differant, nisi in ultima littera, *iod* et *vau* videlicet, quæ facile variari potuit propter summam inter eas similitudinem.

Nihil magis requirit a suis Deus quam obedientiam.

14. ET FILIÆ TYRI IN MUNERIBUS VULTUM TUUM DEPRECABUNTUR, OMNES DIVITES PLEBIS. Vers. 14.

Quia dixerat : « Et adorabunt eum, » Sponsum videlicet, addit ipsam etiam Sponsam, ut Reginam, muneribus et supplicationibus honorandam. « Et filiæ Tyri, inquit, in muneribus vultum tuum deprecabuntur, » id est, et filiæ gentilium, inimicorum antea Sponsi tui, subjicientur imperio ejus, et venient ad te, ac faciem tuam deprecabuntur, non solum precibus verborum, sed etiam donis et muneribus. « Omnes divites plebis, » id est, quod dixit de filiabus Tyri, intellige potissimum de potentioribus, quales in primis divites esse solent. Hoc etiam loco singula fere verba explicationem propriam desiderant. *Et filiæ* in hebræo est בנות *ubath, et filia*, et sic legunt SS. Basilius et Chrysostomus, et græcus codex nunc ita habet; sed tamen S. Hieronymus et Augustinus in Commentario legunt : *Et filiæ*. Si legamus : *Et filia Tyri*, significabitur civitas, sive populus Tyri, quo modo dicimus, filia Babylonis, filia Hierusalem; si legamus : *Et filiæ*, significabuntur feminæ civitatis Tyri; meminit autem feminarum potius quam virorum, quia sponsam alloquitur : solent enim ad reginam familiarius feminæ accedere, quam ad regem viri. Sed sicut per sponsam non intelligimus hoc loco veram mulierem, sed Ecclesiam, quæ viros feminasque complectitur, sic etiam per filias Tyri intelliguntur omnes gentiles, sive masculi, sive feminæ sint. Tyri vox hebræa, צור *tsor*, ambigua est : nam et robustum, sive potentem significare potest, et simul etiam civitatem, quæ dicitur Tyrus. Sed Septuaginta Interpretes Tyrum interpretati sunt, et eam interpretationem secutus est latinus Interpres; et omnes Patres græci et latini eam exponunt, excepto

S. Hieronymo in epist. *ad Principiam*, qui *filiam fortissimam* et legere maluit, et exponere. Porro Tyrus civitas erat gentilium magna, et celebris, et in finibus terræ promissionis, et ideo a vicina civitate denominavit Propheta omnes gentiles. « In muneribus : » munera vocat oblationes, quas gentiles conversi ad fidem obtulerunt in ædificationes, vel ornamenta ecclesiarum, in alimoniam pauperum, et similia opera bona. « Vultum tuum deprecabuntur : » S. Basilius, et quidam alii per vultum Sponsæ, intelligunt caput Ecclesiæ, id est, Christum ; sed simplicior expositio est, ut per vultum Sponsæ, ipsa Ecclesia intelligatur : est enim phrasis hebraica, deprecari vultum alicujus, pro eo quod est, deprecari aliquem, ut I *Reg.* XIII : « Faciem Domini non placavi ; » et *Psalm.* XCIV : « Præoccupemus faciem ejus in confessione ; » et *Psalm.* CXVIII : « Deprecatus sum faciem tuam. » Dicimur autem deprecari faciem, quia cum precamur aliquem, faciem ejus aspicimus, et ex faciei tristitia vel hilaritate intelligimus, an ille sit nobis propitius vel iratus, quem precamur. « Omnes divites plebis. » Hæc est appositio, quasi dicat : Filiæ Tyriæ in muneribus vultum tuum deprecabuntur ; non omnes in muneribus, sed divites tantum.

Vers. 15. 15. OMNIS GLORIA EJUS, FILIÆ REGIS, AB INTUS, IN FIMBRIIS AUREIS CIRCUMAMICTA VARIETATIBUS.

Quia sæpe David de pulchritudine et ornatu Sponsæ locutus est, ne quis forte putaret ea corporalia esse, occurrit hoc loco ejusmodi carnalibus cogitationibus, ac dicit : « Omnis gloria, » sive decoris faciei, sive pretiosarum vestium, hujus « Reginæ, ab intus est, et si fimbriis aureis ornata, et circumamicta » dicitur variegata veste, ista omnia spiritualia sunt, interna sunt, in corde requirenda sunt. Hinc S. Petrus monet christiánas mulieres, I *Petr.* III, ut ad similitudinem hujus Sponsæ ornatum interiorem adhibeant. « Quarum, inquit, non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus ; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus. » Neque tamen reprehendendus est exterior cultus ecclesiarum in sacramentorum celebratione, in ornatu altarium, in sacris solemnitatibus : non enim hic agitur de materiali ecclesia, sed de hominibus, qui populus Dei, et Christi membra sunt, quorum præcipua pulchritudo et ornatus in virtutibus consistit, ut supra diximus ; ex quibus tamen virtutibus nasci debent extrinsecus opera bona, « ut qui ea vident, glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est, » ut Salvator docet, *Matth.* VI. Porro per fimbrias aureas, nihil aptius intelligi posse videtur, quam ipsa charitas, quæ comparatur auro, quia pretiosissima et præstantissima virtutum omnium est ; et similis fimbriis dici potest, quia sicut a fimbriis desinunt vestimenta, et ab eisdem fimbriis fulciuntur, ita finis omnium mandatorum et virtutum est charitas, et a charitate dependent omnia mandata, et ab eadem formantur, et perficiuntur omnes virtutes. Quid sit autem vestis variegata, supra diximus. De hac autem variegata veste loqui videtur Apostolus, cum ait : « Induimini viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, » etc., *Coloss.* cap. III. Quod attinet ad verba, illud pronomen, *ejus*, non habetur nunc in hebraico, vel græco textu ; tamen legitur a S. Hieronymo in epist. *ad Principiam*, et in Commentario Psalmorum, tanquam ex versione Septuaginta, et legitur etiam a S. Augustino ; et vox hebraica, si legatur cum puncto in ultima littera, significabit, *gloria ejus*. Verum tamen est, illud *ejus* esse referendum ad phrasim hebraicam, et secundum latinam phrasim redundare. Quod autem Sponsa dicatur filia regis, mirum esse non debet ; nam sponsa filii regis, usitate dicitur *filia regis patris*, quia sponsus et sponsa sunt duo in carne una. Non ignoro in textu hebraico diversam esse interpunctionem a græca et latina interpunctione, sed non multum curanda est interpunctio, quæ a Rabbinis adjuncta est codici hebraico, et magis credendum est Septuaginta Interpretibus, quam omnibus Rabbinis posterioribus.

Cultus exterior ecclesiarum in celebratione Missarum non est reprehendendus.

Vers. 16. 16. ADDUCENTUR REGI VIRGINES POST EAM, PROXIMÆ EJUS AFFERENTUR TIBI.

Quamvis unica sit sponsa Christi, eaque unice dilecta, id est, Ecclesia universalis, tamen post eam sunt etiam Christi sponsæ, præcipua quadam prærogativa præter cæteros fideles, illæ animæ, quæ in carne virginitatem suam Deo voverunt, et ipsi soli placere studuerunt. De quibus dicit Apostolus, I *Cor.* VII : « Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo : qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est ; et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu : quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. » De his loquitur nunc Propheta, et virginitatem, quæ Christo virgini mirifice placet, quippe qui pascitur inter lilia, his duobus versiculis commendat. « Adducentur, inquit, regi Christo virgines post eam, » id est, post principalem sponsam Ecclesiam, adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi cœlestis omnes illæ animæ, quæ virginitatem suam Deo dicarunt. « Proximæ ejus afferentur tibi, » id est, illæ virgines solæ afferentur tibi Sponso, quæ principali sponsæ tuæ Ecclesiæ proximæ fuerint, id est, quæ illi conjunctæ, atque unitæ fuerint, quod dicitur, ut SS. Patres Basilius et Augustinus, et alii exponunt, ad hæreticos et schismaticos excludendos : virginitas enim extra Ecclesiam non habet sponsæ prærogativam. Et quoniam initio diximus, quæ in hoc Psalmo legimus de Sponsa, posse intelligi etiam de B. Maria matre Domini, quæ virginum

Christi sponsæ quæ virginitatem suam Deo voverunt.

Virginitas extra Ecclesiam non habet sponsæ prærogativam.

Regina jure appellatur : possumus etiam quæ sequuntur de illa exponere, ut sensus sit, adducendas esse ad Christum omnes veras virgines post eam, id est, post matrem Domini ; et proximas ejus, id est, quæ illi per imitationem æternæ integritatis propinquarunt, afferendas esse ad nuptias ejusdem sponsi, et regis Christi.

Vers. 17. **17. Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis.**

Explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum: « Afferentur, inquit, in lætitia et exultatione,» id est, afferentur virgines ad nuptias cum magno plausu et jubilo totius cœlestis Jerusalem. Fortasse etiam notatur hoc loco canticum illud, quod soli virginum choro in cœlesti regno cantare licet : de quo sic legimus in *Apocalyp.* cap. XIV : «Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra : hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit.» Felices animæ, quæ sequuntur Agnum itinere virginali gradientem, et in lætitia et exultatione dicunt canticum novum, ignotum videlicet antiquis Patribus, quod nemo alius dicere potest; et cum hoc jubilo adducentur in templum Regis, id est, in cœleste tabernaculum, quod et palatium propter magnificentiam, et templum propter sanctitatem dici potest.

Vers. 18. **18. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.**

Exposuit hactenus Propheta dignitatem et ornamenta Sponsi et Sponsæ: nunc fructum nuptiarum exponit, dicens nasciturum ex hoc matrimonio felicissimam prolem, quæ toti orbi terrarum imperatura sit. Dubium autem est, ad quem loquatur Propheta, ad Sponsum; an ad Sponsam : ad Sponsum loqui dicunt aliqui recentiores, ea ratione ducti, quod in hebræo illa pronomina, *tuis* et *tibi*, sint generis masculini; ad Sponsam autem hunc sermonem dirigi, docent SS. Patres, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum iis Euthymius in Commentariis. S. Hieronymus, in epist. *ad Principiam*, utroque modo exponi posse affirmat : quod quidem verum est; sed Patrum communis sententia præferenda est: neque repugnat huic sententiæ textus hebraicus, si puncta removeantur, vel mutentur, ut periti facile intelligunt. Quoniam igitur monuerat Sponsam Propheta, ut oblivisceretur populi sui et domus patris sui, id est, majorum suorum; nunc eam consolatur promittens copiam filiorum loco patrum, quos reliquit, et quorum oblivisci jussa est; et simul, ut diximus, prædicit fructum nuptiarum Sponsi cœlestis et Ecclesiæ sponsæ felicissimum fore. « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii,» id est, pro patribus, quos habuisti, et jam mortui sunt, id est, pro Patriarchis, et Prophetis, et pro patribus, quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci jussa es, « nati sunt tibi filii, » id est Apostoli, et Discipuli Christi, qui tantæ excellentiæ erunt, ut toti orbi leges dare possint; ideo « constitues eos principes super omnem terram.» Vere enim Apostoli, primi Ecclesiæ filii, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis monarcha facere potuit. Nam, ut S. Joannes Chrysostomus notat, monarchæ Romanorum non potuerunt Persis leges dare, neque Persæ Romanis; Apostoli vero, et Romanis, et Persis, et omnibus aliis gentibus leges dederunt. Et sicut in prima ætate Ecclesia, pro patribus Patriarchis, filios Apostolos habuit : ita etiam in sequenti ætate pro patribus Apostolis filios episcopos habet, qui si non singuli, omnes tamen principes sunt super omnem terram ; et hoc modo per successores episcoporum, semper Ecclesia pro patribus filios habet, quos in patrum sedibus et dignitate constituat.

Apostoli toti orbi leges dederunt, quod nullus præter ipsos facere potuit.

Episcopi principes sunt Ecclesiæ loco Apostolorum.

Vers. 19. **19. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione et generationem.**

Concludit Psalmum, dicens spirituales has nuptias in Psalmo decantatas, et fructum nuptiarum, id est, nobilissimam prolem ex hoc sancto connubio nasciturum, non alium finem habituram, nisi perpetuam Dei laudem. Nam, inquit, filii isti, qui patribus substituentur,» et ipsi quoque patres filiorum evadent, «memores erunt nominis tui,» id est, cantabunt potentiam et gratiam tuam «in omni generatione et generationem.» In hebræo et græco codice habetur in singulari, *memor ero nominis tui*, et sic legunt græci Patres, et sic etiam habetur in plurimis latinis codicibus manuscriptis ; sed quoniam SS. Hieronymus et Augustinus in Commentariis legunt, *memores erunt nominis tui*, et Ecclesia in officio Ecclesiastico, cum festos dies Apostolorum celebrat, hos versiculos ita canit, non visum fuit expedire, ut in bibliis recognitis tempore Sixti V et Clementis VIII hic locus mutaretur, præsertim cum in sensu nulla sit diversitas. Qui enim legunt, *memor ero nominis tui*, volunt hoc dici a Propheta, qui pollicetur Deo, se omni tempore cantaturum Dei laudes ob tam ingentia beneficia humano generi præstita, quæ in hoc Psalmo explicata sunt. Cæterum, quia David moriturus erat, et non poterat ipse per se in omni generatione et generationem canere laudes Dei, dicunt illum significare voluisse se cantaturum per alios, qui sibi invicem succedentes usque ad mundi consummationem Psalmos istos cantaturi erant. Hæc autem expositio non est diversa a superiore; idem enim est dicere : *Ego memor ero nominis tui, et cantabo laudes tuas per memoriam, et linguam aliorum*, qui sibi invicem succedent; et : *Filii tui*, qui sibi invicem succedent, *memores erunt nominis tui, et has laudes tuas a me conscriptas perpetuo decantabunt.* Notat autem S. Joannes Chrysostomus, Davidem prophetam

præter alia multa, quæ prævidit et prædixit, hoc etiam de suorum carminum æternitate prævidisse et prædixisse, quod videlicet nullo unquam tempore ipsorum celebratio intermittenda esset; quam prophetiam impletam esse et quotidie impleri cernimus.

Vers. 20. 20. PROPTEREA POPULI CONFITEBUNTUR TIBI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Ex eo quod Apostoli, et eorum successores episcopi, semper memores futuri erunt nominis Domini, et laudes ejus cantaturi et prædicaturi, recte colligit Propheta id etiam futurum esse, ut populi fideles ab episcopis instituti, confiteantur Domino laudes ejus « usque in æternum, et in sæculum sæculi, » in hac vita, et in futura: quamvis enim in patria cessabunt preces et lacrymæ, tamen laudatio et glorificatio non cessabunt.

PSALMUS XLVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, filiis Core, pro arcanis Psalmus.*

2. Deus noster refugium et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.

4. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

6. Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

7. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

8. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

9. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: 10. Auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni.

11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus; exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

12. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

V. S. H. *Victori, filiorum Core, pro juventutibus canticum.*

Deus nostra [*h. nobis*] spes et fortitudo, auxilium in tribulationibus inventus es validum.

Ideo non timebimus cum fuerit translata terra, et concussi montes in corde maris,

Sonantibus et tumentibus gurgitibus ejus, agitatis in montibus in potentia ejus. SEMPER.

Fluminis divisiones ejus lætificant civitatem Dei sancti, tabernacula Altissimi.

Deus in medio ejus non commovebitur: auxiliabitur ei Deus in ortu matutino.

Conturbatæ sunt gentes, concussa sunt regna: dedit vocem suam, prostrata est terra.

Dominus exercituum nobiscum, protector noster Deus Jacob. SEMPER.

Venite et videte opera Domini: quantas [*h. quot*] posuerit solitudines in terra.

Compescit bella usque ad extremum terræ, arcum confringet, et concidet hastam [al. *hastas*]: plaustra comburet igni.

Cessate et cognoscite quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.

Dominus exercituum nobiscum, fortitudo nostra [*h. susceptor noster*] Deus Jacob. SEMPER.

Argumentum. — Cum a maximis periculis in apparatu et molitionibus bellicis, vel obsidione etiam, ab exteris gentibus liberata esset Hierosolymorum urbs, et terra Israelitica pacata, hoc ingens beneficium celebrat hic Psalmus. Hanc liberationem esse eam quæ *Isai.* XXXVI et XXXVII narratur, internecionem puta exercitus Assyriorum, cui præerat Sennacherib, tempore Ezechiæ, dubitabit nemo, qui capita Isaiæ supradicta cum nostro Psalmo attente contulerit. Strophæ tres: vers. 2-4, nobiscum Jova est, nil timemus, quamvis perturbatur orbis; vers. 5-8, tumultuentur populi, corruant regna; vers. 9-12, Jova belli finem facit, hostes in perniciem agit.

1. Præcentori, *carmen* Coraitarum, ad modum alamoth, canticum.

2. Deus nobis est refugium roburque;
auxilium in angustiis repertus est valde (validum).
3. Propterea non timemus dum mutatur terra,
et dum moventur montes in corde (medio) maris (siti ac fundati).

4. Fremant, exæstuent aquæ ejus (maris),
tremiscant montes in fastu (elatione fluctuum) ejus.

5. Flumen, rivi ejus lætitia afficiunt civitatem Dei,
locum sacrum habitationum Altissimi.
6. Deus in medio ejus *est*, non *ea* nutat;
adjuvat eam Deus appetente mane (cito).
7. Fremunt gentes, nutant regna :
edit voce sua *tonitru Jova*, dissolvitur *statim* terra (pavore).
8. Jova exercituum nobiscum *est*,
refugium nobis *est* Deus Jacobi.

9. Agite, contemplamini facinora Jovæ,
qui efficit vastitates (alii, *stupenda*) in terra;
10. Qui cessare facit bella usque ad fines terræ,
arcum confringit et præcidit hastam,
currus comburit igne.

11. « Desistite, et agnoscite, quia ego *sum* Deus,
emineo inter gentes, emineo in terra. »
12. Jova exercituum nobiscum *est*,
refugium nobis Deus Jacobi.

NOTÆ.

Vers. 1. *Alamoth*, instrumentum ita dictum, i. e. fidium acutissimi toni : conf. I *Paral.* xv, 20 : ita Rosenmullerus et Maurer. Gesenius vero et Hengstenberg vertunt, *super virginibus*, id est, ad eum modum, qui puellarum est, acutissimum puta. — Vers. 2. *Angustiis* : post hanc vocem in hebr. subaudiendum relativum אשר existimavit Alexandrinus. — Vers. 3. Hæ mutationes motusque non sunt tam physicæ, quam figuratæ et morales. — Vers. 5. Ingentibus illis rerumpublicarum subversionibus, quas concitati maris æstibus comparaverat, jam opponit Hierosolymorum tranquillam lætamque, Deo præside, securitatem, quam rivis confert leniter fluentibus. Argutari Rosenmullero videntur, qui aquas *Siloe* (*Isai.* VIII, 6) hisce verbis respici existimant. Secundi membri sensus : in quo Altissimus habitat. — Vers. 6. *Appetente* : gall. *dès la pointe du matin*. — Vers. 8. *Refugium*; alii, *arx*. — Vers. 11. Jova populos tumultuantes alloquitur. *Desistite*, me meosque justos impugnare. Alii, *remittite*, scil. conatus.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem filiis Core pro arcanis.

Recentiores Interpretes nonnulli Psalmum hunc scriptum esse volunt in gratiarum actionem, pro victoria Davidis ab inimicis suis Dei auxilio reportata ; sed mirum est nulli veterum Patrum venisse in mentem ejusmodi argumentum. Nam S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius magno consensu docent Psalmum esse intelligendum de liberatione Ecclesiæ christianæ a persecutionibus infidelium. Et confirmari potest hæc explicatio ex titulo Psalmi; illud enim, *pro arcanis*, satis aperte demonstrat Prophetam non loqui de re præterita, sed de futura et ejusmodi, ut tempore Davidis occultissima esset, et nonnisi Deo revelante sciri posse. Igitur Psalmus præsens recte subjungitur Psalmo superiori : in illo enim prædicta est Ecclesiæ exaltatio ob nuptias spirituales cum Rege Christo Domino ; in hoc autem prædicitur persecutio, et liberatio a persecutione ; quæ liberatio potissimum futura est, ut S. Basilius arbitratur, in consummatione sæculi.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS NOSTER, REFUGIUM ET VIRTUS : ADJUTOR IN TRIBULATIONIBUS, QUÆ INVENERUNT NOS NIMIS.

Milites Christi duobus modis tentationes vincunt.

Milites Christi non minus vincunt fugiendo tentationes, quam tolerando. Quando fugiendum est, Deus refugium tutissimum est; quando tolerandum est, Deus virtus, et fortitudo est : utroque autem tempore « adjutor est in tribulationibus : » nam et adjuvat præbendo refugium, et adjuvat præstando victoriam. Illud autem, *quæ invenerunt nos nimis*, significat tribulationes gravissimas fuisse, quæ initio exortæ sunt adversus Ecclesiam, et repente ac inopinato irruisse : nam, ut legitur in *Actis Apost.* cap. II et III, post ascensionem Domini, et adventum Spiritus Sancti, Ecclesia ædificabatur et crescebat in Jerusalem magna cum pace et tranquillitate. « Quotidie, inquit S. Lucas, perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem, et Dominus augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum. » Sed paulo post cœpit vehementissima persecutio, flagellatis Apostolis, Stephano lapidato, et omnibus discipulis dispersis, præter Apostolos. In hebræo textu legitur : *Adjutor in tribulationibus inventus est nimis*, id est, Deus in tribulationibus inventus est auxiliator valde potens. Uterque sensus optimus est; sed quod attinet ad veritatem lectionis, adhærendum est Septuaginta Interpretibus, qui sine dubio vocem illam hebraicam, נמצה *nimsah*, paulo aliter legerunt; alioqui nunquam vertissent *invenerunt*, nisi valde imperiti fuissent. Notat S. Basilius multos habere in ore versiculi hujus verba : « Deus refugium nostrum et virtus, » sed paucissimos ex vero affectu ista pronuntiare, quod inde colligitur, quoniam ad superandas tribulationes tanto ardore confugiunt ad humana præsidia, vel etiam ad artes diabolicas, quasi Dei auxilium pro nihilo haberent. Contra autem S. David ideo dicit : « Deus noster, refugium et virtus, » quia parum omnino in hominum robore, vel armis, vel industria, confidebat.

Vers 2. 2. PROPTEREA NON TIMEBIMUS, DUM TURBABITUR TERRA, ET TRANSFERENTUR MONTES IN COR MARIS.

Vers. 3. 3. SONUERUNT, ET TURBATÆ SUNT AQUÆ EORUM : CONTURBATI SUNT MONTES IN FORTITUDINE EJUS.

Hi duo versiculi obscurissimi sunt, sed nos SS. Patres Basilium et Chrysostomum sequimur. Igitur ex eo quod dixit populus Dei : « Deus, refugium nostrum et virtus, » concludit se impavidum fore, etiam si terra et mare sursum ac deorsum moveantur, et sedes suas horribili cum sonitu mutent. « Propterea, inquit populus Dei, non timebimus, dum turbabitur terra, » id est, dum forte turbabitur terra, sive, etiam si maxime turbetur terra, « et transferentur montes in cor maris, » id est, etiamsi ipsi montes, qui a Deo fundati et radicati videntur, ut immobiles esse censeantur, agitentur, et fluctuent, et in profundum mare præcipitentur, id est, si ita sit, si ista fiant, « non timebimus, » quia Deus omnipotens refugium nostrum et virtus nostra est. « Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum, » id est, non timebimus, etiamsi ex translatione montium in cor maris, resonent et turbentur aquæ maris. Dicit autem *eorum*, id est marium, quia ubi nos habemus, *in cor maris*, in textu hebraico et græco est, *in corda marium* ; noster autem Interpres mutavit numerum multitudinis in numerum singularem in voce *maris*, et reliquit numerum multitudinis in pronomine *eorum*, et inde nata est obscuritas. « Et conturbati sunt montes, » id est, etiamsi ipsi montes translati de terra in mare conturbentur, amissa videlicet stabilitate sua, in fortitudine ejus, in potentia, et robore Dei. Deus enim est, qui solus potest conturbare terram, et transferre montes in cor maris, et ipsum mare, montesque tremefacere, juxta illud *Psalm.* LXXVI, 17 : « Viderunt te aquæ, Deus, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi. » Et *Psalm.* CIII : « Qui respicit terram, et facit eam tremere ; » et *Isai.* LI : « Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus. » Itaque in his versiculis declaratur maxima fiducia populi Dei, qui non timebit, etiam si mundus ruat; et simul insinuatur maxima Dei potestas, qui potest elementa omnia conturbare et movere : sicut revera conturbabit et movebit in consummatione sæculi, quando « erunt terræ motus maximi per loca, et præ confusione sonitus maris et fluctuum arescent homines præ timore, » *Luc.* XII; et tunc populus Dei non solum non timebit, sed aspiciet, et « levabit caput suum, » ut in Evangelio dicitur, « quoniam appropinquabit redemptio ejus, » *Matth.* XXIV. Possunt hæc omnia figurate intelligi, ut per terram intelligantur homines terreni; per montes vero, non solum terreni, sed etiam potentes et superbi, quales erant reges magni, Ecclesiæ inimici; per mare autem, amaritudo tribulationis et pœnarum, quibus in novissima die involventur omnes impii. Itaque turbabitur terra, quando « impii terræ amatores turbabuntur timore horribili, » ut dicitur *Sap.* V; « et montes transferentur in cor maris, » quando magni quondam reges qui Ecclesiam persequebantur, demergentur in profundum abyssi; et tunc sonabunt, et turbabuntur aquæ marium, quando futura ultima tribulatio horrendum in modum turbabit impios, et reges eorum, in fortitudine Dei, quoniam

Expositio moralis.

tunc apparebit quanta sit potestas iræ Dei in peccatores.

Vers. 4. 4. FLUMINIS IMPETUS LÆTIFICAT CIVITATEM DEI, SANCTIFICAVIT TABERNACULUM SUUM ALTISSIMUS.

Vers. 5. 5. DEUS IN MEDIO EJUS NON COMMOVEBITUR, ADJUVABIT EAM DEUS MANE DILUCULO.

Ostendit nunc quare non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, et montes transferentur in cor maris; et rationem esse dicit, quoniam pro amaritudinis abundantia, quæ turbabit impios, dabitur Ecclesiæ abundantia voluptatis, quæ eam lætificabit; et pro instabilitate montium, qui transferentur in cor maris, dabitur Ecclesiæ stabilitas perpetua, quia Deus erit in medio ejus. «Fluminis, inquit, impetus lætificat civitatem Dei,» id est, non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, quia non irruent in Ecclesiam fluctus maris amari; sed fluminis aquæ dulces et claræ magno impetu, magna videlicet copia, et abundantia voluptatis lætificabunt eam. In hebræo habetur, נהר פלגו *nahar pelagav*, *fluminis rivi*, sive *divisiones*, pro eo quod nos habemus ex græco, *fluminis impetus*; sed non sunt contraria: nam rivi aquarum possunt et cum impetu, et sine impetu fluere: voluerunt autem Septuaginta Interpretes declarare rivos illos non remisse et tenuiter fluere, sed cum magna plenitudine et impetu, ad significandam vehementiam dulcedinis, quæ redundat in civitate Dei; sicut in alio *Psalm.* XXXV, dicitur: «Torrente voluptatis tuæ potabis eos.» Addit Propheta: «Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,» quasi dicat: Ideo lætificat civitatem suam Deus, quia eam elegit, et sanctificavit in tabernaculum sibi, eamque esse voluit propriam suam habitationem, juxta illud *Apocalyp.* XXI: «Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt.» «Deus in medio ejus, non commovebitur;» hoc opponitur instabilitati terræ et montium, quasi dicat: Non timebit civitas Dei, ne forte transferatur in cor maris: nam «Deus est in medio ejus,» id est, Deus non recedit ab ea, sed præsentissimus illi adest, utpote «in medio,» in intimis, in corde ejus, et ideo ista civitas non commovebitur, sed æterna stabilitate solidabitur. Et concludit ostendens, unde et quando ista erunt, dicens: «Adjuvabit eam Deus mane diluculo,» id est, lætitia et stabilitas dabuntur civitati Dei, quoniam Deus adjuvabit eam in exortu diei, id est, incipiente die felicitatis æternæ. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei auroræ, visionem Dei claritati diei. B. Paulus *ad Rom.* XIII: «Nox præcessit, dies autem appropinquavit.» Et B. Petrus in II *Epist.* cap. I: «Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.» Et Sponsa in *Cantic.* cap. II: «Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.» Et propheta Malachias cap. IV: «Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ.» Et cum hac sententia satis apte cohæret antiqua lectio, quam habet S. Augustinus, et cujus meminit S. Ambrosius, et quam amplectitur Ecclesia in officio Ecclesiastico: «Adjuvabit eam Deus vultu suo,» id est, adjuvabit eam adjutorio omnium maximo et potentissimo, quando ostendet ei vultum suum, quod tunc erit, quando Sol justitiæ manifeste se illi ostendet, et inchoabit diem illum ab initio mundi a Sanctis omnibus desideratum et exspectatum; de quo dicit Apostolus: «Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem,» II *Timoth.* I.

Vers. 6. 6. CONTURBATÆ SUNT GENTES, ET INCLINATA SUNT REGNA: DEDIT VOCEM SUAM, MOTA EST TERRA.

Prædicit verbis propriis quod figuratis ante prædixerat, destructionem videlicet inimicorum Ecclesiæ, unde pax universalis et perpetua consequetur. Quod igitur antea dixerat de terra et montibus, nunc dicit apertius de gentibus et regnis. «Conturbatæ sunt, inquit, gentes,» quia propinquat interitus earum; «et inclinata sunt regna,» id est, dejecta ab altitudine sua, et usque ad terram prostrata. «Dedit vocem suam,» Deus videlicet intonuit de cœlo, «et mota est terra,» id est, contremuit, vel liquefacta et desolata est terra: nam vox hebraica מוג *mug*, *liquescere* et *dissolvi* est. Quod autem hic dicitur de regnorum terrenorum destructione, prædictum fuit clarius a Daniele cap. II, ubi dicitur: «Regnum Christi consumpturum omnia regna, et ipsum mansurum in æternum;» et explicatum fuit ab Apostolo, I *Cor.* XV, illis verbis: «Deinde finis, cum tradiderit regnum Dei, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.»

Vers. 7. 7. DOMINUS VIRTUTUM NOBISCUM, SUSCEPTOR NOSTER DEUS JACOB.

In his omnibus ruinis gentium et regnorum non timebit populus Dei, quoniam dicere poterit: «Dominus virtutum,» id est exercituum, «nobiscum est, susceptor noster,» id est, qui nos tuendos suscepit, «Deus Jacob» est. Dicitur autem, *Dominus virtutum*, id est exercituum, quoniam omnes angeli, qui plurimi et potentissimi sunt, ad nutum illi obediunt, juxta illud *Psalm.* CII: «Potentes virtute facientes verbum illius.» Nec solum angeli sunt milites Dei, sed omnes omnino res creatæ: nam «ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus,» ut dicitur in *Palm.* CXLVII, et ut dicitur in *Psalm* CXVIII: «Omnia serviunt ei.» Itaque duo argumenta proponuntur in hoc versiculo, quibus apertissime demonstratur posse, ac debere populum Dei nihil timere: primum est, quia Dominus potentissimus, cui omnia militant, hujus populi adjutor est. Alterum, quia hic idem Dominus non solum potest,

sed etiam vult populum suum juvare, cum dici velit Deus Jacob, id est, Deus populi hujus, qui dicitur Jacob a patriarcha illo sancto, et Dei amicissimo, ex cujus progenie carnem sumere dignatus est.

Vers. 8. 8. VENITE, ET VIDETE OPERA DOMINI, QUÆ POSUIT PRODIGIA SUPER TERRAM, AUFERENS BELLA USQUE AD FINEM TERRÆ.

Hortatur omnes gentes, ut cogitent mirabilia opera Dei, atque illud in primis, quod erit in novissimo tempore, quando sublatis omnibus inimicis, vel potius subjectis omnibus sub scabellum pedum Christi, finis erit omnium bellorum, et solus regnabit Deus, nullo amplius resistente, vel rebellante. Quod regnum expectamus et petimus, cum quotidie dicimus in oratione Dominica : « Adveniat regnum tuum. » « Venite, inquit, et videte, » id est, accedite per fidem, et mentis oculis contemplamini, et considerate « opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, » id est, considerate opera, quæ Deus ponet (nam præteritum ponitur hic pro futuro more prophetico) super terram, tam admiranda, et stupenda, ut prodigia nominari possint. Ponet autem hæc prodigia « auferens bella usque ad finem terræ; » vere enim mirabile est, potuisse ex tota terra usque ad ultimos ejus fines auferri bella, et ita auferri, ut in æternum renovari non possint. Ex hebræo S. Hieronymus vertit, *quantas posuerit desolationes in terra*, pro eo quod nos legimus, *quæ posuit prodigia super terram* : et sensus idem est; nam ex desolatione totius terræ translatis justis in cœlum, et detrusis impiis in infernum, orietur cessatio bellorum in universa terra. Verbum tamen hebraicum שמות *shammoth* utrumque significat, *desolationes* et *admirationes*, sive *prodigia* : nam vox שמם *shamam* significat *admirari* et *desolari*; proinde Septuaginta Interpretes recte verterunt *prodigia*, cum vox hebraica id significet, quamvis etiam desolationes significare possit.

Vers. 9. 9. ARCUM CONTERET, ET CONFRINGET ARMA, ET SCUTA COMBURET IGNI.

Declarat quod dixit, *auferens bella*; ac dicit id futurum esse, quia Dominus destruet omnia arma, tam quibus usus est in feriendo, quales sunt arcus et lanceæ, quam quibus utuntur milites ad sui defensionem, qualia sunt scuta : sine armis autem bella geri non possunt. In hebræo pro voce *arma*, habetur in specie חנית *chanith*, *hasta*, sive *lancea*; sed Septuaginta maluerunt vertere *arma*, quia sine dubio Propheta nomine arcus et lanceæ significare voluit omnia arma offensiva; itaque sensus est, *arcum conteret, et confringet reliqua arma*. Pro voce vero *scuta*, est in hebræo *currus*, et quidem sensus est idem, quia et scuta et currus militares, et omnia similia instrumenta belli cremanda prædicuntur : tamen sciendum est, vocem hebraicam עגלות *hagaloth* significare *currus*, quia currus rotundi sunt; proprie enim vox illa *rotunditatem* significat. Quoniam igitur scuta etiam rotunda sunt, et melius conjunguntur scuta cum lanceis et arcubus, quam currus, ideo Septuaginta prudenter verterunt *scuta*. Hos duos versiculos aliqui exponunt de pace temporali, quæ fuit tempore Augusti, vel Constantini; sed longe melius conveniunt in æternam pacem, quæ erit in fine sæculi, quando Ecclesia desinet esse militans, et incipiet esse triumphans, omnibus videlicet hostibus undique debellatis.

Vers. 10. 10. VACATE, ET VIDETE, QUONIAM EGO SUM DEUS; EXALTABOR IN GENTIBUS, ET EXALTABOR IN TERRA.

Contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a perturbationibus.

Dixerat paulo ante Propheta : « Venite, et videte opera Domini. » Nunc ut ostendat quomodo venire oporteat, si quis opera Domini intelligere velit, dicit : « Vacate, et videte, » ac, ut magis persuadeat, inducit Deum ipsum loquentem et exhortantem : « Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. » Nam contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum sæcularium; radix autem omnium perturbationum est cupiditas : ex desiderio enim divitiarum, deliciarum, honorum, et similium rerum, oriuntur occupationes molestissimæ, quæ nullam omnino quietem homini sic affecto relinquunt. Hinc Hieremias de viro contemplativo dicit : « Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se, » *Thren.* III; et Dominus præcipit, *Matth.* VI : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. » Quid sit enim, clauso ostio, Patrem orare, exemplo suo nos docuit, qui ut plurimum oraturus ascendebat in montes, et solus orabat, remotus videlicet ab omni strepitu curarum et negotiorum. Sed, ut diximus, præcipua vacatio debet esse a concupiscentia rerum terrenarum : nam qui nihil desiderat eorum, quæ videntur, etiam si multum occupetur in auxilio proximorum, facile colliget animum, cum voluerit, et vacabit, et videbit, quoniam Dominus ipse solus est Deus, ipse principium et finis, ipse spes tota fidelium in terris, et vera felicitas eorum in cœlis. Nam et David occupatissimus erat in regno administrando, et S. Gregorius (ut etiam plurimi alii S. Pontifices) in administrando pontificatu; et tamen altissimis contemplationibus suspendebantur, eo quod alas mentis a luto concupiscentiæ liberas gererent. Ipse etiam Apostolus sollicitudine omnium Ecclesiarum premebatur, et labore manuum ad victum quærendum exercebatur; et tamen quia a desideriis sæcularibus liberrimus erat, non solum vacabat, et videbat, sed etiam usque ad tertium cœlum rapiebatur, et audiebat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Contra vero multi sunt homines otiosi, quod attinet ad occupationes negotiorum; sed quia carnales sunt, et sæcularibus desideriis implicati, Deo vacare non norunt. Ait igitur : « Vacate, » id est, otium sanctum quærite, et animum

purum et tranquillum afferte, et videte attentissime cogitantes, « quoniam ego sum Deus, » id est, ego sum Deus solus, et nulla res creata, quamvis magna et sublimis videatur, est Deus, ego solus sum, id quod est; ego solus, «ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia,» *Rom.* XI; ego solus, sine quo nihil potestis, et nihil estis, et in quo omnia potestis, et vere estis. « Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra, » id est, ego cum mirabilia fecero, quæ supra dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, et coram omni orbe terrarum, ita ut omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Nam in fine sæculi nullus omnino erit, qui Deum contemnere audeat; sed omnes vel volentes, vel inviti agnoscent supremum ejus imperium, illique subjicientur. S. Basilius et aliqui alii mystice interpretantur hanc exaltationem de exaltatione Christi in cruce, ut sensus sit: « Vacate, et videte, quoniam ego, » qui homo esse videor, sicut homines cæteri, vere tamen « sum Deus, et exaltabor inter gentes, et in terra, » suspensus in cruce ad ignominiam et supplicium, in oculis impiorum. Vere autem per hanc ipsam crucem exaltabor in omnibus gentibus, et in omni terra, quia omnia traham ad me ipsum, et jugo fidei, atque obedientiæ meæ, ipsi etiam summi reges cum populis colla submittent. In hebræo est, *cessate et videte*, quod potest intelligi de cessatione a negotiis et desideriis sæcularibus, ut diximus, et eam litteralem, et propriam expositionem esse censemus : tamen non est improbanda sententia illorum qui volunt, in his verbis exhortationem contineri ad impios, ut sensus sit: Cum ea futura sint, quæ sunt paulo ante explicata, *cessate jam* tandem a peccato infidelitatis, et a persecutionibus piorum, *et videte* oculis fidei, *quoniam ego sum Deus*, et idola vestra non sunt dii; ego enim solus in fine sæculi *exaltabor in gentibus, et in omni terra.*

Deus qui sit et quantus?

11. DOMINUS VIRTUTUM NOBISCUM, SUSCEPTOR NOSTER DEUS JACOB. Vers. 11.

Concludit Psalmum repetitione versus septimi, ut affectum piorum, exhortatione illa Dei, rursum excitatum et renovatum fuisse demonstret.

PSALMUS XLVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, pro filiis Core Psalmus.*

2. Omnes gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: rex magnus super omnem terram.

4. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.

5. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit.

6. Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.

7. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite.

8. Quoniam rex omnis terræ Deus : psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.

10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

V. S. H. *Victori, filiorum Core canticum* [*h. psalmus*].

Omnes populi [al. *gentes*], plaudite manibus: jubilate Deo in voce laudis.

Quoniam Dominus [al. *Deus*] altissimus terribilis : rex magnus super omnem terram.

Congregavit populos subter nos, et tribus [*h. plebes*] sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem nostram : gloriam [*h. superbiam*] Jacob quam dilexit. SEMPER.

Ascendit Deus in jubilo : Dominus [al. *Deus*] in voce buccinæ.

Canite [*h. psallite*] Deo, canite [*h. psallite*]; canite [*h. psallite*] regi nostro, canite [*h. psallite*].

Quia rex universæ terræ Deus : canite [*h. psallite*] erudite.

Regnavit Deus super gentes : Deus sedet super thronum sanctum suum.

Principes populorum congregati sunt, populus Dei Abraham : quoniam dii, scuta terræ, vehementer elevata [al. *elevati*] sunt.

Argumentum. — Eadem occasione, qua superior, compositus fuisse videtur hic Psalmus. Juxta Rosenmullerum, a Coraita aliquo Salomonicæ templi consecrationi accantatus fuit. Juxta Hengstenberg hocce carmen respicit quæ II *Chron.* XX, 11 narrantur. Cf. II *Chron.* XX, 19, et *ibid.* XX, 26 cum *Ps.* XLVII, 6. Messiæ in sensu mystico convenit. Strophæ duæ : vers. 2-5, laudate Jovam, qui subjectis imperio nostro populis hanc nobis terram possidendam dedit vers. 6-10, laudate Jovam, qui suo populo adjungit exteros.

1. Præcentori, Coraitarum carmen.

2. Omnes populi, plaudite manibus;
jubilate Deo voce exultabunda.
3. Nam Jova, altissimus, terribilis *est*,
rex magnus super omnem terram.
4. Ducit (subjicit) populos subter nos,
et nationes subter pedes nostros.
5. Elegit nobis hæreditatem nostram (Canaan)
decus Jacobi, quem diligit.

6. Ascendit Deus cum clamore læto,
Jova cum clangore tubæ.
7. Canite Deum, canite!
canite regi nostro, canite!
8. Nam rex *est* omnis terræ Deus,
canite carmen.
9. Regnat Deus super gentes,
Deus sedet in solio suo sancto.
10. Principes populorum congregantur, (ut omnes pariter fiant)
populus Dei Abraham;
Nam Dei sunt clypei terræ:
exaltatus est plurimum *Jova*.

NOTÆ.

Vers. 5. *Elegit hæreditatem*, i. e. dedit hæreditatem electam.—Vers. 6. *Ascendit*, in Sionem arcem, aiunt multi; Crelier : in cœlum. — Vers. 8. *Carmen*, puta arte multa elaboratum : ita multi : cf. *Ps.* XIV, 1. — Vers. 10. Ante *am* multi subaudiunt *im*, eodem sensu : *cum populo Dei*, etc., ut sint unus populus. *Clypei* a defendendo principes vocantur et *Hos.* IV, 18. *Dei sunt*, Deo subjiciuntur. Pro *am* Alexandrinus legit *im*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro filiis Core Psalmus.

Titulus nihil continet novi, sed de argumento quæstio esse potest : non enim desunt ex recentioribus, qui Psalmum ad litteram exponendum esse censeant de asportatione arcæ fœderis in montem Sion a Davide. Moventur autem ea ratione, quod sicut in hoc Psalmo scriptum est : « Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ; » ita scriptum sit II *Reg.* VI : « Ducebant arcam Testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ; » et pro verbo *ducebant*, in hebræo est מעלים *mahalim*, id est, *ascendere fecerunt*. Cæterum SS. Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum eis Theodoretus et Euthymius, nullam arcæ mentionem fecerunt, et simpliciter totum Psalmum de victoria et ascensione Christi posuerunt. Eorum sententia nobis sequenda esse videtur, tum propter ipsorum auctoritatem, tum quia si de sola arcæ asportatione ad litteram ageretur, non esset opus omnes gentes ad lætitiam invitare; neque similia sunt, quæ dicuntur in II lib. *Reg.* cap. VI, iis quæ dicuntur in hoc Psalmo : ibi enim dicitur : « Ascendere fecerunt arcam; » hic dicitur : « Ascendit Deus; » et rursum repetitur, « et Dominus in voce tubæ : » sunt autem valde diversa, « ascendere fecerunt arcam, » et « ascendit Deus; » illud enim recte redditum est per verbum *ducebant*, quod proprie convenit arcæ ligneæ, quæ non movetur nisi ab alio deferatur; at *ascendit Deus* ad eum refertur, qui propria virtute sursum abiit.

Hic Psalmus de ascensione intelligendus est.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. OMNES GENTES, PLAUDITE MANIBUS: JUBILATE DEO IN VOCE EXULTATIONIS.**

Invitat Propheta sanctus omnes gentes, ut voce et gestibus lætitiam animi ostendant: omnes gentes invitat, quia gloria capitis toti corpori communis est; corpus autem non solos Judæos, sed etiam gentes comprehendit: Ecclesia enim, quæ corpus Christi est, toto terrarum orbe diffunditur. Quod autem ad plaudendum manibus invitat, non significat strepitum corporalem edendum, ut recte S. Chrysostomus admonuit, sed metaphorica locutio est, quæ indicat gaudendum et lætandum esse, ut ii faciunt, qui præ gaudio exiliunt, et manibus strepitum, et voce clamores excitant: nam idem Propheta non solos homines ad plausum et exultationem invitare solet, sed etiam cœlum, et terram, et flumina, et montes, et arbores, *Psal.* XCV: « Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt: tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit; » et in *Psalm.* XCVII: « Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: » quæ omnia metaphorica sunt, neque aliud significant, nisi ingentem animi lætitiam hominis cupientis, si fieri posset, ut omnia sibi congauderent. Neque omittendum est, quod monet S. Augustinus, illorum duntaxat gaudium Deo gratum esse, qui manibus plaudunt et voce exultant, id est, qui operibus bonis et voce laudis testantur se in Domino gaudere.

Vers. 2. **2. QUONIAM DOMINUS EXCELSUS, TERRIBILIS, REX MAGNUS SUPER OMNEM TERRAM.**

Reddit rationem Propheta, cur omnes gentes ad plaudendum et exultandum invitaverit: ac primum rationem ducit a magnitudine Christi, quem dicit esse « excelsum » ratione divinitatis, « terribilem » ratione potentiæ, et « regem magnum » ratione providentiæ et gubernationis. « Quoniam, inquit, Dominus excelsus, » id est, cum plausu et exultatione jubilate Deo, gentes omnes, quoniam Deus, et Dominus noster Christus excelsus est, sive altissimus (ut vertit S. Hieronymus) quoad naturam divinam, ratione cujus longe excellit omnibus rebus creatis. Item, quoniam « terribilis » est, quoad potentiam, cum vere sit omnipotens, et nihil ei resistere possit. Denique, quia « rex magnus est super omnem terram, » quoad gubernationem, cum ipse sit supremus, et absolutus, et universalis rector orbis terræ.

Vers. 3. **3. SUBJECIT POPULOS NOBIS, ET GENTES SUB PEDIBUS NOSTRIS.**

Alteram rationem ducit a beneficio, quod Ecclesiæ suæ contulit in principio, quando eam eduxit de terra Ægypti; tunc enim Deus, sive Christus secundum formam Dei introduxit populum in terram promissionis, et populos, ac gentes, quæ loca illa possidebant, subjecit populo suo, et fecit, ut reipsa pedibus conculcarent colla regum illarum gentium, ut scribitur in libro *Josue* cap. I.

Vers. 4. **4. ELEGIT NOBIS HÆREDITATEM SUAM, SPECIEM JACOB QUAM DILEXIT.**

Tertiam rationem ducit ab alio beneficio, quo idem Deus Christus, post ejectos Chananæos, et populum suum in eorum terram introductum, elegit sibi in peculiarem et propriam hæreditatem primitivam Ecclesiam, ex Judæis credentibus, id est, Apostolis cæterisque discipulis. « Elegit, inquit, nobis, » id est, in nobis, sive ex nobis « hæreditatem sibi, » populum videlicet peculiarem: « speciem Jacob, quam dilexit, » id est, elegit pulchritudinem quamdam eximiam populi Judaici, qui dicitur Jacob, quam pulchritudinem merito adamavit, et ideo ex eo populo Ecclesiam, quasi propriam hæreditatem sibi ipse constituit. Observandum est ex hoc loco, in populo Judaico plurimos fuisse duræ cervicis, et idololatriæ addictos, ac per hoc tandem reprobatos; sed fuisse etiam sanctissimos Patriarchas, quorum spiritualem pulchritudinem fidei ac morum Deus valde dilexit. Unde et Apostolus dicit *Rom.* XI, Judæos fuisse Deo charissimos propter patres, et Ecclesiam ex Judæis esse bonam olivam, cujus aliqui rami fracti sunt ob incredulitatem, et in eorum locum insertos esse Gentiles conversos ad fidem, quos oleastros appellat, et iisdem Gentilibus jam fidelibus dicit: « Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. » Hæc igitur est species Jacob, quam Deus, et propter quam elegit sibi hæreditatem ex populo Judæorum, cui postea adjunxit multitudinem gentium. In hebræo codice nunc habemus: *Elegit nobis hæreditatem nostram*; sed Septuaginta Interpretes, qui verterunt *hæreditatem sibi*, sine dubio non legerunt חלתנו *nachalathenu*, quod significat *hæreditatem nostram*, sed נחלתו *nachalatho*, vel נחלה לו *nachela lo*, quod est *hæreditatem sibi*. Et facile fuit post tempora Septuaginta Interpretum mutari textum ob litterarum similitudinem. Certe sententia multo clarior est, quam reddiderunt Septuaginta Interpretes, quam ea sit, quam nunc recentiores colligunt ex hebræo. Quid enim sit, *elegit nobis hæreditatem nostram*, vix intelligi potest, at *elegit in nobis hæreditatem sibi* facillime intelligitur.

Vers. 5. **5. ASCENDIT DEUS IN JUBILO, ET DOMINUS IN VOCE TUBÆ.**

Hæc est quarta ratio, cur oporteat plaudere et exultare, quia videlicet, posteaquam Dominus

« elegit sibi hæreditatem » in populo Hebræorum, id est, inchoavit Ecclesiam suam in Apostolis et Discipulis, qui omnes Hebræi erant; ascendit in cœlum, et naturam nostram personæ suæ indissolubiliter unitam evexit supra omnes cœlos, super omnes angelos, et super omnes creaturas. Quamvis enim in hoc Psalmo non exprimatur, quo ascenderit, exprimitur tamen in *Psalm.* LXVII: « Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem; » et ibidem : « Ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. » Ait igitur : « Ascendit Deus, » id est, Christus ascendit in cœlum, sed ascendit propria virtute, quia Deus erat; ideo enim dicit, « ascendit Deus. » Illud *in jubilo, et in voce tubæ*, de spirituali jubilo et sono angelorum intelligendum est : nam, ut Chrysostomus notat, quod ad corporalem strepitum attinet, ascendit in silentio Apostolis aspicientibus et mirantibus; et fortasse non sunt visi, neque auditi chori angelorum, ut in nativitate, ut Apostoli nulla alia re distraherentur, sed toti essent intenti ad cogitandum mysterii magnitudinem, dum viderent naturam humanam, cui dictum erat *Gen.* III : « Pulvis es, et in pulverem reverteris, » jam cum ingenti gloria et immortalitate indutam ascendere super omnes cœlos : sed tamen dubitari non potest, quin adessent angelorum legiones ineffabili jubilo deducentes Dominum gloriæ in gloriam suam.

Vers. 6. 6. PSALLITE DEO NOSTRO, PSALLITE : PSALLITE REGI NOSTRO, PSALLITE.

Vers. 7. 7. QUONIAM REX OMNIS TERRÆ DEUS, PSALLITE SAPIENTER.

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum, et ad effectum suum significandum non semel tantum dicit, sed iterum atque iterum repetit : « Psallite, inquit, Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite, » id est, psallite Domino, quia Deus noster est; nimirum psallite, quia rex noster est, et tertio psallite, quia non solum rex noster est, sed quia « omnis terræ rex » est. Nec solum psallite frequenter, sed etiam « sapienter, » id est, attente et considerate, ut nulla in re fiat error; oportet enim officium, quod summo Regi præstatur, cum omni diligentia præstari. Vide de hac re S. Bernardum serm. 7 et 47 *in Cantica*. Significatur etiam per vocem *sapienter*, ut Chrysostomus et Augustinus admonent, ut qui Psalmos canit, intelligat quod canit, et ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum. In qua re videtur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in Ecclesia susceperunt.

Vers. 8. 8. REGNABIT DEUS SUPER GENTES : DEUS SEDET SUPER SEDEM SANCTAM SUAM.

Christus toti orbi dominaturus prædicitur.

Quinta ratio ponitur hoc loco, cur oporteat psallere et jubilare Deo in voce exultationis, quia videlicet, Christus posteaquam in cœlum ascendit, per Apostolos suos toti orbi terrarum prædicavit Evangelium, atque ad regnum suum gentiles adduxit. « Regnabit, inquit, Deus super gentes, » id est, non contentus Christus Deus hæreditate, quam sibi acquisivit ex populo Judæorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum prædicationem gentes omnes jugo fidei colla subjicient. Sed interim « sedet super sedem sanctam suam, » id est, sedet ad dexteram Patris, quæ est sedes regni Dei sanctissima, id est justissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas. Vocatur etiam sedes Dei sancta, quoniam anima justi sedes est sapientiæ, et Deus sedet super Cherubim, qui sunt sanctissimi et beatissimi spiritus.

9. PRINCIPES POPULORUM CONGREGATI SUNT CUM DEO ABRAHAM : QUONIAM DII FORTES TERRÆ VEHEMENTER ELEVATI SUNT.

Declarat quod dixit : « Regnabit Deus super gentes. » Id enim futurum erat, quia per Apostolorum prædicationem « principes populorum, » cum ipsis suis populis fideles futuri erant, et dimissis diis patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi erant. Hoc igitur est, quod dicit : « Principes populorum, » gentilium videlicet, « cum Deo Abraham congregati sunt, » id est, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, et ipsi populus ejus essent. Nominat autem Deus Abraham, ad differentiam deorum, quos sibi variæ gentes adoptarunt, cum in mundum ingressa est idololatria, quo tempore apud familiam Abrahami veri Dei cultus relictus est. In hebraico textu legitur : *Populus Dei Abraham*, pro eo quod nos habemus, *cum Deo Abraham*; sed Interpretes Septuaginta non legerunt *ham*, sed *him* : eædem enim litteræ cum uno puncto significant *eum*, cum alio significant *populus*. Et vel ex hoc loco intelligi potest puncta non esse ubique recte collocata : nam si legamus ut legerunt Septuaginta Interpretes, sensus est clarissimus; si vero legamus, ut nunc est in hebræo, sensus nullus, aut obscurissimus erit. Quid enim est : « Principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham? » Hæc enim lectio nunc habetur in textu hebraico. Quod autem sequitur : « Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt, » S. Augustinus exponit de superbis hominibus, qui non convenerunt cum Deo Abraham, sed reprobi facti sunt ob eorum superbiam. S. Joannes Chrysostomus exponit de Apostolis, per quos principes populorum conversi sunt ad Deum Abraham, ut sensus sit : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ, » id est Apostoli, vehementer elevati sunt, » cum pleni fuerint donis sapientiæ, et fortitudinis, et miraculorum in tantam eminentiam, ut principes populorum eis resistere non potuerint. Vere enim Apostoli Spiritu Sancto repleti tam fortes fuerunt, ut omnia pericula, omnia tormenta omnem potentiam diaboli, et omnem

Apostolorum fortitudo.

mundi sapientiam superaverint. Sed potest etiam satis commode ad litteram intelligi de iisdem principibus populorum, ut iidem sint principes populorum, et dii fortes terræ, ut sensus sit : « Principes populorum cum Deo Abraham congregati sunt, » quoniam ipsi, qui sunt quasi dii quidam, et potentes in terra, vehementer elevati sunt, cum antea essent per idololatriam servi dæmoniorum, et nunc sint facti per fidem filii Dei veri et vivi. In hebræo est alia lectio : *Quoniam Dei scuta terræ valde elevatus est.* Et quidem vox *Dei* in græco etiam in genitivo est, ex quo putant aliqui in latino textu legendum esse *Dei*, et errore librariorum positum esse *dii* pro *Dei*. Sed cum S. Augustinus et S. Hieronymus in Commentario legant *dii*, et sensus sit longe clarior, credibile est varias fuisse lectiones græcas ; et nostram latinam translatam esse ex græca emendatiore, præsertim cum nulla inveniatur varietas in codicibus latinis manuscriptis, sed in omnibus legatur *dii*. Illud autem, *scuta terræ*, potest etiam ex hebræo verti, *protectores*, sive *magistratus terræ*, ut periti facile intelligunt ex cap. IV *Oseæ*, vers. 18, ubi hæc eadem vox מגנה *maginne*, quam hoc loco S. Hieronymus vertit *scuta*, vertitur ab eodem Hieronymo *protectores*. Et quoniam protectores, sive magistratus, potestatem habent super alios, non debet mirum videri, si Septuaginta Interpretes, et Interpres latinus posuerint *fortes*. Itaque « dii fortes terræ » sunt principes, qui instar deorum fortiter protegere debent terram ipsis subjectam. Denique illud, *elevatus est*, verterunt Septuaginta in numero multitudinis, ad sensum potius, quam ad verbum respicientes. Sensus enim est, *dii fortes terræ elevatus est*, id est, unusquisque eorum elevatus est, quod clarius vertitur, *elevati sunt*. Neque est hoc novum in lingua hebraica, sed usitatum ut *Genes.* I, ubi nos habemus : *Sint luminaria*, in hebræo est, *sit luminaria* ; et *Eccli.* X, ubi legimus : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, in hebræo legitur : *Muscæ morientes perdit suavitatem unguenti*. Et *Gen.* XLIX, ubi invenitur : *Filiæ discurrerunt super murum*, in hebræo invenitur : *Filiæ discurrit*. Sicut etiam e contrario non raro in hebræo invenitur nomen singularis numeri, cum verbo numeri multitudinis, ut *Aggæi* II, pro eo quod nos legimus : *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, in hebræo habetur : *Et venient desiderium gentium* ; et *Job.* XV, ubi nos habemus : *Numerus annorum incertus est*, legitur in hebræo : *Numerus annorum reconditi sunt*. Igitur verba hujus postremi versiculi, quæ juxta litteram hebraicam nullum sensum habere videntur, sapientissime a Septuaginta Interpretibus et a nostro latino Interprete reddita sunt.

PSALMUS XLVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Psalmus cantici filiis Core, secunda sabbati.*

2. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.

4. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.

5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum.

6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt ; 7. tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis, 8. in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

9. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.

10. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.

11. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus

V. S. H. — *Canticum Psalmi filiorum Core.*

Magnus Dominus et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri in monte sancto suo.

Specioso germini, gaudio universæ terræ, monti Sion, lateribus aquilonis, civitatulæ regis magni.

Deus in domibus ejus : agnitus est in auxiliando.

Quia ecce reges congregati sunt : venerunt [*h. transierunt*] simul.

Ipsi videntes sic obstupuerunt : conturbati sunt, admirati sunt.

Horror possedit eos ibi : dolor [al. *dolores*] quasi parturientis.

In vento uredinis confringes naves Tharsis.

Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Domini exercituum, in civitate Dei nostri :

Deus fundavit eam usque in æternum [*h. sæculum*]. SEMPER.

Æstimavimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic laus tua

tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.

12. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

13. Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus.

14. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.

usque in [al. *ad*] extremum terræ : justitia repleta est dextera tua.

Lætetur mons Sion, exsultent filiæ Judæ : propter judicia tua.

Circumdate Sion, et circuite eam, numerate turres ejus.

Ponite cor vestrum in mœnibus [*h. in virtute*. Al. add. *ejus*] : separate palatia ejus,

Ut enarretis in generatione novissima.

Quia iste [al. *ipse est*] Deus Deus noster in sæculum, et in perpetuum : ipse erit dux noster in mortem [*h. in sæcula*].

Argumentum. — Ejusdem est argumenti cum *Ps.* XLVI. Celebrat enim hic etiam liberationis singularis beneficium, quæ divinitus Hierosolymis contigerit. Pertinere autem hocce carmen ad bellum illud, quod Josaphato reges complures juncti intulerunt, in quo tamen rex pius et urbs fuerunt conservati, interpretes plerique statuunt, et favent huic sententiæ vers. 5-7. Cf. etiam vers. 10 Psalmi cum II *Chron.* XX, 27, ubi historia legitur. Sunt tamen qui putant, editum esse hunc Psalmum eo tempore, quo urbs Hierosolymitana Assyriorum obsidione exempta est regnante Ezechia. Strophæ tres : vers. 2-4, magnificæ huic urbi præsidet Jova; vers. 5-9, subito evanuerunt qui eam circumdederant hostes; vers. 10-15, pro tanto beneficio hymnis te nos celebramus, celebrabunt te posteri.

1. Canticum, carmen Coraitarum.

2. Magnus est Jova, et celebrandus plurimum
   in urbe Dei nostri, *in* monte suo sancto.
3. Pulcher elatione, gaudium totius terræ *est*
   mons Sionis, latera (extremæ partes) septentrionis,
   urbs Regis magni (Jovæ).
4. Deus in palatiis ejus (urbis) cognoscendum se præbuit pro præsidio.

5. Ecce enim reges convenerunt :
   evanuerunt una!
6. Simul atque viderunt (urbem),
   obstupuerunt, perculsi sunt, trepide fugerunt.
7. Tremor prehendit eos ibi,
   dolor instar parturientis.
8. Vento orientali
   confringis naves Tartessicas.
9. Quemadmodum audivimus, ita vidimus,
   in urbe Jovæ exercituum, in urbe Dei nostri :
   Deus stabilit eam in perpetuum.

10. Recolimus (hymnis), Deus, bonitatem (hanc) tuam
    in templo tuo.
11. Sicut nomen tuum, Deus, ita laus tua ad fines terræ;
    justitia plena est omnis terra.
12. Lætatur mons Sionis,
    exsultant filiæ (urbes) Judæ,
    propter judicia tua.
13. Obite Sionem, et circuite eam,
    numerate turres ejus;

14. Advertite animum ad antemurale (alii, *fossam*) ejus,
discernite palatia ejus,
ut enarretis ætati posteræ.
15. Nam hic Deus est Deus noster in æternitatem;
is ducet nos in perpetuum.

NOTÆ.

Vers. 3. *Latera septentrionis.* Orientalium opinio erat in septentrionalibus terræ regionibus, utpote cœlum tangentibus, sacrum esse montem conventus deorum : conf. *Isai.* XIV, 13; *q. d.* vates : Mons Sionis est sacratissima illa, quam vos, o idololatræ, fingitis, Numinis sedes. Ita cum multis Ewaldus. Objicit Maurer, Hebræos Dei sedem, non in oris terræ septentrionalibus, sed *in medio orbe terrarum* positam existimasse, *Ezech.* v, 5; ipseque hunc dat sensum : Pulchre eminet, gaudium totius terræ, pars urbis australis, pars ejusdem septentrionalis, i. e. ab omni parte urbs Regis magni : quod mihi valde friget.— Vers. 6. *Perculsi,* puta terrore : conf. Cæsaris : « Veni, vidi, vici. » — Vers. 8. *Orientali.* Euro summam in V. Testam. vehementiam tribui notum est. *Confringis,* 2 futuri persona in hebr. Alii, *confringit,* puta Deus. Alii, *qui* (ventus) *confringit,* q. d. Ac si Euro, qui naves confringit, fuerint agitati. *Tarsis* est Hispania, a Tartesso, nobilissimo olim portu et insula, in Bœtis ostio, dicta. *Naves* autem *Tartessicæ* dicuntur naves magnæ, longis navigationibus et tempestatibus sufferendis reliquis aptiores. — Vers. 9. *Audivimus* a patribus, puta Deum sæpe opem tulisse, imo semper laturum populo suo, id re ipsa experti sumus.— Vers. 13. «Invitat ad considerandam circumquaque, non ut nonnulli putant, *magnificentiam,* quod ab hoc loco plane esset alienum, sed *integritatem* (post bellum) potius urbis. » Ita Maurer. — Vers. 14. *Discernite,* proprie *dividite,* i. e. ea singulatim inspicite. Alii, *dividite,* nempe deambulatione vestra, i. e. obambulate inter palatia ejus. Ita Vulgatus. — Vers. 15. Quod receptum est *al mouth* nonnulli *usque ad mortem,* alii *ultra mortem* volunt significare. Mihi legendum videtur unico vocabulo *olamoth,* adverbialiter pro *leolamim, in sæcula* : ita Alexandrinus.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus Cantici filiis Core secunda Sabbati.

Titulus notus est ex iis quæ alibi dicta sunt, exceptis illis verbis, *secunda Sabbati,* quæ non habentur in hebræo, sed a Græcis addita sunt. Significatur autem illis verbis Psalmum traditum filiis Core, ut eum cantarent *secunda Sabbati,* id est secunda die hebdomadæ. Quæ sit autem secunda dies, et cur secunda die canendus esset, inter auctores non convenit. S. Ambrosius existimat, *secundam Sabbati* esse diem Dominicum, quia est secundus a Sabbato, quod erat principale festum Judæorum; et quoniam in Evangeliis legimus Christum resurrexisse in prima Sabbati, respondet S. Ambrosius diem Dominicum apud Judæos fuisse secundam Sabbati, et ideo sic nominari in titulo hujus Psalmi, sed propter Dominicam resurrectionem, diem Dominicum esse cœpisse primam Sabbati, et ideo in Evangeliis vocari primam Sabbati. S. Hieronymus et S. Augustinus intelligunt hoc loco per secundam Sabbati diem sequentem post Dominicum, qui est prima Sabbati, non solum in Evangeliis, sed etiam in titulo Psalmi vigesimi tertii : et hæc est verior sententia; Sabbatum enim, apud Judæos, erat quidem festus et solemnis dies; at non dicebatur primus, sed ultimus dies hebdomadæ. Quia vero prima die facta est lux, secunda factum est firmamentum, S. Hieronymus et S. Augustinus volunt Psalmum præcedentem pertinuisse ad Christum, qui est lux vera; hunc autem pertinere ad Ecclesiam, quæ est firmamentum spirituale, in quo sunt stellæ innumerabiles, id est, homines plurimi sapientiæ et sanctitatis gloria rutilantes. Argumentum Psalmi est laudatio Dei ob ædificium civitatis sanctæ Jerusalem, et quidem Græci, Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius existimant ad litteram tractari de reædificatione Jerusalem post reversionem e captivitate Babylonica : Latini, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus, per Jerusalem Ecclesiam simpliciter intelligunt; sed fieri potest ut utrumque sensum Spiritus Sanctus intenderit, sed magis posteriorem : constat enim civitatem sanctam Jerusalem, Ecclesiæ Christi gessisse figuram.

Quæ dies sit secunda sabbati?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. MAGNUS DOMINUS, ET LAUDABILIS NIMIS, IN CIVITATE DEI NOSTRI, IN MONTE SANCTO EJUS.

Magnus

Laudaturus Propheta ædificium, incipit a laude architecti, ac dicit in ædificio sanctæ civitatis mirifice splendere artem et sapientiam Dei, qui illam ædificavit. «Magnus, inquit, Dominus, et laudabilis nimis.» Magnus Dominus est, sive spectes

Dominus cur dicatur?

essentiam ejus, sive potentiam, sive sapientiam, sive justitiam, sive misericordiam : omnia enim infinita, æterna, incomprehensibilia sunt; et inde idem « Dominus laudabilis est nimis, » ut non sufficiant omnes angeli, omnes homines, et omnia opera ejus satis eum laudare. Sed ex iis, quæ nobis revelata sunt, nihil fere majus habemus, unde Domini magnitudinem melius cognoscamus, et unde magis eum laudare possimus, quam Ecclesiæ catholicæ ædificationem; et ideo dicit Propheta : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis; in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus,» id est, magnitudo Dei, unde laudandus est valde, conspicitur in Ecclesiæ fundatione et constructione, quæ est civitas Dei nostri quæ in monte sancto, id est, in excelso perfectionis posita est. De hac enim dicitur *Isai.* II : « Erit mons domus Domini præparatus supra verticem montium. » Et *Matth.* V, Dominus ipse vocat Ecclesiam suam, « civitatem supra montem positam. » Atque ut hujus ædificii miracula brevissime attingamus : *primo*, cogita incredilem varietatem gentium, linguis, moribus, ritibus, legibus dissitarum ita convenisse in unius fidei et sacramentorum unitatem, ut unum populum, imo unam familiam efficiant. *Secundo*, cogita Ecclesiam fundatam fuisse super Petrum, ut *Matth.* XVI aperte dicitur, id est, super hominem piscatorem, vilem, indoctum et pauperem, et tamen « ita solide fundatam, ut portæ inferi adversus eam prævalere non possint : » velit enim nolit mundus, in quo Christi Ecclesia peregrinatur, et fremant, quantum volunt et possunt, omnes immundi spiritus, et persecutiones moveant omnes reges terræ, tamen ad terram promissionis secura perveniet, et supra omnes cœlos aliquando constituta felicissime in æternum regnabit. Hæc certe fieri non possunt, nisi a magno Domino, id est, a potentissimo, et sapientissimo architecto, qui propterea laudabilis est nimis, id est, omni laude major est.

Ecclesiæ præstantia.

Vers. 2. 2. FUNDATUR EXULTATIONE UNIVERSÆ TERRÆ MONS SION, LATERA AQUILONIS, CIVITAS REGIS MAGNI.

Explicat Propheta cur Deus sit laudabilis valde in Ecclesia, quæ significatur per montem Sion, et civitatem Jerusalem : et causam esse dicit, quoniam a Deo « fundatur Ecclesia cum exultatione universæ terræ ; » et non dicit, fundata est, sed, « fundatur, » quoniam semper in variis locis fundatur Ecclesia, ubi antea non erat. Non enim Ecclesia est una parva domus, quæ statim fundari potest, sed est civitas magna totum orbem terrarum occupans, et variis temporibus in variis locis fundatur per architectos spirituales, qui succedentes Apostolis, Christum lapidem fundamentalem prædicando jaciunt, ac deinde lapides vivos superædificant. Porro fundatio ista fit cum « exultatione universæ terræ, » quoniam in universa terra fundatur Ecclesia per Evangelii prædicationem, quæ prædicatio incredibilem lætitiam spiritualem adfert illam recipientibus : nam ideo comparata est a Domino notitia regni cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit cum gaudio, vendit omnia quæ habet, et emit agrum in quo thesaurum absconditum esse novit, *Matth.* XIII; et in *Actis Apostol.* cap. II, cum fundaretur Ecclesia in Jerusalem, dicitur : « Sumebant cibum cum exultatione; » et cap. VIII, prædicante Philippo, et fundante Ecclesiam in Samaria, « factum est gaudium magnum in illa civitate; » et Eunuchus reginæ Candacis cum audivisset fidem ab eodem Philippo, et baptizatus fuisset,» ibat per viam suam gaudens; » et cap. XV, cum beatus Paulus Gentibus prædicare cœpisset, et Ecclesiæ fundamenta jacere, «gavisæ sunt gentes, et glorificabant verbum Domini. » Dicitur autem fundari mons Sion, ut intelligamus hic non agi de monte Sion corporali : ille enim fundatus fuit ab initio mundi; sed de monte spirituali, cujus ille figura erat. Est igitur hoc loco mons Sion, Ecclesia Christi, quæ dicitur mons Sion, propter eminentiam doctrinæ, et perfectionem vitæ, quæ est in Ecclesia. Eadem quoque Ecclesia dicitur, « latera Aquilonis, » quoniam sicut mons Sion corporalis situs est in terra promissionis ad partem borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido et furioso qui dicitur Aquilo : sic etiam Ecclesia christiana est quasi murus oppositus Aquiloni spirituali, id est, flatibus spirituum immundorum : qui enim requiescunt in sinu Ecclesiæ, id est, acquiescunt doctrinæ, quæ docetur in Ecclesia, et obediunt legibus ejusdem Ecclesiæ, non facile læduntur ab Aquilone spirante perniciosa dogmata per exempla. Denique eadem Ecclesia dicitur « civitas Regis magni, » quod ad ejus nobilitatem maxime facit : Ecclesia enim christiana proprium regem habet Christum, qui est Princeps regum terræ, et Rex regum, ac Dominus dominantium. Cæteri enim, qui Ecclesiæ præsunt, ministri Christi sunt, ut Apostolus loquitur, I *Cor.* IV : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. » Et ille qui supremam in Ecclesia potestatem habet, Vicarium Christi se dicit, nec solum servum Dei, sed etiam servum servorum Dei, ipse se nominat. Quod ad verba attinet, difficultas est solum in voce illa *fundatur* : nam SS. Ambrosius et Augustinus legunt *dilatans*; S. Hieronymus vertit ex hebræo, *specioso germine*; S. Joannes Chrysostomus legit, *bene radicans*. Alii vocem hebraicam significare volunt terminum, aut clima, aut regionem, aut ramum. Sed SS. Ambrosius et Augustinus videntur legisse in græco textu εὐρύνων, quod significat *bene dilatans*, pro εὐρίζων, quod significat *bene radicans*. Et certe lectio posterior est verior, quia concordat cum Vulgata latina antiquissima editione : nam, ut Chrysostomus exponit, idem est *radicare*, et *fundare*. Et idem est,

Ecclesia totum

terrarum orbem occupat.

Ecclesia dicitur mons Sion, et cur?

Ecclesia est civitas Regis magni.

fundatur a Deo mons Sion, et *fundat Deus montem Sion*; hoc solum interest, quod græca vox habet adjunctum adverbium *bene*, quo caret vox latina. Sed in latina voce subintelligitur *bene*, sive *pulchre*, ut est in hebræo. Ex eo quod subjungitur, « exultatione universæ terræ, » facile colligitur, non solum fundari, sed etiam pulchre et bene fundari, montem Sion. Ideo enim exultat universa terra, quia videt hoc ædificium tam pulchre et tam solide fundari. Versio S. Hieronymi fundamentum habet in voce hebraica, יפה נוף *iephe noph*, quæ potest reddi, *specioso germine*, sive *pulchris ramis*; et sensus erit, montem Sion ornatum esse pulchris ramis, sive pulchris arboribus; sed vox illa נוף *noph*, quæ tamen multa et tam diversa significat secundum opiniones recentiorum, ut etiam ad regiones, et terminos, et climata referatur, cur non poterit etiam referri ad fundationem et radicationem, ut Septuaginta seniores antiquissimi et doctissimi censuerunt? Itaque censemus verba hebraica consentanee ad versionem Septuaginta Interpretum, et ad expositionem Chrysostomi, Theodoreti et S. Hieronymi in *Commentario Psalmorum*, reddi posse, *bene fundatur*.

Vers. 3. 3. DEUS IN DOMIBUS EJUS COGNOSCETUR, CUM SUSCIPIET EAM.

Addit secundam rationem, cur magnus sit Dominus, et laudabilis valde in civitate sua Hierusalem, quia non solum bene fundavit eam, sed etiam continuo protegit et exaltat. Deus, inquit, qui fundavit Ecclesiam instar regiæ civitatis, tunc potissimum « cognoscetur in domibus ejus, » id est, tunc cognoscetur ab omnibus habitantibus in domibus ejus, sive tunc cognoscetur habitare in domibus ejus, quando in tempore persecutionum « suscipiet eam » protegendam atque exaltandam. Pro voce *domibus*, in hebræo est vox ארמנותיו *armenoth*, quæ significat non quaslibet domos, sed *palatia*, *basilicas*, *templa*. Itaque hinc intelligimus Deum habitare potissimum in domibus ipsi Deo sacris, quales sunt basilicæ, ac templa, quæ Deo proprie dedicantur. Pro vocibus autem, *cum suscipiet eam*, est in hebræo לְמִשְׂגָּב *lemisgab*, quod significat, *in refugium*, sive *in auxilium*, sive *in exaltationem*. Proinde illud, *cum suscipiet eam*, explicandum est, *cum suscipiet defendendam et exaltandam*, sive, *cum susceptor ejus erit*, id est, auxiliator et defensor : nam in *Ps.* XLV, ubi legitur, « susceptor noster Deus Jacob, » pro *susceptor*, in hebræo est מִשְׂגָּב *misgab*, ut hoc loco.

Deus proprie in templis habitat.

Vers. 4. 4. QUONIAM ECCE REGES TERRÆ CONGREGATI SUNT, CONVENERUNT IN UNUM.

Vers. 5. 5. IPSI VIDENTES SIC ADMIRATI SUNT, CONTURBATI SUNT, COMMOTI SUNT, TREMOR APPREHENDIT EOS.

Vers. 6. 6. IBI DOLORES UT PARTURIENTIS, IN SPIRITU VEHEMENTI CONTERES NAVES THARSIS.

Hos tres versiculos diverso modo exponunt Latini Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; et Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius : latini enim Patres exponunt de gentilibus conversis ad fidem, græci vero de gentilibus oppugnantibus fidem. Utraque expositio vera est, et una cum altera non pugnat. Itaque juxta Latinos hic erit sensus : Deus cognoscetur esse in Ecclesia ex conversione gentilium, « quoniam ecce reges terræ, » et populi eorum cum eis ex potentia verbi Dei per Apostolos prædicati, et virtute signorum et prodigiorum per eosdem patratorum conversi, « congregati sunt, et convenerunt in unum, » id est, ex variis sectis ac superstitionibus convenerunt in unitatem fidei, et congregati sunt in unam Ecclesiam, quasi in populum unum, « imo ut efficerentur cor unum et anima una, » ut dicitur de primis Christianis in *Act. Apost.* cap. IV. Conversio autem eorum sic fuit, quoniam « ipsi videntes » signa et prodigia, « sic admirati sunt, » et cognoscentes magnitudinem erroris et peccatorum suorum, dum idola pro Deo colerent, « conturbati sunt et commoti sunt, » per veram pœnitentiam : unde etiam « tremor apprehendit eos, » considerantes periculum æternæ damnationis, in quo tam diu fuerant. « Tremor » autem non levis, sed gravissimus, « apprehendit eos, » qualis est dolor parturientis, qui tamen in gaudium magnum desinit. Cum enim « parturiens peperit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, » ut dicitur *Joan.* XVI; sic et dolor pœnitentis desinit in lætitiam inenarrabilem, cum adoptionis gratia, quæ salutis æternæ semen et pignus est, cordi pœnitentis infunditur; et tunc impletur quod sequitur : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis; » Spiritus enim Sanctus hominem justificantem inhabitans, et vehementi ardore charitatis inflammans, « confringit naves Tharsis, » per quas superbia, luxuria et avaritia significantur : naves enim tumentibus velis per fluctuantes undas in Tharsis properantes, aurum et argentum adducebant, ut dicitur III *Reg.* X et II *Paral.* IX. Tumor velorum superbiam, fluctuatio navis luxuriam, advectio auri et argenti avaritiam designat. Aut, juxta expositionem Græcorum, sensus est : Deus in Ecclesia « cognoscetur » ex admirabili victoria christianæ religionis adversus impios persecutores. « Ecce » enim « reges terræ, » audita fama christianæ religionis, « congregati sunt, convenerunt in unum, » id est, ex variis locis et ex variis superstitionibus « convenerunt » adversus Christi Ecclesiam, ut eam persecutionibus suis opprimerent et exstinguerent. « Sed videntes » fortitudinem sanctorum martyrum, et mirabilem constantiam in sexu etiam fragili, et in ætate tenera, necnon signa et prodigia,

quæ per eos Deus faciebat, et quod numerus Christianorum persecutionibus et mortibus augebatur, « admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, » partim indignatione, partim dolore, « et tremor apprehendit eos, » sicut dolor parturientis, cum viderent templa idolorum deseri, et Christi regnum ipsis invitis, et totis viribus repugnantibus crescere. Hoc autem accidit, « quia Dominus in spiritu vehementi, » cum admirabili manifestatione potentiæ suæ, contrivit idololatriam, quomodo solet tempestas venti brevissimo tempore dissipare et conterere naves in mari. Quod attinet ad verba, vox illa, *terræ*, cum dicitur, *reges terræ*, non habetur in hebraico codice, sed Septuaginta Interpretes explicandi gratia addiderunt. Illa autem particula *sic* jungenda est cum verbo sequenti, non cum præcedenti : est enim sensus, « ipsi videntes, sic admirati sunt, » id est, viderunt, et sic admirati sunt. Vox illa, *commoti sunt*, ex hebræo a S. Hieronymo vertitur, *admirati sunt*. Sed vox hebræa significat quidem *admirari*, sed significat etiam *commoveri*. Et quoniam jam dictum erat, « admirati sunt, conturbati sunt, » recte Septuaginta verterunt verbum sequens, *commoti sunt*, tum ne idem bis repeteretur, tum quia hic est ordo naturalis, ut inopinato malo adveniente primum oriatur in nobis admiratio, deinde turbatio, postremo commotio, sive fuga. Cum dicitur, « in spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » subintelligitur, *quia*, vel alia similis particula : redditur enim ratio, cur ibi fuerint dolores, ut parturientis. Potest autem duobus modis intelligi contritio navium : *primum*, ut subintelligatur particula similitudinis hoc modo : « In spiritu vehementi conteres eos, » quomodo ventus validus confringit naves; *secundo*, ut sensus sit : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » id est, non solum terrestres copias, sed etiam classes instructas adversariorum dissipabis. Sicut enim impii terra marique Ecclesiam oppugnant, sic etiam Deus terra marique pro Ecclesia pugnabit. De voce *Tharsis*, quam græcus et latinus Interpres reliquerunt, ut in hebraico textu invenerunt, magna quæstio est, aliis volentibus significare Ciliciam, aliis Carthaginem, aliis Indiam, aliis ipsum mare. Sed hoc postremum improbabile est, quoniam Jonas ascendit navem, ut iret in Tharsis, ut legimus *Jon.* cap. I. Si autem Tharsis mare significaret, jam fuisset Jonas in Tharsis, quando erat in navi, quorsum igitur navigabat, ut iret in Tharsis? Ex aliis significationibus, illa videtur verior, qua pro Tharsis India designatur, cum ex Tharsis adferretur Salomoni tertio quoquo anno magna copia auri, et argenti, et eboris, ut dicitur III *Reg.* X, et II *Paralip.* IX. Atqui ex Cilicia, vel Carthagine non adducuntur ejusmodi metalla, neque est opus triennio, ut ex Hierusalem navigetur in Ciliciam, vel Carthaginem. Sed hoc loco dicuntur *naves Tharsis*, naves magnæ, quales esse solebant eæ quibus navigabatur in Tharsis, id est, in Indiam.

De voce *Tharsis* quid sentiendum?

7. SICUT AUDIVIMUS, SIC VIDIMUS IN CIVITATE DOMINI VIRTUTUM, IN CIVITATE DEI NOSTRI : DEUS FUNDAVIT EAM IN ÆTERNUM. Vers. 7

Verba sunt filiorum Ecclesiæ, qui lætantur se experimento jam discere de Ecclesiæ stabilitate, quod ante promissum audiverant. Et nos præsertim hæc dicere possumus; audivimus enim Christum dixisse : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam, » *Matth.* XVI; et nunc post mille sexcentos annos, post tam multas, et tam graves paganorum et hæreticorum persecutiones, videmus Ecclesiam non potuisse deficere. Dicit ergo Propheta in persona fidelium : « Sicut audivimus » a Prophetis et Apostolis prædictum, « ita vidimus » adimpletum in Ecclesia, quæ est « civitas Domini virtutum, » cui videlicet militant omnes res creatæ, et qui ideo dicitur « Dominus virtutum, » id est, exercituum, « qui est Deus noster. » Quod autem audivimus et vidimus, est quod « Deus fundavit eam in æternum, » ut nullum sit periculum, ne unquam evertatur. Atque ex hoc loco satis aperte colligitur in hoc Psalmo non accipi civitatem Dei pro terrena Jerusalem, ut aliqui recentiores volunt : illa enim jam olim a Tito imperatore eversa fuit, et de illa prædictum fuit a Domino : « Non relinquent in te lapidem super lapidem, » *Luc.* cap. XIX.

8. SUSCEPIMUS, DEUS, MISERICORDIAM TUAM IN MEDIO TEMPLI TUI. Vers. 8.

His verbis confitetur populus Dei, non suis viribus, aut meritis tribuenda magnalia, quæ Deus fecit et facit in Ecclesia, sed soli misericordiæ Dei; ideo subjungit : « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui, » id est, hanc stabilitatem Ecclesiæ, et alia bona innumerabilia, quæ sicut audivimus promissa, ita nunc videmus impleta, de tua manu accepimus, non ipsi nobis peperimus. Fatemur igitur « in medio templi tui, » id est, publice et coram omnibus, nos suscepisse « misericordiam tuam, » illi tribuimus omnia bona. In hebræo habetur verbum דמינו *diminu*, quod non tam *suscipere*, quam *æstimare* significat; quare S. Hieronymus vertit : *Æstimavimus misericordiam tuam in medio templi tui.* Sed idem est sensus, ut S. Chrysostomus recte exponit, qui verbum hebraicum et græcum expendit : illud enim, *suscepimus*, referendum est ad cognitionem et æstimationem beneficii, ut diximus. S. Augustinus legit, *in medio populi tui*; habuit codicem græcum inemendatum ob litterarum similitudinem, siquidem legit λαοῦ, *populi*, pro ναοῦ, *templi*. In hebræo nulla est similitudo litterarum, unde error manare potuerit.

Magnalia quæ sint in Ecclesia Deo tribuenda?

9. SECUNDUM NOMEN TUUM, DEUS, SIC ET LAUS Vers. 9.

TUA IN FINES TERRÆ : JUSTITIA PLENA EST DEXTERA TUA.

Pergit Propheta in persona fidelium laudare Deum ob accepta beneficia, ac sicut initio dixerat : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, » ita nunc dicit : « Secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ, » id est, secundum magnitudinem nominis tui est etiam magnitudo laudis tuæ. Sicut enim nomen Dei in universa terra innotuit ob magnalia, quæ in Ecclesia fundanda et protegenda patravit : sic etiam laudatur Deus per totum mundum, usque ad ultimos terminos terræ. Addit etiam materiam laudis, dicens : « Justitia plena est dextera tua. » Inde enim ubique laudatur Deus magnificentissimus præconio omnium gentium, quoniam justissime pios defendit, et impios punit. Dicitur autem « dextera Dei plena justitia, » non quod non sit etiam plena misericordia, sed quod nullum locum habeat apud eum injustitia. « Justus enim Dominus est in omnibus operibus suis, » ut dicitur *Psalm.* CXLIV.

Vers. 10. 10. LÆTETUR MONS SION, ET EXULTENT FILIÆ JUDÆ PROPTER JUDICIA TUA, DOMINE.

Ex eo quod dextera Domini plena est justitia, hortatur Propheta populum Dei ad exultandum, quoniam is populus præter cæteros novit per experientiam justitiam Domini : « Lætetur, inquit, mons Sion, » id est, populus Dei, sive Ecclesia Dei, quæ per eum montem significatur, « et exultent filiæ Judæ, » id est, non solum viri, sed etiam feminæ in populo Dei lætentur, « propter judicia tua, Domine, » videntes scilicet justitiam, quam exercuisti in protegendis fidelibus et perdendis infidelibus. Fortasse etiam per montem Sion intelliguntur perfecti, fortes; per filias Judæ, imperfecti et debiles. Vel per montem Sion, intelligitur arx et caput religionis, qualis erat Jurusalem apud Judæos; per filias Judæ intelliguntur reliqua membra Ecclesiæ, qualia erant oppida subjecta Jerosolymæ : sæpe enim in Scripturis, ac præsertim in libro *Josue*, per filias intelliguntur castella, sive oppida subjecta majoribus civitatibus.

Vers. 11. 11. CIRCUMDATE SION, ET COMPLECTIMINI EAM : NARRATE IN TURRIBUS EJUS.

Vers. 12. 12. PONITE CORDA VESTRA IN VIRTUTE EJUS, ET DISTRIBUITE DOMOS EJUS, UT ENARRETIS IN PROGENIE ALTERA.

Civitas spiritualis in quo a civitate materiali differat?

Hortatur in fine Psalmi ad ædificationem et munitionem sanctæ civitatis, de qua dixerat : « Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, civitas Regis magni. » Hæc enim civitas non est similis materiali civitati, quæ semel fundatur et ædificatur; sed usque ad finem mundi fundanda, et ædificanda, et munienda est ex lapidibus vivis, qui quotidie inserendi sunt, donec civitas perfecta in die novissimo dedicetur. Sic enim Apostolus loquitur ad *Ephes.* II : « In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. » Et cap. IV : « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. » Et S. Petrus in *Epist.* I, cap. II : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales. » Ait igitur : « Circumdate Sion, et complectimini eam, » id est, muris cingite sanctam civitatem, ubi forte desunt. Dicuntur autem muri civitatis viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. « Narrate in turribus ejus, » id est, ex edito loco publice prædicate : nam (ut supra diximus) prædicatio Evangelii est instrumentum, quo civitas fundatur et ædificatur. « Ponite corda vestra in virtute ejus, » id est, serio cogitate de munitione et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus. « Et distribuite domos ejus, » id est, post fundata et ædificata mœnia fundentur et ædificentur domus; et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos ædificent, et sic civitas paulatim repleatur et crescat : et sic fiet, « ut enarretis in progenie altera, » id est, ut per vos multiplicato populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei.

13. QUONIAM HIC EST DEUS, DEUS NOSTER IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI : IPSE REGET NOS IN SÆCULA. Vers. 13.

Hoc est quod narrandum est posteris, quod videlicet, «hic Deus,» qui fecit mirabilia in civitate sancta Jerusalem, « ipse est Deus noster in æternum, » nec unquam recedemus ab eo, nec ipse recedet a nobis; nos erimus in æternum populus ejus, et « ipse Deus noster in æternum, et reget nos in sæcula. » S. Hieronymus vertit ex hebræo hæc ultima verba : *Ipse reget nos in morte.* Sed facile est videre unde orta sit varietas lectionis : nam vox hebraica si legatur *holamoth*, significat *in sæcula*, et sic legerunt Septuaginta Interpretes; si legatur cum aliis punctis *halmuth*, significat *ad mortem*, et sic legit S. Hieronymus, et legunt hodie Rabbini. Uterque autem sensus verus est, et in idem recidit : nam si Deus regat nos usque ad mortem, reget sine dubio in sæcula : non enim post mortem ab illo excidere poterimus. Qui exponunt hunc Psalmum de terrena Jerusalem, valde laborant in explicatione vers. 11 et 12. Qui autem exponunt ad litteram de Ecclesia, nullas patiuntur angustias.

PSALMUS XLIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, filiis Core Psalmus.*

2. Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.

3. Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives et pauper.

4. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.

5. Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

6. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

7. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

8. Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam,

9. Et pretium redemptionis animæ suæ, et laborabit in æternum, 10. et vivet adhuc in finem.

11. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens et stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas; 12. et sepulcra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie, et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.

13. Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

14. Hæc via illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt.

15. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria ejus.

19. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

20. Introibit usque in progenies patrum suo-

V. s. h. — *Victori, filiorum Core canticum [h. psalmus].*

Audite hoc [al. *hæc*], omnes populi: auribus percipite, universi habitatores occidentis [*h. orbis*].

Tam filii Adam, quam filii [*h. viri*] singulorum: simul dives et pauper.

Os meum loquetur sapientias [al. *sapientiam*], et meditatio cordis mei prudentias [al. *prudentiam*].

Inclinabo [al. *inclino*] ad parabolam aurem meam: aperiam in cithara ænigma meum.

Quare timebo in diebus mali? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Qui fiduciam habent in fortitudine sua, et in multitudine divitiarum suarum superbiunt.

Fratrem redimens non redimet vir: nec dabit Deo propitiationem pro eo: et pretium redemptionis animæ eorum.

Sed quiescet in sæculo, et vivet ultra in sempiternum, et non videbit interitum [al. *in æternum*], cum viderit sapientes morientes.

Simul insipiens et indoctus peribunt, et relinquent alienis divitias suas.

Interiora sua domos suas in sæculo, tabernacula sua in generatione et generatione: vocaverunt nominibus suis terras [al. add. *suas*].

Et homo in honore non commorabitur: assimilatus jumentis [al. ad. *est*], et exæquatus est.

Hæc est via insipientiæ eorum [h. *via eorum*], et post eos juxta os eorum current. SEMPER.

Quasi grex [*h. oves*] in inferno positi sunt: mors pascet eos, et subjicient eos recti in matutino, et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum.

Verumtamen Deus redimet animam meam, de manu inferni cum assumpserit me. SEMPER.

Noli timere cum ditatus fuerit vir, cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Neque enim moriens tollet omnia: nec descendet post eum gloria ejus.

Quia animæ suæ in vita sua benedicet: laudabunt te, cum bene fuerit tibi.

Intrabit [al. *intrabunt*] usque ad generatio-

rum, et usquè in æternum non videbit lumen.

21. Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

nem patrum suorum : usque ad finem non videbunt lucem.

Homo cum in honore esset, non intellexit : camparavit se jumentis, et silebitur.

Argumentum. — Præmisso procœmio, vers. 2-5, quo invitat ad carmen suum audiendum, duabus strophis 6-13, 14-21, quarum utraque idem argumentum persequitur, eademque terminatur sententia, bono animo jubet esse pios conspecta felicitate atque insolentia impiorum, ut qui, quantumvis opibus polleant, tamen brevi tempore sint ex vita abituri, divitiarumque nominisque gloriæ nihil relaturi in sepulcrum. Est igitur hujus carminis idem fere quo trigesimi septimi argumentum.

1. Præcentori, Coraitarum carmen.

2. Audite hoc, omnes populi;
Auscultate, omnes incolæ mundi;
3. Tum filii hominis (plebeii), tum filii viri (nobilis),
pariter dives et inops.
4. Os meum loquetur sapientiam,
et meditatio cordis mei est intelligentia (prudentia).
5. Inclinabo aurem meam ad parabolam,
exponam cum harpa sententiam meam.

6. Cur timeam diebus adversis,
cum pravitas insidiantium mihi circumdat me,
7. Qui confidunt facultatibus suis,
et multitudine divitiarum suarum gloriantur?
8. Fratrem non potest redimere (a morte) quisque;
non potest dare Deo pretium (redemptionis, λύτρον) ejus.
9. Et carum est pretium redemptionis animæ eorum,
et deficit in perpetuum :
10. Ut vivat *aliquis* porro in perpetuum,
et non videat foveam (sepulcrum).
11. Nam (imo) videbit *eam!* sapientes moriuntur;
una stultus et brutus pereunt,
et relinquunt aliis facultates suas.
12. Intimum eorum *sunt* domus eorum in perpetuum,
habitationes eorum per omnes ætates;
celebrantur nomina eorum in terris.
13. Et tamen homo in honore non pernoctat (diu manet);
similis redditur bestiis quæ exscinduntur (pereunt).

14. Hæc *est* via (sors) eorum, quibus stultitia est,
et post illos, *via* eorum, qui ore (sermonibus) illorum delectantur.
15. Instar pecoris in orcum reponuntur (detruduntur);
mors eos depascet (consumet),
et calcabunt eos (eorum tumulos) justi :

brevi, et forma eorum est in consumptionem orci,
depulsa ex domicilio suo (magnificis ædibus).
16. Verumtamen Deus redimet animam meam
a manu (potestate) inferi, cum prehenderit me.
17. Nil metuas, cum divitias fecerit vir quispiam,
cum creverit splendor domus ejus.
18. Neque enim, cum moritur, auferet quicquam,
non descendet post eum (eum comitans) splendor ejus.
19. Licet in vita sua animam suam (se) felicem prædicaverit,
et *homines* celebrarint te quod benefeceris tibi :
20. Venies *tamen* ad generationem (habitationem) patrum tuorum,
qui in sempiternum non vident lucem.
21. Homo in honore et *qui* non intelligit (sine intelligentia),
similis est bestiis quæ exscinduntur (pereunt).

NOTÆ.

Vers. 5. *Parabolam*, carmen, quod suggerit mihi animus. *Harpa*, Kinnor. *Sententiam*, propr. ænigma.— Vers. 8. *Fratrem*. Ewaldus אח pro אך habet, *tamen, certe*, subauditque *sese*. — Vers. 9. *Carum*, nimium, majus quam quis reperire aut acquirere possit. — Versum 9 in parenthesi inclusum esse putant multi. — Vers. 12. *Intimum*, animus et cogitatio *eorum* est, *domus suas* permansuras, etc. : ita Rosenmullerus. Maurer, *intimum*, i. e. curæ et vota, etc., *q. d.* Domus sibi æternas exstruunt, tanquam si nunquam sint interituri; nam *hominum* agitur, non *ædificiorum* diuturnitas. Antiquorum interpretum plerique pro *qirebam* malunt *qiberam* in hunc sensum : *Sepulcrum eorum est domus eorum in perpetuum, quorum celebrata erant nomina, in terris.* —Vers. 14. *Quibus stultitia;* alii, *imo, vel potius stultitia. Qui ore illorum*, etc., illorum assentatores et parasiti, qui vestigiis eorum insistunt. Alii : *et* tamen *post eos* multi sunt qui *eorum sermonibus delectantur.* Alii : et posteri eorum ore suo blandientur, panem suum emendicabunt. — Vers. 15. *Reponuntur*, propr. *ponunt*, impers. *depascet;* alii, *pascet* : cf. J. B. Rousseau : Mors, ait,

Frappe ce vil troupeau, *dont elle est le pasteur.*

Calcabunt : Hengstenberg, dominabuntur, v. g. Sauli dominatus est Davides. Multi cum præced. jungunt *brevi*, propr. *mane*, i. e. subito. Impii enim noctu occidi finguntur. Ewaldus : *Gregis instar*, quos orco addicit, eos mors pascet..... brevi consumetur eorum forma; orcus pro habitatione erit eorum cuique. — Vers. 16. *Cum*, etc. Alii, *me, inquam, eripiet.* Alii, *nam suscepit me.*— Vers. 18. Quale illud Propertii, *Eleg.* III, 3, 35 :

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas :
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

— Vers. 19. *Felicem prædicaverit;* alii, *sibi blanditus fuerit*, laute vivendo. *Te*, oratione subito conversa. *Benefeceris*, benigne te tractaveris. — Vers. 20. *Tuorum*, propr. *suorum*, mutata iterum persona, nisi forte *anima* sit subjectum verbi.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM

In finem filiis Core Psalmus.

In titulo nihil est novi. Argumentum est adhortatio utilissima ad virtutem sectandam, et fugienda vitia.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. AUDITE HÆC, OMNES GENTES; AURIBUS PERCIPITE OMNES, QUI HABITATIS ORBEM.

Vers. 2. 2. QUIQUE TERRIGENÆ, ET FILII HOMINUM; SIMUL IN UNUM DIVES ET PAUPER.

Hæc est præfatio ad captandam attentionem, quæ sumitur ex eo quod oratio habenda conveniat omnibus hominibus æqualiter, nec solum præsentibus, sed etiam futuris. Itaque convocatur omne genus humanum ad audiendum; et quoniam neque locus ullus tantam multitudinem caperet, neque ulla vox oratoris a tam multis audiri posset, intelligere debemus Prophetam prævidisse Psalmos suos in omni terra, et in omni futuro tempore decantandos; et ideo omnes omnino ad audiendum invitasse. «Audite, inquit, omnes gentes» (sive, ut habetur in hebræo, *omnes populi*), quia videlicet ad omnes pertinent ea quæ dicenda sunt; « auribus percipite omnes, qui habitatis terram: » declarat verba præcedentia; quod enim dixerat : «Audite,» declarat addens, «auribus percipite,» id est, non ita audite, ut sermo tantum circumsonet aures, et pertranseat; sed ita audite, ut sermo intra aures recipiatur, ibique hæreat, ut attente cogitari possit. Quod autem dixit: «Omnes gentes,» explicat addens, « omnes qui habitatis orbem,» ne videlicet per gentes intelligantur soli gentiles; vel, per populos, ut est in hebræo, intelligerentur soli qui civitates incolunt. Vocat igitur ad audiendum omnes, qui orbem terrarum incolunt, sive sint gentiles, sive hebræi, sive congregati in civitatibus, sive dispersi in montibus et solitudinibus habitent. Ac ne videatur solos viventes et præsentes alloqui, addit aliquid generalius, dicens: «Quique terrigenæ, et filii hominum,» id est, audite omnes, qui ex terra et ab hominibus ortum ducitis : omnes enim homines, tam qui sunt, quam qui erunt, communem habent matrem, terram, et communem patrem, Adamum; sive communem habent materiam ex qua sunt, terram; et commune principium activum, hominem. In hebræo habetur, בני אדם *bene Adam, filii Adam*, ubi nos habemus, *terrigenæ*; sed credibile est Septuaginta interpretes non legisse *Adam*, sed אדמה *adamah*, quæ vox *terram* significat : facile enim est litteram ultimam ex nostris codicibus hebraicis excidisse. Adjungit postremo: «Simul in unum dives et pauper,» ut ostendat id quod dicendum est in hoc Psalmo, ad omnes æqualiter pertinere, non magis ad divites, quam ad pauperes; neque in hoc theatro ullam rationem habendam differentiæ personarum, sicut non habebitur in conventu illo, quo convocabimur ad judicium in die novissimo. Hæc enim oratio quam in hoc Psalmo, per Prophetam, Spiritus Sanctus ad homines habet, talem omnino conventum requireret, qualis erit in ultima die.

Oratio hæc ad omnes homines spectat.

Vers. 3. 3. OS MEUM LOQUETUR SAPIENTIAM, ET MEDITATIO CORDIS MEI PRUDENTIAM.

Vers. 4. 4. INCLINABO IN PARABOLAM AUREM MEAM, APERIAM IN PSALTERIO PROPOSITIONEM MEAM.

Hæc est altera pars præfationis, in qua rursum Propheta præparat auditorem ex alio duplici capite, ex dignitate materiæ, et ex dignitate docentis. Dignitas materiæ ostenditur ex eo quod sermo futurus est de sapientia et prudentia, et sermo non simplex, sed parabolicus et ænigmaticus, qualem decet esse sermonem de rebus gravissimis, ut non contemnatur, neque intelligatur, nisi a diligentibus et attentis auditoribus. « Os meum, inquit, loquetur sapientiam,» id est, docebit ea quæ faciunt hominem sapientem ; « et meditatio cordis mei, prudentiam,» id est, et meditatio cordis mei, quæ per os foras erumpit, docebit ea, quæ faciunt homines prudentes : declarat enim priorem versiculi partem per posteriorem; cum enim dixisset : «Os meum loquetur,» ne putaremus eum temere locuturum, quicquid in buccam venerit, addit: «Et meditatio cordis mei,» supple, loquetur, id est, os meum pariet quod cor meum diuturna meditatione conceperit. Et quia dixerat se locuturum sapientiam, ne quis existimaret sermonem futurum de rebus speculativis, et ad actiones humanas parum pertinentibus, addidit *prudentiam*. Itaque significat sermonem habendum de rebus, quæ sapientiam simul et prudentiam contineant, quæque faciant hominem sapientem in altissimis causis contemplandis, et prudentem in vita rectissime instituenda. Attingit deinde magnitudinem doctoris, cum addit : « Inclinabo in parabolam aurem meam aperiam in psalterio pro-

positionem meam, » quasi dicat : Non ego locuturus sum, quæ mox audietis, sed spiritus Domini per me loquetur; ego enim attente primum audio internum Doctorem meum, deinde quæ audivi loquor. « Inclinabo in parabolam aurem meam, » id est, subjiciam aurem meam spiritui loquenti, et obedienter audiam; et sic aperiam in psalterio propositionem meam, mihi videlicet a Deo inspiratam et communicatam. Per parabolam hoc loco intelligitur ænigma, id est, propositio obscura, quæ attentionem et studium requirit ut intelligatur. Id patet ex verbis hebraicis, quæ significant *proverbium* et *ænigma;* et similia habentur *Judic.* XIV, ubi Samson proposuit explicandam illam sententiam : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo; » quam sententiam vocat problema et propositionem : et habentur eo loco eadem verba hebraica, חִידָה, *chidah*, quæ hic habentur. Quod autem additur, *in psalterio*, sive *in cithara*, ut proprie sonat vox hebraica, pertinet etiam ad præparationem auditorum : significat enim David se propositurum doctrinam suam gravissimam cum cantu et sono, ut suavitas musicæ temperet gravitatem doctrinæ, et præcepta utilissima jucundius et avidius suscipiantur.

Vers. 5. 5. CUR TIMEBO IN DIE MALA? INIQUITAS CALCANEI MEI CIRCUMDABIT ME.

Hoc est proverbium, sive ænigma, quod præmissa tam accurata præfatione toti humano generi Propheta proponit et solvit. Sed solutio non minus est obscura, quam propositio, ut tam propositio, quam solutio ænigmatica dici possit. Sed tamen ænigmata sunt hæc verba hominibus hujus sæculi amore præoccupatis, nam veris Dei servis apertissima sunt. Ait igitur : « Cur timebo in die mala? » quasi dicat : Propono vobis omnibus, qui habitatis orbem terrarum, hanc quæstionem solvendam. Quid est, quod me terrere poterit « in die mala, » id est, in die judicii divini, quæ dicitur, *Sophon.* I, « dies iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et calignis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris? » Sive (quod est idem) quid me securum reddere poterit in die illius judicii, a quo summa bonorum omnium et malorum meorum dependet? Magnum profecto problema, et quod omnes omnino contingit. Solvit autem Propheta suum ænigma, cum dicit : « Iniquitas calcanei mei circumdabit me, » id est, quod me timere faciet in die illa mala, non est paupertas, quia judex non corrumpitur donis; non est humilitas generis, aut status, quia judex non respicit personas; non est malitia testium, aut advocatorum, quia judex omnia novit; non est potentia adversariorum, quia judex neminem timet; denique nihil est aliud, nisi iniquitas; et non quævis iniquitas, sed sola « iniquitas calcanei mei, » id est, iniquitas extremæ vitæ meæ, iniquitas perseverans usque ad finem vitæ : illa enim si inveniatur in illa die in me, omnino « circumdabit me » instar aggeris, aut muri, ut nullo modo evadere possim, quia tunc non erit amplius locus pœnitentiæ, vel indulgentiæ. Et contra, quod me securum et impavidum in die mala facere poterit, non erunt divitiæ, aut nobilitas, aut advocatorum diligentia, vel amicorum potentia, sed sola justitia; et non quævis justitia, sed justitia calcanei mei, id est, extremæ vitæ meæ, sive innocentia perseveraverit mecum usque ad mortem, sive per veram pœnitentiam iniquitate deleta, in ejus locum successerit verâ justitia. Scio multis aliis modis hos versiculos ab aliis exponi : sed ego brevitati studeo, et de variis sententiis lectori judicium relinquo.

In die judicii quid nos terrebit?

6. QUI CONFIDUNT IN VIRTUTE SUA, ET IN MULTITUDINE DIVITIARUM SUARUM GLORIANTUR. Vers. 6.

Posteaquam dixerat Propheta nihil esse timendum nisi peccatum, ut quis in die mala securus sit, addit nunc multos esse, qui hoc non intelligentes, confidunt in viribus suis, ac per hoc gloriantur in divitiis, quas magno studio paraverunt, existimantes hac ratione se tutissimos fore in qualibet mala die; et simul demonstrat illos omnino falli, et problema suum, ejusque solutionem esse verissimam. Ait igitur : « Qui confidunt in virtute sua, » id est, qui non timent diem malam, freti potentia et viribus suis, ut sunt plurimi ex filiis hujus sæculi, illi etiam consequenter « gloriantur in multitudine divitiarum suarum; » existimant enim pecuniis omnia vinci et expugnari posse. Et vere in hoc sæculo magna vis est in opibus et divitiis, ut vere dixerit Sapiens : « Pecuniæ obediunt omnia, » *Eccli.* XVIII. Sed in die mala nullæ amplius invenientur pecuniæ, neque, si invenirentur, prodesse possent. Ideo subjungit Propheta :

7. FRATER NON REDIMIT, REDIMET HOMO? NON DABIT DEO PLACATIONEM SUAM. Vers. 7.

Ostendit vanam esse fiduciam confidentium in pecuniis. Ait enim : « Frater non redimit, » id est, nemo poterit quamlibet magnis divitiis in die mala redimere fratrem suum. « Redimet homo : » hoc legendum est cum interrogatione, ut monet S. Basilius, « frater non redimit, redimet homo? » vel repetenda est negatio de more Scripturæ sanctæ : *Frater non redimit, non redimet homo.* Est enim sensus : « Frater non redimit, » multo minus alius homo redimet. « Non dabit Deo placationem suam, » id est, neque alium, neque se ipse liberare poterit; quamvis enim pecuniis maxime abundet, et eas omnes offerat ad placandum Deum in die mala, nihil ei proderit. Nam, ut Dominus in Evangelio, *Matth.* XVI, loquitur : « Quam dabit homo commutationem pro anima sua? » superat enim pretium animæ humanæ omnia bona hujus mundi, et ideo solus sanguis Unigeniti Dei, qui infiniti valoris erat, pretium animarum esse potuit. Itaque qui hoc magno pretio neglecto, in diabolica captivitate

Solus sanguis Christi pretium animæ esse potest.

detentus perveniet ad diem malam, « non dabit Deo placationem suam. »

Vers. 8. 8. ET PRETIUM REDEMPTIONIS ANIMÆ SUÆ, ET LABORABIT IN ÆTERNUM, ET VIVET ADHUC IN FINEM.

Declarat quod dixerat : « Non dabit Deo placationem suam; » placatio enim Dei est pretium redemptionis, quod solus Unigenitus Dei dare potuit; de quo intelligit S. Basilius verba sequentia : « Laborabit in sæculum, et vivet adhuc in finem, » id est, laborabit in hoc mundo ad tempus, et vivet postea in æternum. Sancti autem Ambrosius et Chrysostomus exponunt hæc eadem verba de viro pio et sapiente quocumque, quem opponunt viro stulto et impio confidenti in multitudine divitiarum suarum : vir enim pius et sapiens laborat ad tempus in servandis præceptis, sed vivet in æternum. Sanctus vero Augustinus exponit de illo « eodem, de quo dictum est paulo ante, non dabit Deo placationem suam; » et vult hunc sensum esse : Ille, qui confidit in multitudine divitiarum suarum, « laborabit in æternum, » quia labor ejus non habebit finem, et vivet modico tempore, quia vita ejus erit usque in finem, et non ultra. Et videtur secundum hanc expositionem melius continuari textus Prophetæ, et magis proprie exponuntur verba *in sæculum*, et *in finem* : nam laborare in sæculum non est laborare in hoc mundo, vel laborare modico tempore, sed est laborare in æternum; et, vivere in finem, non est vivere sine fine, sed est vivere usque ad finem statutum et definitum, ita ut finis naturalis vitæ non præveniatur, neque extendatur. Verba hebraica, pro *laborabit in sæculum*, videntur habere, *quiescet in sæculum* : nam חדל *chadal quiescere* significat. Sed non est verisimile Septuaginta Interpretes reddidisse omnino contrarium sensum; ideo suspicor illos legisse חרל *charal* : nam litteræ ד et ר simillimæ sunt. Verbum autem חרל *charal* significat *angustiari* et *cruciari*, et quasi *urticis pungi* : quod satis proprie convenit amatoribus divitiarum, quas Dominus in Evangelio, *Matth.* XIII, spinis comparavit. Itaque qui in divitiis suis confidunt, non solum non dabunt pretium redemptionis animæ suæ, sed laborabunt in tormentis cum divite epulone usque in æternum; et vivent vitam voluptariam, quæ illis sola videtur esse vita, usque in finem a Deo constitutum. De varia intercompunctione textus hebraici non laboro, quoniam illa posita est ad arbitrium Rabbinorum, quibus injuriam non facimus, cum eis Septuaginta Interpretes antiquiores et doctiores anteponimus.

Vers. 9. 9. NON VIDEBIT INTERITUM, CUM VIDERIT SAPIENTES MORIENTES : SIMUL INSIPIENS, ET STULTUS PERIBUNT.

Quia dixerat impium victurum usque in finem, cursu videlicet naturali; addit confirmans hoc ipsum : « Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes, » id est, continuabit cursum vitæ suæ usque ad ultimam senectutem, etiamsi videat aliquos sapientes et justos rapi ante tempus, et non continuare cursum vitæ usque in finem naturalem; sæpe enim Deus iis, quibus daturus non est vitam æternam, dat vitam temporalem diuturnam, quomodo Lazarus in Evangelio *Luc.* XVI, mortuus legitur ante Epulonem. Sed quamvis vita hæc temporalis aliquando impiis satis longa contingat, tandem finitur, et fit quod sequitur in Psalmo : « Simul insipiens et stultus peribunt. » Itaque sensus totius versiculi est : « Non videbit interitum, » id est, non morietur stultus confidens in divitiis ante tempus, cum viderit aliquos sapientes ante tempus morientes, tandem tamen simul cum sapientibus etiam stultus et insipiens ad vitæ temporalis finem pervenient. S. Augustinus paulo aliter exponit illud : *Non videbit interitum*; vult enim sensum esse : Non intelliget quis sit verus interitus; non enim verus interitus est mors corporis, sed mors animæ. Posset etiam dici, « non videbit interitum, » id est, non cogitabit se quoque moriturum, quando sapientes viderit morientes : quæ sententia verissima est; hæc est enim cæcitas humana, ut cum quotidie videamus morientes homines, nobis etiam meliores et juniores, tamen vix adduci possimus, ut serio cogitemus, nos quoque morituros esse; tamen ad litteram in Scripturis sanctis, « non videre interitum, » est non corrumpi, *Psalm.* XIII : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem; » et *Joan.* VIII : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » Quid autem intersit inter stultum et insipientem, docet S. Basilius : dicit enim insipientem esse, qui ad humana et communia ineptus est, qui videlicet humana sapientia, sive prudentia caret; stultum autem vocari eum, qui caret notitia rerum divinarum, et solis terrenis intentus est : et videtur S. Basilius non tam ad græcas, quam ad hebraicas voces respexisse. Vere enim vox hebraica כסל significat eum qui sapientia etiam humana caret; vox autem בער significat hominem pecori similem; pecora enim sola terrena cogitant : unde etiam paulo post dicit Psalmus : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. »

Deus quibus non est daturus vitam æternam, dat diuturnam.

Verus interitus non est mors corporis, sed animæ.

10. ET RELINQUENT ALIENIS DIVITIAS SUAS, ET SEPULCRA EORUM DOMUS ILLORUM IN ÆTERNUM. Vers. 10.

Confidentes in divitiis stultos et insipientes vocaverat sanctus Propheta, quomodo vocat etiam Dominus in Evangelio *Luc.* XII, cum dicit cuidam diviti : « Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt? » Ideo probat eos vere stultos esse, ex eo quod divitiis uti nesciunt, easque relinquunt iis quos ignorant. *Peribunt*, inquit, insipientes et stulti, quales sunt confidentes in divitiis, et ut stultitiam suam manifeste prodant, relinquent alienis divitias suas. Ubi recte notat S. Augustinus, per alienos intelligi posse etiam filios et nepotes hominum impiorum; nam

Alieni etiam filii intelligi possunt.

etiam isti tanquam alieni cito obliviscuntur eorum quorum opes obtinuerunt; et quamvis etiam non obliviscerentur, tamen mortuos impios juvare non possent: quomodo dives ille de Evangelio quinque fratres habebat in sæculo, et tamen ab eis juvari non poterat, quo minus arderet in gehenna, *Luc.* XVI. Proinde quinque illi fratres inter extraneos deputabantur: unus autem Lazarus, qui eum juvare potuisset, vere proximus, et non extraneus fuisset, si misericordiam in illum facere voluisset. Adjungit Propheta: « Et sepulcra eorum domus illorum in æternum, » id est, ipsi quidem morientes reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinuerunt, nisi angustissimam domum, id est, sepulcrum, in quo jacere debent « in æternum, » id est, ad finem usque sæculi: sæpe enim *æternum*, in Scripturis, significat integram durationem alicujus temporis, vel status; et declaratur hæc phrasis in verbis sequentibus: « Tabernacula eorum in progenie et progenie. » Quod enim vocaverat sepulcrum, et domum æternam, idipsum nunc vocat tabernaculum in progenie et progenie, id est, habitaculum, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes et generationes peragentur: quod sine dubio erit usque ad mundi consummationem. In hebræo non habetur *sepulcra*, sed *interiora*: cæterum credibile est Septuaginta Interpretes non legisse קרבם, ut modo legitur, et significat *interiora eorum*, sed litteris transpositis קברם, et significat *sepulcra eorum*.

Vers. 11. **11. TABERNACULA EORUM IN PROGENIE ET PROGENIE; VOCAVERUNT NOMINA SUA IN TERRIS SUIS.**

Filii hujus sæculi nomina sua scribunt in terris, quia in cœlis non erunt.

De priore parte versiculi dictum est in explicatione versiculi superioris. Quod autem additur, significat post mortem hominum insipientium, nihil superesse in terris, præter nomina ipsorum. Multis enim modis conantur mortales, qui hanc solam vitam noverunt, nomina sua æternitati commendare: vel enim nomina sua inscribunt parietibus; vel ea civitatibus indunt; vel in libris a se scriptis apponunt, vel denique filios, aut nepotes ad memoriam perpetuandam nomina sua gerere curant. Ita filii hujus sæculi nomina sua scribunt in terris, quoniam scripta esse non sperant in cœlis.

Vers. 12. **12. ET HOMO, CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT; COMPARATUS EST JUMENTIS INSIPIENTIBUS, ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS.**

Occasione insipientis, atque in divitiis confidentis, digreditur Propheta ad ipsum genus humanum coarguendum, quasi dicat: « Et *sic* homo cum in honore esset, non intellexit, » id est, homo præter cætera animalia honoratus a Deo intelligentia et ratione, libero arbitrio, imagine divinitatis, immortalitate animæ, imperio super omnia quæ in terris sunt, non intellexit hunc honorem suum; sed « comparatus est jumentis insipientibus, » quibus non est intellectus. « Et similis factus est illis, » dum more pecudum, non prospicit in futurum, sed præsentibus solum inhiat; et subjicit se corporalibus passionibus, quibus imperare debuerat; denique vera et sempiterna bona contemnit, ut falsis et caducis fruatur, cum e contrario temporalia omnia despicere debuisset, ut sempiternam vitam sibi compararet. In hebræo codice non habetur, *intellexit*, sed ילין *ialin, commorabitur*: cæterum Septuaginta Interpretes non legerunt *ialin*, sed יבין *iabin*, quod est *intellexit*. Facile autem fuit progressu temporis unam litteram in alteram mutari.

Vers. 13. **13. HÆC VIA ILLORUM SCANDALUM IPSIS, ET POSTEA IN ORE SUO COMPLACEBUNT.**

Pergit explicare, vel deplorare miseriam generis humani. « Hæc via, inquit, illorum scandalum ipsis, » id est, hæc vita, quam ducunt similem vitæ brutorum; sive hæc via, quam sequuntur, dum vivunt more bestiarum, hæc lex, hi mores, hoc institutum « scandalum est ipsis, » id est, offendicula multa illis præbent, et ruinæ magnæ causa sunt illis, qui tamen « postea in ore suo complacebunt, » id est, placebunt ipsi sibi in sceleribus, et gloriabuntur, cum male fecerint; quod ad summam miseriam et calamitatem pertinet. In hebræo non est *scandalum*, sed *insipientia*; sed facile est videre unde nata sit discrepantia, siquidem Septuaginta Interpretes in suis codicibus hebraicis non habuerunt כסל, quod *insipientiam* significat, sed כשל, quod significat *scandalum*. Veriores autem fuisse codices, quos habuerunt Septuaginta, iis quos posteriores habuerunt, non credimus posse negari.

Vers. 14. **14. SICUT OVES IN INFERNO POSITI SUNT, MORS DEPASCET EOS.**

Quoniam dixit homines factos esse per peccatum similes bestiis insipientibus, addit finem illorum fore, ut more ovium insipientium mactentur: ubi demonstratur tum multitudo, tum imbecillitas hominum, qui post mortem ad inferos detruduntur: oves enim gregatim conjiciuntur in stabula, et sine ulla resistentia ducuntur ad macellum. Itaque minori labore Deus multitudinem impiorum, quamvis in mundo ditissimi et potentissimi fuerint, detrudet in infernum ad mortem sempiternam, quam soleat pastor oviculas simplices et inermes vel trudere in stabulum, vel educere ad cædem. Quod autem dicitur, « mors depascet eos, » duplicem sensum habere potest: unum, ut significetur mortem instar pastoris futuram, et homines instar ovium ducturam ad pascua squalida et arentia, ubi nihil inveniant præter gemitus et dolores; alterum, ut significetur mortem instar lupi famelici depasturam et consumpturam homines impios instar ovium destinatarum ad escam. Prior sensus convenit voci græcæ ποιμανεῖ, posterior voci latinæ *depascet*, utrumque autem optime recipit vox hebraica רעה *raha*, sed in re nulla videtur esse discrepantia. Huc enim tan-

Minore labore Deus impios in infernum detrudit, quam oves ad macellum ducantur.

dem recidit uterque sensus, ut significetur mors impiorum nunquam finienda.

Vers. 15. 15. ET DOMINABUNTUR EORUM JUSTI IN MATUTINO, ET AUXILIUM EORUM VETERASCET IN INFERNO A GLORIA EORUM.

Pergit narrare miseriam impiorum ad inferos descendentium, ac dicit eos « in matutino, » id est, in principio novi ac futuri sæculi, quod incipiet in resurrectione universali, futuros omnino justis subjectos : justi enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri sæculi, judices erunt impiorum, eisque in æternum dominabuntur ; et nihil erit, quod impios eo die adversus justos juvare possit : omne enim « auxilium eorum, » quod in robore et potestate situm erat, « veterascet, » ac marcescet, atque inutile fiet in inferno, « a gloria eorum, » id est, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habuerunt, dum gloriosa palatia inhabitarent. Illud, *in matutino*, demonstrat tempus hujus sæculi totum esse noctem quamdam. Unde dicit Apostolus *Rom.* XXIII : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. » In nocte hujus sæculi videtur sæpe injustitia prævalere; sed in matutino apparebit, ubi sint justi, et ubi sint injusti. In hebræo secunda pars versiculi longe aliter haberi videtur ; sic enim vertit S. Hieronymus : *Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum* : aliud est enim auxilium, aliud figura, et aliud gloria, aliud habitaculum. Sed de prima voce non est magna difficultas : vox enim hebraica צור *tsur*, quamvis *figuram* significare possit, a verbo יצר *iatsar*, quod est *formare*, tamen proprie *tsur*, quæ vox hoc loco habetur, significat *petram*, metaphorice *robur* ac *potentiam*. Itaque recte Septuaginta Interpretes verterunt *auxilium*, quod in viribus et potentia consistit. Altera vox, quæ hebraice dicitur זבול *zebul*, videtur proprie significare *habitaculum*, non quodcumque, sed gloriosum, quale est cœlum : habetur enim hæc vox in duobus tantum locis, *Isai.* cap. LXIII, 13 : « Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ. » Et *Habac.* cap. III, 11 : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo. » Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit infernum, habitaculum videlicet obscurissimum et vilissimum, domibus gloriosis et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebant. Septuaginta vero Interpretes verterunt, *a gloria ipsorum*, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant ; hic igitur totius versiculi sensus erit : « Et dominabuntur eorum, » impiorum videlicet in inferno positorum, « justi in matutino, » id est, cum illucescet dies resurrectionis, atque initium sæculi futuri ; et potentia impiorum « veterascet, » id est, conteretur, et inutile erit, instar vestis consumptæ et laceræ. « In inferno a gloria eorum, » id est, quando post gloriam splendidorum habitaculorum, infernum terrimum et vilissimum habitaculum etiam corporaliter habere incipient.

16. VERUMTAMEN DEUS REDIMET ANIMAM MEAM DE MANU INFERI, CUM ACCEPERIT ME. Vers. 16.

Addit nunc quæ sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit, quasi dicat : Impiis quidem accidet id quod dixi ; verum mihi, meique similibus contrarium eveniet. « Deus enim redimet animam meam de manu inferi, » id est, liberabit me, ne ab inferno detinear, quando veniens assumet me. Videtur hoc loco prædicere redemptionem quæ est in Christo Jesu, et descensum ejusdem Christi ad inferos : tunc enim persoluto pretio sanguinis, redemit de manu inferi animas justorum, cum descendens ad inferos accepit eas, et ad se assumpsit. Sic veteres Patres, Basilius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et Euthymius. Potest tamen cum Chrysostomo hic locus intelligi de inferno inferiore, ubi torquentur animæ impiorum, ut sensus sit : « Deus redimet animam meam de manu inferi, » id est, non patietur Deus animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca pœnarum, cum de hoc mundo per corporis mortem accipiet me.

Christi descensus ad inferos prædicitur.

17. NE TIMUERIS, CUM DIVES FACTUS FUERIT HOMO, ET CUM MULTIPLICATA FUERIT GLORIA DOMUS EJUS. Vers. 17.

18. QUONIAM CUM INTERIERIT NON SUMET OMNIA, NEQUE DESCENDET CUM EO GLORIA EJUS. Vers. 18.

Ex dictis concludit per modum exhortationis, non esse timendam potentiam divitum hujus mundi, quoniam brevissima est : alloquitur autem justos pauperes, atque a divitibus hujus mundi oppressos. « Ne timueris, inquit, cum dives factus fuerit homo, » id est, ne formides potentiam ejus, ne ob timorem temporalis potentiæ forte offendas æternam omnipotentiam Creatoris ; neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam « multiplicatam gloriam domus ejus, » per numerosam familiam, et multiplices dignitates propinquorum ejus. « Quoniam cum interierit, » per mortem videlicet, quam nemo effugere potest, et quæ divitibus et pauperibus communis est, « non sumet omnia, » id est, nihil sumet, nihil secum asportabit eorum, quæ in hoc mundo possidebat ; « neque descendet cum eo gloria ejus, » id est, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiæ et gloria impiorum ad brevissimum tempus durant ; paupertas et confusio sempiterna sunt. Contra vero paupertas et confusio piorum momentanea sunt, opes et gloria manent in sæculum sæculi ; quod Apostolus pulchre expressit, cum ait II *Cor.* VI : « Quasi tristes, semper autem gaudentes. » Tristitia enim piorum non est tristitia, sed quasi tristitia, qualis est ea, quam somniantes aliquando patimur :

Tristitia piorum non est vera tristitia.

lætitia vero non quasi lætitia, sed vera solidaque lætitia est, nunc quidem in spe, postea vero in re : et contra, lætitia impiorum de carnali voluptate, vel gloria, non est lætitia, sed quasi lætitia, quali fruuntur dormientes, dum se possidere, quæ diligunt, somniant. Tristitia autem in gehenna non erit quasi tristitia, sed verissima, certissima, ac sempiterna tristitia.

Vers. 19. 19. QUIA ANIMA EJUS IN VITA IPSIUS BENEDICETUR : CONFITEBITUR TIBI, CUM BENEFECERIS EI.

Reddit rationem cur gloria impiorum non comitetur eos ad inferos. Quoniam, inquit, sicut ipsi Deum laudare consueverunt, quando eis beneficia temporalia tribuit : ita Deus in hac solum vita eis benedicere solet. « Anima ejus in vita ipsius benedicetur, » id est, anima impii, sive ipse impius, in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. « Confitebitur tibi, » id est, et ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibique gratias aget, « cum benefeceris ei; » sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuo blasphemabit te : non enim ex illis est, qui dicunt, *Psalm.* XXXIII : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; » vel *Job.* II : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. » In hebræo habetur active יכרך *benedicet*, pro quo habemus in græco εὐλογηθήσεται, et latino *benedicetur*; sed idem est sensus. Sic enim legi debent verba hebraica : *Quia animam ejus in vita ipsius benedicet*, ex quo intelligimus illud, *benedicet*, referri ad Deum, ac per hoc etiam illud, *benedicetur anima ejus*, referri debet ad Deum, ut nos supra exposuimus. Idem autem sensus est, sive legas, *anima ejus benedicetur a Deo in vita ipsius*, sive *animam ejus benedicet Deus in vita ipsius*. Quod autem sequitur : « Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, » in hebræo legitur, *cum benefeceris tibi*; sed ex litterarum similitudine corruptus videtur textus hebraicus; nam Septuaginta Interpretes non legerunt לך *lac*, quod est *tibi*, sed לו *lo*, quod est *ei*, et hoc modo posteriore legitur in omnibus codicibus græcis et latinis, et est sensus multo facilior et clarior.

20. INTROIBIT USQUE IN PROGENIES PATRUM SUORUM, ET USQUE IN ÆTERNUM NON VIDEBIT LUMEN. Vers. 20.

Impius in hac vita in luce honorum et gloriæ vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera ejus, vel alliciat ad resipiscentiam et conversionem, sed in alia vita *apponitur* (ut Scriptura loquitur) *ad patres suos*, ut eos sequatur in suppliciis, quos secutus est in flagitiis, « introibit, » impius videlicet, post hanc vitam, « usque in progenies patrum suorum, » id est, introibit ad ea loca, ad quæ illum præcessit progenies patrum suorum; « et usque in æternum non videbit lumen, » quia justo judicio manebit in æternis tenebris, qui nimirum delectatus est in luce honorum et gloriæ temporalis, et lucem gloriæ cœlestis non quæsivit.

21. HOMO, CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT : COMPARATUS EST JUMENTIS INSIPIENTIBUS ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS. Vers. 21.

Repetit Propheta versiculum duodecimum, tum ut ostendat præcipuam causam miseriæ hominum esse insipientiam, et merito homines plurimos in æternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt; tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino ænigma propositum in hoc Psalmo intelligant. Id enim accidit, quia « homo » propter peccatum « comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. »

PSALMUS L

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Psalmus Asaph.*

Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram,

A solis ortu usque ad occasum;

2. Ex Sion species decoris ejus.

3. Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cœlum desursum, et terram, discernere populum suum.

V. S. H. — *Canticum* [*h. Psalm.*] *Asaph.*

Fortis Deus Dominus locutus est, et vocavit terram : ab ortu solis usque ad occasum ejus.

De Sion perfecto decore Deus [al. tac. *Deus*] apparuit.

Veniet Deus noster, et non tacebit : ignis coram eo vorabit, et in circuitu ejus tempestas valida.

Vocabit cœlum desursum, et terram, ut judicet populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.

7. Audi, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.

11. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?

14. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

15. Et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.

16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?

17. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. 21. Hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis : arguam te, et statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum; nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

23. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Congregate mihi sanctos [*h. misericordes*] meos : qui feriunt pactum meum in sacrificio.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus : quia Deus judex est ipse. SEMPER.

Audi, populus meus [al. *popule*], et loquar, Israel, et contestabor te. Deus, Deus tuus ego sum.

Non propter victimas tuas arguam te, et holocautomata tua coram me sunt. SEMPER.

Non accipiam de domo tua vitulum [*h. taurum*], neque de gregibus tuis hircos.

Mea sunt enim omnia animalia silvarum [*h. silvæ*] : pecudes [h. *beemoth*] in montibus millium.

Scio omnes aves montium, et universitas agri [*h. ziz dicitur, nomen est avis*] mei mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis et plenitudo ejus.

Numquid comedam carnem [al. *carnes*] taurorum, aut sanguinem hircorum bibam ?

Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota [al. tac. *vota*] tua.

Et invoca me in die tribulationis : liberabo te, et glorificabis me.

Impio autem dixit Deus : Quid tibi est cum narratione præceptorum meorum, et ut assumas pactum meum in ore tuo ?

[*h. Et tu*] Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te.

Si videbas furem, consentiebas ei : et cum adulteris pars tua.

Os tuum misisti ad malitiam, et lingua tua concinnavit dolum.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, in [al. *et adversum*] filium matris tuæ fabricabaris opprobrium.

Hæc fecisti, et tacui : existimasti futurum me [al. tac *me*] similem tui : arguam te, et proponam ante oculos tuos.

Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum, ne forte rapiam [al. *capiam*], et non sit qui liberet:

Qui immolat confessionem, glorificat me : et qui ordinat viam, ostendam ei salutare Dei.

Argumentum. — Quemadmodum Deus olim in monte Sinai apparuit ut populo suo legem daret, ita hic sistitur in monte Sion, ut legis illius genuinum sensum declaret. Igitur esse hunc Psalmum in exsilio, cum omnis sacrificiorum cultus cessasset, scriptum, ab hodiernis multis inconsiderate est judicatum. Strophæ quatuor : vers. 1-6, exordium magnificum; vers. 7-15, non sacrificia, quibus non indigeat, sed pietatem, fiduciam, animum gratum poscit Deus; vers. 16-21, adversatur homines, qui, cum vitam vivant facinorosam, leges divinas ore jactent · vers. 22-23, conclusio.

1. Carmen Asaphi.

Deus deorum, Jova loquitur, et vocat terram,
ab ortu solis usque ad occasum ejus.

2. E Sione, perfectione pulchritudinis,
Deus exsplendet.
3. Venit Deus noster, neque est quod sileat;
ignis (fulgurum) coram eo consumit (obvia quæque),
et circa eum tempestas (propr. *procellosum*) est vehementer.
4. Advocat cœlum supra (superne),
et terram, ut (ipsis testibus) judicet populum suum.
5. « Congregate mihi pios (cultores) meos,
qui percusserunt fœdus meum cum sacrificiis. »
6. Et annuntient cœli justitiam ejus,
nam Deus ipse *est* judex.

7. « Audi, populе meus, ut loquar,
Israel, ut testificer contra te :
Deus, Deus tuus ego sum.
8. Non propter sacrificia tua redarguam te,
et holocausta tua coram me sunt perpetuo.
9. Non *est quod* accipiam e domo tua juvencum,
e caulis tuis hircos :
10. Nam meæ sunt omnes feræ silvæ,
et bestiæ (quadrupedes) in montibus millium.
11. Novi omnes aves montium,
et bestia agri mecum est.
12. Si esurirem, non dicerem tibi;
nam mihi est orbis et quidquid eum implet.
13. Num comedam carnem taurorum,
et sanguinem hircorum bibam?
14. Sacrifica Deo laudem (gratiarum *Levit.* VII, 12),
et persolve Altissimo vota tua;
15. Et invoca me in die angustiæ :
eripiam te, tu vero me honorabis. »

16. Et improbo (impio) dicit Deus :
« Quid tibi (causæ est), quod enarras statuta mea,
et sumis fœdus meum in os tuum?
17. Quum odio habeas disciplinam,
et conjicias verba mea post te (ea contemnas).
18. Si vides furem, delectaris consuetudine ejus,
et cum adulteris est pars (societas) tua.
19. Os tuum dimittis (solutis frænis) in malum,
et lingua tua nectit fraudem.
20. Sedes, in (contra) fratrem tuum loqueris,
in filium matris tuæ ponis offendiculum.
21. Hæc fecisti, et tacui;
cogitasti me esse tui similem :
arguo te, et ordino (scelera tua) ante oculos tuos.
22. Intelligite, quæso, hoc, obliti Dei,
ne dilacerem, nemine liberante.

23. Sacrificans laudem honorabit me;
et qui *recte* disponit viam *suam*,
eum videre (experiri) faciam auxilium Dei. »

NOTÆ.

Vers. 1. Asaphus multis is videtur, de quo I *Chron.* XV, 17, 19; II *Chron.* XXIX, 30. Nobis similius vero est, vel plures variæque ætatis fuisse ejusdem stirpis auctores carminum *Asaphicorum*, vel si unicus fuit auctor, eum vixisse temporibus Josaphati, Ochosiæ et Athaliæ. *Deus deorum*, etc.; alii, *Deus, Deus Jova.* — Vers. 2. *Exsplendet*, splendidissima luce circumfusus apparet. — Vers. 3. *Neque est*, etc. Alii, *jam non silet, mutus est.* Sit ne ad tonitruum iratum numen comitantium fragorem illud referendum, an ad ipsum quod Deus in eo est ut exerceat judicium vers. 4, dubium. — Vers. 4. Cf. *Deut.* IV, 26; XXXI, 28. — Vers. 5. *Cum sacrificiis*, propr. *super sacrificiis*, i. e. sacrificiis adhibitis. Cf. *Exod.* XXIV. Deus hic loquitur. — Vers. 6. Alii,..... annuntient *quia Deus* est *judex* i. e. justus. — Vers. 7. Pro *ut... ut*, alii *et... et* cum futuro. *Testificer in te* : Ewaldus, *graviter te admoneam.* — Vers. 8. *Sacrificia tua*, quasi ea mihi non offerres. *Et holocausta*, etc. Rosenmullerus, neque ob *holocausta tua*, quæ sunt *coram me jugiter.* — Vers. 10. *Millium*, scil. *bestiarum*, ubi mille degunt animalia. Maurer, *in montibus millibus;* alii, *in montibus bovis*, ubi multæ degunt boves, qualis erat mons Basan. — Vers. 11. *Bestia*, a זוּד *moveri*, omne quod movetur; alii, *dorcas*, gall. *gazelle*, ob celeres motus. — Vers. 16. *Improbo* pietatis simulatori. *Fœdus*, pro præceptis divinis. — Vers. 18. *Delectaris*, etc. Alii, *consentis ei.* — Vers. 20. *Sedes*, inter gregales tuos; alii de consessu *in judicio* verba interpretantur. *Offendiculum*; alii, *infamiam.* — Vers. 21. *Esse*, propr. *essendo ero*, utique ero. *Similem*, ita ut vitia tua plectere nolim. Contrarium ut ostendam, ecce te jam redarguo, vel redarguam, facinora tibi tua objectans. — Vers. 22. נא a נאה, נוה, *sedit, bene sedit*, huc *belle! pulchre!* — Vers. 23. *Disponit*, propr. *ponit*, breviter dictum pro eo quod plene est *Isai.* XLI, 20. Alexandrinus legit *sham, ibi.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

In priore libro *Paralip.* cap. XVI, legimus Asaph fuisse principem Cantorum a Davide constitutum. Utrum autem ipse Psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, vel canenti præfuerit, non est omnino certum, ut præfatione diximus. Argumentum Psalmi est duplex Domini adventus : unus ad prædicandum, alter ad judicandum; unus occultus et in humilitate, alter manifestus et in majestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad judicium; recte Psalmus inscribitur, אסף *Asaph*, qui interpretatur *congregans.* Addit et declarat Propheta, quibus de rebus potissimum reddituri simus rationem in die judicii : proinde Psalmus utilissimus est.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS DEORUM DOMINUS LOCUTUS EST, ET VOCAVIT TERRAM.

Incipit a primo adventu, ac dicit Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora Prophetarum antea loquebatur; et ad concionem suam vocasse non Judæos tantum, sed «omnem terram,» id est, omnes inhabitantes terram; quod per Apostolos suos fecit, siquidem « in omnem terram exivit sonus eorum, » ut dicitur *Psalm.* XVIII. Dicitur autem hoc loco Dominus esse « Deus deorum, » ut intelligamus Christum esse Deum verum, veri Dei Filium, qui eamdem cum Patre divinitatem habet : una enim et sola esse potest vera divinitas, multi autem sunt dii, vel per errorem et æstimationem, ut dii gentium, «qui dæmonia sunt,» ut dicitur in *Psalmo* XCV; vel per gratiam adoptionis, ut sancti angeli et sancti homines; vel per similitudinem, ut principes et judices terræ. Sed omnes isti dii subjecti sunt uni et soli Deo vero, qui ideo dicitur « Deus deorum. » Ex hebræo S. Hieronymus vertit, *fortis Deus Dominus locutus est;* sed voces hebraicæ utramque versionem patiuntur, et sensus utriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum adventum, Christus Dominus Deum

Christus verus Deus est et veri Dei Filius.

deorum se ostendit, cum terribilis fuerit dæmonibus, qui sunt dii gentium, et ipse per adoptionis gratiam multos fecerit deos; et ipse idem *fortis Deus* fuit, cum hostem generis humani per crucem devicerit, et vasa ejus diripuerit. Si respiciamus secundum adventum, « Deus deorum» rectissime dicitur, quoniam Judex judicum omnium erit; nec minus proprie conveniet ei titulus *fortis Dei,* cum diabolum et omnes asseclas ejus, sive dæmones, sive homines in gehennam verbo detrudet, et vectibus sempiternis portas inferni claudet. Ait igitur : « Deus deorum Dominus locutus est, » id est, Dominus Christus, qui est Deus deorum in hunc mundum adveniens, locutus est verba Evangelii sui. « Et vocavit terram,» id est, et ad sermones suos audiendos terram universam convocavit, dicens : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth.* XI.

Vers. 2. 2. A SOLIS ORTU USQUE AD OCCASUM : EX SION SPECIES DECORIS EJUS.

Declarat se per terram non intellexisse terram Palæstinæ, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram; et simul explicat locum unde Dominus loqui cœperit. Cœpit enim ex Sion, sive ex Jerusalem, juxta illud *Isai.* II : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; » et illud *Luc.* ult. : « Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. » «A solis ortu, inquit, usque ad occasum, » vocavit terram, id est, omnes homines qui habitant terram a principio, ubi sol oritur, usque ad finem, ubi sol occidit. « Ex Sion species decoris ejus, » id est, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, quæ est species decoris ejus. Porro species decoris significat speciem pulcherriman, sive perfectam pulchritudinem, ut magis sonant verba hebraica. Erat autem Jerusalem, juxta priorem sensum, *perfecti decoris,* ut dicitur *Thren.* I, quia erat civitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia et pontificia, nec non tabernaculo, arca fœderis, et cæteris quæ eam caput religionis et regni faciebant : unde etiam typus erat cœlestis, ac divinæ civitatis. Sed, juxta posteriorem sensum, erat Evangelica prædicatio perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiam sanctissimæ Trinitatis, sacramenta efficacissima, legem perfectam, et innumerabilibus signis et prodigiis comitata veniebat; atque audientes et credentes renovabat et justificabat, et ex ima terra ad summum cœlorum exaltabat.

Vers. 3. 3. DEUS MANIFESTE VENIET, DEUS NOSTER, ET NON SILEBIT.

Hic jam prædicit secundum adventum, quasi dicat : Deus deorum venit et vocavit terram, sed occulte venit, quia in forma servi, in humanitate, in mansuetudine, ut esset locus redemptioni per passionem et mortem; sed postea « manifeste veniet » in potestate et majestate magna, non in præsepi speluncæ, sed in nubibus cœli; non cruci affixus inter latrones, sed in sede Judicis cum omnibus angelis suis. Neque solum manifeste veniet, sed etiam « non silebit, » sicut in primo adventu, quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem non aperuit os suum, et sicut hoc tempore silet, dum peccata fieri videt et tacet; sed veniet cum tuba et clamore horribili : « Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, » *Matth.* XXV. Et « mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, » *Matth.* XXIV. Et : « Ipse Dominus in jussu et voce Archangeli in tuba Dei descendet de cœlo, » I *Thessal.* IV. Et: « In novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti,» II *Cor.* XV. In hebræo prima illa verba : *Deus manifeste,* conjunguntur cum versu superiore hoc modo : « Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestabitur; » et deinde subjungitur novus versiculus : « Veniet Deus noster, et non silebit.» Sed non tenemur sequi distinctionem hebraicam, quæ a Rabbinis excogitata est : illud autem verbum, *manifeste,* in textu hebræo ambiguum est, ut possit esse adverbium *manifeste,* et verbum *manifestabitur;* proinde non erraverunt Septuaginta Interpretes, qui per adverbium expresserunt. Quod si Rabbini contendant vocem hebraicam נוֹפִיעַ *hophiah,* non posse accipi adverbialiter, dicemus Septuaginta Interpretes reddidisse non verba, sed sensum; idem enim est : *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit;* et *Deus manifestabitur, veniet Deus noster, et non silebit.*

Adventus Christi ad judicium terribilis.

Vers. 4. 4. IGNIS IN CONSPECTU EJUS EXARDESCET, ET IN CIRCUITU EJUS TEMPESTAS VALIDA.

Hæc accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, id est, eorum omnium quæ sunt in terra, civitatum videlicet, hortorum, vinearum, palatiorum, animantium, et similium rerum corruptibilium, de quibus dicit S. Petrus in *Epist.* II, cap. V : « Adveniet autem dies Domini, ut fur, in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera exurentur; » de qua conflagratione disputat S. Augustinus lib. XX. *De Civit. Dei,* cap. XVIII, et Scholastici in IV *Sentent.* dist. 47. Sensus igitur est : « Ignis in conspectu ejus exardescet, » qui exuret omnia quæ in terris inveniet. « Et in circuitu ejus tempestas valida, » id est, commotio maxima ex omni parte mundi, tum in terra, tum in mari, tum in aere, tum in cœlo, « arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi, » ut ait B. Lucas, cap. XXI. Tamen S. Augustinus, hunc locum Psalmi exponens, per ignem intelligit judicium divinum; per tempestatem vero ventum separan-

tem grana a paleis, id est, distinctionem bonorum a malis. Alii non male per ignem et tempestatem describi volunt iram Judicis æterni, cum qua adveniet in novissimo die; vel certe hæc omnia signa esse majestatis Dei omnipotentis; nam et quando descendit Deus in montem Sinai daturus legem, mons totus ardere videbatur, et audiebantur tonitrua, et conspiciebantur fulgura, et omnino tempestas ingens, et terror maximus, *Exod.* cap. XIX.

Vers. 5. 5. ADVOCABIT CŒLUM DESURSUM, ET TERRAM DISCERNERE POPULUM SUUM.

Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt, atque ad spectaculum omnium maximum convenient. « Advocabit, inquit, cœlum de sursum, » id est, ex parte mundi superiore advocabit Judex ipsum cœlum, id est, omnes angelos cœli habitatores; sic enim Dominus ait *Matth.* XXV : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo. » Ex parte inferiore « advocabit terram, » id est, omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem per successiones generationum incoluerunt terram. Aderunt ergo omnes angeli et omnes homines. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, « discernere populum suum, » id est, ad judicandum populum suum, et segregandos electos a reprobis; nam, ut dicitur *Matth.* XIII : « In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. » Et *Matth.* XXIII : « Separabit oves ab hædis, » id est, ea facilitate Judex cœlestis secernet omnes electos ab omnibus reprobis, quamvis prope innumerabiles sint futuri, qua pastor separare potest paucas oves a paucis hædis. Alii existimant advocari cœlum et terram in testes divinæ sententiæ, tanquam immobilis, quomodo alibi sæpe in divinis litteris. Prior expositio est S. Augustini, posterior S. Joannis Chrysostomi, quem sequuntur Theodoretus et Euthymius. Utraque est vera, et una alteri non repugnat.

Omnes angeli et homines divino judicio intererunt.

Vers. 6. 6. CONGREGATE ILLI SANCTOS EJUS, QUI ORDINANT TESTAMENTUM EJUS SUPER SACRIFICIA.

Quamvis omnes omnino homines ad judicium vocandi sint, tamen peculiari ratione judicium ad fideles pertinebit : « qui *enim* non credunt, jam judicati sunt, » *Joan.* III; unde etiam *Matth.* XXV, soli fideles judicandi introducuntur, et de operibus, non de fide discutiuntur. Itaque nomine Sanctorum intelligendi sunt fideles, qui ad populum Dei pertinent, qui per circumcisionem olim Deo consecrabantur, et nunc per baptismum consecrantur; sic David in *Psalm.* LXXXV, dicit : « Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; » et Apostolus in epistolis suis omnes christianos vocat *sanctos*. Alloquitur igitur angelos, et dicit : « Congregate illi sanctos ejus, » id est, adducite ad judicium populum Dei peculiarem, quem sibi per sacramenta sanctificavit; quod enim id per angelorum ministerium faciendum sit, perspicuum est ex cap. XIII *Matth.* : « Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum; » et cap. XXIV : « Et mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos ejus. » Quod sequitur : « Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, » est declaratio vocis Sanctorum; illi enim dicuntur Sancti, « qui ordinant testamentum super sacrificia. » Quæ sententia clarior est in textu hebraico, ubi ad verbum legitur : *Qui feriunt pactum ejus super sacrificio*, id est, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus ejus, et ipse sit Deus eorum; quod pactum est super sacrificio, id est, super cultu divino, qui præcipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eumdem sensum facit; nam per *testamentum*, intelligitur *pactum*, et per *ordinare*, significatur *disponere*. Disponere testamentum et ferire pactum idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturæ, sed præcipue ex lib. I *Machab.* cap. I : « Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt; nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. » Igitur sensus hujus versiculi est, congregandos esse ad judicium sanctos Dei, id est, homines Deo dicatos, « qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, » id est, qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat. In hebræo codice habetur pronomen primæ personæ, hoc modo : *Congregate mihi sanctos meos, qui feriunt pactum meum super sacrificio.* Sed Septuaginta Interpretes in omnibus his vocibus legerunt litteram *vau*, ubi nunc est littera *iod*; facile autem fuit mutari litteram *vau* in litteram *iod*, cum non differant, nisi quod una est paulo longior altera; posita autem in textu littera *vau*, efficitur pronomen tertiæ personæ, et recte Septuaginta verterunt : *Congregate illi*, et *sanctos ejus*, et *testamentum ejus*.

Soli fideles judicandi introducuntur a B Matthæo.

Vers. 7. 7. ET ANNUNTIABUNT CŒLI JUSTITIAM EJUS, QUONIAM DEUS JUDEX EST.

Congregatis omnibus ad judicium, tum demum « annuntiabunt cœli justitiam ejus, » id est, de cœlo proferetur sententia in bonos et malos; inde apparebit omnibus quanta sit justitia Dei, quæ nunc sæpe non apparet, cum permittente Deo justi opprimantur ab iniquis : tunc igitur « annuntiabunt cœli justitiam ejus, » quia de cœlo veniet, qui justissime judicabit, et in cœlo aereo sedens sententiam justissimam proferet, et totum cœlum, id est, omnes cœlites assensu et laudibus confirmabunt justam sententiam, ac dicent : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Neque poterit esse falsa hæc cœli annuntiatio, « quoniam Deus judex est, » id est, quoniam qui judicabit, Deus est, in quem injustitia cadere non potest.

Vers. 8. 8. AUDI, POPULUS MEUS, ET LOQUAR; ISRAEL, ET TESTIFICABOR TIBI : DEUS, DEUS TUUS EGO SUM.

Transit nunc Propheta ad eruditionem populi, ac docet quæ sit futura materia judicii, id est, quibus de rebus reddenda sit ratio in judicio, ut unusquisque parare se possit. Atque ut admonitio majorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne admonentem inducit. « Audi, inquit Deus, populus meus, et loquar ; » nisi enim audieris, non tibi loquar, sed aliis qui habent aures audiendi ; nam non sine causa Dominus in Evangelio *Matth.* XI, et alibi sæpe dicit : « Qui habet aures audiendi audiat ; » sicut enim qui surdi sunt, habent aures ad ornamentum corporis, sed non ad audiendum, sic etiam qui mentem habent, sed non attendunt ad doctrinam Dei, habent aures interiores, quasi non haberent. Oportet igitur attente cogitare et considerare quid dicat Deus, si volumus ut nobis loquatur. Explicat deinde clarius, dum addit : « Israel, et testificabor tibi, » id est, audi, populus meus Israel, et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod tua maxime interest. Per Israelem autem non intelligitur solum populus, qui secundum carnem ab Israele descendebat, sed etiam populus christianus, qui fidem Israelis imitatur, imo hic maxime per Israelem intelligendus est, cum Apostolus dicat *Rom.* IX : « Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ ; neque omnes qui semen Abrahæ, hi filii ; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine. » Quod autem sequitur : « Deus, Deus tuus ego sum, » est ratio cur nos oporteat audire, quia videlicet qui loquitur est Deus, et peculiariter Deus noster ; ac per hoc certo scimus illum scire, et velle nobis utilissima præcepta tradere : nam si Deus est, omnia novit ; si noster est, amat nos, ac propterea vult utilia nos docere.

Vers. 9. 9. NON IN SACRIFICIIS TUIS ARGUAM TE : HOLOCAUSTA AUTEM TUA IN CONSPECTU MEO SUNT SEMPER.

Summa doctrinæ divinæ est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi hæc illi præcipue placeant ; sed requirere internas virtutes, fidem, spem, dilectionem, obedientiam : propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Id conforme est verbis Samuelis I *Reg.* XV : « Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini? » Et *Isaiæ* cap. I : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus : plenus sum, » etc. Et infra : « Lavamini, mundi estote, » etc. Et Christi ipsius *Matth.* XXIII : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, et fidem. » Et denique ipsius Davidis in *Psalm.* L : « Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Ait igitur : « Non in sacrificiis tuis arguam te, » id est, non accusabo, vel damnabo te in judicio, quod pauca mihi sacrificia obtuleris ; deinde reddit hujus rei multas rationes, quarum prima est in secunda parte hujus versiculi, quia videlicet, satis multa holocausta sibi quotidie offerantur ; nam cum dicit, « holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper, » illud, *autem*, ponitur pro *enim ;* nam in hebræo est particula *et*, quæ frequentissime ponitur pro *enim*. Sensus igitur est : Non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo.

Deus sacrificiis veterum non delectatur.

Vers. 10. 10. NON ACCIPIAM DE DOMO TUA VITULOS, NEQUE DE GREGIBUS TUIS HIRCOS.

Vers. 11. 11. QUONIAM MEÆ SUNT OMNES FERÆ SYLVARUM, JUMENTA IN MONTIBUS ET BOVES.

Vers. 12. 12. COGNOVI OMNIA VOLATILIA CŒLI, ET PULCHRITUDO AGRI MECUM EST.

Hæc est secunda ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium Dominus ; et ideo si velit oves, aut boves, aut aves, aut aliquid aliud, nullo negotio potest habere, cum ipse omnia noverit, omnia possideat. « Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, » id est, non opus est mihi, si velim vitulos, aut hircos, ut illos tibi eripiam, vel a te petam. « Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, » id est, mea sunt omnia animantia sylvestria, ut cervi, capræ, apri et similia. « Jumenta in montibus et boves, » id est, mea sunt etiam omnia animalia quæ pascuntur in montibus, ut oves, capræ, arietes, hirci, boves et vituli. « Cognovi omnia volatilia cœli, » id est, non solum animalia quadrupedia mea sunt, sed etiam omnes volucres cœli, quos ego novi ubi sunt, et ad quid prosint. « Et pulchritudo agri mecum est, » id est, non solum animalia, sed etiam omnes fructus terræ, ex quibus agri pulchri et divites redduntur, apud me sunt, ad jus meum pertinent, et omnibus uti possum, ut mihi placet ; vel apud me est, id est, omnis perfectio agri, cum omnibus frugibus, arboribus, animantibus, fontibus et cæteris rebus, mecum est ab æterno eminenter in essentia mea consistens, ut mihi opus non sit ad ista exteriora descendere. In hebræo, pro illa voce *jumenta*, est vox בהמות *behemoth*, quæ vox significat *animalia* generatim, et non solum *jumenta* proprie dicta ; nam *Psalm.* VIII, eadem vox habetur, ubi noster Interpres vertit, *pecora campi ;* et *Ps.* CXLVIII, ubi legimus, *universa pecora*, eadem etiam vox reperitur. Illud autem, *in montibus et boves*, ex hebræo verti posset, *in montibus mille ;* nam vox hebraica אלף *aleph*, quæ hic habetur, significat et *bovem* et *mille*. Itaque Septuaginta Interpretes non male verterunt *boves*, quamvis S. Hieronymus

vertit *millium*; sed utraque lectio verum sensum habet: nam secundum lectionem S. Hieronymi sensus est, *Dei esse animalia innumerabilia quæ in montibus mille*, id est plurimis, *inveniuntur*; secundum lectionem Septuaginta, sensus est, *Dei esse animalia quæ libere vagantur in montibus, et etiam boves qui in præsepibus detinentur*; et quoniam in textu hebraico, ut nunc legitur, illud, *in montibus*, regit post se genitivum, et legi debet *in montibus bovis*, quæ verba non videntur aptum sensum reddere, suspicor Septuaginta Interpretes non legisse בהררי אלף *beharere heleph, in montibus bovis*, sed בהרר ואלף *beerer veheleph, in monte et bos*, unica littera paululum immutata, id est, *iod* mutata in *vau*, quæ sunt litteræ simillimæ, quod facile contingere potuit vitio librariorum; sed explicandi gratia Septuaginta posuerunt numerum *multitudinis* pro *singulari*, et pro *in monte et bos*, posuerunt *in montibus et boves*. Illud autem, *cognovi omnia volatilia cœli*, S. Hieronymus ex hebræo vertit, *cognovi omnes aves montium*; et vere vox hebræa non *cœlum*, sed *montes* significat; neque est similitudo litterarum inter vocabula, ut errorem librariorum suspicari possimus. Sensus tamen idem est, nam *volatilia cœli* et *aves montium* idem sunt; dicuntur enim *volatilia cœli*, quia per cœlum aereum discurrunt, et *aves montium*, quia in arboribus montium ut plurimum nidificant. Illud denique, *et pulchritudo agri*, vertitur a S. Hieronymo, *et universitas agri* : vox autem hebraica זיז *ziz*, est omnino ambigua; nam Septuaginta hoc loco reddiderunt *pulchritudo*; in *Psalm.* XCIX reddiderunt eamdem vocem, *singularis ferus; Isai.* LXVI, eamdem vocem transtulerunt, *introitus*. Sanctus autem Hieronymus hoc loco reddidit *universitas*; in *Psalm.* LXXIX, *omnes bestiæ*; *Isai.* LXVI, *omnimoda*. In hac tanta varietate tutissimum est auctoritatem Septuaginta Interpretum sequi, a quibus quoad sensum S. Hieronymus non dissentit. Siquidem « pulchritudo agri ex universitate agri, » id est, ex universis fructibus agrorum, consurgit.

Omnia animalia Dei sunt.

Vers. 13. 13. SI ESURIERO, NON DICAM TIBI : MEUS EST ENIM ORBIS TERRÆ, ET PLENITUDO EJUS.

Vers. 14. 14. NUMQUID MANDUCABO CARNES TAURORUM? AUT SANGUINEM HIRCORUM POTABO?

Hæc est tertia ratio, cur Deus non requirat nostra munera propter suam necessitatem, vel utilitatem, quia videlicet non esurit, neque sitit; et consequenter non calet, neque friget, neque ulla re indiget; et si indigeret, omnia illi præsto essent, quia Dominus est omnium rerum. « Si esuriero, inquit, non dicam tibi, » ut cibum videlicet mihi provideas, quia « meus est orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo? » Id est, non vescor ego ejusmodi rebus, qui substantia sum spiritualis et immortalis.

Vers. 15. 15. IMMOLA DEO SACRIFICIUM LAUDIS, ET REDDE ALTISSIMO VOTA TUA.

Vers. 16. 16. ET INVOCA ME IN DIE TRIBULATIONIS : ERUAM TE, ET HONORIFICABIS ME.

Docuit hactenus non esse spem ponendam in externis sacrificiis, quasi illa sine interiori cognitione et amore sufficiant : nunc docet in internis actibus virtutum consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in judicio ultimo securos præstare poterit. Sed observandum est aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis. Potest enim laudari Deus ab iis qui labiis solis Deum honorant, sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis qui in ara cordis, et cum igne charitatis thus laudis offerunt, id est, nisi ab iis qui credunt, et aliquo modo apprehendunt Deum esse summum bonum, quique Deum sic creditum et cognitum toto corde diligunt, et tanquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum, admirantur et laudant. Itaque sacrificium laudis, signum et effectus est cognitionis et amoris, et quia beati in cœlo semper Deum vident et amant, ideo de illis dicitur *Psalm.* LXXXII : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Ait igitur : « Immola Deo sacrificium laudis, » id est, non solis labiis, sed ex intima cognitione et amore Deum lauda. « Et redde Altissimo vota tua, » id est, posteaquam Deum, ut est in se, laudasti, respice illum, ut est auctor et fons omnium bonorum tuorum, quia ex te nihil es, et redde illi gratiarum actionem, et solve tributum obedientiæ, quod est præcipuum votum inter omnia vota tua : hoc enim promisisti, cum ad populum et familiam ejus admissus es, et hoc ipse requirit magis quam externa sacrificia : « Melior enim est obedientia quam victimæ, » ut dicitur I *Reg.* XV. Denique « invoca me in die tribulationis, » id est, sicut in die prosperitatis agnoscere debes omnia bona tua a me fonte bonorum descendere, sic etiam in die prosperitatis ad me confugere, et in me spem tuam totam collocare debes : ego enim « eruam te » de omni tribulatione, « et tu vicissim honorificabis me » sacrificio laudis et gratiarum actionis.

Sacrificium laudis et laus Dei sunt diversa.

Vers. 17. 17. PECCATORI AUTEM DIXIT DEUS : QUARE TU ENARRAS JUSTITIAS MEAS, ET ASSUMIS TESTAMENTUM MEUM PER OS TUUM ?

Post instructionem justorum, pergit Psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. « Peccatori, inquit, dixit Deus, » id est, peccatorem Deus per me admonitum voluit : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » id est, quare profiteris te scire legem meam, ut enarres præcepta mea, in quibus omnis justitia continetur, et profiteris etiam ad te pertinere testamentum, sive pactum meum, dum te filium Abrahæ esse gloriaris, cum neque

legem meam serves, neque pactum custodias, neque vestigia Abrahæ imiteris?

Vers. 18. 18. TU VERO ODISTI DISCIPLINAM, ET PROJECISTI SERMONES MEOS RETRORSUM.

Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus versiculis enumerat peccata operis et oris. « Tu, inquit, odisti disciplinam, » id est, adversaris animo eruditionem divinæ legis, « et projecisti sermones meos retrorsum, » id est, et factus es, quasi oblitus esses præcepta mea, eaque post tergum haberes.

Vers 19. 19. SI VIDEBAS FUREM, CURREBAS CUM EO; ET CUM ADULTERIS PORTIONEM TUAM PONEBAS.

Ex oblivione et odio divinæ legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta et adulteria, quo nomine fornicationes quoque intelliguntur. Sunt autem hæc duo peccata frequentissima, quæ ex avaritia et luxuria oriuntur; ideo horum duorum meminit Propheta; dicit autem : « Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, » et non dicit *furabaris*, vel *fornicabaris*, quoniam minus est furari, vel mœchari, quod occulte et libidine stimulante fieri solet, quam cum furibus concurrere, vel cum adulteris portionem ponere, quia ista fiunt palam et prompte, et ex animi perversitate potius quam ex inopia vel libidine.

Peccata frequentissima, luxuria et avaritia.

Vers 20. 20. OS TUUM ABUNDAVIT MALITIA, ET LINGUA TUA CONCINNABAT DOLOS.

Transit ad peccata oris ac dicit : « Os tuum abundavit malitia, » id est, abundanter ex ore tuo, tanquam ex fonte scaturivit maledicentia; nam verbum hebraicum *shalach* significat *dimittere*, quasi dicat : Dimisisti linguam tuam quasi ruptis habenis in omnem maledicentiam; sed Septuaginta Interpretes declaraverunt metaphoram. « Et lingua tua concinnabat dolos, » id est, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis, vel mendaciorum.

Vers 21. 21. SEDENS ADVERSUS FRATREM TUUM LOQUEBARIS, ET ADVERSUS FILIUM MATRIS TUÆ PONEBAS SCANDALUM : HÆC FECISTI, ET TACUI.

Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extraneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. « Sedens, inquit, adversus fratrem tuum loquebaris, » id est, non obiter et per iram, sed sedens otiosus, et pacato animo, studiose et longo tempore detrahebas fratri. « Et adversus filium matris tuæ, » id est, adversus eumdem fratrem scandalum ponebas, calumnias struendo, unde ille offenderetur, et ruinæ occasionem haberet. In textu hebraico habetur vox דפי *dophi*, quæ proprie *opprobrium*, sive *probrum*, aut *convicium* significat. Sed Septuaginta Interpretes *scandalum* verterunt, aut quia vox illa *scandalum* etiam significat, aut quia *probrum* jactatum in alium, *scandalum* illi sit. Quod sequitur : « Hæc fecisti, et tacui, » apud Hebræos ad sequentem versiculum pertinet. Sed non est magnifacienda interpunctio hebraici textus, cum a Rabbinis excogitata sit; significant autem illa verba Deum hoc tempore omnia videre, sed non omnia statim punire, ut det locum pœnitentiæ. Itaque videt et tacet, ac si non videret; cæterum veniet brevi dies judicii, in quo, ut supra dictum est vers. 3 : « Deus manifeste veniet, et non silebit; » et hoc idem subjungit, cum ait :

22. EXISTIMASTI INIQUE, QUOD ERO TUI SIMILIS; ARGUAM TE, ET STATUAM CONTRA FACIEM TUAM. Vers. 22.

Dum sine timore Dei peccant impii, videntur existimare Deo non displicere peccata; sed in judicio intelligent, quod in hoc Psalmo dicitur. « Existimasti, inquit, quod ego essem tui similis, » id est, quod iniquus essem et peccatorum amicus, sed non ita est; imo « arguam te, » in die judicii, « et statuam contra faciem tuam » peccata tua, id est, faciam ut videas gravitatem et multitudinem peccatorum tuorum, et negare non possis sententiam contra te latam esse justissimam. In hebræo habetur : *Statuam te contra faciem tuam;* sed idem est sensus. « Statuam contra faciem tuam, » nihil est aliud nisi : Statuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua ante oculos tuos, ut non possis ea non videre.

Vers. 23. 23. INTELLIGITE HÆC, QUI OBLIVISCIMINI DEUM, NE QUANDO RAPIAT, ET NON SIT QUI ERIPIAT.

Hæc exhortatio est Prophetæ ad impios qui obliviscuntur Deum esse judicem justum et omnipotentem, ut intelligant, attenta consideratione recogitantes, quæ dicta sunt. « Ne quando Deus rapiat eos, » dum nihil minus cogitant, et ad judicium adducat, et pro meritis damnet, et non sit qui de manu ejus eripere possit. In hebræo habetur in prima persona, *ne quando rapiam*, et secundum hanc lectionem continuantur verba Dei; sed Septuaginta Interpretes videntur legisse in tertia persona, et sensus est idem.

Vers. 24. 24. SACRIFICIUM LAUDIS HONORIFICABIT ME, ET ILLIC ITER QUO OSTENDAM ILLI SALUTARE DEI.

Concludit Deus verba sua, docens viam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die judicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium jugiter obtulerint; illi reprobi et condemnandi, qui hoc sacrificium offerre neglexerint. « Sacrificium laudis, inquit, honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei, » id est, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit; nam ab eo me honorificatum esse confitebor, « et illic, » id est, in eo sacrificio, « iter » erit, ad salutem; nam per illud iter perveniet ad locum, in quo « ostendam illi salutare Dei, » divinam videlicet, plenam atque perfectam salutem. In hebræo est vox ambigua, שם *sam*, quæ significat *illic*,

si legatur cum puncto in dextero cornu, ut Septuaginta Interpretes legerunt; sed si legatur cum puncto in sinistro, ut S. Hieronymus legit, significat *posuit*, sive *disposuit*; sed in re ambigua non est quod a communi et recepta lectione recedamus. At unde est quod summa salutis ponitur in oblatione sacrificii laudis? S. Augustinus respondet, ex eo esse, quod nemo vere laudat Deum, nisi pius sit: impii enim si verbis laudant, vita non laudant; ac per hoc non vere laudant, cum verbis eorum vita contradicat. Potest etiam dici, ut nos supra monuimus, « sacrificium laudis, » non esse simplicem laudem, sed laudem ex ara cordis et igne charitatis procedentem: quare cum sacrificium laudis includat charitatem, et sit inchoatio sacrificii, sive officii, quod in sæcula sæculorum in cœlo a beatis omnibus exercetur, mirum non est, si in eo summa salutis includitur.

Cur summa salutis ponatur in oblatione sacrificii laudis?

PSALMUS LI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. *Cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.*

3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

4. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

6. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

8. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

9. Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.

11. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

12. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

13. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

14. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

15. Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

16. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

V. s. h. — *Victori, canticum* [*h. Psalmus.*] *David: cum venisset ad eum Nathan propheta, quando ingressus est ad Bethsabee.*

Miserere mei, Deus, secundum misericordiam tuam: juxta multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.

Multum lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitates meas [*h. errores meos*] ego cognovi, et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te [*h. in oculis tuis*] feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum [al. *dum*] judicaveris [*h. judicatus fueris*].

Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea.

Ecce enim veritatem diligis, absconditum et arcanum sapientiæ manifestasti [*h. sapientiam manifestabimus*] mihi.

Asperges [*h. purificabis*] me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditum mihi facies gaudium et lætitiam, exsultent ossa quæ confregisti.

Absconde faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea mihi, Deus, et spiritum stabilem renova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris [h. habet *Jesu*] tui, et spiritu potenti confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, et peccatores ad te revertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: laudabit lingua mea justitiam tuam.

17. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

18. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis.

19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

20. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.

21. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.

Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Non enim vis ut victimam feram, nec holocaustum tibi placet.

Sacrificium [*h. sacrificia*] Dei spiritus contribulatus [*h. contritus*] : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Bene [*h. benigne*] fac [al. ad. *Domine*] in voluntate tua, Sion, [al. add. *et*] ædificentur muri Jerusalem.

Tunc suscipies sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos [*h. tauros*].

Argumentum. — « Nihil inest in Psalmo, quod inscriptioni repugnet. Qui in contrariam sententiam discedunt primum monent, Davidi peccati veniam a Nathane indictam esse, hic vero eam vatem petere. Sed qui culpam animo pœnitenti agnoscit, is ejusdem a Deo veniam petit. Davidem vero, priusquam a Nathane argueretur, culpam animo pœnitentia commoto agnovisse vidimus ad *Psalm.* XXXII. Deinde non de uno, sed de pluribns peccatis hic agi dicunt. Recte. Nam præter adulterium homicidium fecit Davides, in quod ipsum plane convenit, quod vers. 16 vates manus cæde cruentasse se fatetur. Denique ad vers. 20 et 21 quod attinet, eos maxime probabile est additamentum esse, adjectum ab aliquo, qui carmen hoc populi in exsilio versantis aut de exsilio reducti rationibus vellet accommodare. » Hæc Maurer. Strophæ duæ : vers. 3-14, admissi sceleris dolore compunctus, crimen fatetur, et supplex a Deo petit, ut peccati memoriam et pœnam prorsus expungat, et in pristinam gratiam ipsum restituat; vers. 15-19, id si fuerit consecutus, gratum animum declarabit, docendo peccatores rectam agendi rationem, celebrando Dei laudes, et animi peccatorum sensu afflicti et serio delicta lugentis sacrificium, omni victima illi gratius, offerendo. Additamentum, vers. 20-21, restitue, o Jova, urbem Hierosolymitanam : tunc plena erunt altaria tua sacrificiorum. Historia legitur II *Sam.* XI et XII.

1. Præcentori, carmen Davidis, *compositum,*
2. Quum adiisset eum Nathan propheta, postquam ingressus fuerat (Davides) ad Bathsebam.

3. Miserere mei, Deus, secundum gratiam tuam,
   secundum multitudinem misericordiæ tuæ dele delicta mea.
4. Multum lava me ab iniquitate mea,
   et a peccato meo emunda me.
5. Nam delicta mea agnosco,
   et peccatum meum coram me est semper.
6. Tibi, soli tibi peccavi,
   et *quod* malum *est* in oculis tuis, feci :
   ut justus sis cum loqueris (per Nathanem),
   purus sis cum judicas (me condemnas).
7. Ecce, in iniquitate genitus sum,
   et cum peccato concepit me mater mea.
8. Ecce, veritate delectaris in præcordiis,
   atque ita in occulto sapientiam doce me.
9. Expia me hyssopo, ut purus fiam;
   lava me, ut præ nive albescam.
10. Audire me fac gaudium et lætitiam (condonationis vocem)
    exsultent ossa *quæ* contrivisti.
11. Obvela faciem tuam a peccatis meis,
    et omnes iniquitates meas dele.

12. Cor mundum crea mihi, Deus,
et spiritum firmum (in virtutis studio) innova intra me.
13. Ne rejicias me a facie tua,
et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.
14. Redde mihi gaudium salutis tuæ,
et spiritu prompto (ad recte faciendum) sustenta me.

15. Docebo iniquos vias tuas,
et peccatores ad te (tuum cultum) convertentur.
16. Libera me a sanguinibus (reatu cædis Uriæ), Deus, Deus salutis meæ:
jubilabit lingua mea (laudando) justitiam tuam.
17. Domine, labia mea aperi,
et os meum prædicabit laudem tuam.
18. Non enim amas sacrificium : alioqui darem (offerrem);
holocausto non delectaris.
19. Sacrificia Dei (Deo grata sunt) spiritus *pœnitentia* confractus;
cor confractum et contritum, Deus, non aspernaris.

20. Benigne fac ex benevolentia tua Sioni,
ædifica muros Hierosolymorum.
21. Tunc delectaberis sacrificiis justis,
holocausto et sacrificio perfecto;
tunc adscendent super altare tuum juvenci.

NOTÆ.

Vers. 4. *Multum*, propr. *multiplicare*, infinitivus absol. adverbialiter positus. Alii propr. *multiplica*; sed pro imperativo utuntur forma apoc. expressa hoc loco a Massorethis, *harab*. — Vers. 6. *Tibi soli* : quomodo non et in fidissimum militem Uriam? Respondet Lyranus, regem Dei solius judicio esse subjectum; melius alii : quamvis homines quoque in hoc facto offenderim, inde ita torqueor atque animo discrucior, ut hoc unum sentiam, et aliorum offensionem pene pro nihilo reputem. *Ut* : ita Maurer et Hengstenberg. Cf. *Rom.* III, 4 seqq. Alii particulam *lemaan* non causaliter, sed consecutive h. l. capiunt, vertuntque *ita ut, ideo*. — Vers. 7. Dicit vates æquum esse, ut non summo jure, sed clementer secum Deus judex agat, non tam admissi sceleris, quam infirmitatis innatæ ratione habita. *In* ante *iniquitate* non respicit parturientem matrem, sed sobolem partu editam, quæ *cum* peccato, sive peccato jam infecta in lucem editur. *Concepit* (propr. *incaluit*, puta libidine) est 3ª feminina præteriti *pihel* cum affixo, cum *segol* ab initio loco *chirek* propter sequens *chatephsegol*. — Vers. 8. Sensus : ex alia parte, tu diligis sincerum virtutis et pietatis studium; igitur doce me in intimo animo sapientiam, virtutis et pietatis magistram. Alii prius hemistichium interpretantur : *Tu vero veritatem*, fidem in promissis, *in præcordiis* tuis *diligis*, hoc est, tu vero bonus et misericors es; igitur doce me, etc. — Vers. 9. *Hyssopo* : imago petita a leproso, qui ex lege mundabatur adspersione hyssopi, sanguini victimarum aut aquæ lustrationis intincti, *Lev.* XIV, 4; *Num.* XIX, 6, 18. — Vers. 13. Hunc locum illud illustrat, quod I *Sam.* XVI, 13 seqq. legimus. — Vers. 15. *Vias tuas*, tibi probatam agendi rationem ; alii : quas Deus in gubernandis hominibus tenet, quæ sunt *misericordia* et *veritas*. — Vers. 16. *Justitiam*, in sensu lato, qua scil. pœnitenti parcis. — *Aperi*, ignoscendo materiam mihi præbe te celebrandi. — Vers. 21. *Justis... perfecto*, i. e. cum vera animi pietate. *Adscendent*; alii, *imponent*, scil. sacerdotes, *juvencos*. Si Davidis sint versus 20-21, cum superioribus junge hoc modo : Tu nunc repudiares sacrificia ab homine adulterii et homicidii reo ; ubi autem mihi condonaveris culpas, tunc sacrificia tibi grata et accepta, ut spero, offeram.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS L.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando introivit ad Bethsabee.

Titulus docet qua occasione compositus fuerit Psalmus iste a Davide; historia vero fusius narratur lib. II *Reg.* cap. XII : Summa historiæ hæc est. David ex palatio suo vidit mulierem formosissimam, nomine Bethsabee, se lavantem. Captus amore, adulterium cum ea commisit. Quod ut facilius celaretur, maritum ejus Uriam neci dedit : sic viduam conjugio sibi copulavit, et filium ex ea suscepit. Postea Dei monitu venit Nathan propheta ad Davidem, eumque de perpetrato flagitio et cæde corripuit. David in se reversus pœnitentiam serio egit, atque hunc Psalmum, in quo peccatum suum deflet, ea occasione composuit. Sensus igitur tituli hic est : « Psalmus in finem » usque mundi canendus, quem David composuit, « quando venit ad eum Nathan propheta, » qui tunc ad eum increpandum venit, « quando intravit » idem David « ad Bethsabeam, » uxorem Uriæ, atque adulterium cum ea patravit. Ad hunc titulum pauca quædam annotanda videntur circa personas, quæ in eo nominantur, videlicet Davidem, Nathan et Bethsabeam. *Primo,* peccatum Davidis justis hominibus magnum timorem incutere posse : si enim tantus amicus Dei tam facile corruit, quis non timebit casum? *Secundo,* ejusdem Davidis pœnitentiam omnibus peccatoribus spem salutis adferre; peccatum enim ejus omni ex parte gravissimum fuit, et tamen per veram pœnitentiam facile invenit indulgentiam. *Tertio,* Nathan fuisse quidem prophetam, sed Davide inferiorem non solum dono prophetiæ, sed etiam potestate, sapientia aliisque donis Dei; et tamen placuisse Deo, ut is Davidem corriperet, et ad pœnitentiam adduceret. Quo exemplo admonentur homines magni, ut non contemnant ministros verbi Dei, sed ad eos audiendos accedant, etiamsi sint ipsi forte sapientiores et majores illis. *Quarto,* hinc cognosci quantorum malorum causa sit pulchritudo mulieris cum imprudentia et facilitate conjuncta. Si enim Bethsabea mulier speciosissima in loco, unde videri posset, corpus suum non nudasset, aut non tanta facilitate Davidi consensisset, certe vir tantus in tam gravia scelera non cecidisset. *Quinto,* Nathan non intrasse ad monendum Davidem statim post ingressum ejus ad Bethsabee, ut titulus indicare videtur, sed multo postea; jam enim natus erat filius Davidi ex Bethsabea, quando venit Nathan. Itaque quod dicitur in titulo, intelligitur potius de occasione quam de tempore, et sensus est Psalmum scriptum esse, quando Nathan intravit ad Davidem ex occasione, qua intraverat David ad alienam conjugem, nomine Bethsabeam.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. MISERERE MEI, DEUS, SECUNDUM MAGNAM MISERICORDIAM TUAM.**

Incipit Propheta Psalmum ab oratione, qua remissionem peccati petit, et simul explicat primam rationem qua movetur ipse ad petendum, et Deum moveri posse credit ad indulgendum, alias deinde rationes in sequentibus versiculis explicaturus. Ait igitur : « Miserere mei, Deus; » miserum se agnoscit et confitetur David ob iniquitatem admissam, quamvis alioqui naturæ et fortunæ bonis omnibus abundaret; ut e contrario beatos dicere solet eos, « qui timent Dominum, *Psalm.* CXI et CXXIII, » non qui divitiis, aut honoribus abundant : ex quo intelligimus quam perverse de miseria et felicitate judicent filii hujus sæculi. Addit, « secundum magnam misericordiam tuam, » quasi dicat : Ideo misericordiam tuam implorare audeo, quia miser sum; misericordia enim miseriam respicit, ut eam tollat. Quamvis autem in hebræo codice non sit vox illa, *magnam,* tamen Septuaginta Interpretes eam vocem in sua versione posuerunt, vel quod in codicibus hebraicis emendatioribus illam invenerint, vel quod hunc locum voce illa addita explicare voluerint. Vocatur autem *magna misericordia,* qua peccata remittuntur, tum quia peccatum magna miseria est; tum quia comparatione hujus misericordiæ, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus bona temporalia tribuere solet : bona enim temporalia Deus inimicis etiam suis atque iis, quos in fine reprobaturus est, præbet; gratiam vero remissionis peccatorum illis tantum donat, quos in filios et hæredes æterni regni adoptare dignatur. David igitur non contentus parva illa misericordia, qua regni gloriam et opes copiosas, ac filiorum multitudinem, et victoriam de hostibus, atque alia id genus acceperat, petit « misericordiam magnam, » quam in peccatorum remissione et gratiæ restitutione positam esse sciebat.

Cur addita sit vox *magna* post misericordiam?

Vers. 2. **2. ET SECUNDUM MULTITUDINEM MISERATIONUM TUARUM, DELE INIQUITATEM MEAM.**

Idem repetit et declarat; quod enim dixit : « Miserere mei, » declarat dicens : « Dele iniquitatem meam; » et quod ait : « Secundum magnam misericordiam tuam, » declarat cum dicit : « Secundum multitudinem miserationum tuarum. » Sed ordinem Prophetæ non invertamus; ipse enim eleganter in hoc secundo versiculo, incipit ab eo, quod erat postremum in primo versiculo ut hac varietate pulchriorem Psalmum efficeret. Illæ igitur voces, *secundum multitudinem miserationum tuarum,* explicant quid sit magna misericordia Dei, quæ filiis dilectis exhibetur. Significat autem multitudo miserationum affluentiam pietatis Dei;

nam vox hebraica רחמיך, ut notavimus in primo versiculo *Psalm.* XVII, significat proprie *paternum* ac *tenerum amorem*, quem Scriptura explicare solet per *viscera misericordiæ*. Ecclesia quoque rectissime id expressit in collecta Dominicæ XI post Pentecosten, cum ait : « Qui abundantia pietatis tuæ, et merita supplicum excedis, et vota. » Vere enim pietas divina tanta est, ut multo plus donet non solum quam mereamur, sed etiam quam optare audeamus. Quod ostendit etiam Dominus in parabola de filio prodigo, *Luc.* XV. Pater enim filium pœnitentem, non solum admisit ad gratiam, sed etiam continuo amplexatus et osculatus est, et jussit illi dari stolam primam et annulum pretiosum, et occidi in gratiam ejus vitulum saginatum, ac denique tanta signa benevolentiæ erga filium, qui universa bona sua dissipaverat, ostendit, ut plura non posset erga eum, qui victor ac triumphator de hostibus rediisset. Quod sequitur, « dele iniquitatem meam, » refertur tum ad reatum, tum ad maculam peccatorum : sciebat enim David ex actione peccati relinqui in anima reatum mortis æternæ, qui scribitur in conscientia, et maculam privationis gratiæ, quæ reddit animam deformem, tenebricosam, Deo invisam; ad utrumque refertur vocabulum *delendi* : nam scripturæ deleri solent, cum remittitur debitum, et maculæ etiam delentur, cum abluitur, quod maculatum erat. Petit igitur David, ut Deus non agat secum ex rigore justitiæ, sed ex paterna misericordia remittat debitum peccati, et lavet maculam restituendo nitorem gratiæ.

Deus plus donat quam optare audeamus.

Vers. 3. 3. AMPLIUS LAVA ME AB INIQUITATE MEA, ET A PECCATO MEO MUNDA ME.

Post remissam culpam peccati reliquiæ supersunt.

Post culpam remissam et gratiam restitutam, adhuc remanent in homine mali habitus vitiorum et ipsa concupiscentia carnis, quæ hominem reddunt infirmum et debilem, quales sunt, qui recens ex gravi morbo convaluerunt; et quidem mali habitus paulatim exterminantur exercitatione virtutum, concupiscentia vero potest quidem minui, sed ordinarie non eradicatur, nisi in morte : quamvis autem ad vitiorum exterminationem et concupiscentiæ diminutionem multum valeat studium et diligentia nostra, tamen præcipuæ partes sunt gratiæ Dei, sine qua nihil possumus, et cum qua omnia possumus. Ideo Propheta David, qui hæc noverat omnium optime, in *Psalm.* CII scripsit : « Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. » Et hoc loco posteaquam petiit deleri peccatum suum, et audivit a Nathan propheta II *Reg.* XII : « Deus transtulit peccatum tuum, non morieris, » iterum petit lavari et mundari, id est, magis ac magis justificari per majorem gratiæ infusionem, ut malis habitibus sublatis et concupiscentia mortificata, anima candidior et pulchrior fiat, et per hoc etiam ad resistendum tentationibus fortior. « Amplius, inquit, lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, » id est, spero peccatum meum per gratiam tuam esse deletum, et animam lotam et mundatam a reatu, et macula per actionem peccati contracta; sed cupio et peto iterum atque iterum lavari per gratiæ incrementum, ut anima mea candidior et fortior evadat. Posset etiam simplicius exponi, ut hæc secunda petitio pertineat ad magnitudinem peccati declarandam, quasi dicat : Si macula peccati mei levis esset, sufficeret simplex ablutio; sed quia macula ingens et multiplex est, ideo multum, valde, amplius atque amplius lavari desidero, ut tantæ maculæ vestigium nullum supersit.

Vers. 4. 4. QUONIAM INIQUITATEM MEAM EGO COGNOSCO, ET PECCATUM MEUM CONTRA ME EST SEMPER.

Hæc est secunda ratio, unde persuadere Deo conatur, ut indulgeat peccanti : quia videlicet confitetur peccatum suum, et illud in se punit continua cogitatione et recordatione. Ignosce, inquit, « quia ego peccatum meum agnosco, » non excuso, non nego, nec solum agnosco, sed perpetuo de illo cum dolore animi cogito; nam « contra me est semper, » id est, in conspectu meo positum, me quasi jaculum fodere et cruciare non cessat. Hoc exemplum imitari debemus, qui Psalmos Pœnitentiales recitamus, ut vere dicere possimus : « Peccatum meum contra me est semper, » quod fiet si peccatum semel admissum, et per gratiam Dei forte deletum, in memoria nostra vivat, et ingratitudinis nostræ erga tam magnum benefactorem nos semper admoneat.

Vers. 5. 5. TIBI SOLI PECCAVI, ET MALUM CORAM TE FECI; UT JUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS, ET VINCAS CUM JUDICARIS.

Tertia hæc est ratio cur a Deo indulgentiam postulet, quoniam non alium judicem timet. « Tibi, inquit, soli peccavi; » non dicit : Contra te solum peccavi; peccaverat enim etiam contra Uriam quem occiderat, et contra Bethsabeam quam adulteraverat, et contra populum quem scandalizaverat; sed dicit : « Tibi soli peccavi, « nimirum ut judici apud quem solum convinci poterat; nam nec alium judicem habebat, et si habuisset, convinci non potuisset, quoniam factum erat sine teste; et quamvis ex suspicione fama peccati manasset in vulgus, tamen legitime peccatum probari non poterat; sed apud Deum judicem convictus erat, tum quia Deus viderat, tum quia conscientia ipsius testis erat apud Deum, qui scrutatur renes et corda; et ideo subjungit declarans, « et malum coram te feci; » quamvis enim David occulte peccaverit, in tenebris clausi cubiculi, tamen oculos Dei excludere non potuit. « Ut justificeris in sermonibus tuis; » illud *ut* non significat causam, sed consequentiam, ut Theodoretus hoc loco no-

Cur dicat : « Tibi soli peccavi, » cum in alios offenderit?

tavit, et sensus est: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, » ex quo secutum est, « ut tu justificeris in sermonibus tuis, » dum me peccatorem et injustum esse pronuntias; vel certe subintelligitur verbum aliquod, ut hic sensus sit : Dico : « Tibi soli peccavi, » dico, « malum coram te feci, » confiteor me injustum, ut justus et verax inveniaris in sermonibus tuis, quibus per Nathan prophetam me adulterii et homicidii reum esse pronuntiasti. « Et vincas cum judicaris : » repetitio est ejusdem sententiæ, ac si dicat : Et si judicium inter te et me instituatur, et ego negare velim crimen, cujus tu reum me esse dixisti, tu omnino vincas causam, et ego causa cadam, cum mecum judicaris. Hunc existimo litteralem esse sensum hujus obscuræ sententiæ, qui sensus valde confirmatur ex verbis Apostoli, *Rom.* III : « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. » Sed non rejicio quod alii dicunt : « Deum justificari in sermonibus suis, et vincere cum judicatur, » si pœnitentibus ignoscat, quoniam veniam pœnitentibus repromisit. S. Augustinus refert ad Christum hunc versiculum, quia solus ipse est sine peccato, et ideo illi soli justo nos injusti peccamus, et ille solus vicit, cum judicatus est injuste ab injustis.

Vers. 6. 6. ECCE ENIM IN INIQUITATIBUS CONCEPTUS SUM, ET IN PECCATIS CONCEPIT ME MATER MEA.

Quarta ratio ducitur a prima origine, et primi hominis peccato in nos transfuso per generationem, ex quo facti sumus infirmi et proclives ad peccandum, et ob hanc quasi naturalem miseriam misericordia digni sumus. Quod autem hic locus non intelligatur de peccatis parentum, sed de ipso peccato originali, quod ex conceptione trahimus, probat hoc loco S. Augustinus, quia David non est natus ex adulterio, sed ex casto conjugio piorum parentum. Sed hoc ipsum probare possumus ex proprietate verborum hebraicorum; illud enim, *conceptus sum*, est in hebræo חוללתי *cholalthi;* quod non significat *actum gignendi*, qui ad parentes pertinet, sed *actum formationis membrorum*; quæ conformatio in utero fit satis diu post concubitum parentum. Et videtur Spiritus Sanctus divina Providentia non voluisse scribi hoc loco, *genitus sum*, sed *conceptus*, sive *formatus sum*, ut præveniret hæreticorum perversas interpretationes. Illud etiam, *concepit me mater mea*, in hebræo est, יחמתני *iechemathni*, quod proprie significat *calefecit me*, sive *fovit me*; proinde non refertur ad actum concubitus in quo peccant parentes, quando fornicantur, vel mœchantur, sed ad actionem confovendi fœtum in utero, dum formantur membra, ut anima infundatur. Quamvis autem S. Hieronymus verterit : *Peperit me mater mea;* et S. Augustinus legat : *Aluit me mater mea;* et nos cum Septuaginta legamus : *Concepit me mater mea* : tamen proprietas verbi est quam diximus, cum qua non pugnant illæ variæ lectiones : mater enim recte dicitur *concipere*, quando fœtus in utero ejus formatur et fovetur : sicut etiam dicitur *alere*, non solum quando lacte nutrit jam editum, sed etiam quando in utero conservat et auget; denique non male S. Hieronymus vertit : *In peccato peperit me mater mea*, quia peccatorem peperit, quem in peccato conceperat. Adde etiam quod in textu originali dicitur in singulari, *in peccato conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea.* Vere enim peccatum originale, quod in conceptione contrahimus, unum est, non plura. Sed Septuaginta Interpretes verterunt in numero multitudinis, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, quia unum illud peccatum est quasi fons omnium aliorum peccatorum, et in illo includuntur omnia.

Peccatum originale hic adstruitur

Peccatum originis est fons omnium peccatorum.

Vers. 7. 7. ECCE ENIM VERITATEM DILEXISTI, INCERTA ET OCCULTA SAPIENTIÆ TUÆ MANIFESTASTI MIHI.

Hæc est ratio quinta, quæ ducitur a veritate et simplicitate cordis, quæ semper fuit in Davide, et quam Deus maxime diligere solet, propter quam etiam Deus, qui veritas est, Davidi multa mysteria futura revelavit : nam, ut S. Joannes Chrysostomus hoc loco copiose docet, nullum est fere mysterium Christi et Ecclesiæ, quod David non prævideriit, et in Psalmis prædixerit. Igitur David hanc veritatem commemorat, propter quam tot mysteria divina cognovit; et quia in eadem veritate perseverat, simpliciter peccatum suum confitendo, inde petit a Deo remissionis donum : « Ecce, inquit, veritatem dilexisti, » id est, tu Deus veritatem et sinceritatem cordis semper amasti, sicut etiam contra duplicitatem et perversitatem semper odisti. « Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, » id est, quia veritatem amas, et in me veritatem et rectitudinem cordis invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria divina, secretissima et occultissima, quæ signa sunt infinitæ sapientiæ tuæ. Illud, *incerta*, non significat mysteria divina esse incerta, id est, dubia in se, quasi possint non fieri; sed *incerta*, et dubia nobis, quomodo dicimus : Incertus est hominibus dies judicii, non quod non certum sit futurum esse diem judicii, sed quia incertum est nobis quando sit futurus. In textu originali vox hebraica significat *absconditum* et *coopertum*. Itaque *incerta* et *occulta sapientiæ* divinæ dicuntur illa, quæ sapientia divina ordinavit ab æterno, ut fiant temporibus suis; sed abscondita et occulta sunt, antequam fiant, nisi speciali privilegio revelentur.

Nullum est mysterium Christi, et Ecclesiæ, quod David non prævideriit.

Vers. 8. 8. ASPERGES ME HYSSOPO, ET MUNDABOR : LAVABIS ME, ET SUPER NIVEM DEALBABOR.

Aperit hic unum ex incertis et occultis mysteriis divinæ sapientiæ, quod videlicet tempore novi Testamenti aspergendi essent homines aqua mun-

da in baptismo, et perfectissime justificandi; alludit autem ad cæremoniam, quæ describitur *Num.* cap. XIX, ubi ad expiationem tria necessaria esse dicuntur, cinis vaccæ rufæ immolatæ in holocaustum, aqua cineribus mixta : et hyssopus, quo aqua aspergebatur : per cinerem vaccæ rufæ significatur Christi mors; per aquam, baptismus; per hyssopum, fides : hyssopus enim herba est humilis, radices habens in petra. Sicut enim in illa expiatione typica, aqua mundabat, sed vim habens ex cineribus vaccæ occisæ, et per hyssopum aspersa : sic etiam in baptismo aqua mundat, sed vim habens ex morte et merito Christi, et per fidem applicata. Ad has igitur expiationes tum figurantem, tum figuratam respicit David, cum dicit : « Asperges me hyssopo, et mundabor; » petit enim illam purgationem, quam noverat figuratam per expiationem aquæ hyssopo aspersæ, et quam implendam prævidebat et prædicebat in baptismo; et ut ostendat illius expiationis primarium auctorem esse Deum, dicit : « Asperges me hyssopo, » et non dicit : Asperget me sacerdos hyssopo; et ut demonstret expiationem baptismi fore perfectissimam, ita ut vere tollat peccata, ut non solum non imputentur, sed ut non sint, et non solum tollat peccata, verum etiam infundat copiosam gratiam, addit : « Lavabis me, et super nivem dealbabor. » Vide S. Augustinum lib. *Quæst. super Num.* cap. XXXIII, et Theodoretum in hunc locum Psalmi.

Vers. 9. 9. AUDITUI MEO DABIS GAUDIUM ET LÆTITIAM, ET EXULTABUNT OSSA HUMILIATA.

Effectus et signum perfectæ justificationis est, cum Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se aliquando Propheta expertus, iterum illud petit, dicens : « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, » id est, cum me perfecte laveris, addes et hoc beneficium, ut interiore quodam gaudio tanquam signo remissi peccati me mirabiliter afficias : quod gaudium erit veluti bonus nuntius, quem cordis aure jucunde percipiam. In hebraico textu est unicum verbum, pro eo quod nos habemus : *Auditui meo dabis*, et significat proprie, *audire me facies*. Itaque sensus est : Audire me facies internam vocem Spiritus Sancti, qui me gaudio lætitiaque perfundet. « Et tunc exultabunt ossa humiliata, » id est, tunc animus spiritu timoris confractus, et dissolutus, resumptis viribus exultabit. In hebraico textu habetur, *et tunc exultabunt ossa quæ tu confregisti*. Ex quo intelligimus spiritum timoris, quo cor conteritur et humiliatur, a Deo esse, et disponere ad spiritum dilectionis, quo anima justificatur. Per ossa intelliguntur vires animi, non ossa corporis; nam et paulo post dicitur : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. »

Vers. 10. 10. AVERTE FACIEM TUAM A PECCATIS MEIS, ET OMNES INIQUITATES MEAS DELE.

Quod prædixit futurum, in præsenti sibi postulat; dixerat enim : « Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor; auditui meo dabis gaudium, » etc. : nunc ista ipsa postulat. Ac primum petit remitti peccata, sicut antea dixerat : « Asperges me hyssopo, et mundabor : Averte, inquit, faciem tuam a peccatis meis, » id est, ne consideres peccata mea, ut ea punias : quomodo alius Sanctorum dixit, *Tob.* III : « Ne reminiscaris, Domine, delicta mea. » Sunt tamen istæ omnes locutiones metaphoricæ; neque enim fieri potest ut Deus, quem nihil latet, avertat faciem a peccatis, vel obliviscatur eorum; sed dicitur *avertere faciem*, vel oblivisci, quando facit id quod faciunt, qui non considerant, aut non recordantur : qui enim non considerant aut non recordantur, non puniunt. Addit autem : « Et omnes iniquitates meas dele, » ut non solum ad tempus Deus non puniat, sed nunquam omnino puniat : qui enim avertit faciem a scriptura aliqua, potest iterum convertere faciem, et considerare quod scriptum est; sed qui delevit scripturam, non potest amplius legere. Facit hoc adversus hæreticos, qui docent peccatum in justificatione non imputari, sed manere tamen, quasi Deus avertat quidem faciem a peccatis, sed ea nunquam omnino deleat.

Deus quomodo oblivisci dicatur peccatorum?

Contra hæreticorum justitiam imputativam.

Vers. 11. 11. COR MUNDUM CREA IN ME, DEUS, ET SPIRITUM RECTUM INNOVA IN VISCERIBUS MEIS.

Hoc respondet illis verbis, « lavabis me, et super nivem dealbabor : » petit enim ut non solum peccata deleat, sed etiam justitiam infundat, quæ animam renovet, et formosam ac splendidam reddat : quod etiam est contra hæreticos, qui justificanem in sola peccatorum remissione constituunt. Quod autem dicit : « Cor mundum crea in me, Deus, » intelligitur formaliter, ut scholæ loquuntur, id est, de creatione munditiei, non de creatione cordis : per peccatum enim non perit substantia cordis, sed mundities. Itaque sensus est : Crea munditiem in corde meo; et satis proprie dicit, *crea*, quoniam nihil invenerit Deus in corde peccatoris, unde munditiem in illo efficiat, sed ex magna misericordia sua sine ullis meritis homines justificat : nam etiamsi disponantur peccatores per fidem et pœnitentiam ad justificationem, tamen fides, et pœnitentia, et alia omnia similia dona Dei sunt. « Et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Explicatio est verborum præcedentium : ut enim intelligeremus, creari cor mundum, esse, creari munditiem in corde, addit : « Et in visceribus meis innova spiritum rectum, » non autem, *innova mihi viscera*. Per viscera intelliguntur interiora animi, id est, voluntas ipsa, quæ paulo ante cor dicta est. Per spiritum rectum, intelligitur recta affectio, quæ nihil aliud est, nisi charitas : per cupiditatem enim affectus cordis distortus efficitur, dum convertitur ad inferiora. ac præcipue ad seipsum; sed per chari-

Deus in corde quomodo creet munditiem?

tatem dirigitur, dum convertitur ad superna, ac potissimum ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam, renovatur in anima pia affectio in Deum, quæ per peccatum amissa erat, et in cujus locum cupiditas distorta successerat.

Vers. 12. 12. NE PROJICIAS ME A FACIE TUA, ET SPIRITUM SANCTUM TUUM NE AUFERAS A ME.

Hic jam perseverantiam postulat, memor videlicet fragilitatis suæ, ne forte per gratiam erectus, iterum labi contingat. Dicitur in Scriptura, *projici a facie Dei*, qui dimittitur, ac deseritur non amplius recipiendus in gratiam, I *Reg.* XVI : « Dixit Dominus ad Samuel : Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum? » et II *Reg.* VII : « Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea ; » et IV *Reg.* XXIV : « Iratcebatur Dominus contra Jerusalem, et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua. » Ait igitur : « Ne projicias me a facie tua, » id est, ne sinas me iterum labi in peccatum, ne forte in perpetuum a gratia tua me removeas : parum enim mihi prodesset lavari, et super nivem dealbari, et spiritum rectum in me innovari, si tandem a facie tua cum reprobis projiciendus essem. Ut autem me non projicias a facie tua, « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, » id est, donum perseverantiæ mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus sanctus jugiter in me manens, spiritum rectum in visceribus meis conservet. Hoc loco notandum est, verum esse dogma ecclesiasticum Concilii Tridentini, *sess.* VI, cap. XIII, S. Augustini tract. 2 *in Joannem*, et S. Prosperi resp. 7 *ad objectiones Vincentianas*, neminem a Deo deseri, nisi prius ipse deserat Deum, id est, non auferri Spiritum Sanctum a justis, nisi ipsi peccando Spiritum in se exstinguant ; tamen, ut homo non peccet, et spiritum non exstinguat, ad donum perseverantiæ pertinere, de quo dicit Apostolus : « Oramus ut nihil mali faciatis, » II *Cor.* XIII. De hoc dono hunc locum Psalmi intelligimus ; cum enim dicit David : « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, » non significat, *non auferas, si peccavero*, sed *ne auferas, ut non peccem.*

Quis projicitur a facie Dei?

Nemo a Deo deseritur, nisi prius eum deserat.

Vers. 13. 13. REDDE MIHI LÆTITIAM SALUTARIS TUI, ET SPIRITU PRINCIPALI CONFIRMA ME.

Respondet hic versiculus illis verbis : « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam ; » sicut enim prædixit, post veram perfectamque justificationem secuturum in homine internum gaudium, ex testimonio spiritus intus loquentis : ita nunc posteaquam petiit remissionem peccati, et infusionem gratiæ cum dono perseverantiæ, petit signum et effectum justificationis, dicens : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, » id est, per peccatum amisi gratiam et lætitiam consequentem, ideo sicut petii reddi mihi gratiam amissam, ita consequenter peto reddi lætitiam salutaris tui, id est, lætitiam quæ nascitur ex donata a te mihi salute ; ac ne forte lætitia extollat, et periculosam securitatem inducat, adjungit : « Et spiritu principali confirma me, » id est, peto ut stabilias et confirmes me in bono per spiritum principalem mihi a te inspiratum. In hebraico textu est vox נדיבה *nedibah*, quæ significat *principem*, et *spontaneum*, sive *liberalem* ; et potest referri tum ad Spiritum Sanctum, qui vere princeps est omnium spirituum, et liberalissimus ac munificentissimus, cum sit fons omnium donorum ; tum ad spiritum, id est, affectum ipsius Davidis, qui petitur a Deo talis, qualis decet optimum principem, qui debet esse spontaneus erga Deum, et liberalis erga populum. S. Augustinus et S. Hieronymus in *Commentario*, et S. Bernardus serm. 3 *De Pentecoste*, scribunt, posse per spiritum principalem intelligi Deum Patrem ; per Spiritum rectum, Deum Filium ; per Spiritum sanctum, Deum Spiritum Sanctum. Sed videtur hæc pia, non tamen litteralis expositio.

Vers. 14. 14. DOCEBO INIQUOS VIAS TUAS, ET IMPII AD TE CONVERTENTUR.

Exponit fructum justificationis suæ, quæ redundabit in gloriam Dei, et multorum utilitatem. Ego, inquit, a te receptus in gratiam, post tam graves offensiones, « docebo, » et verbis et exemplo, « vias tuas, » misericordiam videlicet, et justitiam : nam « omnes viæ Domini misericordia et veritas ; » et inde sequetur, ut impii exemplo meo edocti ad te convertantur. Fuit autem David omnibus posteris insigne exemplum misericordiæ et justitiæ divinæ : misericordiæ quidem, quia post tam gravia scelera, mox ut ex corde dixit : « Peccavi Domino, » remissum fuit ei peccatum ; justitiæ autem, quoniam gravissimas temporales pœnas de eo Dominus sumpsit, ut non solum statim moreretur filius ex adulterio natus, sed etiam paulo post ipse ejiceretur a solio regni, uxores ejus publice violarentur a proprio filio, duo ejus filii Amon et Absalon interficerentur. Hoc autem exemplum non solum profuit hominibus illius sæculi, sed etiam cæteris omnibus usque ad mundi consummationem ; nam Psalmus de hac re ab ipso compositus ubique frequentabitur et frequentatur, quamdiu Ecclesiæ militantis status permanebit. Itaque implevit David quod promisit, cum hunc Psalmum edidit : docuit enim iniquos vias Domini, et multi peccatores ad Deum conversi sunt, et alii deinceps sine dubio convertentur. Verisimile quoque est Davidem post reparationem suam multis prædicasse divinam indulgentiam, atque ejus exhortatione non paucos peccatores ad Deum fuisse conversos.

David omnibus posteris fuit exemplum divinæ justitiæ et misericordiæ.

Vers. 15. 15. LIBERA ME DE SANGUINIBUS, DEUS, DEUS SALUTIS MEÆ ; ET EXULTABIT LINGUA MEA JUSTITIAM TUAM.

Oravit paulo ante David pro ablutione peccati, et promisit se docturum peccatores vias Domini :

nunc orat pro liberatione a pœna sive vindicta, quam expetebat sanguis Uriæ injuste fusus, et promittit se laudaturum Dei justitiam. Cur autem dicat, *de sanguinibus*, et non potius, *de sanguine*, ut requirebat phrasis latina, rationem reddit S. Augustinus, quia voluit Interpres servare numerum, quem invenit in textu hebraico : in textu autem hebraico ponitur numerus multitudinis, מדמים *middamim*, ad significandum magnam effusionem sanguinis, ut *Genes.* IV : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. » In hebræo est קול דמי, *vox sanguinum*, id est, vox multi sanguinis effusi. Sic igitur hoc loco dicitur : « Libera me de sanguinibus, » id est, libera me a voce multi sanguinis Uriæ, qui a me injuste fusus clamat ad te, et vindictam contra me exposcit, et dicit : « Libera me, » quoniam videbat sanguinem illum, quasi militem armatum contra se stare. Proprie etiam addit : « Deus, Deus salutis meæ; » nam proprium est salvatoris liberare ab imminenti periculo. Et hæc etiam ratio est, cur adjungat : « Et exultabit lingua mea justitiam tuam; » nam liberatio et salvatio vera per meritum Christi prævisi fiebat, ut nunc fit per meritum Christi reipsa exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissime justitiam continet, et talem, ut toto corde et maxima vocis contentione laudari mereatur. Atque hoc significat verbum hebraicum תרנן *therannen*, pro quo nos habemus *exultabit*, id est, exultando et vociferando laudabit. S. Augustinus et alii per *sanguines* intelligunt peccata; sed, ut bene notavit Euthymius, litteralis sensus ad verum sanguinem Uriæ referendus est : spiritualiter autem per sanguinem peccata intelligi possunt, quoniam peccata ex prava concupiscentia oriuntur, in concupiscentia vero præcipue sanguis dominatur.

Meritum Christi operabatur salutem apud antiquos.

Vers. 16. **16. DOMINE, LABIA MEA APERIES : ET OS MEUM ANNUNTIABIT LAUDEM TUAM.**

Hoc jam sequitur ex perfecta justificatione, et liberatione peccatoris, ut labia solita Deum laudare, quæ per peccatum clausa fuerant, iterum per indulgentiam aperiantur ad gratiarum actionem et laudem Redemptoris. Ait igitur : « Domine, labia mea aperies, » id est, tu quidem indulgendo, et condonando peccata, et fiduciam et lætitiam restituendo, « aperies labia mea, » et tunc « os meum annuntiabit laudem tuam, » prædicando misericordiam et justitiam, non solum præsentibus, sed etiam futuris hominibus.

Vers. 17. **17. QUONIAM SI VOLUISSES SACRIFICIUM, DEDISSEM UTIQUE : HOLOCAUSTIS NON DELECTABERIS.**

Reddit rationem cur sacrificium laudis offerre velit, quoniam videlicet, sacrificia pecorum Deo non placent, ac si dixisset : « Os meum annuntiabit laudem tuam, » quoniam sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis animantium brutorum; nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Non est autem sensus, sacrificia pecorum nullo modo placere Deo, cum satis constet ex libro Levitici a Deo illa esse instituta, et offerri jussa. Sed dicuntur non placere ex seipsis, quasi mactatio pecorum sit ex se opus Deo gratum, vel utile, aut necessarium; item dicuntur non placere, si conferantur cum sacrificio eucharistiæ, ut patet ex primo capite Malachiæ, ubi sacrificia vetera dicuntur cessatura, quando oblatio munda in omnibus gentibus offeretur; dicuntur etiam non placere, quando offeruntur a peccatoribus, ut dicitur *Isai.* cap. I, cum « Deo magis obedientia placeat, quam victimarum oblatio, » I *Reg.* cap. XV. Denique dicuntur non placere ad expianda peccata, quoniam « impossibile est, ut dicit Apostolus *ad Hebr.* X, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata; » et in hoc sensu dicit hoc loco David : « Si voluisses sacrificium, » pro remissione peccati mei, « dedissem utique; » sed quia « holocaustis non delectaberis, » ita ut eorum gratia mihi peccata condones, ideo « os meum annuntiabit laudem tuam : » nam, ut diximus in explicatione Psalmi superioris, sacrificium laudis Deo gratissimum est, quoniam in ara cordis igne charitatis succenditur. In hebræo videtur paulo aliter haberi. Sic enim ad verbum legitur, *quoniam non voles sacrificium, et dabo : holocaustum non placebit.* Sed videtur repetenda negatio, cum dicitur, *et dabo*, ut sensus sit, *quoniam non voles sacrificium, ego quoque non dabo.* Vel forte Septuaginta Interpretes loco negationis legerunt particulam conditionalem; nam ea posita potest littera hebraica sic legi : *Quoniam si velles sacrificium, et darem;* quod est idem cum eo, quod nos habemus, ex versione Septuaginta : « Si voluisses sacrificium, dedissem utique. »

Sacrificia veterum quomodo Deo placerent vel non?

Vers. 18. **18. SACRIFICIUM DEO SPIRITUS CONTRIBULATUS; COR CONTRITUM ET HUMILIATUM, DEUS, NON DESPICIES.**

Explicat clarius quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde contrito et humiliato procedit, quando videlicet homo agnoscens miseriam suam et misericordiam Dei, humiliatur sub potenti manu ejus, et illi honorem et gloriam, sibi autem ignominiam et confusionem tribuit. *Dan.* IX : « Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei; » et paulo post : « Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, et principibus nostris, et patribus nostris, qui peccaverunt : tibi autem Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio. » Spiritus contribulatus idem est, quod cor contritum : nam in codice hebraico, et græco codice eadem vox repetitur, *spiritus contritus*, et *cor contritum*; sed Interpres maluit variare vocabula; et sensus idem est : dicitur enim *spiritus contribulatus*, anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum : sic etiam spiritus contritus dicitur anima ex dolore concepto ob

Spiritus contribulatus quis sit?

admissum peccatum, quasi scissa, et in pulverem redacta, non amplius retinens lapideam duritiem, et resistentiam. Hæc autem contritio spiritus est gratissimum Deo sacrificium, quia quemadmodum peccatis Deus offenditur, ita pœnitentia placatur; et ideo recte subjungitur : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies, » « quoniam despicit Deus superbos, illisque resistit; sed humilibus, » qui se illi libenter subjiciunt, « semper dat gratiam, » *Jac.* IV.

Vers. 19. 19. BENIGNE FAC, DOMINE, IN BONA VOLUNTATE TUA SION, UT ÆDIFICENTUR MURI JERUSALEM.

Hæc est ultima ratio qua David utitur ad placandum Deum, et impetrandam perfectam justificationem, et reparationem post tam gravem lapsum : dicit enim hanc suam reparationem toti populo profuturam, sicut toti populo noceret ejus ruina. Itaque rogat ut præstet hoc beneficium ipsi civitati Sion et Jerusalem. « Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, » id est, si ego dignus non sum qui exaudiar, respice civitatem, cujus ego sum caput, et illi benefac sanando caput illius, « in bona voluntate tua, » id est, juxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem tibi eligere in propriam et peculiarem sedem. « Ut ædificentur muri Jerusalem, » id est, ut sic muri Jerusalem qui corruerunt, iterum ædificentur. Vocat muros Jerusalem seipsum, qui instar murorum totum populum custodiebat et defendebat, qua metaphora dicitur etiam de Rege Christo : « Salvator ponetur in ea murus, et antemurale, » *Isai.* XXVI; et : « Dabo te populo huic in murum æneum, » *Hierem.* XV. In hebræo legitur, *ædifica muros Jerusalem,* qui per lapsum meum ceciderunt; restitue mihi spiritum copiosum et gratiam abundantem, ut populum tuum instar murorum defendere et custodire valeam.

Vers. 20. 20. TUNC ACCEPTABIS SACRIFICIUM JUSTITIÆ, OBLATIONES, ET HOLOCAUSTA : TUNC IMPONENT SUPER ALTARE TUUM VITULOS.

Effectus justificationis sunt opera justitiæ, quæ placent Deo, ut vera sacrificia spiritualia, juxta illud Apostoli *ad Hebr.* XIII, 16 : « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus ; » et I *Petr.* II : « Offerte spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum. » « Tunc, » inquit, id est, cum ego perfecte reparatus et justificatus fuero, « acceptabis sacrificium justitiæ, » bona videlicet opera mea, et populi mei; « oblationes et holocausta, » id est, quæ bona opera, vel erunt spirituales oblationes, vel spiritualia holocausta. Oblationes spirituales sunt, cum quis ex charitate donat bona sua, eleemosynas erogando; holocausta vero, cum donat se totum in Dei obsequium, juxta illud *Rom.* XII : « Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, » etc. « Tunc imponent super altare tuum vitulos, » id est, cum viderint homines ista sacrificia justitiæ acceptissima tibi esse, accurrent multi, et certatim imponent super altare tuum sacrificia, non quæcumque, sed omnium optima : sacrificium enim vituli erat omnium sacrificiorum præstantissimum; ac per hoc vitulos super altare imponere, nihil est aliud, nisi opera justitiæ perfectæ Domino Deo offerre. S. Augustinus more suo exponit hunc locum de ædificatione cœlestis Jerusalem, ubi sacrificia justitiæ undequaque perfecta ab omnibus offerentur. Theodoretus et Euthymius exponunt etiam mystice de ædificatione Ecclesiæ christianæ, quæ versatur in terris; iidem quoque addunt, posse intelligi hos duos versiculos de reædificatione Jerosolymæ, quæ facta est tempore Nehemiæ, ut videlicet David in spiritu post defletum peccatum suum, et impetratam remissionem, præviderit peccatum commune totius gentis, ob quod evertenda esset Jerusalem, et simul oraverit pro remissione illius peccati, et restauratione civitatis.

Quid sit vitulos super altare imponere?

PSALMUS LII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, intellectus David.*

2. *Cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli :* « Venit David in domum Achimelech. »

V. S. H. — *Victori, eruditio David, cum venisset Doec* [al. *Doech*] *Idumæus, et annuntiasset Sauli* [al. *Saul*], *dicens ei :* « Venit David in domum Ahimelech. » [al. *Achimelech*].

3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Quid gloriaris in malitia, potens? misericordia Dei tota est die.

4. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula acuta fecisti dolum.

Insidias cogitat lingua tua, quasi novacula acuta faciens dolum.

5. Dilexisti malitiam super benignitatem,

Dilexisti malum magis quam bonum, men-

iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.

7. Propterea Deus destruet te in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

8. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent : 9. Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.

10. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in æternum, et in sæculum sæculi.

11. Confitebor tibi in sæculum quia fecisti, et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

dacium magis quam loqui [al. tac. *loqui*] justitiam. SEMPER.

Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa [al. *linguam dolosam*].

Sed Deus destruet te, in sempiternum terrebit [*h.* add. *te*], et evellet te de tabernaculo, et eradicabit te de terra viventium. SEMPER.

Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt.

Ecce vir qui posuit Deum fortitudinem suam: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: confortatus est in insidiis suis.

Ego autem sicut oliva virens in domo Dei: speravi in misericordia Dei in sæculum sempiternum.

Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti : et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum [*h. misericordium*] tuorum.

Argumentum. — Vers. 3, thema proponitur : A malitia tua, o scelerate, tuetur me Dei gratia. Strophæ tres sequuntur : vers. 4-6, perniciosa tu quidem meditaris; vers. 7-9, sed perdet te Deus cum maximo omnium piorum gaudio; vers. 10-11, me vero tuetur Dei gratia. Nefarium hominem, qui hoc Psalmo perstringitur, esse Doegum, censent plerique; sed Saulo multo aptius carmen convenire, Hengstenberg affirmat, quod rem attente consideranti facile patebit; nec obstat titulus. Somniant qui cum Maurero loca *Isai.* XXII, 16 seqq., aut *Jerem.* XX, 3 seqq. cogitant. Historia copiose describitur I *Sam.* XXI et XXII.

1. Præcentori, carmen Davidis, *compositum*,
2. quum venisset Doeg, Idumæus, ad Saulum, eique nuntiasset : « Venit David in domum Abimelechi. »

3. Quid gloriaris in malitia, tu tyranne?
   Gratia Dei toto (et omni) die (mecum est).

4. Perniciosa meditatur (profert) lingua tua,
   instar novaculæ acutæ, *o* doli artifex.
5. Amas malum præ bono,
   mendacium præ τῷ loqui rectum.
6. Amas omnia verba absorptionis (perniciosissima),
   lingua fraudis.

7. Etiam (ideo) Deus destruet te in perpetuum (prorsus),
   corripiet te et evellet te e tentorio,
   et eradicabit te e terra viventium.
8. Et videbunt justi, et reverebuntur Deum,
   et de eo ridebunt, *dicentes :*
9. « En virum, *qui* non posuit Deum præsidium suum,
   et confidit in multitudine divitiarum suarum;
   valuit (se validum existimavit) malitia sua! »

10. At ego sicut olea virens in domo Dei *sum* (vel *ero*);
    confido (nitor) in gratia Dei perpetuo.

11. Celebrabo te in sæculum, quia fecisti (quæ peto),
et exspectabo nomen tuum, quia bonum *est*,
coram piis (cultoribus) tuis.

NOTÆ.

Vers. 3. *Tyranne:* alii, *heros,* ironice dictum; propr. *potens. Dei,* propr. *fortis,* τῷ *potens* in priori membro oppositum. — Vers. 5. *Præ bono,* i. e. et non bonum. — Vers. 7. *Corripiet :* חתח est *prunas tollere,* ait Hengstenberg; igitur sensus est : te corripiet et ejiciet Deus, quemadmodum aliquis prunas arripit et foras projicit. — Vers. 11. *Nomen,* eximiam tuam potentiam et benignitatem semper ad juvandum paratam. *Coram,* etc. subaudi : hæc omnia agam *coram,* etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, intellectus David, cum venit Doeg Idumæus et nuntiavit Sauli : « Venit David in domum Abimelech. »

Titulus Psalmi notissimus est ex historia lib. I *Reg.* cap. XXII. Argumentum autem est reprehensio Doeg Idumæi, qui calumniatus est Davidem et Achimelech sacerdotem apud regem Saul, et causa fuit perditionis multorum hominum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. QUID GLORIARIS IN MALITIA, QUI POTENS ES IN INIQUITATE?

Orditur David ab interrogatione, ut efficacior sit reprehensio, quomodo M. Tullius adversus Catilinam incœpit: «Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?» « Quid gloriaris, inquit, in malitia, qui potens es in iniquitate?» gloriabatur enim Doeg Idumæus, quod accusatione sua perdidisset sacerdotem Domini, et omnem familiam ejus. Saul enim cum audivisset ab isto Doeg Idumæo, Davidem fuisse receptum hospitio ab Achimelech sacerdote, in tantam iram exarsit, ut non solum occidi jusserit ab ipso Doeg sacerdotem Achimelech, sed etiam octoginta quinque alios sacerdotes, qui erant cum eo ; et deinde percussit in ore gladii civitatem sacerdotalem, occidens viros et mulieres, parvulos et lactentes, oves quoque, et boves, et asinos. Ecce quanta mala nata sunt ex calumniatore illo, ut vere dictus sit « potens in iniquitate. » Sed occurrit difficultas ex discordia codicum hebraicorum, græcorum et latinorum. Nam S. Hilarius et S. Augustinus legunt: *Quid gloriatur?* Sed nostræ lectioni : *Quid gloriaris?* favent textus hebraicus et S. Hieronymus, non solum in versione, sed etiam in *Commentario.* Præterea in textu hebraico et græco constituitur punctum post vocabulum *potens es:* « Quid gloriaris in malitia, qui potens es. » Sed nostræ lectioni favent S. Hilarius et S. Hieronymus in *Commentario,* quamvis S. Augustinus et Euthymius legant ut nunc habetur in hebraico et græco textu. Apparet igitur apud veteres fuisse varias interpunctiones. Denique in hebraico codice habetur, *misericordia Dei,* pro eo quod est in græco, ἀνομία, *iniquitas;* sic enim ad verbum legitur in hebraico : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es misericordia Dei?* Sed vox hebraica חסד *chesed* non significat solum *misericordiam,* sed etiam *opprobrium,* ut perspicuum est ex *Levit.* cap. XX, vers. 17, et ex *Proverb.* cap. XIV, vers. 37. Igitur hoc loco non debuisset verti *misericordia Dei,* sed *opprobrio Dei,* quia occidit multitudinem sacerdotum, quod in opprobrium Dei redundavit. Septuaginta Interpretes verterunt ἀνομίαν, *iniquitatem,* quia factum illud Doeg Idumæi iniquissimum fuit : nam, ut legitur I *Reg.* XXII, nulli alii ausi sunt mittere manus suas in sacerdotes, etiam rege jubente, præter istum Doeg Idumæum, qui tamen omnium optime noverat innocentiam sacerdotum, ut testis oculatus omnium rerum.

Varietas lectionis conciliatur.

Vers. 4. 2. TOTA DIE INJUSTITIAM COGITAVIT LINGUA TUA, SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM.

Exaggerat miris modis calumniosam illam delationem Doeg Idumæi; ac primum dicit, non fuisse repentinam delationem, sed diu meditatam: «Tota die, inquit, injustitiam cogitavit lingua tua,» id est, assidue cogitabas quomodo injuste deferres, et tandem oblata occasione lingua tua peperit, quod diu antea parturiebat: quamvis enim cogitatio ad mentem pertineat, tamen David poetice tribuit hoc linguæ, quasi ipsa lingua tam mala fuerit, ut etiam silens apud aures hominum, ta-

men apud se ipsa cogitando loqueretur. Deinde addit deceptionem ab ipso celerrime factam esse, quomodo novacula acuta expeditissime et facillime scindit : conjungit enim Propheta eleganter tarditatem meditationis cum celeritate executionis. Vere enim Doeg Idumæus, quod diu antea cogitaverat, celerrime data occasione perfecit. Siquidem paucissimis verbis omnino Sauli persuasit, Achimelech sacerdotem cum Davide conjurasse, qui fuit dolus et impostura gravissima; ait igitur : « Sicut novacula acuta fecisti dolum,» id est, sicut novacula acuta facillime scindit capillos, ita tu facillime Saulem decepisti. Potest etiam per *dolum* intelligi dolosa et fraudulenta occisio sacerdotum, quam Doeg effecit interficiendo totam progeniem sacerdotum usque ad parvulos et lactentes, quomodo novacula abradit penitus omnes pilos, quamvis tenuissimos. Dicitur autem dolosa occisio, quia sacerdotes non fuerunt vocati ad regem tanquam inimici, ut timere potuerint se occidendos, sed circumventi sunt, et de improviso perierunt.

Vers. 3. 3. DILEXISTI MALITIAM SUPER BENIGNITATEM, INIQUITATEM MAGIS QUAM LOQUI ÆQUITATEM.

Declarat ex qua radice prodierit illa calumniosa delatio, ac dicit illam non prodiisse ex ignorantia, vel casu aliquo, sed ex mala voluntate ipsius, qui dilexit semper malum potius quam bonum, et mendacium potius quam veritatem. « Dilexisti, inquit, malitiam super benignitatem, » id est, delectaris potius nocere proximo, quam illi benefacere. « Iniquitatem magis, quam loqui æquitatem,» id est, mendacium potius loqui te delectat, quam veritatem : nam verbum hebraicum שקר *sheker* proprie *mendacium* significat; sed quia mendacium perniciosum iniquitas quædam est, ideo Septuaginta Interpretes verterunt ἀδικίαν, *iniquitatem,* ut declararent hic agi de mendacio pernicioso : sic etiam ipse David cum deberet mendacio opponere veritatem, opposuit tamen justitiam, dicens, « quam loqui æquitatem,» quoniam voluit indicare mendacium illius Doeg Idumæi non fuisse mendacium otiosum, vel officiosum, sed plane perniciosum et injustum. Porro, per *æquitatem* intelligenda est *justitia,* ut sonat vox hebraica צדק *tsedek,* non autem id quod apud latinos proprie sonat vocabulum *æquitas.* At non videtur Doeg mendacium aliquod protulisse, cum ait : « Venit David in domum Achimelech. » Respondeo, mendacium fuisse in verbis illis juxta intentionem dicentis et audientium : ipse enim significare voluit, Achimelech fuisse socium conjurationis David, et in eo sensu accepta sunt verba ejus a rege Saul.

Mendacium perniciosum iniquitas est.

Vers. 4. 4. DILEXISTI OMNIA VERBA PRÆCIPITATIONIS, LINGUA DOLOSA.

Explicat adhuc magis, quid dixerit, « mendacium et iniquitatem; » et ait fuisse mendacium vere perniciosum, cum fuerit causa perditionis plurimorum hominum innocentium. « Dilexisti, inquit, omnia verba præcipitationis, » id est, dilexisti omnia verba, quibus possent homines innocentes præcipitari in ruinam et perditionem : vox hebraica בלע *balah* significat *deglutire, absorbere, perdere,* et similia. Itaque illud, *præcipitationis,* exponi debet, præcipitationis in mare, vel in foveam, ut absorbeantur, vel devorentur; vel positum est *præcipitationis* pro *ruinæ,* et *perditionis :* constat autem ex lib. I *Reg.* cap. XXII, propter verba Doeg Idumæi integram civitatem periisse. Illud autem, *lingua dolosa,* varie legitur ab auctoribus : nam S. Hilarius et S. Augustinus legunt *linguam dolosam,* ut etiam legit Theodoretus, et nunc habent græci codices; et si ita legatur, sensus erit : *Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguam dolosam,* id est, dilexisti omnia verba præcipitationis, dilexisti, inquam, linguam dolosam. At S. Hieronymus, quamvis in hebræo vertat *linguam dolosam,* tamen in *Commentario Psalmorum* legit, *in lingua dolosa,* ut etiam legit Euthymius, licet non taceat varietatem codicum græcorum, in quorum nonnullis sit in accusativo *linguam dolosam;* et si quis ita legat, sensus erit : *Dilexisti omnia verba præcipitationis in lingua dolosa,* id est, per instrumentum linguæ dolosæ. Nostri codices videntur accipiendi in vocativo, ut sensus sit : *O lingua dolosa,* tu dilexisti omnia verba præcipitationis, id est, delectaris semper loqui verba perniciosa; et videtur nostra lectio satis concordare cum textu hebraico, ubi simpliciter ponitur vocabulum sine ullo signo casus obliqui.

Vers. 5. 5. PROPTEREA DEUS DESTRUET TE IN FINEM; EVELLET TE, ET EMIGRABIT TE DE TABERNACULO TUO, ET RADICEM TUAM DE TERRA VIVENTIUM.

Prædicit non fore impunitum peccatum Doeg Idumæi, sed pro temporali destructione sacerdotum, cujus ipse causa fuit, retribuendum ei exitium sempiternum. « Propterea, inquit, Deus destruet te in finem, » id est, propter hoc tuum peccatum Deus te radicitus destruet in hoc sæculo, et in futuro, ita ut in æternum destructus maneas, quibus significare videtur æterna desolatio in hoc sæculo, et æterna damnatio in futuro; atque hæc est justa retributio impiorum, ut qui alios perdunt, ipsi quoque male pereant. Deinde quod generatim dixerat, explicat per partes, dicens : « Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium, » id est, hoc modo te penitus destruet, quia puniet te exilio et orbitate, ita ut primum amittas opes et patriam, deinde in exilio et sine liberis moriaris. « Evellet, inquit, te, et emigrabit, » id est, migrare faciet de tabernaculo tuo, et sic exul, et vagabundus errabis. « Et radicem tuam evellet de terra viventium, » id est, te cum omni posteritate tua de terra eradicabit : filii enim similes sunt radicibus, quia per hos pater radicatur et stabilitur in terra. Et quoniam

Justa retributio impiorum.

per terram viventium significari potest patria cœlestis, indicatur hoc loco, ut supra diximus, etiam damnatio sempiterna. In hebraico textu, pro *evellet te*, habetur יחתך *iachtheca*, quam vocem S. Hieronymus vertit *terrebit te*. Sed S. Hieronymus deduxit eam vocem a חתת *chathath*, quod est *terrere*. Cæterum Septuaginta Interpretes deduxerunt a חתח *chathah*, quod est *capere* sive *carpere*, quod idem est cum *evellere*.

Vers 6. 6. VIDEBUNT JUSTI, ET TIMEBUNT, ET SUPER EUM RIDEBUNT, ET DICENT : ECCE HOMO, QUI NON POSUIT DEUM ADJUTOREM SUUM.

Vers. 7. 7. SED SPERAVIT IN MULTITUDINE DIVITIARUM SUARUM, ET PRÆVALUIT IN VANITATE SUA.

Ex pœna impii delatoris id sequetur, ut multi erudiantur. « Videbunt justi, et timebunt, » id est, casum istum considerabunt viri justi et cordati, et horrebunt. « Et super eum ridebunt, dicentes: « Ecce homo, » etc., id est, et illum irridebunt, quod stultissime egerit, cum in Deo, qui potentissimus est, sperare noluerit, et in divitiis fragilibus, quæ facillime amittuntur, spem suam posuerit. « Prævaluit in vanitate sua, » id est, eumdem irridebunt, quod prævalere studuerit non in vero robore veraque virtute, sed in insidiis et mendaciis vanitate plenissimis : illud enim, *prævaluit*, non significat, quod vere tandem prævaluerit, sed quod opinione sua prævalere se posse crediderit : nam etiamsi ad tempus adversus innocentes prævalere visus est, tamen exitus demonstrabit eum succubuisse, non prævaluisse, quando « justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, » ut dicitur *Sapient.* v.

Vers. 8. 8. EGO AUTEM SICUT OLIVA FRUCTIFERA IN DOMO DEI, SPERAVI IN MISERICORDIA DEI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Concludit Psalmum ostendens se omnino contrariam viam ingressum esse. « Ego, inquit, similis sum olivæ fructiferæ in domo Dei, » id est, non evellar, neque eradicabor, ut Doeg lignum aridum, sed radicabor magis et magis, ut oliva speciosa, semper virens, et fructum adferens ; et quia talis sum, ideo « speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi, » id est, speravi me adjutum iri a Deo in æternum, et in sæculum sæculi. Ubi mire opponit se Doeg Idumæo ; illum comparat ligno arido, se vero olivæ virenti; illum dicit evellendum etiam de tabernaculo suo, se dicit radicandum in domo Dei ; illum dicit, sperasse in divitiis suis, se autem in misericordia Dei.

Vers. 9. 9. CONFITEBOR TIBI IN SÆCULUM, QUIA FECISTI : ET EXSPECTABO NOMEN TUUM, QUONIAM BONUM EST IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM.

Gratias agit pro re futura, quasi præterita, quoniam futura apud Deum et in cognitione Prophetarum certissima sunt. « Confitebor, inquit, tibi in sæculum, » id est, laudabo te semper, quia fecisti judicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes et destrueres, sperantem in te consolareris et ædificares. « Et exspectabo nomen, » id est, et semper deinceps sperabo in te ; idem enim est sperare in Deo, et exspectare Deum, et nomen Dei pro ipso Deo ponitur. « Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum, » id est, merito sperabo in nomine tuo, quoniam nomen tuum dulce est Sanctis tuis, qui ejus dulcedinem gustaverunt.

Futura apud Deum et in cognitione Prophetarum sunt certissima.

PSALMUS LIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V.—1. *In finem, pro Maeleth, intelligentiæ David.*

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.

2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus : non est qui faciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?

V. S. H. — *Victori, per chorum, eruditio David.*

Dixit stultus in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitate, non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens requirens Deum.

Omnes aversi sunt, pariter adhæserunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Numquid non cognoverunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis? Deum non invocaverunt.

6. Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor:

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Ibi timuerunt timore, ubi non erat [al. *est* timor :

Quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te : confunderis, quia Deus projecit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum reduxerit Deus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

Argumentum. — Vid. quæ Psalmo XIV præmisimus.

1. Præcentori, ad modum *instrumenti* machalath, carmen Davidis.

2. Dixit stultus in corde suo : « Non est Deus! »
Corruperunt, abominandam reddiderunt iniquitatem *suam*.
Nullus qui faciat bonum.
3. Jova de cœlis despexit in filios hominum,
ut videret num *quis* sit intelligens (pius),
quærens Deum.
4. Quisque eorum recessit, ad unum corrupti sunt;
non est qui faciat bonum, non est vel unus.

5. Numquid sensu carent omnes facinorosi,
qui vorant populum meum — vorant panem!
Jovam non invocant?
6. Tunc tremuere tremorem : non erat tremor;
nam Deus dispersit ossa præliantis adversus te, *Israel*.
Pudore affecisti *eos, o Israel*, nam Deus rejecit eos.

7. Utinam veniat e Sione salus Israelis!
Quando reduxerit Jova captivitatem populi sui,
exsultet Jacob, lætetur Israel!

NOTÆ.

Vers. 1. *Machalath.* Gesenius, *cithara*; alii, *tibiæ* genus; Ewaldus vocabuli sensum omnino obscurum esse fatetur; Hengstenberg, *super morbo*, vel *languore*, quo nomine totius humani generis corruptio in hoc Psalmo describenda significatur. *Carmen*, a *sacal*, quod proprie est *formare, figurare*, hinc *cogitatione sibi fingere* aliquid, ποίησις, poema exquisitioris formæ, ac *carmen*, vel *psalmus* simpliciter. Ewaldus, *carmen exquisitiori modo concinendum*; Hengstenberg, *doctrina*. — Vers. 6. *Non erat tremor*, vel *timor*, i. e. dum impii securi erant, subito a Deo prostrati sunt. Maurer, *q. d.* Tunc pavent; pavent? imo vero..... imo vero illo ipso temporis momento, quo Deus nefarios conspicit, ab illo prostrati jacent, ut non tam trepident, quam corruant. *Præliantis*, vel *obsidentis* te. — Versiculo 7, et forsan præcedenti, vestigia insunt retractati carminis tempore Cyri.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro Macheleth, intelligentia David.

Hic titulus habet unam vocem non interpretatam, videlicet אל מחלת, *pro macheleth*. Et S. Hieronymus vertit, *per chorum;* sed per chorum videtur intellexisse instrumentum musicum, ut ipse idem testatur in epistola *ad Dardanum* (si tamen ea epistola ipsius est) de musicis instrumentis, quomodo nonnulli accipiunt vocabulum chori in Psalmo ultimo in illis verbis : « In tympano et choro, in chordis et organo. » Neque improbabile est per chorum posse intelligi cœtum Cantorum canentium, ut sensus sit, Psalmum esse compositum pro choro, ut videlicet canatur a multis simul. Fateor tamen priorem expositionem videri veriorem, quoniam Septuaginta Seniores non reliquissent eam vocem non interpretatam, nisi existimassent ea voce significari nomen proprium alicujus instrumenti musici. Quod additur, *intelligentia David,* significat, in hoc Psalmo *aperiri intelligentiam,* sive *eruditionem David*, ut vertit S. Hieronymus : ex quo titulo colligitur argumentum Psalmi, quod est, deploratio insipientiæ generis humani; ideo enim fit mentio intelligentiæ David, quia per ipsum coarguenda erat cæcitas et insipientia generis humani.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO : NON EST DEUS.

Vers. 2. 2. CORRUPTI SUNT, ET ABOMINABILES FACTI SUNT IN INIQUITATIBUS SUIS : NON EST QUI FACIAT BONUM.

Vers. 3. 3. DEUS DE CŒLO PROSPEXIT, UT VIDEAT, SI EST INTELLIGENS AUT REQUIRENS DEUM.

Vers. 4. 4. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT : NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM.

Vers. 5. 5. NONNE SCIENT OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM, QUI DEVORANT PLEBEM MEAM UT CIBUM PANIS?

Vers. 6. 6. DEUM NON INVOCAVERUNT, ILLIC TREPIDAVERUNT TIMORE, UBI NON ERAT TIMOR.

Vers. 7. 7. QUONIAM DEUS DISSIPAVIT OSSA EORUM, QUI HOMINIBUS PLACENT : CONFUSI SUNT, QUONIAM DEUS SPREVIT EOS.

Vers. 8. 8. QUIS DABIT EX SION SALUTARE ISRAEL? CUM CONVERTERIT DEUS CAPTIVITATEM PLEBIS SUÆ, EXULTABIT JACOB, ET LÆTABITUR ISRAEL.

Hic Psalmus idem fere est cum Psalmo tertio decimo; inde igitur petatur explicatio : satis enim erit hic annotare diversitatem utriusque Psalmi.

Primus versiculus est omnino idem.

Secundus versiculus est etiam idem, nisi quod in isto habetur, *in iniquitatibus;* in illo, *in studiis:* sed idem est sensus; studia enim illa sunt affectus et desideria mala, quæ omnia iniqua sunt, et peccata, ac per hoc iniquitates.

Tertius versiculus idem est, nisi quod hic dicitur *Deus,* ibi dicitur *Dominus.*

Quartus versiculus idem omnino est.

Quintus versiculus, sextus et septimus, qui habentur in Psalmo tertio decimo, in hoc non habentur; sed, ut ibi admonuimus, illi tres versiculi additi sunt ex diversis Scripturæ locis, et ad Psalmum proprie non pertinent.

Quintus versiculus, qui respondet octavo in Psalmo tertio decimo, idem cum illo est, nisi quod hic dicitur : « Nonne scient? » ibi dicitur : « Nonne cognoscent? »

Sextus versiculus, qui respondet nono, idem est cum illo, nisi quod hic dicitur : *Deum,* ibi *Dominum.*

Septimus versiculus, qui respondet decimo, plane diversus est. Ibi enim dicitur : « Quoniam Dominus in generatione justa est : consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est; » hic vero dicitur : « Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent : confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. » Hic igitur versiculus, qui solus explicandus est, reddit rationem cur impii trepident timore, ubi non est timor; et dicit causam esse, « quoniam Deus dissipat omnia ossa eorum, » id est, debilitat omne robur eorum, ut etiam levissima quæque formident : id vero facit admirabili providentia sua infatuando consilia eorum, impediendo conatus eorum, et ad nihilum redigendo omnes machinationes eorum : ossa enim in Scripturis pro fortitudine passim accipiuntur. Addit Propheta, « qui hominibus placent, » quoniam ejusmodi homines pleni sunt timore humano, sive mundano, et totum studium eorum est hominibus placere. Apostolus autem e contrario dicit, *Gal.* cap. I : « Si hominibus placerem, Christi servus non essem. » In hebræo non habetur : *Qui hominibus placent,* sed : *Circumdantium te;* sed Septuaginta Interpretes non legerunt חנך *chonach,* quod est, *circumdantium te,* sed חנף *chonaph,* quod significat *hypocritam, simulatorem, adulatorem,* quam vocem rectissime interpretati sunt, ἀνθρωπαρέσκων, id est, eorum qui ho-

minibus placent; ejusmodi enim sunt adulatores et hypocritæ. Adjungit Propheta : « Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, » quibus verbis videtur alludere ad versiculum decimum Psalmi decimi tertii : « Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est. » Quasi dicat : Vos impii confudistis consilium inopis confidentis in Deo, et Deus confundet vos, ut sæpe erubescere cogamini videntes irrita consilia vestra, quoniam in Deo non sperastis, et Deus sprevit vos, ac per hoc non adjuvit vos. Possent etiam hæc referri ad novissimum judicium, in quo omnes impii confundentur, quoniam Deus judex omnium spernet eos, dicens : « Non novi vos, ite in ignem æternum, » *Matth.* XXV.

Octavus versiculus, qui est postremus, idem est cum postremo versiculo Psalmi XIII, nisi quod ibi dicitur : « Cum averterit Deus captivitatem. » Sed quanquam *avertere* et *convertere* videantur esse contraria, tamen hoc loco sensum eumdem faciunt : dicitur enim Deus avertere captivitatem, cum tollit e medio et ad nihilum redigit ipsam captivitatem; quod fit cum, captivis liberatis, captivitas esse desinit. Dicitur autem idem Deus convertere captivitatem, quando captivos revocat et reducit in patriam. Denique cum dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro forma, id est, pro ipsa vera captivitate : cum dicitur converti captivitas, sumitur captivitas pro personis, quæ erant captivæ.

Quomodo Deus avertat captivitatem?

PSALMUS LIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem, in carminibus, intellectus David,*

2. *Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul :* « Nonne David absconditus est apud nos? »

3. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.

4. Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.

5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

6. Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

7. Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.

8. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.

V. S. H. — *Victori, in Psalmis, eruditio David : quando venerunt Ziphæi et dixerunt Saul :* « Nonne David absconditus est apud nos? »

Deus, in nomine tuo salva me [al. *salvum me fac*], et in fortitudine tua ulciscere me.

Deus, exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.

Quia alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : non posuerunt Deum in conspectu suo. SEMPER.

Ecce Deus auxiliator mihi : Dominus sustentans animam meam.

Reddet [al. *redde*] malum insidiatoribus [*h. decantatoribus*] meis : in veritate tua [al. tac. *tua*] disperde eos.

Voluntarie sacrificabo tibi : confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum.

Quoniam ex omni tribulatione liberavit me, et inimicos meos vidit oculus meus.

Argumentum. — Vide historiam I *Sam.* XXIII, 19. Strophæ duæ : vers. 3-5, defende me, o Deus, ab insidiantibus vitæ meæ; vers. 6-9, spero precibus meis te esse satisfacturum; quod ubi feceris, ego te efferam laudibus.

1. Præcentori, fidibus *canendum*, maskil (*Ps.* LIII, 1) Davidis, *compositum*,
2. quum venissent Ziphenses et dixissent Saulo : « Nonne (en) Davides latitat apud nos? »

3. Deus, nomine tuo (ope tua) salva me,
et fortitudine tua judica me (jus meum tuere).
4. Deus, audi precem meam,
ausculta verba oris mei.

5. Nam alieni surgunt contra me,
et prævalidi (violenti) insectantur vitam meam;
non ponunt Deum ante se (Deum non curant).

6. Ecce, Deus adjutor mihi *est*,
Dominus inter eos qui sustentant vitam meam.
7. Revertetur malum in insidiatores meos;
per fidem tuam exscinde eos.
8. Donis voluntariis sacrificabo tibi;
celebrabo nomen tuum, Jova, quia bonum est:
9. Quod ex omni angustia eripuit me,
et hostes meos (spe frustratos) cum voluptate intuetur oculus meus.

NOTÆ.

Vers. 5. *Alieni*, eodem sensu quo Job fratres suos *alienos*, i. e. inimicos vocat, XIX, 13. Alii legunt *zedim*, *insolentes*, quod melius congruit hemistichio alteri. — Vers. 6. *Dominus*, etc. i. e. ipse sustentat — Vers. 7. *Revertetur*; vel *rependet*, si cum veteribus legas *iashib*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, in carminibus, intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : « Nonne David absconditus est apud nos?

Ex titulo colligitur argumentum. Scribitur lib. I *Reg.* cap. XXIII, Ziphæos proditores fuisse Davidis, qui apud eos, tanquam apud amicos manens, declinabat persecutionem Saulis. Ipsi enim Sauli patefecerunt Davidem apud se latere, unde factum est ut Saul cum maximo exercitu ad eos accederet, et quasi in modum coronæ totum locum cingeret, ut David pene de vita desperaret. Occasione igitur tam imminentis periculi, David ad Deum per orationem confugit, et hunc Psalmum, Domino inspirante, composuit. Theodoretus et Euthymius, quos aliqui recentiores sequuntur, existimant Psalmum compositum fuisse post liberationem, et esse hymnum gratiarum actionis. SS. Hieronymus et Augustinus, quamvis mystice solum exponant, tamen indicant Psalmum compositum fuisse instante persecutione, quod clarius tradit S. Hilarius exponens ad litteram, et mystice : hanc sententiam veriorem esse, et ipse titulus, et totus Psalmi contextus ostendit. Illud, *intellectus David*, significat hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut intelligeret in tam magno periculo ad Deum esse recurrendum, et in illo sperandum. In qua oratione intellexit, etiam inspirante Domino, se de omni periculo liberandum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS, IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC, ET IN VIRTUTE TUA JUDICA ME.

Orat Deum, ut quando defecerant omnia humana remedia, ipse per se ad juvandum accederet. « Deus, inquit, in nomine tuo, » id est, potestate tua, cui omnia cedunt, « salvum me fac; » et per alia verba idem significans, addit : « Et in virtute tua, » id est potentia, robore tuo, « judica me, » id est, sis judex meus, et pro meritis retribue mihi defensionem, et adversario meo ultionem : non enim habebat tunc David, ad quem appellaret ab injustitia regis, nisi solum Deum. Quo exemplo admonemur, nunquam esse desperandum de auxilio Domini, etiamsi mors evidentissime imminere videatur; Deus enim ubique est, et omnia in manibus habet, et cultores suos ad se confugientes non despicit.

Nunquam desperandum de auxilio Domini.

Vers. 2. 2. DEUS, EXAUDI ORATIONEM MEAM, AURIBUS PERCIPE VERBA ORIS MEI.

Jam confessus fuerat potentiam Domini; nunc orat ut Dominus ad potentiam adjungat voluntatem. « Deus, inquit, exaudi orationem meam, » quasi dicat : Scio te omnia posse; sed oro ut velis; ideo peto ut exaudias orationem meam, qua te rogavi ut potestate tua salvum me faceres. Idem repetit sequentibus verbis, « auribus per-

cipe verba oris mei, » id est, ne avertas aures tuas, neque despicias orationem meam.

Vers. 3. 3. QUONIAM ALIENI INSURREXERUNT ADVERSUM ME, ET FORTES QUÆSIERUNT ANIMAM MEAM; ET NON PROPOSUERUNT DEUM ANTE CONSPECTUM SUUM.

Explicat pericula a quibus liberari desiderat, dicens : « Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, » id est, Ziphæi, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant a me, insurrexerunt contra me, irritantes Saulem ad me persequendum; « et fortes quæsierunt animam meam, » id est, et Saul cum armato exercitu, quæsierunt vitam meam ad exstinguendum eam : hæc enim erat tota ratio persecutionis; quia enim timebat Saul, ne aliquando David regnaret, cupiebat eum de medio tollere : quamvis enim Davidem innocentem esse Saul non ignoraret, tamen cupiditas retinendi in propria familia regnum, quam rationem status nunc vocant, faciebat ut justum videretur, quod injustissimum erat. « Et non posuerunt Deum ante conspectum suum, » id est, et neque illi, neque isti timorem Domini præ oculis habuerunt : illi enim, Ziphæi videlicet, gratiam regis legi Domini ; et isti, Saul et satellites ejus regnandi cupiditatem justitiæ, quam Deus in primis observari jubet, anteposuerunt. Vere enim initium omnium malorum est avertere oculos mentis a Deo, et ejus lege naturali omnibus nota. Vide S. Thomam Quæst. *De Malo,* art. 3.

Ratione status Davidem persequebatur Saul.

Vers. 4. 4. ECCE ENIM DEUS ADJUVAT ME, ET DOMINUS SUSCEPTOR EST ANIMÆ MEÆ.

Illi, inquit, non habuerunt Deum ante oculos suos; sed Deus habuit illos ante oculos suos, et vidit quid molirentur, et non permisit ut malam suam voluntatem implerent. Illud, *ecce,* significat repentinam illustrationem Prophetæ, qua prævidit auxilium Dei sibi non defuturum, et tam certo prævidit ut tanquam de re præsente dicat : « Ecce Deus adjuvat me ; » particula *enim*, vel ponitur pro *autem*, vel subintelligitur aliquid, hoc modo : Illi non proposuerunt Deum ante conspectum suum, ut facere debuissent : « ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ, » id est, ecce video Deum me adjuvantem, et suscipientem quasi in sinu suo custodiendam vitam meam, quam isti quærunt mihi eripere. Et vere repentinum et inopinatum fuit auxilium Dei; nam cum undique circumdedisset Saul exercitu suo Davidem, ut evadere non posset, repente venit nuntius ad Saulem, qui diceret Philistæos magno agmine se infudisse in regionem Saulis, quo nuntio coactus est Saul recedere a persequendo Davide, et fortasse orante Davide venit ille nuntius, et David, qui eum in spiritu præviderat, dicit: « Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ. »

Vers. 5. 5. AVERTE MALA INIMICIS MEIS, ET IN VERITATE TUA DISPERDE ILLOS.

Per imprecationem intelligitur prædictio, ut sæpe monuimus, et in hebræo legitur per modum prædictionis : sic enim ad verbum reddi possunt verba hebraica : *Revertetur malum inimicis meis;* nostra autem lectio facilior esset, si ita legeremus : *Averte mala a me ad inimicos meos.* Sed in eumdem sensum verba explicanda sunt. « Averte mala » quæ mihi impendent, a me, et converte illa ad inimicos meos. Quod quidem ita factum est; nam Saul Davidem persequebatur, et continuo factum est ut Philistæi persequerentur Saulem. Ita pericula, quæ imminebant a Saule Davidi, cœperunt imminere a Philistæis Sauli. Illud autem, *et in veritate tua disperde illos*, impletum est non diu postea; nam in montibus Gelboe periit Saul cum exercitu suo, in quo exercitu credibile est adfuisse, et similiter periisse illos, qui Davidem persecuti fuerant : *disperdere* enim hoc loco non significat *dissipare*, sed *omnino delere* et *exstinguere*, si vox hebraica consideretur. Vide lib. I *Reg.* cap. ult. Illud, *in veritate tua,* significat, *juxta promissiones tuas*, sive *secundum justitiam tuam*, qua reddis unicuique secundum opera sua, *Matth.* XVI.

Vers. 6. 6. VOLUNTARIE SACRIFICABO TIBI, ET CONFITEBOR NOMINI TUO, DOMINE, QUONIAM BONUM EST.

Videns Propheta se continuo exauditum, sive ex prænotione futuræ liberationis, sive ipso orante discesserit Saul propter pericula Philistinorum sibi denuntiata, gratias agit Deo, ac dicit : « Voluntarie sacrificabo tibi, » id est, promptissimo animo offeram sacrificium laudis; et idem aliis verbis repetens ait : « Et confitebor nomini tuo, » id est, confessionem laudis offeram tibi (nomen enim Dei pro ipso Deo ponitur), « quoniam bonum est. » Siquidem nomen Dei, pro re significata sumptum, id est, pro ipso Deo, res est omnium optima, ita ut Christus ipse dixerit : « Nemo bonus nisi solus Deus, » *Matth.* XIX, *Luc.* XVIII, *Marc.* X. S. Augustinus recte monet, occasione adverbii *voluntarie*, Deum esse diligendum propter seipsum amore puro, non tam propter præmium aliquod, quam propter ipsius Dei summam et ineffabilem bonitatem; quam dilectionem qui habet, non minus Deo sacrificat, eique confitetur in adversis, quam in prosperis, siquidem Deus non minus bonus est, cum nos flagellat, quam cum pascit et reficit.

Deus propter se diligendus.

Vers. 7. 7. QUONIAM EX OMNI TRIBULATIONE ERIPUISTI ME, ET SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS.

Ostendit ex effectu Deum esse bonum, quoniam tam cito exaudivit servum suum. « Quoniam, inquit, ex omni tribulatione eripuisti me, » id est, quoniam revelans mihi meam certam liberatio-

nem, jam in spe ex omni tribulatione liberasti me, « et super inimicos meos despexit oculus meus, » id est, et in eadem prænotione jam oculus meus vidit inimicos meos prostratos et consumptos : refertur enim hoc ad id, quod antea dixerat, « in virtute tua disperde illos. » Nisi forte placeat, ut supra indicavimus, ipso Propheta orante incœpisse ejus liberationem, recedente videlicet Saule propter nuntium allatum de adventu Philistinorum; tunc enim sensus erit: Quoniam ex omni præsenti tribulatione eripuisti me, et oculus meus vidit inimicos meos recedentes cum Saule duce ipsorum. Nam vox illa, *despexit*, non significat *contemptum*, sed simplicem visionem, ut perspicuum est ex hebraica voce *raathah*; verti enim potuisset : *Super inimicos meos respexit oculus meus*, id est, oculus meus libere et sine timore respexit inimicos meos. Vulgatus Interpres posuit *despexit*, ut significaret Davidem ex alto loco vidisse inimicos prostratos, aut recedentes, juxta duas expositiones indicatas. Vere enim David *despexit*, id est, deorsum aspexit inimicos suos, sive quia tunc erat in monte edito corporaliter, sive quia spiritus prophetiæ in altum illum evexerat, et ex alto divinæ revelationis inimicos suos vidit quasi jacentes in imo. Porro hic Psalmus quotidie in Ecclesia frequentatur ad horam primam, ut exemplo Davidis discamus adversus omnes persecutores armis orationis ad initium diei communiri, scientes quod « omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutiones assidue patiuntur, » II *Timo* III.

PSALMUS LV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V.— 1. *In finem, in carminibus, intellectus David.*

2. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam.

3. Intende mihi, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum, 4. a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates; et in ira molesti erant mihi.

5. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.

6. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.

7. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?

8. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

9. Exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.

10. Præcipita, Domine, divide linguas eorum; quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.

11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus, 12. et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.

13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.

14. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus :

V. S. H. — *Victori, in Psalmis, eruditio David.*

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despicias deprecationem meam.

Attende mihi, et exaudi me.

Humiliatus sum in meditatione mea, et conturbatus a voce inimici, a facie persequentis impii :

Quoniam projecerunt super me iniquitatem, et in furore adversabantur mihi.

Cor meum doluit in vitalibus meis, et terrores mortis ceciderunt super me.

Timor et tremor venit [al. *venerunt*] super me, et operuit me caligo.

Et dixi : Quis dabit mihi pennas columbæ, ut volem et requiescam.

Ut procul abeam, et commorer in deserto. SEMPER.

Festinabo [*h. festina*], ut salver a spiritu tempestatis et turbinis.

Præcipita, Domine, divide linguas eorum : quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die et nocte circumeuntes muros ejus : scelus et dolor in medio ejus. Insidiæ in vitalibus ejus, et non recedit de plateis ejus damnum et fraudulentia.

Non enim inimicus exprobravit mihi, ut sustineam : neque is qui me oderat, super me magnificatus est, ut abscondar ab eo.

Sed tu, homo unanimis meus [al. tac. *meus*], dux meus, et notus meus :

15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu.

16. Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes : quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

17. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

18. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.

19. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.

20. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.

21. Extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus; 22. divisi sunt ab ira vultus ejus : et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.

23. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo.

24. Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te, Domine.

Qui simul habuimus dulce secretum, in domo Dei ambulavimus cum terrore.

Veniat mors super eos, descendant in infernum viventes, quia nequitiæ in congregatione eorum, in medio eorum.

Ego ad Deum clamabo, et Dominus salvabit me.

Vespere et mane et meridie loquar, et resonabo, et exaudiet vocem meam.

Redemit in pace animam meam, ab appropinquantibus mihi : multi enim fuerunt adversum me.

Exaudiet [al. *audivit*] Deus, et humiliabit eos, qui judex est ab initio. SEMPER.

Non enim mutantur, neque timent Deum.

Extendit manus suas [al. *manum suam*] ad pacifica sua : contaminavit pactum suum.

Nitidius butyro os ejus, pugnat autem cor illius; molliores sermones ejus ab oleo, cum sint lanceæ.

Projice super Dominum charitatem tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu autem, Deus, deduces eos in puteum interitus : viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem fiduciam habeo tui.

Argumentum. — Ewaldo occasionem huic carmini dedisse videntur quæ, quo tempore res Judæorum ad finem vergebant (sæc. VII ante C.), Hierosolymitanam civitatem lacerabant discordiæ intestinæ : cf. vers. 10-12; sed cur hi versiculi non pertinerent ad I *Sam.* XXII, 2? Non est igitur cur titulo fidem denegemus. Juxta Hengstenberg, hic Psalmus nullum certum Davidis vitæ articulum respicit; sed potius sunt preces hominis probi a perditissimis et fallacissimis hominibus in summam angustiam adducti, quibus tamen in precibus Davides, mali non ignarus, multa meminit quæ sibi acciderunt, v. g. II *Sam.* XV. Cæterum strophæ tres : vers. 2-9, audi, o Jova, a perditissimis hominibus in tantas me adductum angustias, ut, si possem, aufugerem longissime; 10-16, plena est urbs violentia, certaminibus, nequitia, miseria, oppressione, fraude, estque inter eos a quibus injurias patior, niger aliquis, quocum arctissimum mihi vinculum fuit sanctioris necessitudinis; 17-24, quos perfidos, fraudulentos, sanguinolentos ut perdas enixe rogo, speroque firmiter te esse facturum.

1. Præcentori, fidibus *canendum*, maskil Davidis.

2. Audi, Deus, precationem meam,
et ne te abscondas a supplicatione mea.
3. Attende ad me, et exaudi me!
circumvagor in querela mea, et ejulatus edo :
4. Ob vocem inimici, ante (propter) oppressionem improbi;
nam declinare faciunt super me iniquitatem,
et in ira infestant me.
5. Cor meum dolore torquetur in pectore meo,
et terrores mortis ceciderunt super me.

6. Timor tremorque invadit me,
et operit me horror.
7. Et dixi : Quis dabit mihi pennas instar columbæ!
vellem avolare et habitare securus!
8. En, longissime fugerem,
commorarer in deserto.
9. Accelerarem evasionem mihi,
longe a vento rapido, a procella.

10. Absorbe, Domine, divide linguam eorum :
video enim violentiam et rixam in urbe.
11. Diu noctuque circumeunt (violentia et rixa) in muris ejus,
et iniquitas ac ærumnæ in medio ejus.
12. Injustitiæ (pravitates) in medio ejus,
nec recedit a platea (foro) ejus oppressio et fraus.
13. Non enim hostis *manifestus* probris me afficit :
alioquin ferrem;
non osor meus contra me fastuose agit :
alioquin absconderem me (caverem mihi) ab eo.
14. Sed tu, homo secundum æstimationem meam,
familiaris meus et notus meus;
15. Qui una dulcem iniebamus familiaritatem,
in domum Dei ibamus in *media* turba.
16. Desolationes (exitium) super illos!
descendant in orcum viventes (subito)!
nam prava sunt in domo eorum, in medio eorum.

17. Ego ad Deum clamare volo,
et Jova salvabit me.
18. Vespere, et mane, et meridie querelas effundam et ejulabor,
et audiet vocem meam.
19. Redemit (redimet) in pace animam (vitam) meam a pugna *quæ* mihi *erat*,
nam in multis (multi) sunt *pugnantes* mecum.
20. Audiet *me* Deus, et respondebit (pro me) eis,
Deus, qui solio sedet ab antiquo (æterno),
eis, quibus non sunt mutationes,
nec timent Deum.
21. Emittit (hujusmodi homo) manus suas (vim) in amicos suos,
Dissolvit (vel *profanat*) fœdus suum.
22. Læves sunt dulcedines oris ejus,
et bellum *est* cor ejus;
leniora sunt verba ejus oleo,
et illa *sunt* gladii stricti.
23. Projice in Jovam onus tuum,
et is sustentabit te :
non sinit in perpetuum nutare probo (probum).

24. Et tu, Deus, detrudes eos in foveam perditionis (orcum); viri sanguinum et fraudis non dimidiabunt dies suos.

NOTÆ.

Vers. 2. *Abscondas.* Latet in hoc verbo *anthropopathia,* deducta ab amico vel patrono, qui prævidens ab homine egeno se implorandum, non patitur se reperiri, sed sua quærit subterfugia. Cf. *Deut.* XXII, 1, 3, 4; *Isai.* LVIII, 7. — Vers. 3. Apte hisce verbis vates declarat inconditas voces et ululatus, vi summi doloris ipsi expressos, in quos erumpere pro priscorum hominum simplicitate nec heroibus dedecori erat. — Vers. 4. *Iniquitatem,* mala consilia in me, quasi torrentem in murum labefactandum, derivent. — Vers. 8. *Longissime fugerem,* propr. *elongabo fugere.* — Vers. 9. *Evasionem;* alii, *ad refugium* aliquod. *Longe a,* vel *ante* ventum et procellam, puta furorem et impetum hostium meorum. Alii, fugerem celerius *quam ventus,* etc. — Vers. 10. *Absorbe,* degluti, perde, puta eos e medio, sicut Dathanem et Abironem; vel potius *absorbe...* linguam, etc. *Linguam,* eorum consilia, ut ipsi inter se dissentiant : cf. *Gen.* XI, 7, 9. *Urbe,* Hierosolymis. — Vers. 11. *In muris... in medio,* i. e. in *tota* urbe. — Vers. 14. *Secundum æstimationem meam,* i. e. quem ego mihi ipsi æquiparo, meus *alter ego;* Maurer, *quem maximi putavi.* — Vers. 15. *Familiaritas* privata τῷ *turba* opponitur. Alexandrini vel acceperunt סוד pro סעד sive סעוד, vel סוד pro *conventu* quovis, atque sic etiam pro *convivio, symposio.* — Vers. 16. Pro *desolationes,* etc. Masorethæ legi jubent, *decipiat mors* et obruat *eos.* — Vers. 20. Pro *respondebit,* alii vertunt, *affliget. Mutationes,* in meliorem agendi rationem, ait Maurer; reciproca fides et amicitia, ait Ewaldus; quorum stationis in scelere vices non permutantur, ait Hengstenberg. — Vers. 22. Alii, *mollia sunt butyracea,* gall. *crèmes.* Pro *oris ejus,* potest verti, *quoad os ejus.* — Vers. 23. *Onus* : ita Hebræi; alii, *sortem.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, in carminibus, intellectus David.

In titulo nihil est, quod non sit alias explicatum. Argumentum esse volunt Sancti Patres Hilarius et Hieronymus de passione Christi; Euthymius et Theodoretus Psalmum exponi volunt de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis; S. Augustinus, de homine justo in tribulatione posito, sive de corpore Christi, quod est Ecclesia. Sed omnes expositiones admitti debent, aut certe possunt : nam quod de Davide Psalmus ad litteram recte exponatur, intelligi potest ex præcedente et sequente, et ex aliis multis, ubi disertis verbis ponitur in titulo, Psalmum esse compositum occasione talis vel talis persecutionis, quam David patiebatur; quod etiam David figuram Christi gesserit, et quod Psalmi fere omnes ad Christum principaliter pertineant, dubitari non potest, cum ipse Dominus aliquoties Psalmos de se scriptos allegaverit, et *Luc.* cap. ult. dixerit : « Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de me. » Denique quod exemplo Davidis omnis justus eodem modo orare possit, dubium esse non potest.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers 1. 1. EXAUDI, DEUS, ORATIONEM MEAM, ET NE DESPEXERIS DEPRECATIONEM MEAM; INTENDE MIHI, ET EXAUDI ME.

Incipit David quasi a procœmio, quo captatur benevolentia Judicis, ac petitur ut benigne et attente audire velit; ac primum dicit : « Exaudi, Deus, orationem meam. » Deinde ne forte oratio, vel persona orantis displiceat, utrumque commendat, ac de oratione dicit : « Ne despexeris deprecationem meam, » id est, humilem et supplicem precem meam: id enim proprie significat vox hebraica hoc loco posita; de persona vero orantis addit : « Intende mihi, et exaudi me,» id est, benigne me respice, et benignam aurem mihi porrige. Fortasse etiam ter eamdem orationem repetit, quia noverat Deum esse Trinitatem, et orationem dirigit ad Patrem, deprecationem ad Filium, personam orantis ad Spiritum Sanctum. Denique tertio idem aliis verbis orat, ut affectum et desiderium ostendat : quo modo et « Christus in horto eamdem orationem tertio repetivit, » *Matth.* XXVI, et Apostolus « ter Dominum rogavit, » II *Cor.* I. Deus Trinitas est.

2. CONTRISTATUS SUM IN EXERCITATIONE MEA, ET CONTURBATUS SUM A VOCE INIMICI, ET TRIBULATIONE PECCATORIS. Vers. 2.

Exponit nunc materiam orationis suæ, quæ est vehemens persecutio inimicorum, ob quam con-

tristabatur et conturbabatur, et a qua liberari desiderabat. In hebræo, pro voce *contristatus*, est verbum אריד *arid*, quod significat *flebo*, sive *ululabo*; sed futurum ponitur pro præterito, ut ex versione Septuaginta et S. Hieronymi perspicuum est; et pro voce, *in exercitatione mea*, est שיחי *sichi*, quod significat *meditationem*, et *submissa voce locutionem*. Itaque sensus est: Flevi dum exercerer cogitando, et mecum ipse conferendo miserias meas; quod idem est cum eo, quod nos habemus: « Contristatus sum in exercitatione mea. » Sed verba hebraica clariora sunt. Sequitur: « Et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris, » id est, non solum tristis fui, et flevi ob præsentes miserias, sed etiam timui futuras, « conturbatus a voce inimici, » comminantis longe pejora; « et a tribulatione, « quam minabatur peccator inimicus meus. Idem enim est a voce inimici, et a tribulatione peccatoris; nam inimicus peccator voce sua tribulationem minabatur innocenti. Istum autem inimicum peccatorem intelligere possumus, tum Saulem aut Absalonem respectu Davidis, tum Caipham et Annam respectu Christi, tum quemlibet persecutorem respectu hominis probi.

Vers. 3. 3. QUONIAM DECLINAVERUNT IN ME INIQUITATES, ET IN IRA MOLESTI ERANT MIHI.

Ostendit non vanam fuisse turbationem suam. « Quoniam » inimici « declinaverunt, inquit, in me iniquitates, » id est, projecerunt in me falsa crimina, convicia, calumnias, opprobria, ut exponunt SS. Patres Hilarius et Augustinus: ex quo intelligimus vocem *iniquitates* esse in casu accusandi, non in casu nominandi, ut nunc habent codices græci communiter. « Et in ira molesti erant mihi, » id est, et ob iram in me conceptam, molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed etiam factis me persequentes.

Vers 4. 4. COR MEUM CONTURBATUM EST IN ME, ET FORMIDO MORTIS CECIDIT SUPER ME.

Explicat magis in particulari, quod dixerat, « conturbatus sum: Conturbatum, inquit, est cor meum in me, » id est, in intimis meis, ubi sedes cordis est, conturbatus sum. In hebræo habetur clarius, *cor meum doluit in medio mei*. Et subjungit rationem, dicens: « Et formido mortis cecidit super me: » nulla enim res facilius ad intima descendit, et magis totum hominem turbat, quam mortis imminentis periculum. Hoc impletum fuisse in Davide, cum plorans fugeret a facie Absalon, et in Christo, dum in horto paveret, et sudorem sanguineum funderet, *Matth.* XXVI, *Luc.* XXII, notissimum est.

Periculum mortis hominem maxime turbat.

Vers. 5 5. TIMOR ET TREMOR VENERUNT SUPER ME, ET CONTEXERUNT ME TENEBRÆ.

Idem aliis verbis dicit, et quasi summatim omnia comprehendit: nam timor in anima erat, tremor in corpore, tenebræ autem mœroris totum hominem operuerant: sicut enim lætitia exhilarat et dilatat cor, sic etiam mœstitia constringit et obducit, ac per hoc tenebras facit; unde etiam qui mœrent tenebras quærunt, in cubicula se abdunt, fenestras claudunt.

6. ET DIXI: QUIS DABIT MIHI PENNAS, SICUT COLUMBÆ? ET VOLABO, ET REQUIESCAM. Vers. 6.

Verba sunt justi suspirantis ad patriam cœlestem, neque enim alibi vera requies invenitur, quasi dicat: O si nunc possim ad altissimos montes cœlestis Hierusalem confugere, quomodo columba potest pernicitate sua ungues accipitris evadere, vel quomodo columba tempore diluvii, « cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad manus Noe, atque ad arcam rediit, » *Genes.* VIII! Proprie autem justus columbæ comparatur, quæ innoxium est animal, fecundum, et simplex; et non pugnando, sed fugiendo vincit: sic enim et vir justus adversus tentationes accipitris Tartarei fugiendo potius quam disputando, vel altercando vincere solet.

Justus recte columbæ comparatur.

7. ECCE ELONGAVI FUGIENS, ET MANSI IN SOLITUDINE. Vers. 7.

Hæc satis apposite Davidi conveniunt, qui fugiens Saulem, et postea Absalonem, ad desertum se contulit, quasi dicat: Quia non datur mihi, ut instar columbæ ad locum veræ quietis ascendam, feci quod potui: nam « elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » Idem convenit cuilibet viro justo in tribulationibus posito, qui cum possit ad patriam commigrare, elongat se cogitatione a tumultibus sæculi, quantum potest, et ad solitudinem cordis et conscientiæ se transfert, ubi solus cum solo Deo colloquens, aliquantulam quietem invenit.

8. EXSPECTABAM EUM, QUI SALVUM ME FECIT A PUSILLANIMITATE SPIRITUS, ET TEMPESTATE. Vers. 8.

In ea solitudine, « exspectabam Deum, » id est, auxilium ejus, « qui me salvum fecit, » id est, qui alias salvum fecit, et salvum facere solet, « a pusillanimitate spiritus et tempestate, » id est, a parvo animo ad tolerandum, et a magna tentatione. Ubi conjunguntur duo, quæ mirum in modum amplificant necessitatem auxilii divini: nam si parvitati animi contingat parva tentatio, vel magno animo magna tentatio, æquale erit certamen; sed si cum parvitate animi jungatur magna tentatio, intolerabilis erit. Hoc igitur nunc dicit sibi accidisse, ac proinde petit a Deo, vel ut sibi addat vires, vel diminuat tentationem, vel (quod magis optandum est) utrumque faciat. Sed codices hoc loco sunt admodum varii; nam hebraicus habet ad verbum: *Festinabo, ut salver a spiritu concitato, a tempestate.* Græcus autem habet: *Exspectabam Deum, qui me salvum faceret a pusillanimitate et tempestate.* Noster autem Interpres videtur aliquid

ab hebræo, aliquid a græco accepisse; prima vox hebraica אחישה *achishah* significat *festinabo*, nec video quid legere potuerint Septuaginta, ut verterent *exspectabam;* ideo existimo illos vertisse non verba, sed sensum; nam *festinabo, ut salver*, bene cohæret cum *exspectabam salvantem Deum*, si quidem exspectabat salutem ex festinatione per orationem ad Deum, quomodo qui in fuga spem ponit, dicere potest: exspectavi salutem ex festinatione in currendo et fugiendo. Sic igitur vir justus, festinans ad Deum ferventi desiderio, orando et pulsando, exspectabat auxilium, quo salvus fieret. Illa vox, *Deum*, quæ est in græco, non est in hebræo, neque in Patribus, Hilario, Hieronymo, Augustino. Itaque videtur addita a posterioribus explicandi gratia. Illud autem, *a pusillanimitate spiritus*, facile colligitur ex hebræo, et concordatur cum græco; nam vox hebræa סערה *sohha*, non habetur nisi hoc loco, et communiter dicitur significare *concitationem*; unde S. Hieronymus vertit, *a spiritu tempestatis*, id est, a spiritu concitato; sed quia sequitur, *a turbine*, sive *a tempestate*, rectius dicemus spiritum concitatum hoc loco significare spiritum hominis metu concitatum et turbatum, quod idem est cum pusillanimitate spiritus: nam qui magno spiritu, vel animo sunt, non facile turbantur et concitantur, sed firmi ac stabiles permanent. Itaque sensus erit in hebræo, *festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate*, id est, a parvitate animi, *et a tempestate tribulationis*. In græco non nominatur spiritus, quia intelligitur in voce pusillanimitatis; idem est enim pusillus animus, et pusillus spiritus.

Vers. 9. 9. PRÆCIPITA, DOMINE, DIVIDE LINGUAS EORUM: QUONIAM VIDI INIQUITATEM, ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE.

Quia exspectabat salutem a Domino per orationem, orat Deum, ut impediat consilia hostium suorum. « Præcipita, inquit, Domine, » id est, præcipita in profundum inimicos meos; hoc enim significat vox hebræa בלע *balahh*, et græca καταπόντιζον: unde legit Augustinus, *demerge eos*. Deinde addit modum, quo velit illos præcipitari in exitium. « Divide, inquit, linguas eorum, » id est, fac ut qui contra me conspirarunt, non conveniant in consiliis, sed unus hoc, alius aliud judicet et loquatur; et vere sic accidit inimicis David: nam cum Absalon, capta civitate, consultaret de modo perdendi Davidem, varii varia consilia dederunt: infatuavit autem Deus consilium Achitophelis, quia inspiravit Absaloni, ut consilium ejus non sequeretur, inde deteriore consilio electo rem male gesserunt et plurimi eorum perierunt. Itaque ex divisione linguarum in præcipitium acti sunt; vide lib. II *Reg.* cap. XVII et XVIII. Sequitur: « Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate. » Hæc etiam satis apposite exponuntur de Davide, qui viderat in civitate sua Hierusalem proditionem iniquissimam adversus personam suam, et rebellionem manifestissimam, quæ significata est nomine *contradictionis*, quia contradicebant ejus imperio, cum Absalonem in regem elegissent. Possunt etiam exponi hæc omnia de Christo, ut exponit S. Hilarius; nec non de viro justo, qui persecutionem injustam patitur, et contradictionem a civibus Babyloniæ, id est, ab amatoribus mundi, qui semper persequuntur et odio habent eos, qui de mundo non sunt, sed ut hospites et peregrini in mundo sunt.

Vers. 10. 10. DIE AC NOCTE CIRCUMDABIT EAM SUPER MUROS EJUS INIQUITAS: ET LABOR IN MEDIO EJUS, ET INJUSTITIA.

Vers. 11. 11. ET NON DEFECIT DE PLATEIS EJUS USURA, ET DOLUS.

Pergit describere iniquitatem civitatis, a qua ipse persecutionem patiebatur, ac mirabili modo loquendi dicit iniquitatem, quasi armatum militem obtinuisse muros ejus, ut justitia non posset accedere. « Die, inquit, ac nocte, » id est semper, « circumdabit eam super muros ejus iniquitas, » id est, iniquitas super muros ejus consistens circumdabat eam instar custodiæ militaris; « et labor in medio ejus, et injustitia, » id est, et interim intus in ipsa civitate nihil aliud erat, nisi labor miserorum, et injustitia potentiorum, dum secure et libere injusti divites et potentes opprimerent pauperes et imbecilles. « Et non defecit de plateis ejus usura et dolus, » id est, et oppressio illa partim erat manifesta, dum in ipsis plateis exigerent usuras divites a pauperibus; partim occulta, dum variis dolis et insidiis eos circumveniebant et vexabant. Hæc conveniebant quidem Jerosolymæ tempore Davidis, sed multo magis tempore Christi, et multo maxime conveniunt Babyloniæ, id est, amatoribus mundi hujus, in quo regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

Vers. 12. 12. QUONIAM SI INIMICUS MEUS MALEDIXISSET MIHI, SUSTINUISSEM UTIQUE.

Ver. 13. 13. ET SI IS, QUI ODERAT ME, SUPER ME MAGNA LOCUTUS FUISSET, ABSCONDISSEM ME FORSITAN AB EO.

Vers. 14. 14. TU VERO, HOMO UNANIMIS, DUX MEUS, ET NOTUS MEUS.

Vers. 15. 15. QUI SIMUL MECUM DULCES CAPIEBAS CIBOS, IN DOMO DEI AMBULAVIMUS CUM CONSENSU.

Posteaquam conquestus est David de tota civitate et populo, conqueritur nunc de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel, si Psalmus exponatur de Davide: Judas autem, si exponatur de Christo: quivis alius falsus amicus, si de homine justo generatim accipiatur. Ait igitur: « Si inimicus » aliquis manifestus « maledixisset mihi, » æquo animo tulissem, quia inimicus

solet id facere, et non est mirum, si faciat. « Et si is qui oderat me, » ita ut profiteretur manifestam inimicitiam mecum, magna aliqua convicia, vel magnas calumnias de me locutus fuisset, « ego forsan abscondissem me ab eo, » ut ejus iracundiam mitigarem, et ne darem occasionem majorum conviciorum. Sed a te abscondi non poteram, neque unquam ejusmodi proditionem a te exspectassem, quoniam « tu homo unanimis » videbaris, id est, amicissimus meus, et unum cor, et unam animam mecum habens. Item « dux meus, » id est, consiliarius meus primarius, cujus ego sententiam in rebus agendis semper sequebar. Erat enim Achitophel consiliarius Davidis, et talis consiliarius, ut consulere Achitophelem idem fere esset, ac Deum consulere, ut dicitur II *Reg.* XVI. Sed si exponatur Psalmus de Juda, dicetur Judas *dux Christi*, quia a Christo dux fuerat constitutus populorum cum aliis Apostolis, juxta illud *Psalm.* XLIV : « Constitues eos principes super omnem terram. » Item « notus meus, » id est, familiaris et commensalis, « qui simul mecum dulces capiebas cibos : » dicuntur autem dulces cibi, quia amicitia convivarum eos facit dulciores : nam in hebræo ad litteram habetur, *qui simul dulces faciebamus cibos.* Sed S. Augustinus, per *dulces cibos,* intelligit Eucharistiam, quam Judas cum Christo in ultima cœna gustavit; qui cibus omnem habet saporum suavitatem. Denique non solum unanimis, et notus, et commensalis in rebus politicis et domesticis, sed ejusdem sententiæ in sacris cæremoniis : « Ambulavimus enim in domo Dei cum consensu, » id est, non fuit inter nos ulla dissensio in actionibus, quæ ad cultum Dei pertinebant. In hebræo pro *cibos*, est סוד *sod*, quod *secretum*, non *cibum*, significat. Sed credibile est Septuaginta Interpretes non habuisse in suis codicibus סוד *sod*, sed ציד *tsed*, quod *escam* significat; et magis cohæret dulcedo cum cibis, quam cum secreto : capere enim dulces cibos, rectius dicitur, quam capere dulce secretum. Illud etiam, *cum consensu*, ex hebræo S. Hieronymus vertit, *in terrore*. Sed fortasse S. Hieronymus non habuit in suo codice רגש *raghes*, ut nos habemus, quod significat *conjunctim;* sed habuit רגז *raghez*, quod *terrorem* significat : nostra lectio convenit cum hebraico et græco codice.

Judas quomodo dicatur dux Christi?

Vers. 16. 16. VENIAT MORS SUPER ILLOS, ET DESCENDANT IN INFERNUM VIVENTES.

Imprecatur, seu potius prædicit per formam imprecationis, eam pœnam quam juste dederunt Dathan et Abiron, *Numer.* cap. XVI. Qui seditionem et schisma facientes, vivi a terra dehiscente absorpti sunt: qui quidem « viventes perierunt, » id est, videntes se absorberi, et vivos sepeliri, perierunt. Hoc impletum est in iis qui Davidem, Absalone duce, persequebantur : nam « plurimos eorum saltus consumpsit, non gladius, » ut dicitur II *Reg.* XVIII. Impletum quoque est in Judæis, qui in obsidione Jerosolymæ viventes et videntes peribant, vel fame cadentes in plateis, vel ex muris se dejicientes, vel in foveis delitescentes; denique impletur in plurimis impiis, qui vident apertissimam veritatem, et sponte oculos claudunt; vel non ignorant in eo statu, in quo versantur, se salvos esse non posse, et tamen scientes et volentes in eo ad mortem usque perseverant.

17. QUONIAM NEQUITIÆ IN HABITACULIS EORUM, IN MEDIO EORUM. Vers. 17.

Hæc est ratio tam severæ imprecationis; juste enim absorbentur viventes a terra, ut perpetuo habitent cum pœnis, qui elegerunt habitare cum vitiis : nam « nequitiæ in habitaculis eorum, » et non in habitaculis vacuis, sed « in medio eorum, » id est, cum ipsis in eisdem habitaculis commoratæ sunt.

18. EGO AUTEM AD DEUM CLAMAVI, ET DOMINUS SALVABIT ME. Vers. 18.

19. VESPERE, MANE, ET MERIDIE NARRABO ET ANNUNTIABO; ET EXAUDIET VOCEM MEAM. Vers. 19.

Prædixit interitum inimicis : nunc sibi salutem prædicit. « Ego, inquit, clamavi ad Dominum, » ardenti oratione, et ipse « salvabit me » a periculo in quo versor; et deinceps clamabo non semel, sed etiam secundo et tertio, videlicet *vespere, mane et meridie*, narrando et annuntiando ærumnas meas et misericordias Domini; et ipse Dominus « exaudiet » me. Consuetudo ter in die orandi legitur etiam apud Danielem, cap. VI, fortasse in honorem sanctissimæ Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Cur autem dicatur *vespere, mane et meridie*, et non potius, *mane, meridie et vespere*, ratio esse videtur, quoniam secundum legem « festa celebrabantur a vespera ad vesperam, » ut dicitur *Levit.* XXIII; proinde primum tempus orationis erat vespertinum : quod etiam nunc observat Ecclesia, quæ incipit officia divina a primis vesperis.

Consuetudo ter orandi in die in honorem S. Trinitatis.

20. REDIMET IN PACE ANIMAM MEAM AB HIS QUI APPROPINQUANT MIHI : QUONIAM INTER MULTOS ERANT MECUM. Vers. 20.

Explicat in quo sit exaudiendus a Deo. « Redimet in pace, » id est, ad pacem restituet, « animam meam, » id est, vitam meam, « ab his qui appropinquant mihi, » id est, qui de propinquo adversus me dimicant, « quoniam inter multos erant mecum, » id est, quoniam multi erant dimicantes mecum, sive multi erant adversum me unum, sive in magna multitudine erant qui mecum pugnabant. Hunc existimo sensum esse hujus obscurissimi loci cum S. Hieronymo in versione sua ex hebræo. Itaque sententia erit : Deus liberabit vitam meam, transferendo eam a prælio appropinquantium contra me, ad optatam

pacem, et id faciet ea ratione, quoniam iniquum erat ut multi contra me unum pugnarent. Quod si hoc duriusculum videatur, poterit cum Euthymio ita exponi : « Redimet in pace, » id est, sine labore meo, « animam meam, » id est, vitam meam, « ab his qui appropinquant mihi, » ut mihi noceant, quoniam isti ipsi antea inter multos alios erant mecum : proinde proditorie et injuste contra me pugnabant, qui paulo antea in meis castris militabant. Impletum est hoc in Davide, qui in prælio contra Absalonem sine labore vicit, quia domi remansit, ut dicitur II *Reg.* XVIII. Impletum quoque est in Christo, qui liberatus est a morte per resurrectionem omnino in pace, et sine labore.

Vers. 21. 21. EXAUDIET DEUS, ET HUMILIABIT ILLOS, QUI EST ANTE SÆCULA.

« Exaudiet, » inquit, me, qui oppugnor injuste, « et humiliabit eos, » qui me oppugnant, is « qui est ante sæcula, » id est, Deus creator sæculorum. In hebræo significantius habetur : *Qui sedet ab initio*, id est, qui ab initio mundi judex sedet omnium hominum, is judicabit pro me, et condemnabit adversarios meos.

Vers. 22. 22. NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO, ET NON TIMUERUNT DEUM : EXTENDIT MANUM SUAM IM RETRIBUENDO.

Merito, inquit, humiliabit illos justus Judex, quia « non est illis commutatio; » obdurati enim sunt, neque pœnitet eos sceleris sui; « et non timuerunt Deum, » sed magis homines reveriti sunt, ideo Deus « extendit manum suam in retribuendo » singulis prout merebantur. Non desunt, qui illud, *non est illis commutatio*, volunt debere exponi : Non est illis redditio vicissitudinis, et hanc esse vim græcæ vocis. Sed vox hebraica non potest accipi pro redditione vicissitudinis : nam S. Hieronymus recte vertit, *non mutantur*, et similiter reddidit Symmachus, Theodoreto teste : proinde si velimus concordare codicem græcum cum hebraico, oportet vocem illam ἀντάλλαγμα accipere hoc loco pro commutatione hominis a vitio ad virtutem, non pro permutatione unius rei cum altera; et potest ita accipi, ut communiter accipiunt Interpretes tum græci, tum latini, quia vox illa generalis est.

Vers. 23. 23. CONTAMINAVERUNT TESTAMENTUM EJUS, ET DIVISI SUNT AB IRA VULTUS EJUS : ET APPROPINQUAVIT COR ILLIUS.

Hic versiculus obscurissimus est propter mutationes numeri singularis in numerum multitudinis. In hebræo habetur in singulari : *Contaminavit testamentum ejus, diviserunt*, sive *molliverunt præ butyro os suum*, vel *os ejus*; sed cum dicitur, *contaminavit*, potest exponi, *contaminavit unusquisque testamentum ejus*, quod est idem cum illo, *contaminaverunt testamentum ejus*. Illud etiam, *præ butyro*, si legatur vox hebraica חמהורת *chamahoth*, per ה, non per א, significabit *præ ira*, vel *ab ira*, ut vertunt Septuaginta Interpretes. Illud etiam, *diviserunt*, potest etiam significare, *divisi sunt* : nam utramque significationem habet vox חלקו *chalecu*; sensus igitur hic erit : Deus juste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis meis, quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem, sed magis ac magis contaminaverunt testamentum, sive pactum ejus, malis suis operibus, prævaricando leges ejus : propterea « divisi sunt, » hoc est, dispersi ac dissipati sunt ab ira vultus Dei, « quia appropinquavit cor illius, » Dei videlicet, ad eos puniendos.

Vers. 24. 24. MOLLITI SUNT SERMONES EJUS SUPER OLEUM, ET IPSI SUNT JACULA.

Redit ad malitiam præcipui proditoris, qualis fuit Achitophel respectu Davidis, et Judas respectu Christi. « Molliti, inquit, sunt sermones ejus super oleum, » id est, præ oleo; et tamen ipsi sermones ejus non sunt verba, sed jacula, sive lanceæ; delectant aures, feriunt corda : tales sunt omnes occultæ detrectationes, omnes blanditiæ meretricum, omnes persuasiones hæreticorum, omnes proditorum simulationes.

Vers. 25. 25. JACTA SUPER DOMINUM CURAM TUAM, ET IPSE TE ENUTRIET : NON DABIT IN ÆTERNUM FLUCTUATIONEM JUSTO.

Consolatur Propheta in fine Psalmi se, et sui similes, atque exhortatur ad fiduciam totam in Domino collocandam, qui sine dubio sollicitus est pro servis et amicis suis, ut S. Petrus admonet in I *Epist.* cap. V : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis : » quod ipsum copiose, et multis exemplis allatis Christus ipse monet, *Matth.* VI. Quæ non eo pertinent, ut otiose vivamus, et de victu quærendo solliciti nullo modo simus, sed ut non anxie et perturbate vivamus, ac ut præcipuam spem et fiduciam non in nostris viribus, vel industria, sed in Dei misericordia et providentia collocemus. « Jacta, » inquit, o anima mea, et quisquis es timens Deum, « in Dominum curam tuam, » id est, relinque providentiæ divinæ curam eorum, quæ tibi necessaria sunt ad vitam, sive sustentandam, sive protegendam; « et ipse te enutriet, » ipse tibi de necessariis omnibus providebit, benedicens laboribus manuum tuarum, et prosperans omnia opera tua; nec solum enutriet te, sed etiam defendet ab inimicis, et si aliquandiu fluctuari justum permiserit ad probandam patientiam, sive defectu rerum necessariarum ad vitam, sive persecutionibus impiorum : tamen hæc non diu durabunt, quia non permittet Deus justum in æternum ærumnarum fluctibus agitari : æterna enim tribulatio solis impiis reservatur, ut dicitur in sequenti versiculo.

Æterna tribulatio solum impiis reservatur.

Vers. 26. 26. Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.

Impios videlicet, tu Deus judex deduces in puteum mortis, unde nunquam emergere poterunt. Puteus interitus est ipsa gehenna. Vocatur autem *puteus interitus* ipsa gehenna ignis æterni, in qua qui decidunt, perpetuo moriuntur; vivunt enim semper in pœnis, ut semper moriantur, et mortis finem, quem cupiunt, nunquam inveniant.

Vers. 27. 27. Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te, Domine.

Non solum viri, qui insidiantur sanguini, præcipitabuntur in puteum mortis æternæ, sed etiam hic in terris non diu vivent : justum enim judicium est, ut qui vitam eripiunt, vitam perdant. Sic enim Deus ait *Genes.* ix : « Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius ; » et Dominus *Matth.* xxvi : « Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. » Sed hæc omnia testimonia tum Psalmi hujus, tum Genesis et Evangelii, non significant omnes omnino, qui occidunt, esse occidendos; sed eos tantum, qui injuste occidunt, et eos præcipue, qui ex insidiis occidunt : illi enim proprie sunt viri sanguinum et dolosi. Deinde neque significant omnes omnino, qui ex insidiis occidunt, gladio perituros, sed ut plurimum fieri, ut occidantur vel a judice, vel ab hostibus, vel a se ipsis, vel a casu aliquo, qui tamen respectu Dei non sit casus, sed dispositio providentiæ ipsius. Denique illud, *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendum mathematice, id est, nimis subtiliter; sed est modus loquendi, quo vitæ brevitas significatur. Quod autem quidam objiciunt ex *Psalm.* lxxii : « Et dies pleni invenientur in eis, » non impedit veritatem hujus versiculi; nam S. Hilarius hoc loco scribit, verba illa intelligi de justis, hæc de iniquis : quod si etiam quis contendat, utraque intelligi de peccatoribus, responderi poterit illud non dici de viris sanguinum et dolosis, sed de aliis peccatoribus, vel de paucis quibusdam, qui interdum extra communem regulam diu vivere permittuntur. Concludit Propheta illis verbis sibi valde familiaribus : « Ego autem sperabo in te, Domine, » quæ videntur referenda ad omnia supra dicta, ut sensus sit : Ego autem, tum ut liberer a proditoribus, qui sunt hostes occulti; tum ut evadam inimicos manifestos; tum ut non incidam in pœnas impiorum, ut non cadam in puteum interitus, ut dies mei in medio cursu non deficiant : sperabo in te, Domine, non in viribus meis

Viri sanguinum sunt qui ex insidiis occidunt.

PSALMUS LVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *In finem. 1. Pro populo, qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

2. Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me.

3. Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.

4. Ab altitudine diei timebo : ego vero in te sperabo.

5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.

6. Tota die verba mea execrabantur : adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.

7. Inhabitabunt, et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, 8. pro nihilo salvos facies illos : in ira populos confringes.

Deus, 9. vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,

Sicut et in promissione tua. 10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum.

V. s. h. — *Victori, pro columba muta, eo quod procul abierit David humilis, et simplex, quando tenuerunt eum Palæstini in Geth.*

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die pugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me insidiatores [*h. decantatores*] mei tota die : multi enim qui pugnant contra me, Altissime.

Quacumque die territus fuero, ego [al. tac. *ego*] in te confidam.

In Deo laudabo verbum ejus [al. tac. *ejus*], in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die sermonibus me affligebant : contra me omnes cogitationes eorum in malum.

Congregabuntur abscondite, ipsi [al. tac. *ipsi*] plantas meas [*h. calcaneos meos*] observabunt : exspectantes animam meam.

Quia nullus est salvus in eis : in furore populos detrahe, Deus.

Secretiora mea [*h. motum meum tu*] numerasti, pone lacrymam meam in conspectu [*h. utre*] tuo, sed non in narratione tua.

In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem; in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi homo.

12. In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.

13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero : hoc scio, quia Deus meus es [al. add. *tu*].

In Deo laudabo verbum : in Domino prædicabo [*h. laudabo*] sermonem.

In Deo speravi : non timebo quid faciat mihi homo. In me sunt, Deus, vota tua : reddam gratiarum actiones tibi.

Quia liberasti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut ambulem coram Deo in luce viventium.

Argumentum. — Strophæ tres, quarum prima vers. 2-5, et secunda vers. 6-12, canit mala quæ patiatur vates ab adversariis vitæ suæ insidiantibus, ac spem quam repositam habet in Jova; tertia vers. 13-14, liberati a periculo gratias refert.

1. Præcentori, de columba muta remotorum, Davidis carmen mysticum, cum comprehenderunt eum Philistæi in Geth.

2. Miserere mei, Deus;
nam inhiat mihi homo,
toto die pugnans premit me.
3. Inhiant insidiatores mei toto die,
nam (sane) multi *sunt* bellantes mihi insolenter.
4. Quo die timeo,
ego in te fiduciam colloco.
5. De Deo glorior, de verbo ejus;
in Deo fiduciam colloco, non timeo :
quid faciet caro mihi?
6. Quotidie res meas affligunt;
contra me omnia eorum cogitata in malum.

7. Conveniunt, abscondunt *laqueos mihi;*
ipsi calcaneos (vestigia) meos observant,
quandoquidem insidiantur vitæ meæ.
8. Propter malitiam *eorum* demitte in illos *fulmen,*
in ira *tua* gentes dejice (sterne), Deus.
9. Fugam meam (fugæ meæ gressus) numerasti;
pone lacrymas meas in utre tuo :
nonne in libro tuo consignatæ sunt?
10. Tunc convertentur retrorsum hostes mei, in die quo invocavero:
hoc scio, Deum esse pro me.
11. De Deo glorior, de verbo *ejus;*
de Jova glorior, de verbo *ejus.*
12. In Deo fiduciam colloco, non timeo :
Quid faciet homo mihi?

13. Super me, Deus, vota tua;
solvam eucharistica *sacrificia* tibi.

14. Nam liberasti animam meam a morte;
nonne pedes meos (liberasti) ab impulsione *ad lapsum*,
ut ambulem coram Deo in luce viventium?

NOTÆ.

Vers. 1. cf. I *Sam.* XXI, 10. *Remotorum*, puta hominum, exsulum; alii, a locorum. Rosenmullero placet Aben-Esræ sententia, verba *de columba muta*, etc., initium esse carminis, ad cujus modulos David hunc Psalmum composuit. Juxta Hengstenberg, tituli prima pars allegorica est, quam deinde secunda pars declarat. Columba, quum sit innocentiæ inermis symbolum, est Davides; muta dicitur eo sensu quo *Ps.* XXXVIII, 14; *remotorum*, id est, inter homines remotos, extraneos. *Carmen mysticum* : conf. argumentum *Ps.* XVI.— Vers. 2. *Homo*, collective positum. *Pugnans* : alii, *vorator*, ob parallelismum. — Vers. 3. *Insolenter* : alii, *erecta*, puta fronte : non male. —Vers. 5. *Verbo*, puta *lege*, ait Maurer; alii : auxilio promisso; quidam, hoc sensu : mea in Deum fiducia efficiam ut appareat ejus in promissis fidelitas; vertitque, *in Deo glorificabo sermonem ejus. Caro*, homo imbecillis : cf. *Isai.* XXXI, 3. — Vers. 6. *Affligunt*, i. e. impediunt; Hengstenberg, *verba mea affligunt*, i. e. in pravum sensum intorquent. — Vers. 7. Pro *conveniunt*, Maurer *deflectunt a via*, i. e. delitescunt. *Abscondunt* sese ad insidias, juxta multos. *Insidiantur*, proprie *attendunt ad animam meam*; alii, *exspectant*, vel *sperant*. — Vers. 8. Maurer cum multis, *in malitia sua*, ut sperant, est *liberatio eis*. Alii : *Cum* tanta *malitia* num fiet *liberatio eis?* nequaquam. — Vers. 9. *Nonne*, certe. — Vers. 13. *Super me*, i. e. meum jam est solvere vota tibi facta. — Vers. 14. *Ambulare coram Deo* est vitam Deo placentem agere. *In luce viventium*, inter vivos.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro populo, qui a Sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

In hoc titulo habetur primo materia, sive argumentum Psalmi; deinde auctor, et excellentia Psalmi. Sed hæc omnia pendent ex historia, quæ habetur lib. I *Reg.* cap. XXI, ubi scribitur Davidem fugisse a Saule, qui eum quærebat ad necem; et pervenisse ad Achis regem Geth Philistæum : sed cum a Philistæis agnitus fuisset, et detentus tanquam hostis ipsorum, simulasse insaniam et furorem, et eo modo e manibus eorum elapsum venisse in speluncam quamdam, ibique ad eum congregatum fuisse populum quadringentorum hominum exulum et miserorum. Ex hac historia colligimus populum elongatum a Sanctis, pro quo scribitur Psalmus, esse populum illum quadringentorum exulum, qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant, sed cum Davide huc atque illuc vagabantur : et hoc est argumentum Psalmi, deploratio miseriarum Davidis et populi ejus. Auctor et excellentia Psalmi continetur in illis verbis : *David in tituli inscriptionem* : nam tituli inscriptio, ut intelligi potest voce græca στηλογραφία, est inscriptio incisa in columna ad æternam memoriam. Sensus igitur est : Psalmus Davidis scriptus ab eo, quasi incisus in columna, ad memoriam sempiternam. Denique occasio scribendi fuit illa evasio de manibus Philistinorum per simulatam stultitiam, quando tenuerunt eum Allophyli, id est, Philistæi in Geth. S. Hieronymus ita vertit hunc titulum : *Pro columba muta, eo quod procul abierit David simplex et humilis, quando tenuerunt eum Philistæi in Geth.* Quæ versio satis convenit cum verbis hebraicis, ut nunc habentur in Bibliis; et pro columba muta, intelligitur idem David, qui obmutuit, quando stultum se finxit. Cæterum Septuaginta Interpretes, viri doctissimi, sine dubio recte verterunt, quod in libris hebraicis invenerunt. Ideo dicendum est, per columbam, quæ legitur in hebræo, illos intellexisse populum, et vertisse sensum, non verba. Sæpe enim in Scripturis populus per columbam significatur. Per vocem אלם *ellem*, quod significat *mutam*, illi verterunt, *a Sanctis*, quia habuerunt in suo codice inverso modo easdem litteras, מאל *meel*, quod est *a Deo*, et per *Deum* intellexerunt arcam Dei; et, ut clariorem sensum redderent, verterunt, *a Sanctis*, id est a sanctuario, ubi erat arca Dei. Per vocem מכתם *mictham*, quam S. Hieronymus vertit *simplicem*, et *humilem*, ipsi verterunt *inscriptionem tituli*, quia legerunt מכתב *micthab* quod *inscriptionem* significat. S. Hilarius et S. Augustinus totum Psalmum de Christo exponunt, qui per Davidem figuratus est; et per tituli inscriptionem S. Augustinus titulum Crucis intelligit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. MISERERE MEI, DEUS, QUONIAM CONCULCAVIT ME HOMO : TOTA DIE IMPUGNANS TRIBULAVIT ME.

Incipit ab oratione, et misericordiam postulat, quoniam miseriam suam agnoscebat : patiebatur enim indignam persecutionem Saulis, et cum ab ea declinare vellet, incidit in graviorem Philistinorum; et ab utraque ad tempus liberatus, in

spelunca interim exul et inops delitescebat. « Miserere, inquit, mei, Deus, » qui miserorum unicum soles esse refugium. « Quonlam conculcavit me homo, » id est Saul; dicit autem *homo*, potius quam *Saul*, ut opponat hominem Deo, quasi dicat : Tu, Deus, miserere, quandoquidem homo est, qui me tribulat; cœlum aspicio, dum a terra despicior; ad Dominum confugio, dum conservus me persequitur. « Tota die impugnans tribulavit me, » hoc est, non semel mihi nocuit, sed omni tempore mihi molestus fuit, neque me unquam quiescere passus est. Hæc verissima esse intelliget, qui legerit primum librum Regum. Neque difficile erit hæc omnia ad Christum applicare, qui propter nos factus est homo, et tamen homo semper eum impugnavit, et tribulavit a nativitate usque ad sepulturam, et postea corpus ejus, quod est Ecclesia, impugnare et tribulare non cessat, neque ad diem usque judicii cessabit. Significatur autem nomine hominis, cum dicitur : « Conculcavit me homo, » vel diabolus, qui in Evangelio *Matth.* XIII dicitur « inimicus homo, » vel ipsum genus humanum, quatenus spiritu Dei caret, et nihil est nisi homo, juxta illud I *Corinth.* II : « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Et paulo infra : « Nonne homines estis? » unde et Dominus, *Matth.* XVI, distinguit Apostolos ab hominibus, cum dicit : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? et vos autem, quem me esse dicitis? »

Christo hæc accommodari possunt

Vers. 2. 2. CONCULCAVERUNT ME INIMICI MEI TOTA DIE : QUONIAM MULTI BELLANTES ADVERSUM ME.

Non solus Saul, sed omnes servi ejus Davidem persequebantur, et conterere nitebantur. Nec solus diabolus, sed omnes ministri ejus adversus Christum et Ecclesiam bella gerebant, et gerunt.

Vers 3. 3. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO : EGO VERO IN TE SPERABO.

Hic variant hebræa et græca; nam in hebræo conjungitur altitudo cum versiculo superiore, hoc modo : *Multi bellantes adversum me altissime;* et deinde sequitur alter versiculus : *Deum timebo, ego in Deo confidam.* Sed de hac distinctione Judæorum parum laboramus, quoniam in textu antiquo nulla erat distinctio. In græcis codicibus additur negatio, hoc modo : « Ab altitudine diei *non* timebo; » et sic etiam legit S. Hilarius. Sed nostram lectionem approbat S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam*, ubi dicit negationem esse superadditam; et in commentario hujus Psalmi utramque lectionem explicat. Igitur sensus est : Ego tametsi tam multos habeam inimicos, tamen non ab illis timebo, sed « ab altitudine diei timebo » id est, a divinis judiciis timebo, quæ procedunt, ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat, etiam intima cordium; sed cum timore spem quoque adjungam: ego enim, qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam in tua misericordia et bonitate confidam.

Vers. 4. 4. IN DEO LAUDABO SERMONES MEOS, IN DEO SPERAVI : NON TIMEBO QUID FACIAT MIHI CARO.

Explicat clarius fiduciam suam et rationem fiduciæ. Deus enim per Samuelem olim promiserat Davidi regnum; nam lib. I *Reg.* cap. XIII, dicit Samuel de Davide : « Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum, et præcepit ei ut esset dux super populum suum; » ac deinde eodem lib. cap. XVI, jussit eum inungi in medio fratrum ejus. Hæc igitur promissio erat causa fiduciæ, et de hoc dicit : « In Deo laudabo sermones meos, » id est, fretus auxilio Dei, laudabo aliquando promissiones mihi factas a Deo, tanquam verissimas, quando videlicet completæ fuerint. « In Deo speravi, » ad implendas scilicet ejus promissiones; et ideo « non timebo quid faciat mihi caro, » id est, non timebo minas et persecutiones inimicorum meorum, qui caro sunt, id est, infirmi et fragiles, si cum Deo, qui mihi salutem et regnum promisit, comparentur. In hebræo habetur, *laudabo verbum ejus*, sed non repugnat nostræ lectioni, quæ habet, *sermones meos*, siquidem illæ promissiones erant Dei, quia ille promiserat, et erant Davidis, quia illi promiserat. Potest etiam fieri ut Septuaginta Interpretes non legerint דברו *debaro, verbum ejus*, sed דברי *debari, verbum meum;* sola enim differentia consistit in una minima littera. Non erit difficile de Christo exponere hunc versiculum, siquidem Angelus promittens Virgini, ait : « Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, » etc.; et ipse Christus verissime dicere potuit : « Non timebo quid faciat mihi caro. »

Vers. 5. 5. TOTA DIE VERBA MEA EXECRABANTUR, ADVERSUM ME OMNES COGITATIONES EORUM IN MALUM.

Redit ad explicandam malitiam adversariorum suorum, ac dicit eos toto tempore, quo apud illos fuit, non cessasse vituperare omnia verba et facta ejus, et excogitare quomodo eum perderent, quod non minus convenit in scribas et pharisæos calumniantes verba et opera Christi, et consilia agitantes de morte ejus, quam in Saulem et ministros ejus erga Davidem. Dixit autem verba et opera, quia vocabulum *verbi* apud Hebræos et *verba* et *opera* significat.

Vers. 6. 6. INHABITABUNT, ET ABSCONDENT : IPSI CALCANEUM MEUM OBSERVABUNT.

Addit aliam malam adversariorum suorum qualitatem. « Inhabitabunt, inquit, et abscondent, » id est, simul habitare solebant mecum, tanquam amici et contubernales; et interim abscondebant se, et tecte atque occulte machinabantur dolos. « Et calcaneum meum, » id est, gressus meos, actiones meas « observabant, » ut

me ad casum impellerent. Hæc enim erga Davidem ministri Saulis, et erga Christum Judæi faciebant. Quamvis autem verba, *inhabitabunt* et *abscondent*, sint futuri temporis, tamen apud Hebræos pro præterito, ac præsertim pro imperfecto præterito frequenter accipiuntur. S. Hieronymus ex hebræo vertit, *congregabuntur;* sed vox hebraica יגודו *iagudu* a Septuaginta lecta est יגורו *iaguru*, per ר, non per ד.

Vers 7. 7. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAM MEAM, PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS : IN IRA POPULOS CONFRINGES.

Prædicit nunc ruinam adversariorum suorum, justo judice Deo illis reddente, quod proximo suo facere cogitaverunt. « Sicut, inquit, sustinuerunt animam meam, » id est, sicut in abscondito observantes exspectaverunt vitam meam, ut eam perderent : ita tu Deus, « pro nulla re eos salvos facies, » id est, nullo modo salvabis, sed « in ira tua populos illos confringes, » et ad internecionem persequeris. Hoc impletum est in hostibus Davidis, qui cum Saule rege simul interierunt in montibus Gelboe, ut dicitur lib. II *Reg.* cap. ult. Impletum est quoque in hostibus Christi, qui consumpti fuerunt in obsidione Jerosolymæ a Romanis, et reliquiæ dispersæ inter gentes; sed multo magis implebitur in die ultimi judicii. Hoc loco in codice hebraico et græco est manifesta corruptio : nam in hebraico, ubi nos habemus, *pro nihilo*, est על און *hal aven*, quod significat, *pro iniquitate;* sed legendum est, על אין *hal ain, pro nihilo :* sic enim legunt Septuaginta, et ipse etiam S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Augustinus et alii. In græcis quibusdam codicibus est ὥσεις, *expelles*, et sic legunt et exponunt Theodoretus et Euthymius. Sed vera lectio est σώσεις, *salvabis*, quæ respondet hebraicæ, et exponitur ab omnibus fere interpretibus. Porro illud, *pro nihilo salvos facies illos*, S. Hilarius exponit : Resurgent quidem impii, sed *pro nihilo*, sive *ad nihilum*, quia non proderit illis resurrectio. Sanctus vero Augustinus in bonam partem explicat : *pro nihilo*, id est, sine meritis propriis, ex pura gratia salvabis illos. S. Hieronymus tum in versione, tum in *Commentario*, impios non salvandos dicit : quod magis cohæret cum sequentibus, « in ira populos confringes. »

Vers. 8. 8. DEUS, VITAM MEAM ANNUNTIAVI TIBI : POSUISTI LACRYMAS MEAS IN CONSPECTU TUO.

Posteaquam de supplicio inimicorum locutus est, revertitur ad precandum pro se, ac dicit : « Deus, vitam meam annuntiavi tibi, » id est, narravi in oratione cursum vitæ meæ, transmigrationes, varietates, labores: vox enim hebraica נודי *nodi* significat *mutationem* et *migrationem ;* sed Septuaginta Interpretes verterunt, *vitam meam*, ut brevissime omnia comprehenderent : itaque per vitam intellexerunt cursum vitæ. Et tu « posuisti in conspectu tuo lacrymas meas, » id est, ego flens coram te exposui cursum afflictissimæ vitæ meæ, et tu misericors et pius Pater non avertisti faciem tuam, sed aspexisti cum misericordia lacrymas meas. In hebræo habetur, pro *in conspectu tuo*, נודי *nodi*, quod *utrem* Hebræi significare dicunt. Sed non solum Septuaginta verterunt, *in conspectu tuo*, sed etiam S. Hieronymus ex hebræo reddidit, *in conspectu tuo*, et sic habent omnes latini et græci codices. Quare vel vox illa significat *conspectum*, vel aliquid aliud legerunt, tum Septuaginta, tum S. Hieronymus. Parum autem refert, quod in hebræo habetur *numerasti*, pro eo quod nos habemus *annuntiavi;* nam facile potuit mutari persona secunda in primam addendo unam, vel alteram litteram hebraicam; et sensus est idem : nam et Propheta narravit suæ vitæ miserias, et Deus eas numeravit : idem autem verbum ספר *saphar, narrare* et *numerare* significat.

9. SICUT ET IN PROMISSIONE TUA ; TUNC CONVERTENTUR INIMICI MEI RETRORSUM. Vers. 9.

Prima pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem : nam non solum in codice hebraico conjunguntur hæc verba, *sicut et in promissione tua*, cum superioribus ; sed etiam sic exponunt Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii. Itaque sensus est : « Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua : » id est, sicut promisisti te exauditurum deprecantes cum lacrymis, ita fecisti, quia « posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, » ut eas exaudires ; et cum exaudieris, « tunc convertentur inimici mei retrorsum, » id est, fusi, fugatique dissipabuntur et peribunt. S. Augustinus exponit more suo in bonam partem, ut sensus sit : Inimici, qui antea præire nos volebant, et ad interitum ducere, convertentur per pœnitentiam, et nos sequentur ad vitam, quomodo dixit Dominus Petro *Matth.* XVI : « Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, » id est, noli me præire, sed post me ambula, quoniam dum præire tentas, scandalum es mihi. Euthymius non minus utiliter exponit de dæmonibus, qui nos præire, et ducere cupiebant ad gehennam : sed per gratiam Dei nostras preces audientis coguntur retrocedere, et nos oblatrantes sequi, dum properamus ad regnum, unde illi exciderunt.

10. IN QUACUMQUE DIE INVOCAVERO TE, ECCE COGNOVI, QUONIAM DEUS MEUS ES. Vers. 10.

Concludit gratias agendo, et laudando Deum. Ecce, inquit, experimento cognovi, quod in « quacunque die invocavero te, tu Deus meus es, » id est, tu declarabis exaudiendo, te meum esse Deum.

11 IN DEO LAUDABO VERBUM, IN DOMINO LAU- Vers. 11.

DABO SERMONEM : IN DEO SPERAVI, NON TIMEBO QUID FACIAT MIHI HOMO.

Hunc versiculum exposuimus : est enim omnino idem cum versiculo quarto, eo excepto, quod hic bis repetitur, « in Deo laudabo verbum : » quamvis enim Interpres primo verbum dixerit, deinde sermonem, tamen in hebræo et græco est eadem vox utrobique. Quare poterat verti, *in Deo laudabo verbum, in Domino laudabo verbum.* Cur autem primo dixerit, *in Deo,* deinde *in Domino,* ratio esse videtur, ut ostendat se confidere in Deo, ut judice, quod significat nomen Dei, et ut executore justitiæ, quod significat nomen Domini, cui omnia serviunt. Addit : « Non timebo quid faciat mihi caro, » ut declaret quod ibi dixerat, per carnem videlicet hominem intelligi debere.

Vers. 12. 12. IN ME SUNT, DEUS, VOTA TUA, QUÆ REDDAM, LAUDATIONES TIBI.

Pro his omnibus beneficiis pollicetur se persoluturum vota laudum in tribulatione concepta. « In me sunt, inquit, vota tua, » id est, in memoria mea sunt, sive in intimis præcordiis apud me conservantur, ut non excidant, « vota tua, » id est, promissiones tibi factæ a me. « Quæ reddam laudationes tibi, » id est, *quæ vota reddam,* vota videlicet laudum et gratiarum actionis, sive, quæ vota continent laudationes tibi assidue a me concinendas.

13. QUONIAM ERIPUISTI ANIMAM MEAM DE MORTE, ET PEDES MEOS DE LAPSU : UT PLACEAM CORAM DEO IN LUMINE VIVENTIUM. Vers. 13.

Hæc est summa beneficiorum divinorum. « Quoniam eripuisti animam meam de morte, » id est, vitam meam conservasti ab imminente morte, sive a Saule, sive ab Achis rege Philistinorum; « et pedes meos de lapsu, » id est, et conservasti me, ne laberer in peccatum inter tot et tantas tentationes, quibus provocabar, ut Saulem interficerem, vel ei maledicerem. Conservasti autem me a morte et a peccato, a morte corporali et spirituali, « ut placeam coram Deo, » sive *ut ambulem* (ut habet vox hebraica להתהלך *lehitthalech*) *placens Deo* « in lumine viventium, » id est, in lumine vitæ hujus temporalis, quo carent, qui mortui sunt; item in lumine fidei et gratiæ, quo carent infideles et peccatores, ut tandem perveniam ad lumen gloriæ cœlestis, quo fruuntur illi, qui soli vere proprieque viventes dici possunt. Possunt hæc etiam de Christo exponi, qui per resurrectionem liberatus est a morte carnis, et ab omni periculo subjacendi ulli passioni, et vivit, et regnat a dextris Patris in lumine viventium. Amen.

PSALMUS LVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem.* 1. Ne disperdas, *David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.*

2. Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

4. Misit de cœlo, et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, 5. et eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.

6. Exaltare super cœlos, Deus et in omnem terram gloria tua.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem, quando fugit a facie Saul in speluncam.*

Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te speravit [al. *sperat*] anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeant insidiæ.

Invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.

Mittet de cœlo et salvabit me, exprobrabit conculcantibus me. SEMPER. Mittet Deus misericordiam suam et veritatem suam.

Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium.

Filii hominum, dentes eorum lanceæ et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos, Deus ; in omni terra gloria tua.

7. Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.

8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psalmum dicam.

9. Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara : exsurgam diluculo.

10. Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.

11. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

12. Exaltare super cœlos, Deus : et super omnem terram gloria tua.

Rete paraverunt gressibus meis, ad incurvandam animam meam [*h. incurvata est anima mea*].

Foderunt ante me foveam, ceciderunt in medio ejus. SEMPER.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo et psallam.

Surge [*h. expergiscere*], gloria mea; surge [*h. expergiscere*], psalterium et cithara : surgam [*h. expergiscar*] mane.

Confitebor tibi in populis, Domine : cantabo [*h. psallam*] tibi in gentibus.

Quia magna usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus ; in omni terra gloria tua.

Argumentum.— Hujus Psalmi idem fere est argumentum, ac præcedentis. Strophæ duæ : vers. 2-5, precatio, periculi descriptio; vers. 6-12, pro liberatione gratiarum actio.

1. Præcentori, *canendum ad modos carminis cujus initium est :* Ne disperdas, carmen mysticum Davidis, cum fugisset a facie Saul in speluncam.

2. Miserere mei, Deus, miserere mei,
nam in te confidit (confugit) anima mea,
et in umbra alarum tuarum confido (confugio),
dum transeat iniquitas.
3. Clamo ad Deum altissimum,
ad Deum qui perficiet super me.
4. Mittet e cœlis, et servabit me;
licet probris afficiat *me Deus* inhians mihi,
mittet Deus gratiam suam et fidem suam.
5. Anima mea (ego) in medio leonum
jaceo inter flammantes,
inter homines quorum dentes *sunt* hasta et sagittæ,
et quorum lingua *est* gladius acutus.

6. Effer te super cœlos, Deus;
super omnem terram *sit* gloria tua.
7. Rete pararunt gressibus meis,
quod (rete) incurvavit animam meam;
foderant coram me foveam :
ceciderunt in eam.
8. Firmum *est* cor meum, Deus, firmum *est* cor meum,
canam voce et fidibus.
9. Expergiscere, gloria mea;
expergiscere, lyra et harpa (nablium et cinnor),
exsurgam diluculo!
10. Celebrabo te inter populos, Domine :
canam te inter gentes.

11. Nam magna usque ad cœlos gratia tua,
et usque ad nubes fides (veritas) tua.
12. Effer te super cœlos, Deus;
super omnem terram *sit* gloria tua.

NOTÆ.

Vers. 1. Quod hic memoratur canticum *ne disperdas,* esse possunt quæ *Deut.* IX, 26, leguntur preces Mosaicæ, ut quæ facile ad cantum sacrum adhibitæ esse possint. Juxta Hengstenberg, locutio *ne disperdas* non est cujusdam carminis modus, sed verba sunt a Davide sæpius in periculis constituto frequenter prolata, quæ Psalmi hujus argumentum et quasi *symbolum* efformant. *Speluncam,* sive ea sit, de qua I *Sam.* XXI, 1; sive ea, de qua *ibid.* cap. XXIV, 1.— Vers. 3. *Perficiet,* rem seu causam meam aget, me regem tandem constituet. Verterunt ita veteres, ac si *gamal* legissent. — Vers. 4. *Mittet* (in priori membro) quid? nil interest; satis est ut stet Deus pro me. Maurer, *dum probris afficit inhiantem mihi;* Hengstenberg, *probris afficit me* homo *inhians mihi* : quia, ait, חרף non Deo, sed hominibus congruit. — Vers. 5. Sensus : Vita mea summis exposita est periculis. *Flammantes,* homines iracundos; alii, *monstra flammas spirantia.* — Vers. 6. Sensus : Potentem gloriosumque te præbe me liberando : nam, etc. — Vers. 7. *Animam meam,* me, ad terram jamjam prostratum. Pro *rete,* ante *incurvavit,* alii subaudiunt *inimicus,* vel *unusquisque.* Maurer intransitive vertit, *incurvavit se.* — Vers. 9. *Gloria,* i. e. anima; alii, i. e. nablium et cinnor, quæ sequuntur : minus recte. *Exsurgam diluculo;* hodierni vertunt, *suscitabo auroram,* ut Ovidius de gallo, lib. XI *Metamorph.* 597 :

Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat auroram.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, ne disperdas, *David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.*

Historia, cujus occasione Psalmus iste conscriptus fuit, habetur lib. I *Reg.* cap. XXIV; tunc enim David Saulem fugiens absconditus est cum aliquot ex suis in spelunca Engaddi, et cum Saul casu ad eam speluncam devenisset, et solus in eam intrasset, ut purgaret ventrem, David, qui in parte interiore latebat, incitatus a suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere, ex qua historia colligitur argumentum hujus Psalmi simile esse argumento Psalmi superioris. In titulo nihil est novi, præter illa duo verba, *ne disperdas,* quæ quid significent, incertum est. S. Hilarius id refert ad Christi resurrectionem, per quam factum est, ne caro Christi in sepulcro corrumperetur : nam alia lectio habet, *ne corrumpas.* S. Augustinus et S. Hieronymus interpretantur de titulo crucis Christi, quem Pilatus noluit corrumpere ad petitionem Judæorum, quasi id prædixerit David hoc loco. Theodoretus et Euthymius exponunt de Davide, qui noluit occidere Saulem, cum impune posset. Itaque volunt ad æternam rei memoriam scriptum *ne disperdas,* sive *ne perdas,* quia David non perdidit Saulem. Sed quamvis hæc expositio in hunc Psalmum quadret, tamen in Psalmum LVII et LVIII et LXXIV, ubi est eadem sententia in titulo, non videtur quadrare. Alii volunt Davidem pro se rogare Deum, ut non sinat eum occidi, et perdi. Alii denique arbitrantur, illis verbis significari instrumentum musicum, in quo Psalmi isti concinendi erant.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. MISERERE MEI, DEUS, MISERERE MEI : QUONIAM IN TE CONFIDIT ANIMA MEA.

Vers. 2. 2. ET IN UMBRA ALARUM TUARUM SPERABO, DONEC TRANSEAT INIQUITAS.

David in spelunca precatur Deum pro liberatione a persecutione Saulis, et in hoc figura Christi est, qui latens in spelunca in forma servi, cum esset Dominus omnium, orat pro liberatione corporis sui, quod est Ecclesia, a persecutione Satanæ et ministrorum ejus. « Miserere, inquit, mei, Deus, » id est, tu Deus misericors tolle miseriam, quam patior ob periculum vitæ, cui Saul insidiatur. « Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. » Confidentia in Deo est optima ratio, quæ allegari potest ad impetrandam misericordiam, cum Deus promiserit auxilium confidentibus in se. « Et in umbra alarum tuarum sperabo, » id est, non solum hactenus in te confidit anima mea; sed etiam perseverabo in hac

Confidentia in Deum optima ratio ad impetrandum misericordiam.

confidentia toto tempore quo protectione indigebo, quod erit, « donec transeat iniquitas, » id est, donec fidem habeat hæc nostra peregrinatio, et exilium a patria cœlesti; tamdiu enim durabit iniquitas, quamdiu durabit peregrinatio, in qua mali bonis admixti sunt. Porro metaphora illa de umbra alarum Dei familiaris est Scripturæ sanctæ : nam in *Psalm.* XVI dicitur : « Sub umbra alarum tuarum sperabo; » in *Psalm.* LXII : « In velamento alarum tuarum sperabo; » et in *Psalm.* XC : « Sub pennis ejus sperabis; » et Dominus *Matth.* XXIV : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » Sensus autem est : Sperabo in protectione tua, quomodo sperant pulli in protectione gallinæ, quæ sub alas colligit eos, et mirabili zelo a milvo defendit. Significatur hac metaphora ingens amor Dei erga suos electos, quos fovet et protegit, ut res sibi unice charas.

Vers. 3. 3. CLAMABO AD DEUM ALTISSIMUM, DEUM QUI BENEFECIT MIHI.

Ex hac fiducia qua sub umbra alarum Dei sperabit, prodibit clamor « ad Deum altissimum, » id est, ad supremum Judicem, qui super omnes alios judices in altissimo throno residet; et ratio clamandi erit experimentum proprium : jam enim expertus erat David, clamando ad Deum se multum profecisse. « Clamabo, inquit, ad Deum, qui benefecit mihi, » id est, qui ultus me est de inimicis meis : vox enim hebraica *gomer* hoc loco non significat *benefacere* absolute, sed *ulcisci*, ac per hoc benefacere ulciscendo innocentium injurias; unde S. Hieronymus vertit ex hebræo : *Invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.* Qualis autem fuerit hæc ultio, habetur lib. I *Reg.* cap. XXIII. Nam cum Saul cinxisset exercitu suo montem, ad quem David confugerat, ut jam de vita sua pene desperaret, providentia divina fecit ut nuntius veniret ad Saulem, qui referret Philistæos cum magnis copiis in terram Israelitarum se infudisse : quo nuntio accepto coactus est Saul recedere a persequendo Davide, cum magno suo opprobrio et dolore. Et hoc breviter attingitur in sequenti versiculo.

Vers. 4. 4. MISIT DE CŒLO, ET LIBERAVIT ME, DEDIT IN OPPROBRIUM CONCULCANTES ME.

Vers. 5. 5. MISIT DEUS MISERICORDIAM SUAM ET VERITATEM SUAM, ET ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MEDIO CATULORUM LEONUM : DORMIVI CONTURBATUS.

Vers. 6. 6. FILI HOMINUM, DENTES EORUM ARMA ET SAGITTÆ, ET LINGUA EORUM GLADIUS ACUTUS.

« Misit de cœlo, » auxilium videlicet, « et liberavit me, » quando cinctus legionibus hostium jamjam capiendus et occidendus eram. « Dedit in opprobrium conculcantes me, » id est, exposuit probris Saulem et milites ejus, qui me ut pulverem conculcabant et contemnebant, quando re infecta coacti sunt recedere, et Philistæis occurrere, ut supra diximus ex cap. XXIII lib. I *Reg.* « Misit, inquam, de cœlo misericordiam et veritatem, » quasi duas manus suas, « misericordiam » qua liberaret me, « et veritatem, » id est justitiam, qua hostes meos pudore et dolore afficeret. « Et eripuit animam meam, » hoc est, vitam meam, « de medio catulorum leonum, » id est, Saulis et militum ejus, qui ferocia leones juvenes, ac per hoc fortissimos, referebant. Sed etiam sic liberatus ab imminente morte, tamen « dormivi conturbatus, » quia timui detractiones et calumnias inimicorum meorum, quorum dentes et linguæ feriunt instar lancearum et gladiorum acutorum. In hebræo deest verbum *eripuit*, et sic vertit S. Hieronymus : *Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium.* Sed in hebræo codice non est *dormivit*, sed *dormivi*, אשכבה *eshecbah*, in prima persona. Quare vel excidit verbum *eripuit*, vel subintelligi debet; et quia Hebræi non habent casus, recte possumus vertere, tam *anima mea*, quam *animam meam*. Denique illud, *conturbatus*, quod Hieronymus vertit *ferocientium*, videlicet leonum, in hebræo proprie significat *ardentem, inflammatum*, quod satis apte convenit cum voce *conturbatus* : qui enim conturbati sunt, æstuare et ardere solent. Itaque lectio hebraica non difficulter cum nostra græca et latina concordari potest, et hunc sensum facere : *Animam meam eripuit de medio leunculorum, dormivi æstuans, et conturbatus.* Cur autem dormierit conturbatus, quando jam liberatus erat, exponit cum addit : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus, » id est, « dormivi conturbatus, » quoniam etiam si Saule recedente liberatus eram a morsu leonum, qui de propinquo mordent, tamen sciebam non deesse detractores et calumniatores, qui etiam longe feriunt, instar jaculorum et sagittarum; multi enim erant, qui calumniis suis incitabant Saulem adversus Davidem, ut ipse testatur lib. I *Reg.* cap. XXIV : « Quare, inquit, audis verba hominum loquentium : Quærit David malum adversum te? » Porro phrasis illa : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ*, est Hebræorum propria; sensus autem est : Filii hominum tales sunt, ut dentes eorum sint veluti lanceæ (hoc enim sonat vox hebraica חנית *thanith*, pro qua Septuaginta reddiderunt *arma et sagittæ*). « Et lingua eorum » veluti « gladius acutus : » quibus verbis significatur detractio, quæ per instrumenta dentium et linguæ formatur, et non minus nocet et interimit, quam lancea, sagitta et gladius, cum incitet ad iracundiam, et sit causa malorum plurimorum.

Vers. 7. 7. EXALTARE SUPER CŒLOS, DEUS, ET IN OMNEM TERRAM GLORIA TUA.

Exposito timore suo precatur Deum, ut exer-

cendo justitiam in impios hostes suos, manifestet gloriam suam. « Exaltare, inquit, super cœlos Deus, » id est, sede in altissimo throno, qui est super omnes cœlos, ut judices; vel, exaltetur nomen tuum super cœlos coram angelis, « et in omnem terram » coram hominibus dilatetur « gloria tua, » ita ut omnes intelligant et laudent justitiam tuam.

Vers. 8. 8. LAQUEUM PARAVERUNT PEDIBUS MEIS, ET INCURVAVERUNT ANIMAM MEAM.

Vers. 9. 9. FODERUNT ANTE FACIEM MEAM FOVEAM, ET INCIDERUNT IN EAM.

Reddit causam cur judicium Dei adversus hostes suos imploret. Nam præter alia, inquit, « laqueum paraverunt pedibus meis, » id est, insidias mihi tetenderunt, ut me quasi feram de improviso caperent. « Et incurvaverunt animam meam, » id est, atque his insidiis me afflixerunt, ut præ continua sollicitudine incurvus ac mœstus incederem. Deinde idipsum repetit alia metaphora : « Foderunt, inquit, foveam ante faciem meam, » id est, foderunt foveam in itinere, quo iturus eram, ita ut fovea ante me esset, quamvis eam a me conspici non existimarent: illud enim, *ante faciem meam*, non significat, *me aspiciente et vidente*; sed in *loco*, qui ante me erat, et per quem transiturus eram. « Et inciderunt in eam, » id est, paraverunt mihi periculum vitæ, et ipsi in illud inciderunt : nam, ut dictum est supra ex cap. XXIII lib. I *Reg.*, Saul insidiabatur vitæ Davidis, et illo ipso tempore incidit in spelunca in manus Davidis, a quo poterat occidi, si David voluisset.

Vers. 10. 10. PARATUM COR MEUM, DEUS : PARATUM COR MEUM, CANTABO, ET PSALMUM DICAM.

Jam in fine Psalmi excitat Propheta spiritum suum in Deum, ac dicit : « Paratum cor meum, paratum cor meum, » id est, paratus sum vivere, paratus sum mori; paratus conculcari, paratus regnare, et quicquid acciderit de manu tua accipiam. « Cantabo, et psalmum dicam, » laudabo misericordiam, laudabo justitiam, et voce, et instrumento musico.

Vers. 11. 11. EXURGE, GLORIA MEA ; EXURGE, PSALTERIUM ET CITHARA : EXURGAM DILUCULO.

Quia dixerat : « Cantabo, et psalmum dicam; » nunc, ut id recte fiat, non invocat Musas, ut profani poetæ faciunt, sed invocat Spiritum prophetiæ, ut Theodoretus exponit. « Exurge, inquit, gloria mea, » id est, donum spiritus, quo afflante canere soleo mysteria divina; « exurge, psalterium, et cithara, » id est, exurge spiritus meus, et lingua mea : spiritus enim per psalterium intelligitur, quod ex parte superiore sonum edit, et lingua per citharam, quæ ex parte inferiore sonat. « Exurgam diluculo, » id est, summo mane, quod est aptissimum tempus contemplandi divina, et canendi Deo, ego spiritus Dei exurgam, et excitabo spiritum tuum et linguam tuam ad canendum. Potest etiam cum S. Hieronymo et S. Augustino hic locus intelligi de resurrectione Christi; David enim, qui satis intelligebat, se in passionibus suis Christi patientis et morientis figuram gerere, Spiritu Sancto afflatus ad Christum loquitur, ac dicit : « Exurge, gloria mea; » nullam enim majorem gloriam David habere potuit, quam ut Pater Christi diceretur. « Exurge, inquit, gloria mea, » Christe redemptor filius meus, et dominus meus; « exurge, psalterium et cithara, » id est, exurge, caro Christi, quæ psalterium fuisti, dum divina miracula operando ex parte superiore sonuisti; et cithara, dum humana patiendo ex parte inferiore sonitum dedisti. Deinde inducit ipsum respondentem : « Exurgam diluculo; » satis enim constat Christum a mortuis diluculo surrexisse.

De resurrectione Christi locus intelligitur.

Vers. 12. 12. CONFITEBOR TIBI IN POPULIS, DOMINE, ET PSALMUM DICAM TIBI IN GENTIBUS.

Surgens diluculo David ad canendum Deo, dicit : « Confitebor tibi, » id est, laudabo te in populis Judæorum, « et psalmum dicam tibi in gentibus. » Noverat enim sanctus Propheta psalmos suos toto terrarum orbe cantandos a fidelibus, tum ex Judæis, tum ex gentibus in Ecclesia congregatis. Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui dicit : « Exurgam diluculo, » addat etiam se per corpus suum, quod est Ecclesia, Deum semper et ubique laudaturum.

Vers. 13. 13. QUONIAM MAGNIFICATA EST USQUE AD CŒLOS MISERICORDIA TUA, ET USQUE AD NUBES VERITAS TUA.

Hæc est materia laudis apud omnes gentes, quod *misericordia* Dei magna effecta sit, et creverit usque ad cœlos, non in se, quomodo semper est infinita, sed in operibus suis; et pari ratione *veritas* Dei, sive pro fidelitate, sive pro justitia accipiatur, replevit omnia « usque ad nubes, » id est, usque ad cœlos : accipit enim propheta pro eodem usque ad cœlos, et usque ad nubes, quæ ideo dicuntur in Scripturis nubes cœli, *Matth.* XXIII : « Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. »

Vers. 14. 14. EXALTARE SUPER CŒLOS, DEUS, ET SUPER OMNEM TERRAM GLORIA TUA.

Quomodo misericordia et veritas Domini pertingunt usque ad cœlos, sic etiam par est, ut gloria, et laus ejus, et cœlum, et terram repleat.

PSALMUS LVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem*, 1. Ne disperdas, *David in tituli inscriptionem.*

2. Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.

3. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra injustitias manus vestræ concinnant.

4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.

7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confringet Dominus.

8. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens : intendit arcum suum donec infirmentur.

9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem.

10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum : sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

11. Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

12. Et dicet homo : Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem.*

Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.

Etenim in corde iniquitates [*h. holocausta*] operamini, in terra iniquitates manuum vestrarum appendite.

Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero loquentes mendacium.

Furor eorum sicut similitudo furoris serpentis, sicut reguli surdi obturantis aurem suam.

Ut non audiat vocem murmurantium, nec incantatoris incantationes callidas.

Deus, excute dentes eorum ex ore eorum; molares [al. *molas*] leonum confringe, Domine.

Dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt : intendet arcum suum [*h. sagittam suam*] donec conterantur.

Quasi vermis tabefactus pertranseat [al. *pertranseant*] : quasi abortivum mulieris, quod non vidit [al. *videt*] solem.

Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum, quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.

Lætabitur justus cum viderit ultionem : pedes suos lavabit in sanguine impii.

Et dicet [al. *dicat*] homo : Vere est fructus justo, vere est Deus judicans in terra.

Argumentum. — Reprehenduntur homines injusti, judices præsertim, quorum impietas, quæ describitur vers. 2-6, tanta sit, ut vindictam divinam provocet, vers. 7-10 ; quo facto pii in virtutis studio confirmentur, vers. 11-12. Hinc strophæ tres. Conf. I *Sam.* XXIV, 13 ; XXVI, 10.

1. Præcentori, *ne disperdas*, Davidis carmen mysticum.

2. Num revera, *o homines* muti, justitiam *tandem* loquemini?
   Num recta judicabitis, filii hominis?
3. Imo vero iniquitates in corde elaboratis,
   in terra violentiam manuum vestrarum appenditis.
4. Deflectunt (a via justitiæ) impii inde ab utero,
   errarunt inde a *matris* ventre loquentes mendacium.
5. Venenum est ipsis sicut venenum serpentis,
   instar aspidis surdæ, *quæ* obturat aurem suam :
6. Quæ non audit vocem incantantium,
   exercentis incantationes perite.

7. Deus, discute dentes eorum in ore eorum,
dentes (caninos) leunculorum excute, Jova.
8. Diffluant ut aquæ *quæ* decurrunt sibi (evanescunt);
intendat sagittas suas *eo cum effectu,* quasi præcisæ (obtusæ) essent.
9. *Sint* ut limax, *quæ* liquefactione (seu *liquescens*) abit,
ut abortivus mulieris, qui non vidit solem.
10. Prius quam persentiscant ollæ vestræ rhamnum,
tam vivum quam ardentem turbine abripiet illum (rhamnum Deus).

11. Lætabitur justus cum viderit vindictam,
gressus suos lavabit in sanguine peccatoris.
12. Et dicet homo : Utique fructus *est* justo,
utique *est* Deus judex in terra.

NOTÆ.

Vers. 2. Hengstenberg, *num revera muti* (propr. silentium) estis, *ad loquendum justitiam, ad recte judicandum?* Ewaldus, *num revera justitiam loquimini, o dii* (judices — legit *elim*)? num *recte judicatis filios hominis?* Maurer, *num revera quod lege constitutum,* quod justum est, *loquimini,* etc.: Verbi *alam,* ait, primaria significatio est *ligare,* hinc *lex, pactum.* Alexandrini forsan legerunt *oulam.* — Vers. 3. Non *justitiam,* sed *violentiam,* i. e. injustitiam *appenditis;* τὸ *manuum vestrarum* ponitur ob *corde* in priori hemist. Alii non male : bilancibus inter vos distribuitis prædam injustitia captam. — Vers. 4. Sensus : Malitia eorum est inveterata. — Vers. 5. Hengstenberg, *instar aspidis surdæ,* improbus *obturat,* etc. — Vers. 6. *Exercentis incantationes,* propr. ligantis nodos magicos. — Vers 8. Alii, *sagittas suas,* et ecce! sunt improbi *quasi succidantur.* — Vers. 9. *Vidit,* propr. viderunt, τῷ *abortivus* collective sumpto. Alii, *ut limax...* improbus *abit, ut abortivus...* improbi *non videbunt diu solem.* Limax, saliva emissa viam humectans, quo longius procedit, eo magis dissolvitur. Verum quia hæc dissolutio lentissime fit, non male Alexandrini, quos sequitur Ewaldus, pro *limax,* vertit *cera* : ita et Syrus. — Vers. 10. Rhamni spinis oblongis usus multus est apud Orientales ad ignem in foco, quod facile flagrat. *Vivum,* virentem adhuc nec igne satis accensum. *Ardentem,* propr. *ardorem,* pro re ardente, puta rhamno. Proverb. locutio, cujus sensus : Antequam consilia vestra ad maturitatem aut effectum pervenerint, improviso omnes vestræ machinationes evertentur. « Sæpe accidere solet, ait Rosenmullerus, illis, qui per deserta iter facientes cibos parare sibi volunt, ut subita coorta tempestate ignis ad cibos coquendos accensus exstinguatur, omnisque epularum apparatus destruatur ac dissipetur : unde hæc similitudo ducta videtur. » Alii, *priusquam animadvertant,* animadvertere aliquis possit, cito, præter exspectationem, *spinæ vestræ* sunt *dumus,* celeriter spinæ vestræ excrescunt in dumum amplum et latum; *tam vivum,* virentem, *quam ardentem,* aridum, i. e. totum turbine abripiet illum, dumum Deus, i. e. cito vos, improbi, efflorescitis, sed subito vos omnes ad unum in perniciem agit Deus. Alii, *priusquam persentiscant spinæ vestræ,* i. e. inopinato, *dumum* (vos singulos universosque) *sive virentem, sive aridum, abripiet illum* Deus. Vulgati sensus : Ut agricola succrescentes in arvis teneriores adhuc spinas, antequam duriores fiant, ac lædere possint, radicitus evellit, et quasi cum ira quadam detestatus abjicit, sic illos nondum satis in improbitate confirmatos Deus vita privabit. — Vers. 11. *Lavabit* : post pugnam victores necessario pedes ponunt in sanguine hostium. — Vers. 12. Pro *utique,* alii *tantum, solummodo* : non male. Alexandrini legerunt *shoftam.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, ne disperdas, *David in tituli inscriptionem.*

Titulus nihil habet novi. Argumentum est acris reprehensio hominum iniquorum : quamvis enim occasio scri-

bendi nata sit ex iniquitate Saulis, et ministrorum ejus persequentium. Davidem, tamen reprehensio est generalis, et, ut monuit S. Augustinus, concionatur Spiritus Sanctus per os Prophetæ ad universum genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.**

Non desunt ex recentioribus, qui velint totum versiculum hunc legi per interrogationem, hoc modo : « Num vere justitiam loquimini? num recta judicatis, filii hominum? » Sed veteres omnes, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii legunt ut nos in textu nostro habemus. Sanctus autem Hieronymus non solum in expositione Psalterii, sed etiam in versione ex hebræo vertit : *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Quamvis enim in prima parte versiculi adsit in hebræo littera ה *he*, quæ est signum interrogationis, tamen in secunda non habetur; proinde ad verbum sic vertendum esset : *Num vere justitiam loquimini? recta iudicabitis, filii hominum*; quæ sententia eadem est, cum ista : « Si vere justitiam loquimini, recta judicabitis, filii hominum. » Igitur sententia Prophetæ hæc est : Cum omnes homines interrogati an sit bonum furari, mœchari, decipere, et similia, recte respondeant non esse bonum, quia lex scripta in corde docet ista non esse bona, cum nemo velit talia sibi fieri, convincuntur omnes iniqui non vere loqui justitiam, sed ficte ac simulate, quia in corde suo judicant sibi esse bonum furari, mœchari, decipere, et similia : non enim facerent, nisi bonum sibi esse crederent. Nec solum convincuntur esse mendaces, dum falso loquuntur justitiam, et dicunt : Non est bonum furari, mœchari, decipere, et similia ; sed etiam convincuntur mirabili cæcitate laborare, cum negare non possint malum esse furari, cum videant se non posse pati fures : et tamen judicent, sibi bonum esse furari, et facere alteri, quod sibi fieri nolunt; nam si bonum est furtum, quare nolunt sibi fieri? si non est bonum, quare volunt alteri facere? Adversus istam voluntariam et inexcusabilem cæcitatem clamat Spiritus Sanctus : « Si vere utique justitiam loquimini, » dum dicitis : Malum est furari, mœchari, et similia; « recta judicate, filii hominum, » id est, judicate in corde vestro, non esse facienda, ac per hoc nolite facere, quæ mala esse confessi estis.

Vers. 2. **2. Etenim in corde iniquitates operamini : in terra injustitias manus vestræ concinnant.**

Ostendit, non sine causa se admonuisse, ut recta judicent, si justitiam vere loquuntur; nam apparet contraria illos facere, ac per hoc non vere justitiam loqui, sed ficte ac mendaciter. « Etenim, inquit, in corde iniquitates operamini, » id est, corde judicatis, ac decernitis mala, neque ibi sistitis; sed « in terra manus vestræ » cordis mandata exequentes « concinnant » iniquitates. Illud, *in terra*, significat peccata operum non posse fieri, nisi dum hic in terris vivimus : nam in inferno erunt quidem mala desideria, sed facultas exequendi non erit. Illud, *concinnant*, in hebræo est *appendunt*, in græco *connectunt*. Sed omnia idem significant, nimirum peccata peccatis apte conjungi, et appendi unum alteri, sed admixta sæpe specie aliqua virtutis, ut turpitudo iniquitatis aliquo modo tegatur. Exemplo esse potest Davidis adulterium : nam adulterio perpetrato, concinnavit David dolum, quo adulterium tegeretur, advocato videlicet Uria marito, atque ad uxorem misso, ut ex eo concepisse videretur; et quia hoc non successit, adjunxit adulterio homicidium, atque hoc etiam dolo alio concinnato, ut in prælio periisse dici posset. Vide alia exempla apud S. Augustinum.

Peccata peccatis quomodo connectamus?

Vers. 3. **3. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ad utero, locuti sunt falsa.**

Hæc est alia peccatorum miseria, quod non post multos annos vitæ peccare incipiunt, sed ab ipsa nativitate, vix in lucem editi a recto tramite deflectunt. « Alienati sunt peccatores a vulva, » id est, ab ipso exitu de vulva alienati sunt a recto tramite, a via veritatis, a beata vita. « Erraverunt ab utero; » hæc est repetitio, et declaratio ejus quod dictum erat, « alienati sunt a vulva, locuti sunt falsa : » hoc enim est primum ordinarie peccatum actuale, quod pueri committunt, mendacium videlicet; inde se primum prodit naturæ corruptio.

Vers. 4. **4. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.**

Vers. 5. **5. Quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.**

Docuit morbum peccati ab ipsa infantia incipere : nunc addit, non solum hunc esse morbum diuturnum, sed etiam gravissimum, quia nonnunquam peccatores tanto furore et tanta obstinatione grassantur in perniciem aliorum hominum, ut similes efficiantur serpentibus illis, qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt. « Furor illis, » id est, gravissimis peccatoribus, qualis tunc erat Saul, est « secundum similitudinem serpentium, » qui nulla arte mansuefieri possunt; imo secundum similitudinem « aspidis surdæ, » quæ obturat cauda aures suas, « ut non exaudiat vocem incantantium, nec venefici incantantis sapienter, » id est, valde periti in arte sua. Utrum sit verum, an fabulosum, quod dicitur de

aspide, claudente sibi aures, ne audiat maleficum incantantem, non multum refert ad hujus Psalmi explicationem. David enim similitudinem ducit ab eo quod vulgo fertur. Monet etiam S. Augustinus non ideo approbari incantationes veneficorum, quia David inde similitudinem accepit : nam et Dominus in Evangelio similitudines duxit a judice injusto, « qui nec Deum timet nec hominem reveretur, » *Luc.* XVIII; et a villico iniquitatis qui, « donando bona domini sui, amicos multos sibi conciliavit, » *Luc.* XVI; et ab illo qui, « invento thesauro in agro alieno, continuo emit agrum illum ut thesauro solus potiretur, » *Matth.* XIII : nec tamen approbavit injustitiam judicis, neque fraudes servorum, nec astutiam cupidorum.

Vers. 6. 6. DEUS CONTERET DENTES EORUM IN ORE IPSORUM, MOLAS LEONUM CONFRINGET DOMINUS.

Descripta gravitate peccati aliquorum hominum, inter quos Saulem David numerabat in primis, describit nunc pœnas eorumdem peccatorum aptissimis similitudinibus. Prima similitudo continetur in hoc sexto versiculo, et summa ejus est, a Deo auferri potentiam hominum peccatorum, quantumvis magni, robusti et feroces esse videantur : nihil enim robustius et terribilius leone, et in ipso leone nihil durius, acutius, horribilius dentibus molaribus. « Deus » igitur « dentes leonum confringet, » id est, robur et potentiam peccatorum quamvis potentissimorum auferet. « Deus, inquit, conteret dentes eorum, » peccatorum videlicet, qui instar leonum discerpunt et dilaniant innocentes. « In ore ipsorum, » id est, dum adhuc sunt in ore ipsorum viventium et rugientium, nam conterere dentes leonum jam evulsos facile est. Declarat, vel repetit more suo Propheta, quod dixit, dum addit : « Molas leonum confringet Dominus, » id est, non solum dentes minores, sed etiam molares, qui sunt omnium maximi et durissimi, confringet Dominus.

Vers. 7. 7. AD NIHILUM DEVENIENT, TANQUAM AQUA DECURRENS; INTENDIT ARCUM SUUM, DONEC INFIRMENTUR.

Potentia impiorum brevissima.

Hæc est altera similitudo, quæ docet potentiam impiorum fore brevissimam, et post modicum ita redigendam esse ad nihilum, ut tota progenie extincta, ne vestigium quidem ejus remaneat. Similitudo autem ducitur, vel a torrentibus secundum Augustinum, qui ita intumescunt, et omnia secum rapiunt, ut flumina maxima esse videantur, et tamen post unam, vel alteram horam omnino siccantur et evanescunt, ut ne gutta quidem aquæ remaneat in alveis torrentium; vel ducitur similitudo ab ingenti pluvia hiemali, ut exponit S. Hieronymus, quæ per loca declivia ita statim decurrit, ut post modicum cessante pluvia, nusquam aqua ipsa compareat. Exempla innumerabilia adduci possunt tum potentissimorum tyrannorum, ut Saulis, Achab, et Hieroboam, vel Neronis, Cali, Domitiani, et similium; tum hæresiarcharum magni nominis, ut Arii, Nestorii, et cæterorum. « Ad nihilum, inquit, devenient tanquam aqua decurrens, » torrentis vel pluviæ, quæ velocissime transit, et vestigium non relinquit. Ac ne putaremus, casu fieri, vel ex naturalibus causis, ut potentissima regna tyrannorum, aut famosissimæ hæreses tam cito finem accipiant, subjungit Propheta : « Intendit arcum suum, donec infirmentur, » id est, impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum adversus eos; neque arcum remittet, donec illi infirmentur, ac debilitentur, et viribus amissis deficiant et pereant.

Vers. 8. 8. SICUT CERA, QUÆ FLUIT, AUFERENTUR : SUPERCECIDIT IGNIS, ET NON VIDERUNT SOLEM.

Tertia est hæc similitudo, quæ demonstrat, non minus facile esse Deo potentiam tyrannorum, atque aliorum impiorum ad nihilum deducere, quam facile sit soli, aut igni ceram liquefacere : cera enim quantumvis indurata, calori solis vel ignis nullo modo resistit, sed continuo liquescit, defluit et perit. « Sicut cera, inquit, quæ fluit, » tangente illam sole, vel igne, ita « auferentur » de medio homines peccatores. Nam « supercecidit ignis » iræ Dei in illos, et ipsi tanquam cera continuo liquefacti perierunt, et non viderunt amplius solem, quem soli viventes videre possunt. In codice hebræo hic versiculus longe aliter habetur. Sic enim vertit S. Hieronymus : *Quasi vermis tabefactus pertranseant, quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem.* Sed quod attinet ad vocabulum שבלול *shabelul*, non possunt reprehendi Septuaginta, quod verterint *ceram*, quia hæc vox non habetur, nisi hoc loco, et aliqui volunt significare *vermiculum*, aliqui *limacem*, alii alia. Inter tot opiniones de obscurissima voce, cur non magis credemus Septuaginta Interpretibus antiquioribus, doctioribus, et pluribus? Quod vero pertinet ad illam vocem, תמס *themes*, nulla est difficultas : nam proprie significat *liquefactionem*, et Septuaginta recte verterunt, *ceram quæ fluit*, hoc est, liquescit; et S. Hieronymus, qui vertit *tabefactum*, sensum expressit, non verbum. Denique illa verba, נפל אשת *nephel esheth*, S. Hieronymus recte vertit, *abortivum mulieris*; sed Septuaginta recte etiam verterunt, *supercecidit ignis*, quia remotis punctis Rabbinorum illud נפל *nephel* potest legi *naphel*, quod significat *cecidit*, et illud אשת *esheth*, legerunt sine ultima littera, et verterunt *ignis*, quia *esh ignem* significat.

Vers. 9. 9. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINÆ VESTRÆ RHAMNUM : SICUT VIVENTES, SIC IN IRA ABSORBET EOS.

Hæc est ultima similitudo, qua docet Propheta, impios succidendos et perdendos a Deo, antequam implere possint mala, quæ adversus justos meditati sunt, ut non habeant gaudium de exter-

fuge prius pereant, quam non

pios perdant

minio justorum, quod maxime cupiebant : quomodo Saul antea male periit, quam de morte David lætari potuerit; et Diocletianus, et Maximianus, aliique persecutores Ecclesiæ prius perierunt quam ultimum exitium christianorum viderint, ad quod totis viribus inhiabant. Similitudo autem desumpta est a spinis, quæ ab agricola succiduntur, dum teneræ sunt, antequam ad robur rhamni, quod est lignum magnis et durissimis spinis instructum, crescendo perveniant : « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum ; » S. Hieronymus ex hebræo vertit : *Antequam spinæ vestræ crescant in rhamnum.* S. Hilarius et S. Augustinus legunt, *antequam producat spinas vestras rhamnus.* Nostra lectio concordat ad verbum cum hebraica et cum græca. Porro lectio S. Hilarii et S. Hieronymi in sensu conveniunt : nam spinas crescere in rhamnum, et spinas teneras, quæ ferire non possunt, paulatim crescere, et fieri rhamnum, qui duris aculeis suis pungat et feriat : sic etiam rhamnum producere spinas, est rhamnum tenerum, et qui nocere non potest, crescere et induere aculeos, ut maxime nocere valeat. Oportet igitur ad eumdem sensum reducere verba obscura nostræ lectionis : id quod fiet, si per vocem *intelligere,* quæ est in hebraico et græco codice, interpretemur, *crescere ad perfectum robur;* quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad perfectam ætatem pervenerunt, quando sapere et intelligère incipiunt. Sed per metaphoram tribuitur etiam aliis rebus. Itaque sic exponi potest versiculus : « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, » id est, priusquam ad perfectionem suam spinæ teneræ crescendo pervenirent, ut ad instar rhamni pungere, ferire, et lacerare possent; « sicut viventes, sic in ira absorbet eos, » id est, Deus absorbebit (*absorbet* enim hoc loco positum est pro *absorbebit,* sicut in Evangelio, *Joan.* XV, *ardet* pro *ardebit*), Deus, inquam, absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes absorbere solet terra, aut mare : mutatio autem illa personæ familiaris est Prophetis, ut cum loqueretur ad ipsos impios in secunda persona dicens, *spinæ vestræ,* mox transeat ad tertiam dicens, *absorbet eos,* pro *absorbebit vos.*

Vers. 10. 10. LÆTABITUR JUSTUS CUM VIDERIT VINDICTAM, MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS.

Cum hæc facta fuerint, quæ supra dicta sunt de perditione impiorum, tunc « lætabitur justus, cum viderit vindictam; » non autem amore vindictæ lætabitur, sed amore justitiæ, et quia videbit se Dei gratia custoditum, non esse lapsum in ea peccata, unde tam severe puniri mereretur; nec solum lætabitur, sed etiam « manus suas lavabit in sanguine peccatorum, » id est, opera bona ipsius magis elucebunt ex comparatione malorum operum peccatorum : nam opposita juxta se posita magis splendent: per sanguinem enim in Scripturis, peccatum intelligi solet. Vel dici potest cum S. Augustino, justum hic in terris lavare manus suas, id est, mundare opera sua, et bene operando fieri diligentiorem, dum cernit sanguinem, id est, mortem ac supplicia impiorum. In hebræo habetur, *pedes suos lavabit.* Sed omnes alii codices græci et latini, et omnes tractatores legunt *manus.*

Vers. 11. 11. ET DICET HOMO : SI UTIQUE EST FRUCTUS JUSTO, UTIQUE EST DEUS JUDICANS EOS IN TERRA.

Cum impii punientur, et justus lætabitur, tunc « dicet homo, » id est, tunc homines, qui ista videbunt, dicent : Si justitia fructum aliquem adfert, ut vere adfert, ille maximus est fructus, quod Deus summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, neque justos irremuneratos; sed retractat omnia injusta judicia, et judicat eos, id est, tam malos, quam bonos, tribuens justis debita præmia pro omnibus bonis operibus, quæ fecerunt, et pro omnibus malis, quæ pertulerunt : et impiis debita supplicia pro omnibus malis, quæ fecerunt, et pro omnibus deliciis, in quibus lascivierunt. Et sic impletur illud *Apoc.* XVIII : « Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Judicium autem hoc dicitur fieri in terra, quia fit pro his actionibus quæ factæ sunt in terra, et quia sæpe inchoatur in hac vita, licet perficiendum sit in altera; denique quia ultimum etiam judicium fiet de hominibus, qui adhuc erunt in terra, et inde transituri erunt, vel ad cœlum, vel ad gehennam. Unde dicitur Deus judicaturus orbem terrarum in æquitate. In hebræo codice non habetur conditionalis *si,* cum dicitur *si est fructus justo,* sed אַךְ *ac, vere est fructus justo, vere est Deus judicans eos in terra.* Illud igitur, *si,* quod ex græco transiit in codices latinos, non est conditio, vel particula dubitationem significans : sed explicanda est, ut nos paulo ante explicuimus, *si est aliquis fructus justo,* ut sine ullo dubio est, ille est quod Deus judicabit accuratissime omnia opera bona et mala, et non sinet justos in perpetuum opprimi ab impiis, sed impiis condemnatis justos coronabit. Quæ certe magna est consolatio justorum afflictorum, qui ex fide vivunt, et exspectant beatam spem et adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit laus et gloria.

Magna consolatio justorum afflictorum.

PSALMUS LIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem*, 1. Ne disperdas, *David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.*

2. Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem : et de viris sanguinum salva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri, et direxi.

6. Exurge in occursum meum, et vide : et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel,

Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

8. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?

9. Et tu, Domine, deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es.

11. Deus meus, misericordia ejus prævenit me.

12. Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos; nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.

13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione et mendacio annuntiabuntur 14. in consummatione : in ira consummationis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem, quando misit Saul, et custodierunt domum, ut occiderent* [al. *occideret*] *eum.*

Erue me de inimicis meis, Deus [*h. Domine*] meus, et a resistentibus mihi protege me.

Libera me ab operariis iniquitatis [al. *operantibus iniquitates*], et a viris sanguinum salva me.

Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregantur adversus me fortissimi [*h. crudelissimi*] : absque iniquitate mea, et absque peccato meo, Domine.

Non egi inique, et illi currunt [al. *cucurrerunt*] et præparantur : surge [*h. expergiscere*] ex adverso pro me, et respice.

Et tu, Domine Deus exercituum, Deus Israel, evigila, ut visites omnes gentes.

Non miserearis universis qui operantur iniquitatem. SEMPER.

Revertantur ad vesperam, latrent ut canis [al. *canes*], et circumeant [al. *circuibunt*] civitatem.

Ecce loquentur [al. *loquuntur*] in ore suo, gladii in labiis eorum : quasi nemo audiat.

Tu autem, Domine [al. tac. *Domine*], deridebis eos : subsannabis omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te servabo : quoniam tu, Deus, elevator meus.

Deus misericordia mea præveniet me : Deus ostendet mihi in insidiatoribus [*h. decantatoribus*) meis.

Ne occidas eos, ne forte obliviscantur populi mei : disperge eos in fortitudine tua, et destrue eos, protector noster Domine [al. *Deus*].

Peccato oris sui, sermone [al. *in peccato et in sermone*] labiorum suorum, et capiantur in superbia sua : maledictionem et mendacium narrantes.

Consume in furore, consume ut non subsistant : et sciant quoniam Deus dominatur [al. *dominabitur*] Jacob, in finibus terræ. SEMPER.

15. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum; si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, et refugium meum, in die tribulationis meæ.

18. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia mea.

Et convertantur ad vesperam, latrent ut canis [al. *canes*], et circumeant civitatem.

Ipsi vagabuntur ut comedant, et cum saturati non fuerint, murmurabunt.

Ego autem cantabo imperium tuum, et laudabo mane misericordiam tuam :

Quoniam factus es fortitudo mea [*h. susceptor meus*], et refugium in die tribulationis meæ.

Virtutem meam tibi cantabo [*h. fortitudo mea tibi psallam*], quoniam Deus adjutor [*h. susceptor*] meus, Deus misericordia mea.

Argumentum. — Preces continet pro sui conservatione ab hostibus impiis, qui vatem sine causa persequerentur et perdere studerent. His igitur hominibus perditissimis pœnas divinas imprecatur, sibi vero defensionem et liberationem ex omnibus periculis fiducia certa in Deum nixus pollicetur. Tempus et occasio carminis indicata est vers. 1. Hodiernos interpretes, qui titulo fidem negant, censentque Psalmum hunc editum esse post exsilium Babylonicum (*Neh.* III, 33 seq., IV, 1 seqq.), bene confutat Hengstenberg. Strophæ quatuor, quarum prima et tertia in fine appositum habent *selah*, secunda et quarta vero ab eodem versu incipiunt, eodemque terminantur : vers. 2-6, 7-10, 11-14, 15-18. Historia legitur I *Sam.* XIX, 11.

1. Præcentori, *ne disperdas*, Davidis carmen mysticum, cum misit Saulus *emissarios*, et custodirent domum, ut interficerent eum.

2. Libera me ab hostibus meis, mi Deus,
ab adversariis meis tutum me præsta :
3. Libera me ab operantibus iniquitatem,
et ab hominibus sanguinolentis salva me.
4. Nam ecce insidiantur animæ (vitæ) meæ;
congregantur adversum me feroces :
non *ob* delictum meum, nec peccatum meum, Jova.
5. Absque culpa *mea* incurrunt *in me* et constituunt se (aciem) :
surge (vel *evigila*) in occursum meum, et vide *res meas afflictas*.
6. Tu vero, Jova Domine, *Deus* exercituum, Deus Israelis,
expergiscere ad puniendum omnes gentes;
ne parcas ulli proditorum pessimorum.

7. Revertebant nocte,
fremebant instar canum,
et circumibant urbem.
8. Ecce effundebant ore suo *nequitiæ verba*,
gladii (sermones aculeati) super labia eorum :
nam (aiunt) quis audit *nos*?
9. Tu vero, Jova, rides eos;
subsannas omnes gentes.
10. Ad robur ejus (Jovæ), ad te, *inquam*, attendo,
nam Deus *est* arx mea.

11. Deus meus gratia sua præveniet me,
Deus videre me faciet inimicos meos.
12. Noli interficere eos *penitus*, ne obliviscatur populus *tanti beneficii*;

vagari eos fac potentia tua, et deturba eos *e suis sedibus*,
tu clypeus noster, Domine.

13. Peccatum oris eorum, sermonemque labiorum eorum *quod attinet*,
et (sic) capiantur in fastu suo,
et propter maledictiones, et propter mendacia, quæ enarrant.

14. Consume in ira, consume, et non sint,
et sciant Deum esse Dominum in Jacob
usque ad limites terræ.

15. Et revertebant nocte,
fremebant instar canum,
et circumibant urbem.

16. Ipsi vagabantur ad vorandum (me),
si non fuerint saturati, at tamen quærendo pernoctaverunt.

17. Ego vero canam potentiam tuam,
et celebrabo mane gratiam tuam,
quod fuisti arx mihi,
et refugium quum versarer in angustiis.

18. Robur meum, tibi canam,
nam Deus arx mea *est*, Deus meus benignus.

NOTÆ.

Vers. 4. *Congregantur* : Maurer, *delitescunt,* insidias ponunt. — Vers. 5. *Constituunt se,* propr. *firmant se.* — Vers. 6. Nomen *goim* hic Davidis adversariorum denotat, *q. d.* Tu, qui in totas gentes soles animadvertere, nec hisce parcas sceleratis : conf. infra vers. 9, et *Ps.* LVI, 8. — Vers. 7. *Revertebant,* me in domo mea non invento. Evaldus et Maurer, *redeunt vespere,* quovis vespere me quærendo adventant, *ululantes canum instar circumeunt urbem,* ut me capiant ; Hengstenberg, *revertentur vespere, frement instar canum, et circumibunt urbem,* ut similitudo desumpta sit a canibus famelicis, qui toto die discurrunt, nec cibum quæsitum inveniunt. — Vers 10. Ita Maurer : nil enim, ait, apud Hebræorum vates frequentius subita personarum mutatione. Alii tamen cum veterum plerisque legunt יָיָ, coll. vers. 18, hoc sensu : *Robur meum,* i. e. animam, *spem* meam *ad te custodio* ; Ewaldus, *præsidium meum* tu es, *ad quod respicio.* — Vers. 11. *Deus meus,* etc. Secundum Keri vertendum esset, *Deus gratiæ meæ. Videre,* cum voluptate. — Vers. 13. Hengstenberg, *peccatum oris ipsorum* est omne *verbum labiorum ipsorum.* Vulgati sensus : Propter sua scelera fient fabula mundi, legendo *iesoupharou.* — Vers. 14. *Dominum... usque ad limites terræ;* alii, *sciant... usque ad,* etc. — Versiculos 15-16 Hengstenberg vertit per futurum, *et revertentur,* etc.; Maurer vero per optativum, *et redeant,* etc. Vide notata vers. 7. — Vers. 16. Hengstenberg, *ipsi errabunt ad cibum : si non sint saturati, et* (tamen) *sic* (insaturati) *pernoctabunt.* Maurer, *vagentur isti ad vorandum,* prædatum exeant! *profecto satiabuntur,* strage puta, *et pernoctabunt,* noctem transigent supremam. — Vers. 17. *Mane,* ait Maurer et Hengstenberg, opponitur τῷ *vespere* vers. 15. — Vers. 18. *Benignus,* propr. *misericordiæ meæ.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Ne disperdas, *David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.*

Ex hoc titulo colligitur occasio scribendi Psalmum præsentem. Scribitur enim, lib. I *Reg.* cap. XIX, missos fuisse satellites a Saule, qui custodirent domum David, ne forte noctu effugeret, ut eum mane facto interficerent : sed

Davidem, conjugis suæ consilio et auxilio, per fenestram noctu demissum aufugisse. Scribit igitur in hoc Psalmo David orationem, quam imminente tam ingenti periculo fudit ad Deum; et simul prædicit, ut solet, perditionem inimicorum suorum. S. Augustinus et Theodoretus volunt Davidem figuram Christi fuisse : Christus enim in sepulcro, quasi in domo, custodiebatur a satellitibus, ut impediretur ejus resurrectio, et proinde etiam prædicatio Apostolorum, et ædificatio Ecclesiæ, quæ corpus est Christi. Sed Christus resurrexit non aperto sepulcro, relictis sindonibus, et David evasit relictis in lecto pellibus caprinis. Potest etiam totus Psalmus commode explicari generatim de impiis persequentibus justos, et impiorum exitio, ac justorum liberatione. Solet enim David occasione afflictionum suarum concionari in universum de afflictionibus et consolatione justorum, et malitia ac suppliciis iniquorum. Quæ etiam causa est cur Ecclesia frequentet assidue Psalmodiam; quod non tam accurate faceret, si de solo Davide plerique Psalmi intelligendi essent.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. ERIPE ME DE INIMICIS MEIS, DEUS MEUS, ET AB INSURGENTIBUS IN ME LIBERA ME.

Vox est Davidis in propria domo, quasi in carcere detenti, obsidentibus eum satellitibus Saulis : vox item est Christi in sepulcro jacentis, custodibus adhibitis : vox denique est cujuscumque justi in mortis periculo constituti.

Vers. 2. 2. ERIPE ME DE OPERANTIBUS INIQUITATEM, ET DE VIRIS SANGUINUM SALVA ME.

Hæc est explicatio versiculi superioris : quos enim dixit ibi *inimicos suos*, hic dicit, *operantes iniquitatem;* justi enim non alios habent inimicos, nisi iniquos; neque alia est causa inimicitiæ ipsorum, nisi quia illi iniqui sunt, isti justi; et quos ibi dixit, *insurgentes in se*, hic dicit, *viros sanguinum*, id est, viros homicidas, et qui insurgunt in proximum, ut ejus sanguinem fundant.

Vers. 3. 3. QUIA ECCE CEPERUNT ANIMAM MEAM, IRRUERUNT IN ME FORTES.

Reddit rationem cur dixerit, « salva me, » vel « eripe me, » quia videlicet in maximo discrimine vitæ amittendæ versabatur. Erat enim quasi fera inter rete conclusa, et comprehensa, et jamjam interficienda : quod explicat clarius vox græca ἐθήρευσαν, id est, *venati sunt animam meam*, quod etiam satis congruit cum hebraica ארבו *arebu*, quam S. Hieronymus vertit, *insidiati sunt animæ meæ*. Ergo illud, quod in nostra editione legimus, *ceperunt animam meam*, non significat, *acceperunt vitam meam, meque occiderunt*, sed *comprehenderunt me*, sive captivum me ceperunt. « Et irruerunt in me fortes, » id est, viri potentes, qualis erat rex Saul, Abner dux militiæ, et similes, in me impetum fecerunt : quod dicit, ut ostendat persecutionem suam non esse paucorum satellitum a quibus tunc obsidebatur, sed regis potentissimi, qui alios satellites ac milites ad eum occidendum mittere poterat.

Vers. 4. 4. NEQUE INIQUITAS MEA, NEQUE PECCATUM MEUM, DOMINE : SINE INIQUITATE CUCURRI, ET DIREXI.

Si ad personam Davidis hæc referantur, non significant nullum fuisse in Davide peccatum absolute, sed non fuisse peccatum adversus regem, ut æmuli ejus calumniabantur. At si referantur ad Christum, absolute verissima sunt : Christus enim « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, » ut scribit B. Petrus I *Epist.* II. Ait igitur : « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine, » id est, irruerunt in me fortes, et tamen nulla est iniquitas, nulla injustitia, neque peccatum aliud adversus eos a me patratum, ut causam persequendi me habeant. Ego enim « sine iniquitate cucurri, » id est, cursum vitæ hucusque peregi sine ulla ipsorum offensione. « Et direxi, » id est, rectum cursum institui, non declinavi, ad dexteram, ad aucupandos favores potentiorum; neque ad sinistram, ut opprimerem pauperes et humiles. In hebræo habetur in tertia persona, *cucurrerunt, et direxerunt*, id est, inimici mei cucurrerunt adversum me, et direxerunt acies suas, ut me occiderent. Sed Septuaginta Interpretes aliter legerunt verba hebraica, et facilis fuit mutatio, cum prima persona et tertia non differant, nisi in ultima terminatione. Sed res non est magni momenti.

Christus omni peccato caruit.

Vers. 5. 5. EXURGE IN OCCURSUM MEUM, ET VIDE : ET TU DOMINE DEUS VIRTUTUM, DEUS ISRAEL,

Vers. 6. 6. INTENDE AD VISITANDAS OMNES GENTES; NON MISEREARIS OMNIBUS QUI OPERANTUR INIQUITATEM.

Dixerat, *cucurri, et direxi* : qui autem dirigit cursum suum, sine dubio ad Deum currit, ad quem omnia bona, ut ad finem ultimum diriguntur. Ait igitur : Ego bene operando ad te cursum meum direxi; tu igitur vicissim me protegendo, mihi occurre, atque ad me cursum auxilii tui dirige, et vide de proximo periculum meum, considera afflictionem meam; neque potes excusare impotentiam, vel ignorantiam; nam « Dominus » et « Deus virtutum » es; atque ut Dominus, omnia potes, ut Deus, omnia vides, ut Deus virtutum, exercituum, non solum per te, sed etiam per angelos, et quaslibet alias creaturas me juvare potes, quia tibi omnia militant; denique « tu es Deus Israel, » proinde Israelitas, ut proprius eorum Deus ex fœdere cum patribus nostris inito protegere debes. « Intende ad visitandas omnes gentes, » id est, adveniat aliquando dies universalis judicii tui; « et tunc non miserearis omnium operantium iniquitatem, » id est, nullius operantis iniquitatem miserearis, sed omnes pro meritis punias. Hæc videntur accipienda prophetice potius, quam per modum imprecantis, ut

Ad Deum omnia bona diriguntur.

sensus sit : Veniet aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent omnes Deo summo Judici rationem factorum suorum ; et tunc Deus nullius impii miserebitur, sed omnes malos male perdet. Atque ex hac explicatione cessat quæstio, quam S. Augustinus movet, quomodo verum sit, quod hic dicitur : « Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem, » cum constet Deum misertum esse ipsius Davidis operantis iniquitatem adulterii et homicidii, et S. Petri ipsum Christum negantis, et S. Pauli Ecclesiam persequentis. Cessat, inquam, ista quæstio, quoniam Deus miseretur operantium iniquitatem, non ut Judex, sed ut Pater misericordiarum, dum operantes iniquitatem misericorditer convertit ad pœnitentiam. David autem hoc loco loquitur de Deo, ut Judex est, « qui reddet unicuique secundum opera sua, » *Matth.* XVI; ac præsertim in ultimo judicio nullius impii, vel iniqui miserebitur.

Deus miseretur operantium iniquitatem, non ut judex, sed ut pater.

Vers. 7. 7. CONVERTENTUR AD VESPERAM, ET FAMEM PATIENTUR UT CANES : ET CIRCUIBUNT CIVITATEM.

Pergit explicare miseram conditionem iniquorum in novissimo die. « Ipsi enim convertentur ad vesperam, » id est, finito die in quo fructuose converti licebat, nimisque sero sapere incipient, et pœnitentiam agere nihil eis profuturam, de quibus dicitur *Sap.* V : « Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes. » « Et famem patientur ut canes, » famem utique justitiæ, quam esuriere nequaquam quando tempus erat, vel famem qualiscumque consolationis et quietis ; « et circuibunt, » ut canes famelici, « civitatem Dei, » id est, electorum cœtum : respicient enim ad omnes, si quo modo apud aliquem misericordiam invenire possint, sed non invenient ; nemo enim Sanctorum in illa die miserebitur operantium iniquitatem. Erit autem hæc digna retributio, quoniam in hac vita viri iniqui « conversi sunt ad vesperam, » id est, ad tenebras noctis, non ad lucem diei ; « et famem passi sunt, » ut canes, id est, famelici fuerunt carnalium delectationum, quæ si comparentur ad spiritualia, cibi sunt corrupti, ac putridi, et canum proprii ; et ideo circuierunt civitatem, nam extra civitates in fossis murorum projici solent cadavera equorum, aliorumque animantium immundorum, quæ non ab hominibus, sed a canibus devorantur. Hunc locum alii exponunt de reversione satellitum ad vesperam, ut noctu Davidem in domo sua raperent, et instar canum vitam ejus devorarent. Alii de conversione Judæorum circa finem mundi, juxta illud Apostoli *Rom.* XI : « Cæcitas ex parte cecidit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. » Alii de conversione eorumdem Judæorum ad vesperam, id est, post mortem Christi, qui famem passi sunt, sicut canes, id est, sicut gentiles, et simul saturati sunt ad prædicationem Apostolorum, et tum ipsi quoque circumierunt civitatem docendo et prædicando ; quæ est expositio S. Augustini. Alii de reversione Judæorum in Palæstinam, post eversionem civitatis suæ Jerusalem, qui famem patiebantur pristinæ felicitatis et cæremoniarum legalium, et circuibant eversam civitatem, si quo modo eam reædificare possent. Nos lectori judicium relinquimus.

Vers. 8. 8. ECCE LOQUENTUR IN ORE SUO, ET GLADIUS IN LABIIS EORUM : QUONIAM QUIS AUDIVIT?

Revertitur ad malitiam iniquorum : vicissim enim loquitur Propheta nunc de culpa, nunc de pœna impiorum. « Ecce, » inquit, qui me quærunt ad necem, « loquentur in ore suo, » id est, submissa voce inter se loquentur, ut vix ex ore sonus egrediatur. « Et gladius in labiis eorum, » et verba ipsorum quasi gladius erunt, quoniam de nece inter se consultabunt. Secure autem inter se loquentur, « quoniam » dicent : « Quis audivit? » id est, nemo audivit, secretus erit sermo.

Vers. 9. 9. ET TU, DOMINE, DERIDEBIS EOS ; AD NIHILUM DEDUCES OMNES GENTES.

Illi putant se non audiri, quando inter se secreto consultant, et putant se magna facturos ; « sed tu, Domine, » cui nihil est occultum, « deridebis eos, » tanquam vanos, qui nosti eorum consilia, et impedire conatus ipsorum nullo negotio potes, nec solum inimicos meos deridebis, sed etiamsi omnes gentes cum illis conjungerentur, eas quoque contemneres, et nihili faceres. Ubi illud, *ad nihilum deduces*, in hebræo est, *subsannabis*, ut sit fere idem cum *deridebis*. In græco est ἐξουδενώσεις, *pro nihilo duces*, quod in idem recidit. Itaque ut nostra latina editio cum textibus originalibus conveniat, sic explicandum est illud : *Ad nihilum deduces*, id est, pro nihilo habebis, sive ad nihilum deduces in mente tua, quia tanquam nihilum existimabis. Clarius id habetur in *Ps.* XIV, ubi dicitur : « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, » ubi illud, *in conspectu ejus*, demonstrat deduci ad nihilum, non esse exstingui penitus, ac deleri, sed pro nihilo reputari. Quomodo dicitur *Isai.* XL : « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. »

Vers. 10. 10. FORTITUDINEM MEAM AD TE CUSTODIAM, QUIA, DEUS, SUSCEPTOR MEUS ES ; DEUS MEUS, MISERICORDIA EJUS PRÆVENIET ME.

Quia meminit omnipotentiæ Dei, coram quo omnes gentes pro nihilo reputantur, humiliat se sub potenti manu Dei, ut gratiam mereatur. « Fortitudinem, inquit, meam ad te custodiam, » id est, ego robur meum non ex me habeo, sed a te accepi ; ideo non in meis viribus est illud conservare, sed « ad te, » id est, apud te custodiam ; tu qui dedisti, conservabis, « quia susceptor meus es, Deus meus ; » id est, non sine causa confido in protectione tua, quia tu, Deus, suscepisti me prote-

gendum ab infantia mea, quia tu es proprie Deus meus, quem solum colo. « Misericordia ejus præveniet me, » id est, non frustra hæc loquor, quia misericordia Dei prævenit me olim, et (ut confido) semper præveniet, ut non sinat me opprimi ab hostibus meis. Hæc justissime David dicit, qui in pueritia præventus fuit gratia Dei, et robur divinitus accepit, ut ursum et leonem, ac deinde Goliath gigantem armatum ipse inermis occiderit, et in regem item adhuc puer a Samuele inunctus fuit. Quod si hæc referantur ad Christum, multo magis verificantur, cum ipse non a pueritia, aut infantia, sed a conceptione « unctus fuerit Spiritu Sancto et virtute, » ut loquitur S. Petrus apostolus *Act.* x. In hebræo legitur, *Dei misericordia ejus præveniet me.* Sed Septuaginta Interpretes non legerunt, *elohe*, sed *elohai*, *Deus meus*. Itaque Rabbini non recte puncta collocaverunt.

David in pueritia Dei est præventus misericordia.

Vers. 11. 11. DEUS OSTENDET MIHI SUPER INIMICOS MEOS; NE OCCIDAS EOS, NE QUANDO OBLIVISCANTUR POPULI MEI.

Vers 12. 12. DISPERGE ILLOS IN VIRTUTE TUA : ET DEPONE EOS, PROTECTOR MEUS, DOMINE.

Revertitur Propheta ad inimicos suos, ac prædicit pœnam ipsorum : sed hæc omnia magis loquitur in persona Christi, quam in persona propria. « Deus, inquit, ostendet mihi super inimicos meos, » id est, demonstrabit mihi supplicium, quod patientur inimici mei, quasi dicat : Jam revelavit mihi Deus quid eventurum sit inimicis meis, sed etiam reipsa ostendet eventum, et tunc videbo supplicium quod justissime patientur. Ego autem precor Deum, ut non occidat eos, id est, non omnino exstinguat gentem judaicam : « Nequando homines obliviscantur populi mei; » vult enim Christus agnosci populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, inquit, « ut Deus in virtute sua, » in potentia sua, cui nemo resistere potest, « dispergat illos » per orbem terrarum, et deponat eos de altitudine gloriæ, in qua positi erant, cum essent populus Dei peculiaris, et regnum ac sacerdotium obtinerent. Quæ omnia in Judæis videmus ad litteram adimpleri. In græcis codicibus habetur : *Nequando obliviscantur leges tuas,* et sic legunt Hilarius, Augustinus, Euthymius et alii; sed nostra lectio concordat cum hebraico codice ; et credibile est sic etiam vertisse Septuaginta Interpretes, sed græcum textum postea fuisse mutatum : testatur enim S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam,* in Septuaginta Interpretibus haberi, *populi mei*, ut habetur in hebræo.

Vers. 13. 13. DELICTUM ORIS EORUM, SERMONEM LABIORUM IPSORUM; ET COMPREHENDANTUR IN SUPERBIA SUA.

Explicat causam dispersionis Judæorum, quasi dicat : Hæc illis eveniant, propter « delictum oris eorum, » id est, propter sermonem labiorum ipsorum, quo dixerunt *Joan.* XIX : « Non habemus regem, nisi Cæsarem; » et : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros, » *Matth.* XXVII. Deus enim juste illis tribuit quod sibi imprecati sunt, juxta illud *Dan.* IX : « Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.» «Et comprehendantur in superbia sua, » id est, captivi fiant a Romanis, et humilientur, ac dejiciantur ob superbiam suam, qua gloriabantur se filios esse Abrahæ, et nemini usquam servivisse, ut perspicuum est ex cap. VIII *Joan.* Vere enim propter superbiam et contumaciam suam Romanorum indignationem in se provocaverunt, ut patet ex libris Josephi de bello Judaico. Sed illa occasio fuit exitii; vera autem causa fuit superbia, qua Dei Filium contempserunt.

Vers. 14. 14. ET DE EXECRATIONE, ET MENDACIO ANNUNTIABUNTUR IN CONSUMMATIONE, IN IRA CONSUMMATIONIS, ET NON ERUNT.

Immanissima Judæorum imprecatio quæ fuerit?

Per execrationem et mendacium intelligo verba illa supra dicta : « Sanguis ejus super nos ; » et : « Non habemus regem, nisi Cæsarem. » Illud enim : « Sanguis ejus super nos, » fuit horrenda execratio, qua sibi imprecati sunt Judæi pœnam debitam immanissimo omnium scelerum; illud autem : *Non habemus regem, nisi Cæsarem,* mendacium et simulatio fuit; constat enim illos noluisse dare Cæsari censum, et jactasse se liberos et nemini unquam servivisse, cum tamen hoc ipsum esset insigne mendacium : servierunt enim Pharaoni in Ægypto, Nabuchodonosori in Babylonia, Philistæis in terra promissionis, et tunc, cum hæc dicerent, Romanis manifestissime serviebant. Prædicit ergo Propheta, quod de hac execratione et mendacio, id est, propter hæc delicta oris ipsorum, propter eam horrendam execrationem, et tam superba mendacia, « annuntiabuntur in consummatione, » id est, divulgabuntur, et infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consummaretur ac destrueretur omnis potentia, omnis gloria, omnis status reipublicæ Judæorum. « In ira consummationis, » hoc est in illa consummatione, quæ non casu accidet, sed ab ira et indignatione Dei proveniet, et ideo erit perfecta et absoluta consummatio, ut nunquam deinceps Judæi regnum et civitatem regiam sint habituri : ideo additur, « et non erunt, » id est, et sic peracta consummatione, non amplius subsistent Judæi, id est, non erunt populus, nec regnum, sed dispersio et dissipatio miserabilis, ut hodie cernimus oculis nostris. In codice hebraico legitur : *De execratione et mendacio annuntiabunt*; sed verba hebraica facile mutant significationem : propterea Septuaginta Interpretes, qui peritissimi erant hebraicæ linguæ, verbum activum in passiva significatione interpretati sunt. In eodem codice legitur : *Consume in ira, consume, ut non subsistant.* Verum Septuaginta

Interpretes, vel acceperunt vocem כלה *calle* pro nomine, non pro verbo, id est, pro *consummatione*, non pro imperativo *consume*; vel certe sensum expresserunt, non verbum verbo reddiderunt.

Vers. 15. 15. ET SCIENT, QUIA DEUS DOMINABITUR JACOB, ET FINIUM TERRÆ.

Et cum fuerint dispersi Judæi per omnes terras, tunc scient, et aperte videbunt, Deum verum, non solum Dominum esse Jacob, id est, populi Israelitici, sed etiam « finium terræ, » id est, omnium gentium usque ad ultimos fines terræ. Antea, siquidem « notus erat in Judæa Deus, et in Israel magnum nomen ejus, » *Psalm.* XCV, dicebatur : « Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt, » *Psalm.* LXXVIII; sed post eversionem Jerosolymæ, Evangelio Christi per orbem terrarum prædicato, dispersi Judæi viderunt ubique Deum verum coli, idola confringi, psalmos Davidicos cani : ita didicerunt Deum non solum Judæorum Deum esse, sed etiam gentium.

Vers. 16. 16. CONVERTENTUR AD VESPERAM, ET FAMEM PATIENTUR UT CANES : ET CIRCUIBUNT CIVITATEM.

Sed nunquam apertius scient Deum dominari Jacob, et finium terræ, quam in novissimo die, quando « stabimus omnes ante tribunal Christi, » *Rom.* XIV, « et illi flectetur omne genu : » tunc convertentur ad pœnitentiam, sed ad vesperam, finito tempore misericordiæ; « et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem » electorum, ut cibum consolationis inveniant.

Vers. 17. 17. IPSI DISPERGENTUR AD MANDUCANDUM : SI VERO NON FUERINT SATURATI, ET MURMURABUNT.

Iidem Judæi dispergentur ad manducandum, recurrendo ad Patriarchas suos et Prophetas, atque ad eos clamando, ut canes famelici; et quia nihil consolationis accipient, neque ab illis pro filiis agnoscentur, murmurare incipient, et queri de infelicitate sua. Quod si hæc nostra explicatio non probetur, jam indicavimus alias multas, dum versiculum septimum explicaremus.

Vers. 18. 18. EGO AUTEM CANTABO FORTITUDINEM TUAM, ET EXULTABO MANE MISERICORDIAM TUAM.

Hactenus de impiis persecutoribus; nunc David in persona propria, sive potius in persona Christi, et Ecclesiæ, quæ corpus ejus est, explicat lætitiam et exultationem suam, nec non laudem Dei et actionem gratiarum. « Ego autem, inquit, cantabo fortitudinem tuam, » id est, miseri illi latrabunt et murmurabunt; ego autem e contrario « cantabo, » et laudabo « fortitudinem tuam, » id est, magnam potentiam tuam, quam ostendisti in debellatione et perditione iniquorum. « Et exultabo misericordiam tuam, » id est, exultans laudabo misericordiam, quam ostendisti in liberatione et glorificatione justorum : id autem faciam summo mane, id est, primo quoque tempore ante omnia alia negotia, vel « mane, » id est, inchoante die sempiternæ felicitatis, transacta jam nocte terribilis judicii universalis. Pro *exultabo*, multi latini codices habent *exaltabo* : sed lectio nostra concordat cum textu hebraico et græco, et sic legunt Patres.

Vers. 19. 19. QUIA FACTUS ES SUSCEPTOR MEUS, ET REFUGIUM MEUM IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ.

Declarat effectum misericordiæ, quam exultando decantaturum se promittit, quod videlicet « Deus susceptor ejus fuerit, » id est, protegendum susceperit, « et refugium » illi præstiterit « in omni tribulatione sua. »

Vers. 20. 20. ADJUTOR MEUS, TIBI PSALLAM, QUIA DEUS SUSCEPTOR MEUS ES; DEUS MEUS, MISERICORDIA MEA.

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum et gratum animum erga tantum benefactorem ostendat. Illud, *adjutor meus*, in hebræo est, *fortitudo mea*, ex quo intelligimus significari adjutorem robustum et potentissimum : proinde laudatur ea voce potentia Dei. Per illud autem, *susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quæ sub alas suas protegendos suscipit electos. Per illud, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum, ac finis ultimus omnium desideriorum; quamvis autem in hebræo sit, *Deus misericordiæ meæ*, tamen recte Septuaginta et latinus Interpres verterunt : « Deus meus, misericordia mea, » quia vox hebræa una et eadem, si legatur *elohe*, significat *Deus*, si legatur *elohai*, significat *Deus meus*; et sic legerunt Septuaginta, et hæc est vera lectio, quicquid Rabbini dicant. Denique illud, *misericordia mea*, significat in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad ipsum Deum, id est, ad summum bonum pervenimus : recte enim observat S. Augustinus multo amplius esse *misericordia mea*, quam *salus mea*, *vita mea*, *spes mea*, et similia. Misericordia enim fecit ut essemus, ut viveremus, ut liberaremur a malo, ut proficeremus in bono; misericordia Dei prædestinati sumus, vocati sumus, justificati sumus, glorificati tandem erimus : nam etiamsi glorificatio ex meritis detur, tamen ipsa merita nostra, dona sunt Dei, quia sine gratia præcedente nulla essent. Merito igitur idem Propheta in *Psalm.* CII dicit : « Qui coronat te in misericordia et miserationibus. »

Plus est misericordia mea, quam salus mea.

PSALMUS LX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem, ipsi David in doctrinam,* 2. *Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.*

V. s. h. — *Victori, pro liliis testimonium, et humilis simplicis David ad docendum, quando pugnavit adversus Syriam Mesopotamiæ, et adversus Syriam Soba: et reversus est Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

3. Deus, repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.

Deus, projecisti nos, scidisti : iratus convertisti nos.

4. Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.

Commovisti terram, et disrupisti eam : sana contritiones ejus, quoniam commota est.

5. Ostendisti populo tuo dura : potasti nos vino compunctionis.

Ostendisti populo tuo duritiam : potasti nos vino consopiente.

6. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus :

Dedisti metuentibus [al. *timentibus*] te signum, ut fugerent a facie arcus. SEMPER.

Ut liberentur dilecti tui : 7. salvum fac dextera tua, et exaudi me.

Ut liberentur amici tui : salva dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo : lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.

Deus locutus est in sanctuario suo : lætabor, dividam Sichimam, et vallem Soccoth dimetiar.

9. Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei.

Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraim fortitudo capitis mei :

Juda rex meus, 10. Moab olla spei meæ.

Juda legifer meus : Moab olla lavacri mei.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

Super Idumæam incedam calceamento meo : mihi Palæstina fœderata est.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Quis deducet me ad civitatem munitam, quis deducet me usque ad Idumæam ?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?

Nonne tu, Deus, qui projecisti nos, et non egredieris, Deus, in exercitibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

Da nobis auxilium de [al. *in*] tribulatione : vana est enim salus ab homine.

14. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

In Deo faciemus virtutem, et ipse conculcabit tribulantes nos.

Argumentum. — Strophæ tres, quatuor constantes versiculis : vers. 3–6, quæ civitati nostræ inflixisti vulnera, sanasti, o Jova; vers. 7–10, qui terram sanctam una cum terris adjacentibus nostram esse jussisti; vers. 11-14, te duce iterum vincemus. De carminis tempore et occasione vide not. ad vers. 2.

1. Præcentori, super lilium, revelatio, carmen mysticum Davidis, ad docendum,
2. Cum debellavit Aramum duorum fluviorum et Aramum Tsobæ, et reversus est Joabus et percussit Edomæos in valle Salis, duodecim millia *virorum*.

3. Deus, *quondam* repulisti nos, fregisti nos,
iratus fuisti, *nunc* reducis (temetipsum, vel spiritum, i. e. robur) nobis.

4. Concussisti terram, disrupisti eam :
sana fracturas ejus, nam vacillat.
5. Videre (experiri) fecisti populum tuum dura,
potasti nos vino titubationis.
6. Dedisti cultoribus tuis vexillum, ut elevarent sese,
propter fidem (promissionem) tuam.

7. Ut eripiantur dilecti tui,
serva dextera tua, et exaudi nos.
8. Deus locutus est in sanctitate sua : lætititia exsultem!
dividam Sichemum,
et vallem Succoth metiar.
9. Mihi est Gileaditis, et mihi Manasse *trans Jordanem*,
et *cis Jordanem* Ephraim munimentum capitis mei,
Juda sceptrum meum.
10. Moab olla (pelvis) lotionis meæ;
super Edom projiciam calceum meum;
de me, Philistæa, vociferare.

11. Quis ducet me in urbem nutritam?
quis deducet me usque in Edom?
12. Nonne tu, Deus, qui rejeceras nos,
neque exibas, Deus, cum exercitibus nostris?
13. Da nobis auxilium a tribulatione,
et (nam) vana est salus hominis.
14. In Deo (ejus auxilio) agemus fortiter,
isque pedibus comminuet adversarios nostros.

NOTÆ.

Vers. 1. Τὸ *super lilium* lætum ac ducem canendi modum denotat. Vid. not. vers. 1 *Ps.* XLV. *Revelatio* a Deo facta. Alii duo vocabula nectunt, ita tamen ut Maurero *shushan edouth* sit instrumentum musicum; Hengstenbergio autem τὸ *super lilium testimonii* sit titulus symbolicus, indicans aliquid lætum et faustum in *testimonio* seu lege inclusum, puta promissionem, quæ in secunda strophe legitur. — Vers. 2. *Debellavit* : Vulgatus, *succendit*, ac si esset *behatsitho*, a *catsath, incendit*. *Aramum duorum fluviorum*, Mesopotamiam. *Aramum Tsobæ*, Syriam Nesibenam : Syris enim Nesibis *Tsoba* dicitur. *In valle salis*, ad meridiem maris Mortui. *Duodecim millia*; sed II *Sam.* VIII, 12, et I *Paral.* XVIII, 12, cæsorum numerus dicitur 18 millia fuisse : incertum, utrum errore librariorum, an varie, ut sæpe veteribus fieri solet, numeratis cæsis : cum his enim, qui in acie ceciderunt, in fuga cæsi, prouti lubet, connumerari aut omitti possunt.

« Sic vero, ait Michaelis, res gesta videtur : quo tempore in Arabia et ad Euphratem cum Damascenis et Nesibenis Davides pugnabat, ipsam a tergo Judæam invaserunt Idumæi, Hierosolymæ imminentes, quam magno metu afflarunt. Ingens tumultus, ut ex *Ps.* LX intelligitur, sed uno prælio debellatum. Partem enim exercitus, incertum, Joabo an Abisæo duce, in Palæstinam reverti David jussit, eaque Idumæos, cum vix unius diei aut bidui itinere Hierosolyma abessent, tanta clade affecit, ut totius gentis servitus consequeretur. Davidi victoriam tribuit Samuelis liber, Joabo Psalmi LX titulus, Paralipomena Abisæo. Nec inter Samuelis libros et reliquos duo testes pugna : Davidi enim, ut regi, hic haberi honor potest, licet ipse præsens non esset, quod ejus pugnatum est auspiciis. Joabus ergo et Abisæus de hac laude contendant :..... ductu Joabi pugnatum dixerim, sed Abisæo, quod ejus maxime virtute parta victoria sit, a Chronicorum scriptore eam tribui. »

« Sunt qui huic inscriptioni ita omnem fidem denegent, ut carmen, quod sequitur, ad alia plane tempora, quam quæ in illa sunt indicata, referendum existiment..... Mihi quidem minime videtur opus esse,

hebræam inscriptionem sollicitare, cui certe traditionis a majoribus acceptæ auctoritas denegari non poterit. » Rosenmull.

Vers. 4. *Sana* : res jam acta tanquam nunc agenda narratur. — Vers. 5. *Vino titubationis* : tropus Orientalibus perquam familiaris, cujus sensus est, Deum populum Israeliticum ærumnis et calamitatibus affecisse, quæ cum vehementiores sint, animum obturbant, ut qui eo vino sit ebrius dolore pressus jaceat, nec quid consilii capiat, expedire possit. — Vers. 6. *Ut elevarent sese*, exsurgerent sub isto vexillo ad bellum, tuis promissis confisi. Alii, *ut elevaret sese*, et nos duceret; nectuntque ita : *dedisti... propter* vel *juxta promissa tua. Hithnoses*, hitph. de *nasas*. Sed Alexandrinus illud retulit ad verb. *nous*, fugere, *qoshet* vero confudit cum *qescheth*, *arcus*, unde hanc produxit interpretationem, *ut fugerent a facie arcus*. — Vers. 8. Sensus : Deus sancte, i. e. fideliter, promisit, ideoque lætitia afficior, promisit, inquam, me terra Cananæa potiturum. Juxta Evaldum et Maurer, quæ post *sanctitate sua* sequuntur Dei sunt sermo : *Exsultabo! Distribuam* inter vos, etc. Minus recte. *Sichem* urbs in montanis Ephraimi inter montes Ebal et Garizim sita. *Succoth* oppidum Gaditarum. — Vers. 9. Meminit locorum cis et trans Jordanem sitorum, ut dominium super totam terram describat. Quod Ephraimus *galeæ*, Juda autem *sceptri* imagine sistitur, indicat, has provincias potentia et imperio eminuisse. — Vers. 10. *Moab*, etc., *q. d. Serviat mihi pro vilissimo mancipio. Super Edom*, etc., ut victores agere solebant in devictos. Alii, *projiciam Idumææ calceum meum*, ut eum mihi purget, ut viles servuli solent : ita Hengstenberg. Maurer, *projiciam*, etc., id est, Idumæam occupabo, mihi tanquam propriam vindico, nam projectio calcei in peregrinam regionem signum erat occupationis, quandoquidem in translatione dominii symbolice calceus tradi solebat : cf. *Ruth.* IV, 7. *Vociferare*, clamorem lugubrem ede, utpote et ipsa imperio meo subjicienda : ita Maurer. Hengstenberg, *de me jubila*, i. e. gratulare tibi novum regem, me scil. Alii ironice hoc dictum volunt, de me jubila, si potes, aut si lubet, nihil effectura. Alii, *ad me* supplex *clama*. — Vers. 11. *Urbem*, Bozram, Idumææ caput. — Vers. 13. *Hominis*, ab hominibus exspectata. — Vers. 14. Cf. II *Sam.* VIII, 14.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro his qui immutabuntur. In tituli inscriptionem ipsi Davidi, in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

Occasio scribendi Psalmi præsentis fuit ea victoria, quæ narratur in titulo, et fusius lib. II *Reg.* cap. VIII, et I *Paralip.* XVIII. Occasione, inquam, hujus victoriæ canit Prophela præteritas afflictiones suas, et totius populi, et præsentem ac futuram felicitatem. Quæ omnia possunt etiam applicari Ecclesiæ, quæ post multas persecutiones mirum in modum dilatari et crescere cœpit, ut etiam imperatores et reges, eorumque imperia et regna sceptro suo subjiceret. Non legitur quidem in libris Regum, quod David succenderit Mesopotamiam et Sobal, sed tantum quod ceperit : cæterum non omnia scripta sunt in libris Regum, neque pugnat hic titulus cum ea historia, cum utrumque fieri potuerit. Videtur etiam hic titulus dissentire ab historia, quod hic videantur cæsa a Joab duodecim millia Idumæorum, in lib. autem I *Paral.* XVIII, dicantur cæsi Idumæi ab Abisai fratre Joab, ad decem et octo millia. Sed non est necesse ut de eadem cæde intelligamus titulum hujus Psalmi, et locum Paralipom. Potest enim fieri ut et Joab interfecerit duodecim millia, et Abisai alio tempore decem et octo millia.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS, REPULISTI NOS, ET DESTRUXISTI NOS : IRATUS ES, ET MISERTUS ES NOBIS.

Incipit narrare præteritas afflictiones populi Israelitici : « Deus, inquit, repulisti nos » a paterna cura et protectione, « et destruxisti nos, » permittens nos destrui, opprimi et vexari a Philistæis, Idumæis, Moabitis aliisque populis inimicis nostris. « Iratus es, et misertus es nobis, » id est, iratus es nobis ob peccata, quibus te ad iracundiam provocavimus, et ideo tradidisti nos in manus hostium nostrorum; sed tamen paulo post « misertus es nobis, » dum nos per gratiam tuam ad pœnitentiam revocasti, et post pœnitentiam a captivitate et persecutione liberasti. Hæc verissima esse intelliget, qui leget librum Judicum, et librum primum Regum. Vicissim enim Judæi nunc ob peccata tradebantur in manus hostium, nunc ob pœnitentiam liberabantur. Eadem contigerunt Ecclesiæ Christi ; persecutionum enim causa tribuitur peccatis christianorum a S. Cypriano in serm. *De lapsis*, ab Eusebio lib. VIII

Vicissitudines populi Judaici et Ecclesiæ unde sint?

Hist. Ecclesiasticæ, a Victore Africano lib. I *De Persecutione Vandalica*, et ab aliis. Tanta autem erat interdum vis persecutionis, ut Ecclesia verissime dicere posset : « Deus repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et misertus es nobis. » Illud autem, *misertus es nobis*, potissimum tribui debet fortitudini sanctorum martyrum ; quamvis enim Deus iratus peccatis christianorum persecutiones permitteret, tamen valde miserebatur Ecclesiæ, dum insigni dono fortitudinis armaret plurimos christianorum ; et major esset Ecclesiæ gloria ob coronas innumerabilium martyrum, quam depressio et vastatio ob rapinas bonorum, et ruinas ædificiorum sacrorum.

Fortitudo martyrum evenit ob misericordiam Dei.

Vers. 2. 2. COMMOVISTI TERRAM, ET CONTURBASTI EAM; SANA CONTRITIONES EJUS, QUIA COMMOTA EST.

Explicat magnitudinem persecutionis. « Commovisti, inquit, terram, » id est, non unum, aut alterum populum, non unam, aut duas civitates, sed orbem terræ commovisti. Et quidem si respiciamus persecutiones judaicas, sensus erit : « Commovisti » totam « terram » promissionis; si vero cogitemus persecutiones christianas, quæ sæpe universales erant, sensus erit : « Commovisti terram » universam, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam ; « et conturbasti eam, » id est *dirupisti* (id enim proprie sonat vox hebraica פצם *patsam*), sive *scidisti*, aut *vulnerasti* eam, multis Ecclesiæ membris amputatis, ac per hoc valde « conturbasti eam. » Magna enim turbatio erat in Ecclesia quando membra principalia, Episcopi et Doctores trucidabantur. « Sana contritiones ejus, quia commota est, » id est, tu Deus, qui non ut hostis, sed ut medicus, Ecclesiam ferro aut igne vexasti, sana etiam scissiones et vulnera ejus, quoniam bona commotione mota est, admonita videlicet hoc flagello, conversa est ad pœnitentiam, et ad currendam deinceps viam mandatorum tuorum, quæ diuturna prosperitate languere, ac in via subsistere cœperat.

Vers. 3. 3. OSTENDISTI POPULO TUO DURA, POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS.

Persistit in eadem narratione, ac dicit : « Ostendisti populo tuo dura, » id est, fecisti ut populus tuus videret, et experiretur duras persecutiones et afflictiones. « Potasti nos vino compunctionis, » id est, occasione hujus flagelli, fecisti ut rediremus ad cor, et biberemus calicem amarum, sed salubrem sanctæ compunctionis. In verbo *ostendisti*, insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes nobis, non tam immittit, quam ostendit, ut terreat, non ut noceat : unde multo sunt minores, quam carnalibus videantur; ideo dicit Apostolus, II *Cor.* IV : « Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostræ, » etc. In verbo autem, *potasti nos*, insinuatur eadem benignitas Dei, qui donum saluberrimum pœnitentiæ non ostendit, sed intra nos, atque adeo in imum cordis infundit, quomodo vinum epotum ad viscera calefacienda descendit. Non desunt, qui legant, *vinum soporis*, et sic in hebræo haberi contendant. Sed vox hebraica תרעלה *tarhelah* ambigua est, et sicut *soporem* secundum aliquos significat, ita secundum alios *tremorem*, vel *fletum*, vel, ut Septuaginta viri peritissimi transtulerunt, *compunctionem*. S. Augustinus legit, *vino stimulationis*, quod est idem cum *vino compunctionis;* stimulus enim ad pungendum fieri solet.

Benignitas Dei in nos manifestatur.

Vers. 4. 4. DEDISTI METUENTIBUS TE SIGNIFICATIONEM, UT FUGIANT A FACIE ARCUS.

Per illa omnia dura (persecutiones videlicet, et afflictiones) quibus in hoc mundo justi vexantur, signum dat electis suis « metuentibus eum, ut fugiant a facie arcus, » qui sagittas lethiferas jaculabitur in omnes impios tempore suo, id est, in novissimo die : tribulationes enim, quibus nunc purgantur electi a venialibus maculis, signa sunt gravissimarum pœnarum, quas luent impii post hanc vitam ; atque hoc est, quod scribit apostolus Petrus in *Epist.* I, cap. IV : « Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio ? » Et coapostolus ejus Paulus I *Cor.* XI : « Cum judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. » Deus igitur, dum purgat electos, significat illis, ut a temporali sua tribulatione admoniti, intelligant quæ supplicia maneant impios, et ideo juste et pie viventes fugiant a facie arcus divini, qui extensus nunc manet, sed in die novissimo cum tanto impetu laxabitur, ut impios in æternum perdat.

Deus, dum purgat electos, quid intendat?

Vers. 5. 5. UT LIBERENTUR DILECTI TUI, SALVUM FAC DEXTERA TUA, ET EXAUDI ME.

Concludit orationem suam, ac si diceret : Ut ergo liberentur dilecti tui a persecutionibus et angustiis, in quibus tamdiu versati sunt, « salvum fac dextera tua » me regem populi tui, « et exaudi me » pro universo populo deprecantem.

Vers. 6. 6. DEUS LOCUTUS EST IN SANCTO SUO : LÆTABOR, ET PARTIBOR SICHIMAM, ET CONVALLEM TABERNACULORUM METIBOR.

Vers. 7. 7. MEUS EST GALAAD, ET MEUS EST MANASSES : ET EPHRAIM FORTITUDO CAPITIS MEI.

Jam incipit ostendere exauditam fuisse orationem suam, et se victoriam obtinuisse de omnibus fere hostibus suis, ac dilatasse vehementer imperium suum. « Deus, inquit, locutus est in sancto suo, » id est, Deus locutus est per me sanctum Prophetam suum, et aperte prædixit quæ futura erant, et jam magna ex parte completa sunt. In textu hebræo juxta puncta Rabbinorum legitur : *Deus locutus est in sanctitate sua*, sive *in sanctuario*. Sed eadem vox hebraica cum aliis punctis significat, *in sancto suo* : nam קדשו *kodsho* est,

in sanctitate sua, et קדשו *kedosho* est, *in sancto suo*, et sic legerunt Septuaginta Interpretes et omnes veteres, excepto S. Hieronymo, qui in versione ex hebræo legit cum Rabbinis, *in sanctuario suo*; sed in *Commentario* legit et interpretatur, *in sancto suo*, id est, in Christo, cujus typum David gerebat. Erat autem notissima prædictio toti populo; nam Abner, dux militiæ Saulis, lib. II *Reg.* cap. III, dicit populo : « Dominus locutus est ad David, dicens : In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. Lætabor, et partibor Sichimam. » Post mentionem factam prophetiæ, incipit demonstrare eam prophetiam magna ex parte esse adimpletam. « Lætabor, » inquit, tanquam victor imperio acquisito, et mirifice dilatato; ac primum « partibor Sichimam, » id est, Samariam, tanquam dominus ejus in partes suas dividam, numerabo urbes, oppida, pagos, constituam in eis judices et magistratus. « Et convallem tabernaculorum metibor, » id est, et idem faciam in regione proxima, quæ dicitur « convallis tabernaculorum. » Lege cap. XXXIII *Genes.* : ibi enim dicitur regio illa appellata *Sochot*, id est, *tabernacula*, quia ibi primum Jacob fixit tabernacula, et emit partem agri in terra Sichimorum. Notandum hoc loco est Davidem, enumeraturum provincias regni sui, cœpisse a Sichima, quæ in Samaria est, et pro ipsa Samaria accipitur; et a valle tabernaculorum, quia ibi fuit initium possessionis Jacob et filiorum ejus in terra promissionis. Notandum etiam Davidem non meminisse hoc loco nisi Sichimæ, Sochot, Galaad, Manasse et Ephraim, quæ omnia pertinebant ad tribum Joseph, quia illa erat omnium maxima, et ideo sub nomine ejus intellexit provincias omnium decem tribuum, quæ pertinebant ad regnum Israel. Seorsim postea meminit tribus Juda, cum qua conjungebatur tribus Benjamin, et dicebatur regnum Juda, post divisionem factam sub Roboam. Addit igitur : « Meus est Galaad, et meus est Manasses, » id est, mea est regio, quæ dicitur Galaad a viro sic nominato, et mea est regio, quæ dicitur Manasses a Manasse filio Joseph. « Et Ephraim fortitudo capitis mei, » id est, mea est regio, quæ dicitur Ephraim ab altero filio Joseph; quæ quidam regio plena est virorum fortium, ut dici possit « fortitudo capitis mei, » id est, in qua consistit præcipuum robur, et defensio capitis mei, seu vitæ meæ, et regni mei.

Vers. 8. **8. JUDA REX MEUS : MOAB OLLA SPEI MEÆ.**

Post enumeratas provincias decem tribuum sub nomine Manasse et Ephraim, nunc addit tribum Juda, cum qua, ut dixi, conjungebatur tribus Benjamin. « Juda, inquit, rex meus, » id est, mea quoque est tota regio, quæ dicitur Juda a Juda filio Jacob, quæ tribus Juda est tribus regia : nam, ut dixit idem David lib. I *Paralip.* cap. XXVIII : « Deus de Juda elegit principes; » et ipse etiam Jacob moriens, et benedicens filiis, dixit de Juda *Gen.* XLIX : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, » etc., ad quam promissionem hoc loco David alludens usus est eadem voce hebraica, qua usus fuerat Jacob; nam in hebræo est utrobique vox מחקק, pro qua hoc loco habemus *rex*, et in Genesi *dux*. Significat autem proprie מחקק, *legislatorem* : proprium enim principis, sive regis, sive ducis, est leges dare subjectis populis. Dicit igitur : « Juda rex meus, » id est, tribus Juda, quæ principatum gerit in populo meo, ut ex qua prodierunt principes patres mei, et prodibunt principes filii mei. Post enumeratas provincias regni proprii, enumerat provincias hostium debellatorum, quæ tributariæ factæ erant; ac primo loco ponit provinciam Moabitarum, quæ dicebatur Moab a Moab filio Loth nepote Abraham. « Moab, inquit, olla spei meæ, » id est, provincia Moab mihi jam subjecta est instar ollæ plenæ carnibus, in cujus abundantia et ubertate sperare possum. In hebræo legitur סיר רחצי, *Moab olla lotionis meæ*; et sensum esse volunt, qui ita legunt, Moabitas coactos fuisse ab Israelitis victoribus servire in humili ministerio lotionum : sed in nulla historia legitur Moabitas in tam humili ministerio serviisse Hebræis. Deinde, quamvis verbum רחץ *rachats*, quod hic habetur, significet *lavare*, tamen Septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut verterent *olla spei meæ*, si vox hebræa solam *lotionem* significaret. Itaque credibile est, aut Septuaginta Interpretes aliquid aliud legisse, aut eam vocem significare non solum *lotionem*, sed etiam *spem* ac *fiduciam*, quemadmodum apud Chaldæos significat.

Juda princeps tribus in filiis Israel.

Vers. 9. **9. IN IDUMÆAM EXTENDAM CALCEAMENTUM MEUM, MIHI ALIENIGENÆ SUBDITI SUNT.**

Pergit referre quas alias provincias hostium debellaverit, aut debellare cupiat. « In Idumæam, inquit, extendam calceamentum meum. » Idumæa est regio quam possidebant, qui ab Esau fratre Jacob ortum ducebant. Et quamvis, cum hic Psalmus scriberetur, jam obtinuisset David unam victoriam adversus Idumæos, et occidisset ex ipsis duodecim millia, ut dicitur in titulo Psalmi : tamen nondum totam Idumæam sibi subjecerat; quod postea factum est, ut patet ex illis verbis II *Reg.* VIII : « Et facta est universa Idumæa serviens David. » Ait igitur : « In Idumæam extendam calceamentum meum, » id est, pergam ad bellandam et pedibus conculcandam Idumæam. « Mihi alienigenæ subditi sunt, » hoc est, jam enim Philistæos, qui alienigenæ sunt, debellavi. Philistæi dicuntur alienigenæ, quia nullam affinitatem habebant cum Israelitis. Idumæi enim, Ammonitæ et Moabitæ, quamvis non essent filii Jacob, tamen erant affinitate aliqua illis conjuncti, siquidem Idumæi descendebant ab Esau, sive Edom, qui erat frater Jacobi; Ammonitæ et Moabitæ descendebant a Loth nepote Abrahami. Ex hebræo

David potitus est tota Idumæa.

S. Hieronymus vertit : *Alienigenæ confœderati sunt*; et nostra Vulgata editio in Psalmo CVII, ubi repetentur hi versiculi, sic habet : *Alienigenæ mihi amici facti sunt.* Vox hebraica התרועעי ambigua est : potest enim deduci a verbo רעע *rahah,* quod significat *subjicere* et *conterere*; hanc significationem secuti Septuaginta dixerunt : *Mihi subditi sunt.* Potest etiam deduci a verbo רעה *raha,* quod significat *pascere*, et *societatem*, *atque amicitiam contrahere*; et hanc significationem amplexus est S. Hieronymus, et noster Interpres in Psalmo CVII, qui dixerunt, *confœderati sunt,* vel *amici facti sunt.* Sed uterque sensus bonus est, siquidem Philistæi devicti bello, et tributarii effecti, ac per hoc subditi, ad fœdus et amicitiam admissi sunt.

Vers. 10. 10. QUIS DEDUCET ME IN CIVITATEM MUNITAM? QUIS DEDUCET ME USQUE IN IDUMÆAM?

Quoniam hæc sola gens restabat omnino subjicienda, quæ habitabat in locis munitissimis, ideo David nunc dicit : « Quis deducet me in civitatem munitam? » id est, quo duce, quo auxiliante ingredi potero victor in regiam Idumææ, quæ est civitas valde munita? De munitione regis Idumæorum scribit Abdias propheta cap. I, vers. 3 et 5 : « Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram? si exaltatus fueris, ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detrahm te, dicit Dominus. » Declarat autem David de qua civitate munita loquatur, cum addit : « Quis deducet me usque in Idumæam? » id est, quis faciet ut capiam Idumæam, et in eam victor ingrediar? Hæc omnia ad Christum et Ecclesiam mirifice accommodantur; nam regnum Juda est ipsa Ecclesia fidelium. Sichimitæ, sive Samaritani significant hæreticos, qui magno cum labore, sed tandem aliquando vincentur et subjicientur omnes. Ephraim et Manasse significant schismaticos, siquidem Hieroboam separavit eos a Hierosolyma et a templo Domini, et erexit aliud altare : et isti quoque tempore suo subjicientur. Moabitæ et Philistæi significant Gentiles, qui et ipsi ab Ecclesia separabuntur. Denique Idumæi significant Judæos, qui in Christum credere noluerunt, qui omnium obstinatissimi in fine mundi convertentur ad Christum. Quamvis enim Judæi recentiores nos christianos, Idumæos vocent, se autem Israelitas : tamen Apostolus *Rom.* IX, 6, satis aperte declaravit carnales Israelitas secundum spiritum Idumæos esse, non Israelitas; christianos autem secundum spiritum veros esse Israelitas : de qua re vide S. Augustinum in epist. 197, quæ est *ad Asellicum,* alias 200.

Hæc omnia pulchre ad Ecclesiam accommodantur

11. NONNE TU, DEUS, QUI REPULISTI NOS? ET NON EGREDIERIS, DEUS, IN VIRTUTIBUS NOSTRIS? Vers. 11.

Respondet interrogationi per aliam interroganem, quasi dicat : Non est alius, qui me introducere possit in civitatem munitissimam Idumææ, nisi tu, « Deus, qui repulisti nos; et non egredieris » ad bellum confisus « in virtutibus, » id est, in exercitibus nostris : sicut enim te repellente et deserente vincebamur, ita te solo præsente et adjuvante vincere poterimus, non confidentes in viribus exercituum nostrorum, sed in tui solius omnipotentissima virtute.

12. DA NOBIS AUXILIUM DE TRIBULATIONE, QUIA VANA SALUS HOMINIS. Vers. 12.

Ergo, inquit, tu qui solus potes, et in quo solo confidimus, « da nobis auxilium, » quo de omni tribulatione et angustia liberemur, quia « vana est salus, » quæ ab hominibus exspectari potest.

13. IN DEO FACIEMUS VIRTUTEM, ET IPSE AD NIHILUM DEDUCET TRIBULANTES NOS. Vers. 13.

In Dei auxilio confisi « faciemus virtutem, » id est, fortiter agemus; « et ipse » erit qui, ut principalis auctor, per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes inimicos qui nos tribulant. Nomine *virtutis* in versu undecimo intelleximus *exercitum,* in hoc autem versiculo intelligimus *fortitudinem,* quia verba hebraica diversa sunt, et illud *exercitum,* hoc *fortitudinem* significat. Quod si in bello corporali verum est in solo Deo confidendum esse, tanquam in auctore præcipuo, multo magis id verum est de bello spirituali, quo Ecclesia pugnat adversus hæreticos, schismaticos, ethnicos et judæos, « et contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, » *Ephes.* VI.

PSALMUS LXI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem, 1. In hymnis David.*

2. Exaudi, Deus, deprecationem meam : intende orationi meæ.

3. A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

V. S. H. — *Victori, in Psalmis David.*

Exaudi, Deus, laudationem meam : intende orationi meæ.

De novissimo terræ ad te clamabo, cum triste fuerit cor meum.

Deduxisti me, 4. quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.

5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.

6. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

7. Dies super dies regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis et generationis.

8. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.

Cum fortis elevabitur adversum me, tu eris ductor meus.

Quoniam [al. tac. *quoniam*] fuisti spes mea, turris munitissima a facie inimici.

Habitabo [*h. peregrinabo*] in tabernaculo tuo jugiter [*h. in sæculum*]: sperabo in protectione alarum tuarum. SEMPER.

Tu enim, Deus, exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies, annos ejus donec est generatio et generatio.

Sedebit semper [*h. in sæculum*] ante faciem Dei, misericordia et veritas servabunt eum.

Sic canam [*h. psallam*] nomini tuo jugiter, reddens vota mea per singulos dies.

Argumentum. — Implorat auxilium divinum ita, ut recordetur defensionis priorum temporum, ex quibus spem concipit, fore ut regnum recuperet, idque diu et feliciter teneat. Ex vers. 3, ubi poeta se *ex finibus terræ* ad Deum clamare dicit, patet, composuisse hoc carmen, dum exsul esset ultra Jordanem, quo profugerat Absalonis metu, II *Sam.* XVII, 22.

1. Præcentori, *canendum* ad modum *instrumenti* neginath, *carmen* Davidis.

2. Audi, Deus, clamorem meum;
attende preces meas.
3. A fine terræ ad te clamo,
dum caligine obvolvitur cor meum;
in petram *quæ* altior me est, ducas me.
4. Nam tu es refugium mihi,
turris firma coram hoste.
5. Fac ut commorer in tabernaculo tuo in perpetuum,
confidam (confugiam) in latibulo alarum tuarum.
6. Nam tu, Deus, exaudis vota mea,
das (reddis) *mihi* hæreditariam possessionem cultorum tuorum (terram israeliticam).
7. Dies diebus regis adjicias!
Anni ejus *sint* secundum generationem et generationem (sicut ætates multæ)!
8. Solio sedeat in æternum coram Deo!
Gratia et fides fac (propr. *para, jube*) ut custodiant eum!
9. Sic psallam nomini tuo in sæculum,
ut solvam (solvendo) vota mea de die in diem.

NOTÆ.

Vers. 1. *Neginath,* instrum. pulsatile (hinc alii, *cum chordis*), et, ut videtur, a *neginoth* diversum. — Vers. 3. *A fine terræ* : vid. *Argumentum. Caligine obvolvitur* : verba, quæ *involvere* aut *obtegere* notant, tam apud Hebræos, quam apud Arabes frequenter ad animum anxium, miseria quasi obvolutum, transferri constat. *Rupem,* forsan Hierosolymam. *Altior,* etc., i. e. quam meis viribus assequi nequeo.—*Tabernaculo tuo* : ergo ante constructionem *templi:* unde Davidis esse hunc Psalm. contra Ewaldum et alios argui potest. — Vers. 6. Vulgatus subaudiit ל ante *ireei.* — Vers. 8. *Coram Deo,* Deo placens, eumque habens propitium. *Fac,* imperat. pih. per apocopen tertiæ radic. pro *manneh.* Aliis, ut Vulgato, est *quis* interrogativ., sed sine sensu commodo. — Vers. 9. *Sic,* quum tu precibus meis satisfeceris.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, in hymnis David.

Argumentum hujus Psalmi ex sententia recentiorum quorumdam est oratio Davidis in exilio positi. Ex sententia Theodoreti et Euthymii est oratio populi apud Babylonem captivi. Sed ex sententia SS. Hilarii, Hieronymi et Augustini, quos nos sequimur, est oratio hominis justi, sive Ecclesiæ christianæ in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam cœlestem et quietem perpetuam suspirantis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXAUDI, DEUS, DEPRECATIONEM MEAM : INTENDE ORATIONI MEÆ.

Præfatio brevissima hæc est, qua vir justus, sive populus christianus petit audientiam a Deo, ut exaudiat deprecationem suam, et ab ea audita non avertatur, sed benigne potius eam cónsideret. Vox hebraica רנה *rinnah* significat *clamorem*, non simplicem deprecationem; proinde per deprecationem intelligere debemus orationem magno affectu prolatam, et cum ingenti clamore cordis, et ideo merito petit audiri, et attendi : oratio enim frigida et solis labiis fusa non penetrat nubes, nedum cœlum cœlorum.

Oratio frigida et solis labiis facta non penetrat nubes.

Vers. 2. 2. A FINIBUS TERRÆ AD TE CLAMAVI, DUM ANXIARETUR COR MEUM : IN PETRA EXALTASTI ME.

Nunquam fuit David exul in finibus terræ, neque captivi ducti sunt unquam filii Israel in fines terræ : quare vox hæc Ecclesiæ est, quæ occupavit orbem terræ usque ad ultimos terminos ejus, juxta illud *Psalm.* II : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Ait igitur : Ego propagata usque ad fines terræ, « ex ipsis finibus terræ, » id est, ex toto orbe simul per voces membrorum meorum, « ad te clamavi, » ubi per verbum *clamavi* declaravit vocem, illam *deprecationem*, nihil esse aliud, nisi ingentem clamorem. Potest etiam per *fines terræ*, intelligi distantia maxima ab eo qui clamat, ad eum cui clamatur. Deus enim cui clamatur est in finibus cœli, id est, in summo cœlo; is vero qui clamat, est in finibus terræ, id est, in ima terra; ut hæc sit ratio tanti clamoris. Quomodo in *Psalm.* CXXIX dicitur : « De profundis clamavi ad te, Domine. » Magna enim voce clamare debet, qui in imo positus exaudiri vult ab eo qui sedet super Cherubim in altissimo cœlo, id est, qui intelligens infinitam distantiam inter suum nihil et divinas perfectiones, tamen cum ipso Deo colloqui in oratione præsumit. « Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. » Reddit rationem cur magna fiducia clamet ad Deum, quia videlicet, alias expertus est auxilium divinum sibi in tribulatione non defuisse. « Dum » alias, inquit, non raro « anxiaretur cor meum, » ob varias tentationes deprimentes me, tu clamantem exaudisti, « et in petra exaltasti me, » id est, in altissimo et munitissimo loco collocasti, quem locum paulo post « turrim fortitudinis » appellabit. Porro petra ista sublimis Christus est, in quem quicumque per contemplationem exaltatur, et quanta ipse prior passus sit, et quem exitum passiones ejus habuerint, diligenter recogitat, facile vincit, et contemnit omnia. In hebræo habetur, *in petra exaltabitur supra me*, quæ verba nullum sensum faciunt : ideo credibile est Septuaginta non legisse ירום ממני *iarum mimmenni, exaltabitur supra me*; sed iisdem litteris, una dempta, ירוממני *ieromemenni, exaltabit me*, sive *exaltavit me*, ut habetur in *Psalm.* XXVI; nam futurum sæpe accipitur pro præterito : parum autem refert quod ad sensum attinet, sive dicatur, *in petra exaltasti me*, sive *Deus in petra exaltavit me*.

Christus petra sublimis.

Vers. 3. 3. DEDUXISTI ME, QUIA FACTUS ES SPES MEA, TURRIS FORTITUDINIS A FACIE INIMICI.

Declarat quod dixit, « in petra exaltasti me : » « Deduxisti me, » inquit, id est, dux mihi fuisti, cum fugerem ab hoste tentationibus me impugnante. « Quia factus es spes mea, » id est, hoc fuit me deducere, et ducem mihi se præbere, implere me bona spe, quæ fecit ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Itaque tu « factus es spes mea, et turris fortissima a facie inimici : » qui enim confidit in Deo, et recogitat quid Christus ipse sit passus, et ad quantam gloriam resurgendo pervenerit, et ipsum esse caput nostrum, quem intuendo discimus, quid in terris agere et pati, et quid in cœlo exspectare et desiderare debeamus, ille sine dubio turrim munitissimam ascendit, ubi non solum jacula hostium vitare, sed etiam in hostes tela jaculari poterit.

Vers. 4. 4. INHABITABO IN TABERNACULO TUO IN SÆCULA, PROTEGAR IN VELAMENTO ALARUM TUARUM.

Docet turrim istam fortissimam non esse cœlestem habitationem, sed peregrinantium tabernaculum : nam et vox hebræa גור *gur*, et græca παροικέω, quæ hic habentur, significant proprie, *habitare more peregrinorum*. Ait igitur : « Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, » id est, in turri illa fortitudinis inhabitabo tanquam peregrinus in tabernaculo; atque interim « protegar in velamento alarum tuarum, » ut pullus sub alis gallinæ, ne morsibus milvorum pateam. S. Hilarius exponit hanc habitationem tabernaculi de habitatione domus cœlestis, propter illud verbum, *in sæcula*, Sed S. Augustinus exponit de habitatione peregrinantium, cui favent proprietates vocabulorum, et etiam metaphoræ, quibus Propheta utitur, *turris* quæ defendit ad impetu hostium, *tabernaculi*, quod defendit a pluviis et sole, et *velamentis alarum*, quod defendit a morsibus milvi. Illud, *in sæcula*, significat hoc loco *assidue, perpetuo, semper*, ut sensus sit : Ab hoc tabernaculo non recedam, quamdiu periculum tentationis erit; quod verbis propriis dicere potuisset : In tua protectione semper confidam, quamdiu vixero in hac carne mortali; vel, ut S. Augustinus exponit, illud, *in sæcula*, significat : Usque in finem sæculi. Ecclesia enim, quæ hic loquitur, durabit usque ad mundi consummationem, in velamento alarum Dei : quamvis enim undique ab hostibus impetatur, tamen « portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » *Matth.* XVI.

Vers. 5. 5. QUONIAM TU, DEUS MEUS, EXAUDISTI ORATIONEM MEAM : DEDISTI HÆREDITATEM TIMENTIBUS NOMEN TUUM.

Ratio fiduciæ meæ est : « Quia tu, Deus meus, semper exaudisti, » id est, semper exaudire consuevisti « orationem meam; » exaudisti autem orationem meam, quia inter filios tuos numerasti me, « quibus hæreditatem jam dedisti, » id est, firmiter promisisti : si enim Deus timentibus se filiis suis hæreditatem æternam servat, quomodo non defendet eos in via? quomodo non exaudiet eos de quacumque tribulatione clamantes ad se? quis enim pater filios probos unquam despexit, aut deseruit? « Et si Deus pro nobis, quis contra nos? » *Rom.* VIII. Itaque de hæreditate in cœlis, et protectione in terris omnino securi ac certi sumus, si vere timuerimus eum.

Vers. 6. 6. DIES SUPER DIES REGIS ADJICIES, ANNOS EJUS USQUE IN DIEM GENERATIONIS ET GENERATIONIS.

Quia Propheta meminit hæreditatis Sanctorum, quæ est vita æterna, declarat hanc hæreditatem toti Ecclesiæ promissam, inchoandam esse in capite; et ideo dicit : « Dies super dies Regis adjicies, » id est, Christo regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine, et similiter « annos ejus » multiplicabis « usque in diem generationis et generationis, » id est, usque in diem æternitatis; qui dies, quamvis unus sit, tamen æquivalet generationi et generationi, sæculo et sæculo, temporibus et temporibus sine fine. Hac phrasi æternitatem significari perspicuum est ex *Psal.* CXVIII, ubi dicitur : « In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo, in generatione et generationem veritas tua. » Cui simile est quod dicitur in *Psalm.* CXXXIV : « Domine, nomen tuum in æternum; Domine, memoriale tuum in generatione et generationem. » In quibus locis pro eodem accipitur *in æternum*, et *in generatione et generationem*. Ex his aperte colligitur hunc Psalmum non convenire regi Davidi, sed soli regi Christo. David enim non vixit ultra septuaginta annos, neque regnum permansit in domo ejus, nisi ad certum ac definitum tempus. Itaque æternitas regis et regni in Scripturis sanctis prædicta, in Christo adimpletur : nam « et regni ejus non erit finis, » ut dicitur *Luc.* I; et « ipse resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, » *Rom.* VI. Æternitas regis vel regni intelligitur de Christo.

Vers. 7. 7. PERMANET IN ÆTERNUM IN CONSPECTU DEI : MISERICORDIAM ET VERITATEM EJUS QUIS REQUIRET?

Rex Ecclesiæ « Christus permanet in æternum in conspectu Dei; » ad hoc enim « introivit in cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis, » Apostolo teste, *ad Hebr.* IX. In hebræo est ישב, *sedebit*, sive *sedet in æternum in conspectu Dei*, ut intelligamus Christum permanere sedendo, ut decet regem, non assistendo more ministrorum. « Misericordiam et veritatem ejus quis requiret? » id est, misericordiam, qua redemit genus humanum, et veritatem, qua promissa servavit et servat, « quis investigabit? » Sunt enim abyssus multa, ac, ut Apostolus dicit *ad Ephes.* III : « Charitas Christi supereminet scientiæ, » id est, major est quam intelligi possit. Ita exponunt Theodoretus et Euthymius. S. Hilarius et S. Hieronymus hunc sensum esse volunt : « Misericordiam et veritatem ejus nemo requiret, » quia præsto erit omnibus. In hebræo habetur : *Misericordiam et veritatem para, servabunt eum*. Sed Septuaginta vocem מן *man, para*, legerunt מי *mi, quis*, et verbum נצר *natsar*, quod significat *servare*, ipsi interpretari solent *scrutari*, ut perspicuum est ex *Psal.* CXVIII, vers. 2, et alibi sæpe. Itaque dubium esse non debet quin significet etiam *quærere, investigare, scrutari* : alioqui non tam constanter Septuaginta viri doctissimi ita redderent. Sed mirum est quam varie legant Patres pronomen additum in hebræo; nam S. Hilarius legit : *Quis requiret eorum*; S. Augustinus : *Quis requiret ei*; S. Hieronymus in *Commentario* : *Quis requiret ejus*; at in versione ex hebræo legit *eum*. Septuaginta omiserunt pronomen in fine verbi, sed addiderunt ad nomen veritatis, *veritatem ejus quis requiret?*

Et sine dubio versio Septuaginta Interpretum optima et clarissima est. Ad litteram ex hebræo sic verti deberet : *Misericordiam et veritatem quis requiret eum?* et sensus est : Misericordiam et veritatem quis requiret ab eo, vel in eo, quem sensum optime reddiderunt Septuaginta, dicentes: « Misericordiam et veritatem ejus quis requiret? »

Vers. 8. 8. SIC PSALMUM DICAM NOMINI TUO IN SÆCULUM SÆCULI : UT REDDAM VOTA MEA DE DIE IN DIEM.

Quia misericordia Christi Domini tam abundanter mihi adest, et veritas ejus tam certa est, ut non sit opus eam requirere ego, « sic psallam nomini tuo in sæculum sæculi, » id est, laudabo te Deum meum, non hic in terris tantum, sed etiam in cœlis, æternis hymnis et canticis celebrabo, ut hoc modo « reddam vota » gratiarum actionis « de die in diem, » id est, omnibus diebus præsentibus et futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet. Potest etiam sic accipi : « Sic psallam voce nomini tuo semper, » ut etiam opere impleam promissa mea, legem tuam semper et ubique servando; sed prior expositio, quæ S. Hilarii est, magis probatur.

PSALMUS LXII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *In finem*, 1. *Pro Idithun, Psalmus David.*

2. Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

4. Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ?

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti : ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus, et salvator meus: adjutor meus, non emigrabo.

8. In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi : quia potestas Dei est, 13. et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

V. s. h. — *Victori, per Idithun Canticum* [*h. Psalmus*] *David.*

Attamen apud Deum silebit anima mea : ex eo salus mea.

Attamen ipse est scutum meum [*h. fortitudo mea*] et salus mea : fortitudo mea [*h. susceptor meus*], non commovebor amplius.

Usquequo insidiamini contra virum, interficitis omnes, sicut murus inclinatus et maceria corruens.

Partem enim ejus cogitaverunt expellere, placuerunt sibi in mendacio : ore suo benedicunt, et corde suo [*h. intrinsecus*] maledicunt. SEMPER.

Verumtamen Deo tace [al. *retice*], anima mea : ab ipso enim præstolatio mea.

Ipse enim [al. *est*] fortitudo mea et salus mea : susceptor meus, non timebo [*h. movebor*].

In Deo salutare meum et gloria mea : robur fortitudinis meæ, et salus mea in Deo.

Sperate in eo omni tempore, populi, effundite coram eo cor vestrum : Deus spes nostra. SEMPER.

Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri [al. *hominum*], in stateris dolosis fraudulenter agunt simul [*h. impositis stateris vanitas ipsi simul*].

Nolite confidere in calumnia et in rapina, ne frustremini : divitiæ si affluxerint [al. *fluxerint*], ne apponatis cor.

Unum locutus est Deus, duo hæc audivi : quia imperium [*h. fortitudo*] Dei est :

Et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique secundum opus suum.

Argumentum. — Strophæ tres : vers. 2-5, in Deo reposita est spes mea, insidiantibus mihi improbis ; vers. 6-9,

in Deo reposita est spes mea, Deo confidite omnes; vers. 10-13, nolite confidere hominibus, opibus, malis artibus: solus Deus est potens, benignus, justus. Ad tempora persecutionum Sauli videtur referendus. Alii aliter.

1. Præcentori, ad Jeduthunum, Psalmus Davidis.

2. Tantum apud Deum securitas *tua*, anima mea,
ab eo *venit* auxilium meum.
3. Tantum ipse petra mea et auxilium meum *est*,
arx mea : non nutabo multum.
4. Quousque irruitis in virum (me)?
contunditis *eum*, omnes vos,
instar parietis inclinati, muri percussi?
5. Tantum ex altitudine *regia* cogitant eum depellere;
diligunt mendacium;
suo *quisque* ore benedicunt, et animo maledicunt.

6. Tantum in Deo secura esto, anima mea;
nam ab eo *proficiscetur* spes (salus sperata) mea.
7. Tantum ipse petra mea et auxilium meum *est*,
arx mea : non nutabo.
8. Apud Deum *est* salus mea et honor meus;
petra mea firma (propr. *potentiæ meæ*), fiducia mea in Deo *est*.
9. Confidite in eo omni tempore, populi (homines);
effundite coram eo cor vestrum :
Deus fiducia (refugium) *est* nobis.

10. Tantum halitus *sunt* homines,
mendacium homines,
ita ut in bilance ascendant;
ex halitu ipsi *sunt* ad unum *omnes*.
11. Ne confidatis in oppressione,
et in rapina ne vanificatis;
divitiæ si creverint, ne apponatis cor.
12. Unum locutus est Deus,
duo *sunt* quæ audivi,
unum : « Deo *est* potentia;
13. *alterum* : Et tibi, Domine, misericordia. »
Nam tu rependis cuique secundum facta ejus.

NOTÆ.

Vers. 1. Ieduthunus musicæ præpositus fuit a Davide, cum Emane et Asapho : conf. I *Chron.* xxv. Maurer hanc vocem pro instrumento habet. — Vers. 2. *Securitas*, propr. silentium, placida spes et exspectatio. — Vers. 5. *Tantum... cogitant*, hoc unum cogitant, ut depellant, etc. — Vers. 9. *Cor*, animi sensa, desideria, curas et sollicitudines animi : cf. *Thren.* II, 19. — Vers. 10. Prius *homines* in hebr. est, filii *Adam*; posterius, filii *isch*, quæ vocabula hic esse opposita multi volunt, ita ut tam *ignobiles*, quam *nobiles* dicantur esse vani. *Mendacium* sæpe dicitur de eo, quod non præstat quod pollicebatur. *Ascendant*, nullius quippe ponderis. *Ex halitu*, i. e. nihil. — Vers. 11. *Et in rapina*, etc. Constructio prægnans, pro : nec in rapina confidatis, ne vani, omni ope destituti, deprehendamini. — Vers. 12. *Unum.... duo*, i. e. hæc duo scio a Deo edoctus. Alii, *Deus locutus est semel, bis, et hæc audivi.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro Idithun, Psalmus David.

De hoc titulo diximus in explicatione Psalmi tricesimi octavi. Argumentum Psalmi est exhortatio ad patientiam in adversis, et confidentiam in Deo, cujus occasione agitur de vana confidentia in divitiis.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. NONNE DEO SUBJECTA ERIT ANIMA MEA? AB IPSO ENIM SALUTARE MEUM.

Vir justus graviter impugnatus a concupiscentiis variis, quarum quælibet animum humanum sibi subjicere satagit, fortiter reluctans clamat: « Nonne Deo subjecta erit anima mea? » id est, nonne æquum est, et mihi utilius, ut Deo subjiciar, quam dominatui avaritiæ, vel superbiæ, vel luxuriæ? «Ab ipso enim salutare meum. » Nam concupiscentiæ, quæ mihi dominari affectant, nullum stipendium aliud polliceri possunt, nisi mortem sempiternam. Deus autem salutem pollicetur, et certissime præstabit, si fidelem illi subjectionem et obedientiam exhibebo. In hebræo ad litteram legitur : *Attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea*; sed idem est sensus: est enim ac si dicat : Quamvis multa mihi dominari velint, tamen anima mea soli Deo subjecta ad omne mandatum, sive ad omne ejus beneplacitum, ut vera obediens silebit, non contradicet, non murmurabit.

Vers. 2. 2. NAM ET IPSE DEUS MEUS, ET SALUTARIS MEUS: SUSCEPTOR MEUS, NON MOVEBOR AMPLIUS.

Non solum, inquit, ab ipso pendet salus mea, sed ipse est Deus meus, et salutaris meus. In hebræo pro voce *Deus*, est צור *tsur*, quod proprie *petram* sive *fortitudinem* significat. Itaque sensus est: Ipse Deus mihi in hac vita est petra ac robur, in alia erit salus mea, in utraque « susceptor meus est, » quippe qui nunc suscipit protegendum, tunc suscipiet coronandum. Ideo non multum movebor, non nutabo, sed fortis permanebo, quamvis tentationibus quatiar. Illud *amplius*, ut ex hebræo cognoscitur, non significat *deinceps*, aut *in posterum*, sed *multum*, sive *valde*.

Vers. 3. 3. QUOUSQUE IRRUITIS IN HOMINEM? INTERFICITIS UNIVERSI VOS, TANQUAM PARIETI INCLINATO, ET MACERIÆ DEPULSÆ?

Posteaquam de se locutus est, convertitur ad deplorandam stragem animarum, quam per arma variarum concupiscentiarum maligni spiritus quotidie faciunt. Vere enim innumerabiles sunt homines, quos dæmones dejiciunt in peccatum, quod est mors animæ, per avaritiam, ambitionem, luxuriam, iracundiam, invidentiam, et alias ejusmodi passiones. Itaque indignabundus adversus malignos spiritus, dicit : « Quousque irruitis in hominem? » et quia vox hebr. תהותתי *thehothethi* proprie *insidiari* significat, intelligimus Prophetam per *irruere*, significare voluisse irruere per desiderium et astutiam, ut sensus sit: Quousque non cessatis, insidiando generi humano, irruere in hominem impetu astutiæ et insatiabilis desiderii vestri? « Interficitis universi vos, » id est, undique stragem editis animarum universi vos maligni spiritus, diversis quidem in locis, et modis variis, sed ad malefaciendum conjuncti. « Tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ; » hic subintelligitur verbum accommodatum, ut sensus sit: Vim facitis humano generi, ex peccato originis sauciato, et ad malum prono, tanquam parieti inclinato, et parieti non solido, sed ex luto et paleis composito, ut maceria potius quam murus dici possit. Quibus verbis miro modo descripsit Propheta tum dæmonum potentiam, et crudelitatem erga genus humanum, tum debilitatem et fragilitatem ipsius generis humani. Vere enim homines post corruptam naturam similes facti sunt maceriæ impulsæ et inclinatæ, quæ facillime dejici potest, quum et fragiles sint, « et propensi ad malum ab adolescentia sua, » ut dicitur *Gen.* VIII; proinde merito clamat Apostolus: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » et mox addit de potentia gratiæ: « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, » *Rom.* VII.

Vers. 4. 4. VERUMTAMEN PRETIUM MEUM COGITAVERUNT REPELLERE; CUCURRI IN SITI, ORE SUO BENEDICEBANT, ET CORDE SUO MALEDICEBANT.

Revertitur vir justus ad causam, unde digressus erat ad apostrophen contra inimicos, atque ostendit finem hostibus spiritualibus propositum, dum justos impugnant, esse, ut privent eos æternis honoribus, quos videlicet illis invident, quoniam ipsi inde culpa sua exciderunt, « Verumtamen, inquit, pretium meum cogitaverunt repel-

lere,» id est, ideo tentant, ideo impugnant, ideo concupiscentias excitant, ut pretium, quo redemptus sum, repellant a me, et dignitatem atque honorem illum magnum æternæ gloriæ mihi auferant. Sed ego contra « cucurri in siti, » id est, tanto ardore cucurri ad bravium supernæ vocationis, quanto illi cucurrerunt ad illud a me repellendum. « Ore suo benedicebant; et corde suo maledicebant, » id est, ore suo blandiebantur hortantes ad voluptates vitæ præsentis, tanquam res bonas atque utiles; atque interim « corde maledicebant, » scientes eas ipsas voluptates venenum esse animæ, atque ad impediendam lætitiam sempiternam instrumenta esse aptissima. In hebræo, ut nunc legitur secundum puncta Rabbinorum, sic habetur : *Verumtamen exaltationem ejus cogitaverunt repellere, complacuerunt mendacio, ore suo benedicebant, corde suo maledicebant.* Itaque de quatuor vocibus est difficultas, quæ sunt, *pretium, meum, cucurri, in siti.* Vox *pretium* in hebræo est משאת *masseeth*, quam vocem S. Hieronymus vertit *partem*, Septuaginta verterunt *pretium*, alii vertunt *exaltationem;* in græco est τιμὴν, quæ *honorem* et *pretium* significat. Hilarius, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et Hieronymus in *Commentario*, legunt *honorem;* et satis concordat vox hebraica, quæ *exaltationem* significat. Basilius et Ambrosius legunt *pretium*, et exponunt de pretio redemptionis Christi. Sed vox *pretium* significat etiam dignitatem, proinde possumus per pretium intelligere dignitatem, honorem, et exaltationem. Et quod attinet ad sensum, in idem recidit, sive accipiamus pretium pro dignitate, sive pro pretio redemptionis, sive pro utroque, ut supra in nostra explicatione ostendimus. Vox *meum* sine dubio recte posita est hoc loco, et eam habent omnes codices græci et latini, et omnes tractatores; proinde illud, *ejus*, quod est in hebræo, indicat vocem hebraicam esse corruptam vitio scriptorum, quod facile fuit, cum littera quæ significat *meum*, sit *iod*, littera quæ significat *ejus*, sit *vau*, quæ non differunt, nisi quod una est paulo longior altera. Vox *cucurri*, vel *cucurrerunt*, ut alii legunt, bene posita est, et cum hebraica concordat, si removeantur puncta Rabbinorum. Rabbini enim legunt ירצו *irtsu*, *complacuerunt ;* sed Septuaginta viri longe doctiores legerunt *iarutsu*, *concurrerunt*. Vox græca ἔδραμον ambigua est, et tam *cucurri* quam *cucurrerunt* significare potest. Et quidem Hilarius, Augustinus et Hieronymus in *Commentario* legunt *cucurri;* Basilius, Theodoretus et Euthymius legunt *cucurrerunt*. Ambrosius utramque lectionem probat et exponit, ut et nos in nostra explicatione fecimus : nam uterque sensus est verus. Vox *in siti* habetur in textu græco, et in omnibus latinis, et legitur ab omnibus expositoribus. Quid autem legerint Septuaginta in hebræo, ut verterent *in siti*, fateor me ignorare; nam vox hebraica כזב *cazab*, *mendacium* significat, neque est ulla litterarum similitudo inter *sitim*, et *mendacium* in lingua hebraica; sitis enim dicitur צמא *tsama*. S. Ambrosius conatur concordare hanc diversitatem textuum, dicens mendacium sitim habere, veritatem ubertatem. Sed verisimile est in Septuaginta Interpretes aliter legisse, et in voce כזב *cazab* pro *caph* legisse *beth*, quæ sunt litteræ similes, et sic habuisse præpositionem *in* pro aliis duabus litteris, vel aliquid aliud legisse, vel scivisse ea voce *sitim* significari.

5. VERUMTAMEN DEO SUBJECTA ESTO, ANIMA MEA, QUONIAM AB IPSO PATIENTIA MEA. Vers. 5.

6. QUIA IPSE DEUS MEUS, ET SALVATOR MEUS; ADJUTOR MEUS, NON EMIGRABO. Vers. 6.

7. IN DEO SALUTARE MEUM, ET GLORIA MEA; DEUS AUXILII MEI, ET SPES MEA IN DEO EST. Vers. 7.

Redit ad primos duos versiculos, eosque repetit ut ostendat magnas quidem esse tentationes, quibus urgetur, sed tamen se in Dei amore fundatum, atque ejus auxilio fretum nihil metuere. « Verumtamen, inquit, Deo subjecta esto anima mea, » id est, quamtumvis hostes fremant, tu, anima mea, tacita et subjecta obedias Deo. Est enim hoc loco eadem vox hebraica, quæ in primo versiculo, nimirum : *Deo silebit anima mea.* « Quoniam ab ipso patientia mea, » id est, tace Deo, quoniam ipse tibi præstabit auxilium. Nam hoc loco nomine patientiæ significatur patiens exspectatio auxilii divini, ut ex verbo hebraico et græco constat. « Quia ipse Deus meus, » etc. Hic versiculus sextus est omnino idem cum secundo : quamvis enim Interpres latinus vocabula variaverit, tamen in hebræo sunt omnino eadem. Itaque illud, *Deus meus*, est etiam hoc loco, *petra mea;* et illud, *salvator meus*, est *salus mea*, sive *salutaris meus;* et illud, *adjutor meus*, est *susceptor meus;* et denique illud, *non emigrabo*, est eadem vox, quæ antea versa est, *non movebor :* proinde *non emigrabo* significat hoc loco : Non dejiciar de statu meo, non emigrabo ad partes hostium, sed immotus in castris Dei permanebo. Concludit in septimo versiculo se omnia a Deo exspectare, finem videlicet et media. Finis est liberatio ab omnibus malis, et adeptio summi boni : illud significatum est per salutem, hoc autem per gloriam; media sunt auxilium Dei, et spes nostra, quæ proprie nominata sunt. « In Deo, inquit, salutare meum, et gloria mea,» id est, a Deo exspecto salutem, id est, liberationem a malis, et gloriam æternam, quæ est summum bonum : nam cum Deum videbimus, et similes ei erimus, perfecteque illi adhærebimus, tunc vere salvi et beati erimus. Potest tamen etiam cum S. Basilio exponi: In Deo solo, non in ulla re alia glorior : non in divitiis, non in honoribus, non in potentia humana, quia nihil excellentius cogitari potest, quam filium esse Dei. Nec solum in Deo finem ultimum repositum habeo, sed ipse etiam est Deus

auxilii mei, id est, ipse est fons gratiæ, qua adjutus perveniam ad finem illum : et ideo tota spes mea in eo est. In hebræo habetur, *petra roboris mei,* pro *Deus auxilii mei.*

Vers. 8. **8.** SPERATE IN EO, OMNIS CONGREGATIO POPULI; EFFUNDITE CORAM ILLO CORDA VESTRA : DEUS ADJUTOR NOSTER IN ÆTERNUM.

Hortatur nunc cæteros ad virtutem, quam ipse Dei dono acceperat : ac primum monet sperandum esse in Deo, deinde addit non esse sperandum in rebus creatis. « Sperate, inquit, in eo, » id est, in Deo, « omnis congregatio populi, » id est, omnis cœtus, omnis populus, omnes homines, non Judæi solum, sed etiam gentes. In hebræo est : *Sperate in omni tempore*; sed manifesta est corruptio in textu hebraico per defectum unius litteræ; nunc enim legitur עת *heth*, quod significat *tempus*; sed esse debet עדת *hadath*, quod significat *congregationem*, et sic legerunt Septuaginta. « Effundite coram illo corda vestra; » effundi dicitur vas, cum evacuatur, et etiam liquor, cum ex vase ejicitur. Itaque si cor accipiatur pro vase, ut accipit S. Basilius, *effundere cor* est evacuare cor a vitiis, affectibus malis, perversis cogitationibus et similibus, quasi liquoribus noxiis; non enim impleri potest cor gratia Dei, sanctisque cogitationibus et desideriis, nisi evacuetur contrariis. Pulchre notat S. Ambrosius admonitos esse homines, ut effundant corda evacuantes ea sordibus, quia scriptum est *Joel.* II, 28 : « Effundam de spiritu meo super omnem carnem. » Si cor accipiatur pro actu cordis, id est, pro cogitationibus et affectibus, tunc effunditur cor, quomodo effunditur aqua, vel vinum. Et hoc modo accipit S. Augustinus, qui vult effundendum esse cor, id est, non retinendum cor in corde, sed effundendum ad Deum, ut cogitationes nostræ et affectus sint in Deo, non in nobis. Significat etiam effusio cordis secundum Ambrosium confessionem sinceram et apertam, qua confitemur peccata et miserias nostras, et ex intimo corde oramus Deum ut misereatur, quomodo dixit Anna I *Reg.* I : « Effudi animam meam in conspectu Domini. » Et de hac effusione videtur hic locus præcipue intelligendus; nam sequitur : « Deus adjutor noster in æternum, » id est, secure confitemini Deo ærumnas vestras, et orate eum; nam adjutor noster est, et non despicit orationes sperantium in se. Illud, *in æternum*, in hebræo est סלה *selah*, quod Græci vertunt διάψαλμα; noster autem Interpres aliquando omittit, aliquando vertit *semper*, aut *in æternum*; hæc est ratio cur Hilarius, Augustinus et alii non legant, *in æternum.*

Effundere coram Deo cor quid sit?

Vers. 9. **9.** VERUMTAMEN VANI FILII HOMINUM, MENDACES FILII HOMINUM IN STATERIS, UT DECIPIANT : IPSI DE VANITATE IN IDIPSUM.

Quoniam animadvertit Propheta paucos esse, qui consilium suum sequi velint, ideo invehitur in multitudinem iniquorum : « Verumtamen, inquit, vani filii hominum, mendaces filii hominum. » In hebræo significantius dicitur, הבל בני אדם *hebel bene Adam*, *vanitas filii hominum,* quia maxima pars hominum vacua est vera sapientia, etsi apparenti sapientia, quam *prudentiam carnis* Scriptura sacra *Rom.* VIII appellat, plenissima sit. Ideo autem plerique homines vani, insipientes et imprudentes sunt, quia « mendaces sunt in stateris ad decipiendum, » id est, in stateris dolosis et fraudulentis. Nam, ut recte observat S. Basilius, non agitur hic de stateris proprie dictis, quibus pauci utuntur, illi videlicet soli qui vendunt carnes, aut lanas, aut alia id genus, sed de stateris communibus toti humano generi, id est, de judicio rectæ rationis, quod nobis datum est a Deo, ut discernamus, et quasi in statera appendamus vera bona et vera mala, apparentia bona et apparentia mala, et eligamus vera bona, et vitemus vera mala. Porro maxima pars hominum mentitur sibi et aliis, decipitque se et alios, utens stateris dolosis, et quod miserius est, voluntarie stateris utitur dolosis, juxta illud : « Video meliora proboque, deteriora sequor. » Non est enim qui negare audeat maximum verissimumque malum esse peccatum et gehennam, maxima verissimaque bona justitiam et beatitudinem : et tamen cum appenduntur in statera lucrum temporale et offensio Dei, lucrum præponderat, et præeligitur; et cum appenduntur temporale detrimentum, et mors æterna, temporale detrimentum præponderat, atque ut illud evitetur, ignis gehennæ contemnitur. Addit Propheta : « Ipsi de vanitate in idipsum, » id est, ipsi vani et mendaces, licet variis modis vani sint et mendaces, tamen in idipsum conveniunt, uniti et conjuncti sunt in hoc, ut vani sint et mendaces; vel brevius : « Ipsi de vanitate in idipsum, » id est, ipsi ex vanitate habent, ut unum sint. In hebræo habetur paulo aliter : *Vanitas filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ad ascendendum ipsi præ vanitate in idipsum,* id est, filii hominum non solum vanitas sunt, et mendacium, sed etiam positi in statera cum ipsa vanitate, ascendunt præ vanitate; ac per hoc leviores, et magis vani sunt, quam ipsa vanitas : quæ est elegantissima amplificatio. Sed tamen non existimo hunc esse litteralem sensum, sed eum, quem paulo ante tradidimus : nam vox illa hebraica, לעלות *lahaloth, ad ascendendum,* cum aliis punctis legi potest, *laholoth, ad iniquitatem,* sive *ad deceptionem,* et sic legerunt Septuaginta; imo etiam S. Hieronymus eodem modo legit, cum verterit, *in stateris dolosis;* et omnes Patres græci et latini sic legunt, et interpretantur. Illud, *ut decipiant,* non debere conjungi cum *ipsi*, perspicuum est ex hebræo et græco textu. Sic enim legendum est, *mendaces in stateris ad decipiendum, ipsi de vanitate in idipsum.*

Maxima pars hominum stateris dolosis utitur.

Vers. 10. 10. NOLITE SPERARE IN INIQUITATE, ET RAPINAS NOLITE CONCUPISCERE : DIVITIÆ SI AFFLUANT, NOLITE COR APPONERE.

Redit ad exhortationem, ac præcipue, ut caveatur avaritia, quæ est « radix omnium malorum, I *Tim.* VI. » « Nolite, inquit, sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere. » Per *iniquitatem* intelligitur calumnia, ut proprie significat vox hebraica בעשק *behoshek,* proinde prohibetur lucrum injustum, tum ex occulta injustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est rapientium; et additur, « divitiæ si affluant, nolite cor apponere, » id est, ad opes etiam justo titulo acquisitas nolite affectum ponere. Pulchre notat S. Augustinus, eos qui rapinis delectantur, videre quid rapiant, sed non videre a quo rapiantur : rapiunt enim pecuniam fratri, et rapit illis diabolus animam. Notat idem Augustinus cum Basilio, divitias fluere dum affluunt, cæcos autem cupidos considerare quod affluant, et non cogitare quod fluant; ideo dictum esse : Nolite cor apponere, ne videlicet cum fluentibus fluat, et pereat. Oportet igitur, cum affluunt divitiæ, corde immoto et stabilito apud Deum, disponere fluxum earum, ut utiliter fluant : quomodo prudens agricola disponit fluxum aquarum ad irrigandum hortum, ad molam vertendam, et alia ejusdem generis opera; sed non labitur ipse cum aquis labentibus.

Vers. 11. 11. SEMEL LOCUTUS EST DEUS : DUO HÆC AUDIVI : QUIA POTESTAS DEI EST, ET TIBI, DOMINE, MISERICORDIA; QUIA TU REDDES UNICUIQUE JUXTA OPERA SUA.

Concludit rationem reddens, cur non sint appetendæ divitiæ, et cur ab omni peccato cavendum sit. « Semel, inquit, locutus est Deus. duo hæc audivi. » In hebræo est, *unum locutus est Deus;* quod non videtur cohærere cum sequentibus : « Duo hæc audivi; » sed illud, *semel* vel *unum,* significat immobilitatem verbi Dei, ut docet S. Hieronymus in commentario hujus Psalmi, quasi dicat : *Semel Deus loquitur, et fit omnino quod loquitur :* obediunt enim omnia Deo ad nutum, ut non sit opus repetere. Vel per *unum* quod Deus locutus dicitur, non intelligitur unum verbum, sed unus sermo, quo multa continentur, ut docet S. Basilius. Vel per *unum* intelligitur Verbum æternum, ut S. Augustinus exponit; Deus enim unum tantum verbum dixit ab æterno, et illud manet in æternum, et æquivalet innumerabilibus verbis. Duo autem, quæ David audivit, et nobis omnibus nuntiavit, hæc sunt : Unum, quod potentia et misericordia in Deo sint : illa ut timeatur, ista ut ametur; alterum, « quod unicuique reddet secundum opera sua, » ita ut neque injuste oppressurus sit aliquos per potentiam, neque misericordia ejus sit præjudicatura justitiæ. Et vere, qui ista duo serio cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

Deus unum verbum tantum dixit ab æterno, et illud manet in æternum.

PSALMUS LXIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Psalmus David,* 1. *Cum esset in deserto Idumææ.*

2. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

3. In terra deserta, et invia, et inaquosa : sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

5. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.

6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.

7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, 8. quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo.

V. S. H. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *David, cum esset in deserto Juda.*

Deus fortitudo mea tu es [*h. Deus, Deus meus tu*], de luce consurgam ad te.

Sitivit te anima mea, desideravit te caro mea : in terra invia et consitiente, ac sine aqua.

Sic in sancto apparui tibi, ut videam fortitudinem tuam et gloriam tuam.

Melior est enim misericordia tua quam vitæ [al. *vita*] : labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te [al. *tibi*] in vita mea : in nomine tuo levabo manus [*h. palmas*] meas.

Quasi adipe et pinguedine implebitur [*h. satiabitur*] anima mea, et labiis laudantibus canet [*h. laudabit*] os meum,

Recordans tui in cubili meo : per singulas vigilias meditabor tibi.

Quia fuisti auxilium meum, et in umbra alarum tuarum laudabo.

9. Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua.

10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ:

11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

12. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

Ipsi vero interficere [*h. ad calamitatem*] quærunt animam meam : ingrediantur in extrema [*h. inferiora*] terræ.

Congregentur in manus gladii : pars vulpium erunt.

Rex autem lætabitur in Deo, laudabitur omnis quia jurat in eo : quia obstruetur os loquentium mendacium.

Argumentum. — Exponit desiderium et cupiditatem, qua teneatur cultus sacri, a quo se jam separatum esse dolet; sed ejus recordatio quoque in illo exsilio eum delectat, et fiduciam ejus sustentat, fore ut hostibus victis regno restituatur. Hinc strophæ duæ : vers. 2-7. 8-12. Quia vers. 12 *regem* se nominat Davides, hinc merito Dathius arguit carmen ad Absalomi seditionem referendam esse : nam, ait, vivente Saulo nunquam *regis* nomen sibi vindicavit. Cf. I *Sam.* XXII, 5; XXIII, 14, 15, 24, 25; XXIV, 2.

1. Psalmus Davidis, *compositus,* quum esset in deserto Judæ.

2. Deus, Deus meus *es* tu, ab aurora quæro te;
te sitit anima mea;
desiderio tui deficit caro mea,
velut in terra arida et languescente sine aquis.
3. Sic in sanctuario (absens licet) contemplor te *animi mei oculis,*
ut videam (videndo) splendorem tuum et majestatem tuam.
4. Nam melior est gratia tua quam vita;
labia mea *semper* te laudabunt.
5. Sic celebrare te volo per vitam meam,
in nomine tuo levare manus meas.
6. Ut adipe et pinguedine satiatur anima mea,
et labiis exsultationis (jubilantibus) laudes *tuas* canit os meum.
7. Si recordor tui in strato meo,
per *tres noctis* vigilias meditor de te.

8. Nam tu *es* auxilium mihi,
et in umbra alarum tuarum jubilo.
9. Adhæret anima mea tibi,
me sustentat dextera tua.
10. Isti vero (mei adversarii), *qui* ad perniciem quærunt animam (vitam) meam,
venient in infima terræ (orcum).
11. Tradentur in potestatem gladii (interficientur);
portio vulpium (gall. *chacals*) erunt (eorum cadavera).
12. Et rex lætabitur in Deo;
gloriabitur quicumque jurat ei (Davidi, ejus sequitur partes),
quando clausum fuerit os loquentium mendacium.

NOTÆ.

Vers. 1. *In deserto Judæ*, Hierosolymam inter et Hierichuntem sito. Ibi Joannes Baptista prædicavit, *Matth.* III, 1. — Vers. 2. Velut *in terra,* etc. Ad expingendam imaginem proxime prægressam hæc adji-

ciuntur. Alii tamen proprie accipiunt, *in terra arida degens, et fatigatus sine aqua.* — Vers. 3. *Sic,* in tali conditione atque animi statu. *Splendor* et *majestas* Jovæ, i. e. cultus ejus ritus et cæremoniæ.— Vers. 5. *Sic* : vid. vers. 3. *In nomine tuo,* fiducia tui, non aliorum deorum. *Elevatio manuum,* precantis et gratias agentis ritus. — Vers. 6. Sensus : Ex consuetudine quæ mihi est tecum, plena gaudia percipio, quasi cibis delicatissimis satiarer. Alii, *satias animam meam* : non male. — Vers. 11. *Tradentur* : alii, *tradent eos.* — Vers. 12. *Jurat ei* : alii, *jurat per eum,* Davidis Deum, i. e. eum rite colit : cf. *Isai.* XIX, 18; *Amos.* VIII, 14.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.

Non legitur David latuisse unquam in deserto Idumææ, sed in deserto Judææ, I *Reg.* XXII et XXIII, et in textu hebraico et græco habetur, *in deserto Judææ;* tamen quoniam Sancti Patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus in *Commentario* legunt, *in deserto Idumææ,* non est contemnenda lectio Vulgatæ editionis. Euthymius conatur concordare has lectionum varietates, dicens desertum, in quo latuit David, olim ad Idumæam pertinuisse, postea ad Judæam : sed hoc divinare est. Probabilius videtur desertum Judææ vocatum esse desertum Idumææ amplificandi gratia : quomodo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma; nam desertum Idumææ est longe majus deserto Judææ : imo tota Idumæorum regio in montibus et solitudine est, ut intelligi potest ex cap. I *Malachiæ,* ubi loquens Deus de possessione Edom : « Posui, inquit, montes ejus in soltiudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. » Idem colligitur ex lib. IV *Reg.* cap. III, ubi describitur desertum Idumææ itineris septem dierum, et carens aqua, etc. Argumentum Psalmi est oratio Davidis, qui occasione deserti in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, et similium justorum, et desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi hujus ad patriam cœlestem.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers 1. 1. DEUS, DEUS MEUS, AD TE DE LUCE VIGILO.

Vers. 2. 2. SITIVIT IN TE ANIMA MEA: QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA!

Describit vir justus quæ sint prima opera sua, oriente die : ac dicit esse, quærere Deum, desiderare Deum, miserias suas confiteri Deo. « Deus, Deus meus, » id est, tu, Deus, es fortitudo et robur meum, quia sine te nihil sum, et nihil possum; in hebræo sunt duo nomina, אלהים אלי *Elohim eli,* unum significat *Deum,* alterum significat *fortem,* sed verti solet etiam per vocem *Deus.* Itaque editio græca et latina, quæ habent *Deus, Deus,* reprehendi non possunt; tamen sensus est, quem diximus, quia vox אל *El* significat Deum, ut fortem. « Ad te de luce vigilo, » id est, cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem et increatam, atque ita ad te quærendum vigilare incipio, non ad opera mundi hujus. Id autem facio, quia « sitivit in te anima mea, » id est, quia desiderat te, ut cibum et potum suum, ut lumen et lætitiam suam. Ipsa enim caro mea multis modis sitivit ad te fontem omnium bonorum : quamvis enim caro non proprie Deum sitiat, tamen sitire dicitur, quia indiget ejus misericordia ob multiplices suas miserias : quomodo dicitur terra arida sitire pluviam, sine qua nihil boni producere potest. Quot sint autem carnis hujus corruptibilis necessitates et miseriæ, quibus ille solus mederi potest, de quo dicitur in *Psalm.* CII : « Qui sanat omnes infirmitates tuas, » nemo est, qui non experiatur. In hebræo codice post illa verba : *Deus, Deus meus,* est pronomen אתה *atthah, tu,* quod Septuaginta omiserunt, sed subintelligi debet, ut sensus sit : *Tu es Deus,* et ideo confidenter ad te confugio, et te alloqui præsumo. Illud autem, *ad te de luce vigilo,* in hebræo est unica dictio אשחרך *ashachareca,* quæ significat, *sub auroram te quæro,* sive in crepusculo matutino, cum incipit misceri lux auroræ tenebris noctis, ego evigilo, ut te quæram : ex quo intelligimus continuum et vehemens fuisse in Davide desiderium Dei, et merito, cum ipse sit omne bonum nostrum, et ingrati sint omnes homines, qui obliviscuntur Deum, juxta illud *Luc.* VI : «Qui benignus est super ingratos et malos.» Denique illud, *quam multipliciter,* est in hebræo כמה *camah,* quæ vox non habetur, nisi hoc loco S. Hieronymus vertit *desideravit* ; sed frustra laboramus de significatione vocis, quæ nusquam habetur alibi, et nemo potest reprehendere primos Interpretes.

Vers. 3. 3. IN TERRA DESERTA, ET INVIA, ET INAQUOSA: SIC IN SANCTO APPARUI TIBI, UT VIDEREM VIRTUTEM TUAM ET GLORIAM TUAM.

Describit proprietates deserti, quæ tres sunt, «terra deserta» ab habitatoribus, terra «invia,» terra « sine aqua ; » quarum secunda est effectus,

et tertia est causa primæ; nam terra aliqua deseri solet ab habitatoribus præcipue propter carentiam aquæ, quæ carentia terram arentem et sterilem reddit; sed cum terra deseritur et inhabitabilis efficitur, hoc ipso fit invia : quamvis hoc loco *invia* non est solum terra sine via, sed terra inaccessa, et per quam difficulter ambulari potest : nam vox græca ἄβατον inaccessum significat, et vox hebræa עיף *hhaieph*, significat *lassum, fatigatum, laboriosum* : ac per hoc significat terram, quæ magno cum labore et fatigatione transmittitur. Videtur enim Propheta significare voluisse terram illam incultam, et rebus necessariis nedum deliciis carentem, utilem sibi fuisse ad inveniendum Deum. Anima enim quo magis destituitur carnalibus bonis, vel certe quo magis affectum removet a rebus terrenis, et se in quodam deserto mentis constituit, eo facilius ascendit ad cœlestia contemplanda et gustanda. « Ego, inquit, in terra ista deserta, invia, arida » et sitiente constitutus, « sic apparui tibi, » id est, sic apparui coram te per ascensionem mentis, quasi in sanctuario tuo essem, ita ut desertum loco sanctuarii mihi fuerit. Apparui autem coram te, « ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam, » id est, potentiam tuam et majestatem tuam. Illud enim *in sancto*, in hebræo est בקדש *bakodesh*, *in sanctitate*, per quam *sanctuarium* Hebræi significare solent. S. Augustinus paulo aliter exponit, et eum sequentes dicere possumus per desertum intelligi mundum, qui desertus est a veris hominibus et inhabitatus a bestiis, hominibus videlicet « carnalibus et animalibus, » ut eos vocat Apostolus I *Cor.* II; item est invius, quia difficillimum est invenire viam qua exeatur; denique est inaquosus, quia quamvis lacunas habeat aquæ putrefactæ, quæ est sapientia carnalis, caret tamen aqua de cœlo, quæ est sapientia vera, nisi Deus ex magna gratia sua peregrinantibus in hoc deserto viam ostendat, et rorem de cœlo aspergat. Ait igitur David in persona sua, et sanctorum peregrinorum, comitum suorum : Ego in hoc deserto positus et sitiens aquam de cœlo, et exitum invenire cupiens, de mane vigilans mente conscendi ad sanctuarium tuum cœleste, et sic in sancto apparui coram te, ut meditando et contemplando viderem virtutem tuam et gloriam tuam, quoniam in deserto mundi non videmus nisi temporalia, fragilia et vilia. « Ut viderem, inquit, virtutem tuam, » qua de nihilo omnia fecisti, et portas ea verbo virtutis tuæ; viderem quoque gloriam tuam, qua longe superemines universis, et nihil est simile tibi, et omnia, velint nolint, serviunt tibi : et ex hac visione irrorari cœpi, et manna gustare, et viam quæ Christus est, invenire.

Anima quo magis terrena despicit, eo magis cœlestia gustat.

Vers. 4. 4. QUONIAM MELIOR EST MISERICORDIA TUA SUPER VITAS, LABIA MEA LAUDABUNT TE.

Illud, *quoniam*, non videtur referendum esse ad superiora, sed ad sequentia, ut sensus sit : Non solum videbo virtutem tuam et gloriam tuam, sed etiam laudabunt te assidue labia mea, quoniam misericordia tua melior est mihi præ ipsa vita : nam misericordia tua vitam dedit, eadem ipsa misericordia vitam conservat; et si ipsam vitam propter te perdidero, misericordia tua illam mihi multo feliciorem restituet : sed si, ut vitam conservem, a misericordia tua et gratia excidero, et vitæ et misericordiæ jacturam faciam. In hebræo habetur quidem חיים *chaiim*, *vitas*, in numero multitudinis; sed vox etiam pro *vita*, in singulari, accipitur : quomodo multa vocabula habent formam numeri multitudinis, et significationem numeri singularis; et in versiculo sequenti : « Sic benedicam te in vita mea, » habetur eadem vox in numero multitudinis, et tamen Interpretes verterunt in numero singulari. Itaque possumus hoc loco simpliciter per *vitas* vitam interpretari, ut interpretantur SS. Patres Hilarius et Hieronymus in *Commentario*; et sicut legit in textu S. Hilarius : tamen si magis placet accipere in significatione numeri multitudinis, per vitas accipiemus varias functiones viventium, ut vitas mercatorum, vitas militum, vitas clericorum, vitas agricolarum, et similes, ut accipit S. Augustinus, vel vitas quantumlibet longas et felices in hoc mundo, vel denique vitas, tum nostram, tum nobis conjunctorum et charorum, ut parentum, fratrum, filiorum.

Vers. 5. 5. SIC BENEDICAM TE IN VITA MEA, ET IN NOMINE TUO LEVABO MANUS MEAS.

Sic laudando assidue, « benedicam te in vita mea, » id est, quicquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum, benedicam tibi in omni tempore; « et in nomine tuo levabo manus meas, » id est, in invocatione nominis tui levabo in oratione manus meas, a te solo exspectans auxilium in adversis, et tibi vicissim gratias agens in prosperis. Porro ritus levandi manus in oratione, in utroque Testamento in usu fuit. Nam cum Moyses, *Exod.* XVII, levaret manus ad Deum, populus vincebat; cum deponeret, vincebatur. Et Apostolus I *Timoth.* II : « Levantes, inquit, puras manus. » Monet autem S. Augustinus eos qui levant manus ad Deum in oratione, si impetrare velint, debere etiam levare manus ad bona opera facienda. Significat etiam in Scripturis *levare manus* idem quod jurare per Deum. Sic legimus *Gen.* XIV, dicentem Abrahamum : « Levo manum meam ad Deum possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. » Et *Apoc.* X : « Angelus levavit manum suam ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcula sæculorum. » Posset igitur illud : *In nomine tuo levabo manus meas*, exponi hoc modo : Per nomen tuum jurabo, ac per hoc te solum pro vero Deo colam; sed prior expositio communior est.

Levare manus idem quod jurare.

Vers. 6. 6. SICUT ADIPE, ET PINGUEDINE REPLEATUR ANIMA MEA; ET LABIIS EXULTATIONIS LAUDABIT OS MEUM.

Hoc est quod petebat, cum levaret in oratione manus suas ad Deum. Hoc, inquit, peto, « ut anima mea repleatur adipe et pinguedine, » id est, repleatur adipe et pinguedine spirituali, quæ non est adeps et pinguedo proprie (id enim corporale quid est), sed quasi adeps et pinguedo. Nam sicut qui adipe bona et pinguedine naturali præditi sunt, non autem inflati, aut vento distenti, sani, fortes, rubicundi et hilares sunt; et contra macie confecti, aridi, debiles, tristes, deformesque sunt : sic qui gratia spirituali, quasi bona adipe pleni sunt, devoti, ferventes, ac semper gaudentes sunt; et contra qui spiritu carent, ad omnia spiritualia nauseant, acedia consumuntur, infirmi ac debiles, nihil boni facere, nihil mali tolerare valent. Sed, ut recte monet S. Augustinus, in hac eremo saginam sapientiæ et justitiæ desiderare et petere possumus, sed tunc demum obtinebimus, cum ad patriam pervenerimus; tunc enim implebitur illud *Psalm.* CXLVII : « Frumenti adipe satiat te Dominus; » et illud *Matth.* V : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; » et tunc perfecte et sine ullo fine, vel tædio, « labiis exultationis, » id est, labiis exultationem resonantibus « laudabit » Deum « os nostrum : » tunc enim succedet orationi laudatio, quando ita pleni erimus, ut nulla re indigeamus, quod fiet cum Deus erit omnia in omnibus : nunc autem nunquam tam multa habemus, quin pluribus egeamus, ac per hoc oratione assidua opus habeamus.

Vers. 7. 7. SI MEMOR FUI TUI SUPER STRATUM MEUM, IN MATUTINIS MEDITABOR IN TE, QUIA FUISTI ADJUTOR MEUS.

Cogitandum de Deo maxime dum vacamus ab omni opere.

Ostendit in hac etiam vita se perpetuo recordaturum Dei et beneficiorum ejus, et non solum in patria, quando repletus adipe, labiis exultantibus laudabit Deum. « Si, inquit, memor fui tui » nocte etiam profunda, dum adhuc jacerem « super stratum meum, » multo magis interdiu, atque adeo tempore matutino surgens « meditabor in te, » id est, de te cogitabo et considerabo potentiam tuam et gloriam tuam; « quia » tu semper « fuisti adjutor meus, » id est, ideo semper recordabor tui in gratiarum actione, quia tu semper recordatus es mei in auxilio et protectione. S. Augustinus colligit ex hoc loco utilissimum documentum, si quis velit inter operandum recordari Dei, atque ejus amorem et timorem semper ante oculos habere, dum operatur, necesse esse ut antea super stratum, id est, in quiete recordetur Dei, et beneficia ejus ac promissa consideret. Ideo enim plerique mortales inter operandum se gerunt, ac si Deum non haberent, quia non habent tempus aliquod feriatum, in quo colligant se, et meditationi rerum cœlestium vacent. Quidam codices latini habent : *Sic memor fui;* sed recte habet nostra lectio : *Si memor fui,* quoniam sic legunt codices hebraici, et SS. Patres Hilarius et Augustinus.

Vers. 8. 8. ET IN VELAMENTO ALARUM TUARUM EXULTABO; ADHÆSIT ANIMA MEA POST TE, ME SUSCEPIT DEXTERA TUA.

Quia dixerat : « Tu fuisti adjutor meus, » ne putaretur jam securus, et de Dei protectione non amplius laborare, subjungit : « Et in velamento alarum tuarum exultabo, » id est, continebo me sub umbra alarum tuarum, et in protectione tua sperans, « exultabo, » securus a milvo, dum sub omnipotentis aquilæ pennis latebo. « Adhæsit anima mea post te. » Et hac protectione, et tam ingentibus beneficiis provocata « anima mea adhæsit, » glutine fortissimæ charitatis, « post te, » id est, vestigiis tuis inhæsit, ab illis nulla tentationum vi separari se patiens. Porro adhærere vestigiis Domini glutine charitatis, non est sterili quodam affectu Deum diligere, sed ejus præcepta ex charitate servare; nam « qui diligit me, ait Dominus *Joan.* XIII, sermonem meum servabit; » ideo non dixit : *Adhæsit tibi,* sed *post te,* tibi videlicet obediens ac subjecta. Ac ne videatur sibi tribuere, quod tam ardenter Deo inhæserit, addit : « Me suscepit dextera tua, » id est, ideo sequor te, quia tu me traxisti; ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, ac ut te diligerem, tu me diligendo fecisti. Beatus plane, qui quantumvis in virtute proficiat, sub Deo proficere se intelligit, et semper ut parvulum, et quasi pullum gallinæ sub alis Dei se collocat. Beatior autem, qui vere dicere potest : « Adhæsit anima mea post te, » qui non solum sperat in velamento alarum Dei, sed etiam ex toto corde ita diligit, ut cum Apostolo dicere possit : « Quis me separabit a charitate Christi? » *Rom.* VIII. Beatissimus vero, qui proprio experimento, vel potius testimonium reddente spiritu Dei spiritui suo, didicit se « a dextera Dei esse susceptum : » ipse enim Dominus de talibus dicit *Joan.* X : « Non rapiet eos quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere eos de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. »

Beatus quis dicendus sit?

Vers. 9. 9. IPSI VERO IN VANUM QUÆSIERUNT ANIMAM MEAM : INTROIBUNT IN INFERIORA TERRÆ, TRADENTUR IN MANUS GLADII, PARTES VULPIUM ERUNT.

In duobus ultimis versiculis prædicit Propheta interitum et exterminium ultimum eorum, qui persequuntur justos et felicitatem ac beatitudinem sempiternam justorum. « Ipsi vero, » videlicet impii persecutores, « in vanum quæsierunt animam meam; » nam ideo impii persequuntur justos, ut ipsi soli secure possideant terram, et fruantur deliciis et imperio terreno; sed frustra laborant: nam ipsi non possidebunt terram, sed a terra absorbebuntur; et absorpti a terra et in

inferno constituti, non ibi deliciis, aut imperio fruentur, ac ne quiescent quidem, sed addicti erunt perpetuis suppliciis, et subjecti erunt dæmonibus, quasi lupis et vulpibus crudelissimis. « In vanum quæsierunt animam meam, » id est, frustra conati sunt vitam meam tollere, meque interficere. Hoc dicere potest quilibet justus, sive Christus pro se et pro membris suis. « Introibunt in inferiora terræ; » ecce cur in vanum quæsierunt, nam finis eorum erat libere terram possidere; sed infra terram dejicientur, in corde terræ, in inferno cogentur perpetuo habitare. « Tradentur in manus gladii, » id est, in inferno non quiescent, multo minus fruentur bonis terræ; sed « tradentur in manus gladii, » id est, in potestatem tormentorum : supplicia enim, ut instrumenta Dei Judicis supremi et irati in miseros sine cessatione desævient. « Partes vulpium erunt, » id est, non dominabuntur amplius super homines justos, sed ipsi subjecti erunt dæmonibus injustis, quasi pars et hæreditas ipsorum. Vocantur autem vulpes potius quam lupi vel leones, ipsi dæmones, quia magis versutia vulpina, quam vi leonina peccatores capiunt, sibique subjiciunt. In hebræo nunc habetur : *Ipsi interficere quæsierunt animam meam*, pro eo quod nunc habemus : *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.* Sed facile est videre quid nostri Interpretes secuti sint. Eadem enim vox hebraica לשואה *lesoah*, si legatur cum aliis punctis, et ultima littera tollatur, fiet לשוא *lesave, in vanum,* et hæc videtur esse verissima lectio, quam habuerunt in suis codicibus Septuaginta Interpretes.

Dæmones cur, vulpes dicantur ?

Vers. 10. 10. REX VERO LÆTABITUR IN DEO; LAUDABUNTUR OMNES, QUI JURANT IN EO, QUIA OBSTRUCTUM EST OS LOQUENTIUM INIQUA.

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt : nam non solum ipsi non consequentur bona quæ optabant, sed neque poterunt justos bonis suis privare. Nam rex ipsorum Christus, de quo dixerunt Judæi : « Tolle, tolle, crucifige eum, » *Joan.* XIX, et cujus nomen pagani delere totis viribus laboraverunt, et cui omnes impii contradicebant, vivet et regnabit in sæcula, et « lætabitur in Deo, » sedens in dextera Patris gloriosus; « et laudabuntur (in die judicii) omnes qui jurant in eo, » qui videlicet hoc tempore, non obstantibus persecutionibus, eum tanquam verum Deum religiose colunt, et per nomen ejus jurant, sive illi fidelem obedientiam jurant. « Laudabuntur, » inquam, omnes Christi fideles, « quoniam obstructum est os loquentium iniqua, » id est, obstruetur in die novissimo os omnium iniquorum; tunc enim veritas manifesta erit, et nemo erit qui eam inficiari possit, proinde impii dicent, ut habetur in lib. *Sapient.* cap. v : « Ergo erravimus a via veritatis; et : Hi sunt quos habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. » Itaque laudabuntur justi ab inimicis, quando veritas per divinum judicium patefacta, obstruet ora omnium, qui nunc blasphemantes, maledicentes, calumniantes, detrahentes, conviciantes, mentientes iniqua loquuntur. Hos duos versiculos aliqui exponunt de Davide, aliqui de Christo. Vere enim Saul, et cæteri inimici Davidis, qui eum interficere cupiebant, ut ipsi secure regnarent, « in vanum laboraverunt : » nam et ipsi exstincti sunt, et David gloriose regnavit. Sic etiam Judæi, qui Christum occidere satagebant, « ne venirent Romani, et tollerent locum eorum et gentem, » ut dicitur *Joan.* cap. XI, noluerunt Agnum habere regem, et habuerunt vulpem simul et leonem : nam et Romani civitatem eorum everterunt, et regnum abstulerunt, ipsis maxima strage ferme deletis, et Christus resurrexit, et gloriosissime regnavit, « et regni ejus non erit finis, » *Luc.* cap. I. Nos tamen S. Augustinum secuti exposuimus de justis in universum, et eorum capite ac rege Christo, ut doctrina et consolatio Scripturarum ad plures pertineret.

Justi laudabuntur etiam ab inimicis.

PSALMUS LXIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem, 1. Psalmus David.*

2. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.

3. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas; intenderunt arcum rem amaram, **5.** ut sagittent in occultis immaculatum.

V. S. H. — *Victori, Canticum [h. Psalmus] David.*

Audi, Deus, vocem meam loquentis, a timore [*h. pavore*] inimici serva vitam meam.

Absconde me a consilio malignorum, a tumultu operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt quasi gladium linguam suam : tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.

6. Subito sagittabunt eum, et non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt : Quis videbit eos?

7. Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum : 8. et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : 9. et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos, 10. et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde.

Ut sagittarent in absconditis simplicem : subito sagittabunt eum, et non timebunt.

Confortaverunt sibi sermonem pessimum, narraverunt, ut absconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio, et cogitationibus singulorum, et corde profundo.

Sagittabit ergo eos Deus jaculo repentino : inferentur plagæ eorum.

Et corruent in semetipsos plagis [*h. linguis*] suis : fugient omnes qui viderint eos.

Et timebunt omnes homines, et annuntiabunt opus Dei, et opera ejus intelligent.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : et exsultabunt omnes recti corde.

Argumentum. — Videtur compositum hoc carmen a Davide cum in aula Sauli versaretur. Strophæ duæ : vers. 2-7, orat, ut Deus ipsum defendat a scelestis molitionibus hominum insidiosorum; vers. 8-11, sperat fore, ut subito isti in perniciem agantur, quo facto omnes bonos Deo ait gloriaturos esse, magisque ac magis in illa fiduciam collocaturos.

1. **Præcentori, Psalmus Davidis.**

2. Audi, Deus, vocem meam, cum queror;
a terrore hostis (terrenti hoste) serves vitam meam.
3. Occultes me a colloquio maleficorum *prava consilia agitantium*,
a tumultu sceleste agentium.
4. Qui acuunt ut gladium linguam suam,
tendunt sagittam suam, verbum amarum :
5. Ad sagittandum in latibulis integrum (innocuum);
subito sagittant eum, nec timent *Jovam vindicem.*
6. Confirmant sibi (stat iis perficere) rem malam;
sermonem conferunt de occultandis laqueis;
dicunt : Quis cognoscet de iis?
7. Machinantur (excogitant) scelera,
perficiunt consilium *bene* excogitatum;
et intimum cujusque et cor est profundum.

8. Tum feriet eos Deus sagitta,
subito (subitanea) est cædes eorum.
9. Corruere eum (quemque eorum) fecerunt,
linguæ eorum (verba, sagittæ) super eos *retorquentur;*
fugiunt quicumque vident eos.
10. Et timent (Jovem, causæ meæ vindicem) omnes homines,
et prædicant facinus ejus,
et opera ejus intelligit.
11. Lætatur justus de Jova, et confidit in eo,
et gloriantur omnes integri cordis.

NOTÆ.

Vers. 2. *Queror* : Hengstenberg, *curis angor*; alii, *interne precor*, quod non displicet. — Vers. 3. *Colloquio.... agentium*, parallelismus. *Tumultu*, in exsequendis consiliis. Maurer pro *colloquio* vertit *consessu*; pro *tumultu* vero, *turba*. — Vers. 4. *Tendunt sagittam*, constructio prægnans. — Vers. 6. *Iis*, laqueis, et eos vitabit; alii ad insidiatores referunt, oratione obliqua, ut sæpius.— Vers. 7. *Perficiunt*, perfecte ineunt. *Profundum*, i. e. quæ pectore volvunt a nemine possunt investigari. Maurer, *excogitant scelera*; quibus excogitatis. *Perfecimus!* inquiunt, *consilium excogitatum est! Perficiunt* a *thamam*, pro *thammou*.—Vers. 8. Alii, *et feriet eos Deus, subito sagitta* eos percutiet, *ipsorum sunt vulnera*. — Vers. 9. Pro *fugiunt*, alii *terrentur*. — Vers. 10. *Prædicant*, plausu accipiunt. — Vers. 11. Pro *gloriantur*, Hengstenberg vertit *sese laudabunt*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Hunc Psalmum de solo David aliqui explicant, qui liberari a persecutoribus cupiebat; aliqui ad solum Christum referunt, cujus passio in hoc Psalmo ex parte describi videtur. Sed nihil impedit quominus de Davide, et de Christo, cujus typum David gerebat, Psalmum intelligamus; imo etiam de martyribus aliisque justis, quorum caput Christus est, et in Psalmis, nunc in persona sua, nunc in persona membrorum suorum loquitur. Nos tamen persequemur expositionem sanctorum Patrum, qui de Christo potissimum totum hunc Psalmum explicaverunt.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. EXAUDI, DEUS, ORATIONEM MEAM, CUM DEPRECOR : A TIMORE INIMICI ERIPE ANIMAM MEAM.

More suo Propheta primum petit exaudiri, deinde exponit quid cupiat. « Exaudi, inquit, orationem meam, cum deprecor, » id est, fac obsecro ne frustra deprecer. S. Hilarius legit : *Cum tribulor*, pro eo quod nos habemus, *cum deprecor*; sensus est idem : sed nescio quid secutus sit : nam vox hebraica בשיחי *besichi*, significat *submisse loqui*, quod est signum humilitatis et reverentiæ, et sic Anna orabat I *Reg.* I, « ut tantum labia moverentur, et vox penitus non audiretur : » vox enim græca δέεσθαι, *precari*, non *tribulari* significat. « A timore inimici eripe animam meam : » hæc est petitio quæ duobus modis intelligi potest, primum, ut petat liberari a timore inimici volentis occidere, tollendo materiam timoris, efficiendo videlicet, ut inimicus non possit, vel non velit occidere : et hæc videtur litteralis expositio; secundo, ut petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo charitatem et constantiam, ut non timeat mortem carnis; sed timeat mortem peccati : sive, ut non timeat homines, « qui possunt corpus occidere, et post hæc non habent amplius, quid faciant; » sed timeat Deum, « qui potest, et corpus, et animam perdere in gehennam, » ut Dominus monet *Matth.* X. Et hæc est expositio S. Augustini spiritualis et utilissima : nam liberari a timore mundano, et radicari in timore divino in omni tribulatione optimum est. Sed in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum infirmorum locutus est : in priore autem, in persona etiam sua locutus esse videtur. Sicut enim in horto pridie passionis timere et pavere dignatus est, et orare, *Matth.* XXVI : « Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc a me, » sic hoc ipsum per Prophetam prædicere voluit.

Vers. 2. 2. PROTEXISTI ME A CONVENTU MALIGNANTIUM, A MULTITUDINE OPERANTIUM INIQUITATEM.

In hoc versiculo exauditum se fuisse Christus ostendit, et quod de se dicit in præterito, idem membris suis promittit in futurum. « Protexisti, inquit, me a conventu malignantium. » Notum est ex Evangelio quam sæpe « convenerint principes Judæorum adversus Jesum, ut eum morti traderent, » *Matth.* XXVI, ac doctrinam ejus et nomen exstinguerent; nec solum principes in concilium convenerunt ad consultandum, sed etiam multitudo militum ac satellitum « convenit ad operandum iniquitatem, » ad Christum videlicet illudendum, flagellandum et crucifigendum. Sed protexit eum Deus, ut neque conventus malignantium Judæorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret. Permisit quidem Deus Christi carnem flagellari et cædi, sed et flagella et mors, mundi salutem operata, in gloriam et triumphum versa sunt; et quod in capite præcessit, in membris quoque factum est, et fiet. Martyres enim protexit Deus, ut occisio

corporis non solum non eis obesset, sed etiam prodesset ad gloriam sempiternam; et pios omnes Deus proteget, ut tribulatio, ac persecutio cooperetur eis semper in bonum. Illud *protexisti* in hebræo est, *proteges*, sive *abscondes*; in græcis plerisque σκέπασον, *protege*, et sic legunt Theodoretus et Euthymius. Tamen Hilarius, Hieronymus et Augustinus in *Commentario* legunt, *protexisti;* quæ lectio facile cum hebraica concordatur : nam apud Hebræos sæpe futurum ponitur pro præterito, et contra; sed in sensu nulla varietas est.

Vers. 3. 3. QUIA EXACUERUNT, UT GLADIUM, LINGUAS SUAS : INTENDERUNT ARCUM, REM AMARAM, UT SAGITTENT IN OCCULTIS IMMACULATUM.

Hæc referuntur ad conventum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus, nimirum consultando, accusando, insistendo apud judicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret. Comparat autem Propheta verba malignantium Judæorum gladio et sagittis, quoniam gladius de proximo ferit, et præsentem; sagitta longe positum et absentem vulnerat : sic igitur Judæi palam præsentem Christum gladio linguæ occiderunt, cum eum coram in concilium suum adductum accusarunt, et quasi convictum damnarunt, dicentes, *Matth.* XXVI : « Reus est mortis, » et postea ad tribunal Pilati iterum accusarunt, quasi seductorem, et ut crucifigeretur sæpe ac sæpius institerunt; et hoc modo gladio linguæ iterum interfecerunt. « Quia, inquit, exacuerunt ut gladium linguas suas, » ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum eum examinarent, et lethifero ictu eum occiderent, dum condemnarent. « Intenderunt arcum, rem amaram, » non solum palam quasi gladio ferierunt, sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi sagittas tetenderunt, cum tam sæpe ad eum miserunt, qui eum caperent in sermone, et cum proditore Juda occulta colloquia miscuerunt, et cum falsos testes instruxerunt. « Intenderunt arcum, rem amaram, » id est, insidias tetenderunt, quæ insidiæ res amaræ ac lethiferæ erant, « ut sagittent, » id est, ut sagittarent « in occulto, » id est ex insidiis, « immaculatum; » hic enim erat finis, et quasi scopus insidiarum, ut Christum maculatum et peccatorem, id est, blasphemum et seductorem falsis testimoniis et accusationibus ostenderent; qui tamen revera immaculatus erat, et ad hoc venerat in mundum, ut maculas peccatorum ab aliis abstergeret. Illud, *quia*, non est in omnibus codicibus : nam in græcis et quibusdam latinis habetur *qui;* res est parvi momenti; et vox hebræa אשר *ascher* ambigua est, et tam *qui*, quam *quia* significare potest. S. Hilarius legit *qui*, S. Hieronymus et S. Augustinus *quia*.

Vers. 4. 4. SUBITO SAGITTABUNT EUM, ET NON TIMEBUNT; FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM.

Dixerat conventum malignantium jam intendisse arcum, ut sagittarent immaculatum : nunc addit, omnino id futurum, eo quod obfirmati et obdurati sint in malo : prævidebat enim Spiritus Sanctus, et prædicebat obstinationem pene incredibilem Judæorum, quam etiam clarissime prædixit Isaias cap. VI. Cujus vaticinii meminit S. Joannes cap. XII : « Subito, inquit, sagittabunt eum, » id est, de improviso sagittas insidiarum emittent, « et non timebunt, » id est, audacter sagittabunt, non cogitantes timorem Domini, non formidabunt divinum judicium, non reverebuntur oculos Dei omnia videntis. « Firmaverunt sibi sermonem nequam, » id est, ideo non timebunt sagittare immaculatum, quia obstinati et obdurati sunt, et jam stabilierunt firmiter sententiam illam plenam injustitiæ, qua semel dixerunt : « Reus est mortis; » hinc enim postea cum Pilatus multis rationibus conaretur eos a scelere revocare, semper obstinate clamaverunt : « Crucifigatur. »

Vers. 5. 5. NARRAVERUNT, UT ABSCONDERENT LAQUEOS; DIXERUNT : QUIS VIDEBIT EOS?

Addit Propheta ad obstinationem malignantium Judæorum, etiam hypocrisim, qua tegere voluerunt invidiam et malignitatem suam sub tegumento obsequii ad Cæsarem. Christum enim propter invidiam persequebantur, quod Pilato quoque notum erat. « Sciebat enim (inquit S. Matthæus cap. XXVII) quod per invidiam tradidissent eum; » sed illi hanc invidiam tegebant dicentes : « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, » *Luc.* XXIII; et rursum : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris : omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari, » *Joan.* XIX. Hoc ergo est, quod dicit : « Narraverunt, ut absconderent laqueos, » id est, dixerunt intra se : Abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob injuriam Cæsaris; quis videbit hanc simulationem? quis propterea nos puniet? quasi vero Deus non omnia videat, vel parum sit videri a Deo, qui supremus est Judex.

Vers. 6. 6. SCRUTATI SUNT INIQUITATES, DEFECERUNT SCRUTANTES SCRUTINIO.

Pergit Propheta in explicanda et amplificanda malignitate Judaica; ac dicit Judæos, non contentos insidiis et hypocrisi, addidisse ut diligentissime scrutarentur et investigarentur iniquitates, si quas invenire possent in Christo. Hinc enim « principes sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum; » et quamvis testimonia convenientia non erant, dicebant tamen : « Nihil respondes ad ea quæ isti contra te testificantur? » *Matth.* XXVI. Id enim est *scrutari iniquitatem*, quærere falsa testimonia, et his quasi veris scienter abuti. « Defecerunt autem scrutantes scrutinio, » quia nihil invenerunt, quod vel colorem veritatis habere videretur, et quia Dei judicio tanta cæcitate percussi sunt, ut non adverterent se ab omnibus deridendos, quod

etiam dormientes testes adduxissent, cum ad custodes sepulcri dixerunt : « Dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli noctu, et furati sunt eum, » *Matth.* XXVII; quam cæcitatem notavit et expendit S. Augustinus. Parum autem refert si legamus : *Scrutantes scrutinio*, sive *scrutantes scrutinia*, sive *scrutantes scrutationes* : omnia enim in idem recidunt.

Vers. 7. 7. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM, ET EXALTABITUR DEUS.

Exposita perversitate malignantium inimicorum, prædicit nunc Propheta quid Christus egerit tempore tantæ persecutionis. « Accedet, inquit, homo ad cor altum, » id est, Christus, qua homo est, « accedet, » offeret atque objiciet se quasi infirmus, et quasi nesciens, et tamen vere penetrans profunda cordis ipsorum, « accedet » ad illas omnes passiones, quas in occulto corde suo disposuerunt, id est, perferet patienter et humiliter injurias, quas illi alto, profundo et pravo corde machinati sunt. Potest etiam per *cor altum*, intelligi cor ipsius Christi, ut sensus sit : « Accedet homo Christus ad cor altum, » id est, ingredietur cor suum profundum et secretum, quo disposuit objicere Judæis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Utramque expositionem attingit S. Augustinus. « Et exaltabitur Deus, » id est, humiliabit se ut homo, exaltabitur ut Deus, quia tunc maxime demonstrabitur sapientia divina vincens malitiam humanam, quando apparebit Christum, moriendo, mortem destruxisse, et resurgendo, vitam reparasse. Hæc est expositio verborum editionis nostræ Vulgatæ; sed sciendum est hanc lectionem nostram a multis oppugnari et rejici, quoniam textus hebraicus et græcus repugnare videntur. In hebræo sic legitur ad verbum : *Et cogitatione viri, et corde profundo, et sagittabit eos Deus;* pro eo quod nos habemus : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Sed facile conciliabitur hic textus cum nostra editione; nam vox hebraica קרב *kereb*, quæ *intimum*, sive *cogitationem* significare potest, si legatur cum aliis punctis *karab*, significabit *accessit*, sive *accedet*; et sic legerunt Septuaginta Interpretes, qui verterunt : *Accedet homo.* Illud autem, *et corde alto*, potest etiam legi, *et cor altum*, quia non habent Hebræi diversos casus, et tota difficultas est in particula *et*, pro qua nos habemus *ad*; et quamvis in græcis libris, qui nunc exstant, habeatur *et cor altum*, tamen cum veteres Patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus legant in Commentario, *ad cor altum*, credibile est eos ita in græcis textibus invenisse; nam erant periti linguæ græcæ, et ex iis Hieronymus in *Commentario* Psalmos exponit ex interpretatione Septuaginta virorum. Mirum autem est quod Cornelius Jansenius, vir doctissimus, conetur ostendere ab Augustino lectum fuisse *et cor altum*, cum Augustinus sæpissime repetat *ad cor altum*, et ne semel quidem, *et cor altum*; corruptum autem fuisse textum Augustini in tam multis locis et in omnibus editionibus, verisimile non est; credibilius autem est corruptum fuisse textum hebraicum post interpretationem Septuaginta virorum in particula *et*, sicut corruptum esse constat in particula קרב *kereb*, ut ostendimus, præsertim cum ista lectio : *Accedet homo et cor altum*, nullum fere sensum commodum recipiat; quid enim significat : *Accedet homo et cor altum?* Illud autem, *et sagittabit eos Deus*, pro *et exaltabitur Deus*, ex errore Rabbinorum natum esse videtur; nam vox hebraica וירם *vaiorem*, si deducatur a verbo ירה *iarah*, significat *sagittabit eos;* si deducatur a verbo רום *rum*, in conjugatione *hophal*, significat *exaltabitur*, et sic acceperunt eam vocem Septuaginta viri, Rabbinis omnibus doctiores.

Vers. 8. 8. SAGITTÆ PARVULORUM FACTÆ SUNT PLAGÆ EORUM, ET INFIRMATÆ SUNT CONTRA EOS LINGUÆ EORUM.

Hoc fecit potentia et sapientia Dei, de qua dictum est : « Et exaltabitur Deus, » ut plagæ ab adversariis Christo inflictæ, tam parum illi nocuerint, ac si factæ essent a sagittis infantium parvulorum; nam et tela infantium leves festucæ sunt, et manus eorum infirmæ ac teneræ, quæ nihil detrimenti adferre possunt. Et vere quales plagas Christo intulerunt Judæi, cum triduo, vel potius in momento post triduum, ita curatæ sint, ut corpus ejus impassibile et immortale surrexerit? « Sagittæ, inquit, parvulorum fuerunt, » quibus factæ sunt plagæ ac vulnera eorum. « Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum, » id est, et calumniæ ac blasphemiæ eorum infirmatæ sunt; quia nihil ei nocere potuerunt, ac si gladii plombei fuissent, sed « infirmatæ sunt contra eos, » id est, in detrimentum et pœnam ipsorum calumniantium et blasphemantium. Alludit Propheta ad illud quod supra dixerat : « Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram; » ac si diceret : Laboraverunt, ut gladium linguæ exacuerent, atque ut sagittas lethales ex arcu jacerent, sed linguæ gladius plumbeus, et sagittæ tela infantium evaserunt. Atque hoc ipsum de persecutoribus martyrum omniumque justorum dici potest : dies enim judicii ostendet quam parum, ac potius nihil eis nocuerit crudelitas persecutorum, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Ex hebræo juxta puncta Rabbinorum non legitur : *Sagittæ parvulorum*, sed *sagitta repentina*. Facile autem est videre unde sit nata diversitas; nam vocem hebraicam legerunt פתאם *pitheom*, quod significat *repente* aut *repentinum;* cum Septuaginta legerint פתאיבי *pethaim*, quod *parvulos* significat.

Vers. 9. 9. CONTURBATI SUNT OMNES QUI VIDEBANT EOS, ET TIMUIT OMNIS HOMO.

Explicat Propheta quid consecutum sit ex eo

quod per Christi resurrectionem factæ sint Judæorum sagittæ, « sagittæ parvulorum, et infirmatæ sint, » ac prorsus evanuerint calumniæ et contumeliæ eorum. « Conturbati sunt, inquit, omnes qui videbant eos, » Judæos videlicet attonitos et confusos, quando ab Apostolis audiebant eum quem occiderant, surrexisse a mortuis, in cœlum ascendisse, et venturum Judicem vivorum et mortuorum; et ea quæ audiebant, signis magnis ac divinis approbari cernebant. « Et tunc timuit omnis homo, » id est, omnes, qui recta ratione utebantur, cœperunt contremiscere, et expavescere, et dicere : « Quid faciemus, viri fratres? » De hoc timore sancto sic scribit S. Lucas *Act.* II : « Fiebat autem omni animæ timor; multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat ingens in universis. » Parum autem refert quod S. Hieronymus ex hebræo vertit : *Fugerunt omnes qui videbant eos;* nam vox hebraica נדד *nadad,* quæ hoc loco habetur, utrumque significat, et *fugere* et *commoveri;* et omnis qui commovetur ac turbatur, fugit, si non pedibus, saltem affectu; contrahit enim se, et latebras quærit : timor enim fuga quædam est hominis ad seipsum : sicut e contrario desiderium et amor effundunt hominem extra se.

Vers. 10. 10. ET ANNUNTIAVERUNT OPERA DEI, ET FACTA EJUS INTELLEXERUNT.

Illi, qui sancto timore correpti sunt, ac imprimis Apostoli, qui primi Christo resurgente atque eis apparente timuerunt, ut dicitur *Luc.* XXIV, « illi, inquam, annuntiaverunt opera Dei, » id est, prædicare cœperunt Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, doctrinam, miracula et similia. « Et facta ejus intellexerunt; » particula enim *et* passim in Scripturis accipitur pro *quia.* Apostoli ergo edocti, tum ab ipso Christo, qui post resurrectionem « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, » *Luc.* XXIV; tum a Spiritu Sancto, qui superveniens in eos, « docuit illos omnem veritatem, » *Joan.* XVI, « facta ejus intellexerunt, » et eadem toti mundo annuntiaverunt.

Vers. 11. 11. LÆTABITUR JUSTUS IN DOMINO, ET SPERABIT IN EO; ET LAUBABUNTUR OMNES RECTI CORDE.

Ex illa apostolica prædicatione id consequetur, ut omnis vere justificatus, id est, justus ex impio factus, « lætetur deinceps in Domino, et speret in eo, » deposito metu servili et mundano; « fructus enim spiritum justificantis est charitas, gaudium, pax, » *Gal.* V. Et tandem in fine sæculorum « laudabuntur omnes recti corde, » omnes qui in justitia perseveraverunt, et per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, neque volentes, nisi quæ Deo placent, illi a Deo laudabuntur in theatro totius mundi, quando e contrario omnes pravi corde in theatro eodem cum summa ignominia confundentur.

PSALMUS LXV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem, Psalmus David.*
1. *Canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.*

V. S. H. — *Victori, carmen* [*h. Psalmus*] *David Cantici.*

2. Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Tibi silentium laus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum.

3. Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Exaudi orationem, donec ad te omnis caro veniat.

4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Verba iniquitatum prævaluerunt adversum me : sceleribus nostris tu propitiaberis.

5. Beatus quem elegisti et assumpsisti; inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, 6. mirabile in æquitate.

Beatus quem elegeris, et susceperis : habitabit enim in atriis tuis.

Replebimur bonis domus tuæ, sanctificatione templi tui. Terribilis in justitia exaudi nos, Deus salvator noster :

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Confidentia omnium finium terræ, et maris longinqui.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : 8. qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Præparans [al. *qui præparas*] montes in virtute sua, accinctus fortitudine.

Compescens sonitum maris, fremitum fluc-

Turbabuntur gentes, 9. et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.

10. Visitasti terram, et inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum; quoniam ita est præparatio ejus.

11. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.

13. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.

14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

tuum ejus, et multitudinem gentium [*h. plebium*].

Et timebunt qui habitant in extremis a signis tuis : egressus matutini et vesperi laudantes facies.

Visitasti terram, et irrigasti eam, ubertate eam dita.

Rivus Dei plenus aqua; præparabis frumentum eorum, quia sic fundasti [*h. præparabis*] eam.

Sulcos ejus inebria, multiplica fruges ejus [*h. educ accinctos ejus*] : pluviis irriga eam, germini ejus benedic.

Volvetur annus [*h. coronasti annum*] in bonitate tua, et vestigia tua rorabunt pinguedine.

Pinguescent [*h. rorabunt*] pascua deserti, et exsultatione colles accingentur.

Vestientur agnis greges : et valles plenæ erunt frumento, coæquabuntur, et canent.

Argumentum. — Celebrat primo, vers. 2–5, præstantiam cultus divini et bona ex eo obtinenda; tum, vers. 6-9, summam Dei potentiam, quæ in eo maxime cernitur, quod solus ille terræ fertilitatem potest concedere, cujus elegans est descriptio vers. 10-14. Hinc strophæ tres, quarum prima nonnisi carminis exordium esse videtur, secunda vero transitus ad tertiam, quæ Psalmi præcipuum continet. Decantatum videtur hoc carmen ineunte messe, forsan secunda Paschatis die. Juxta alios, apud arcam, quæ tunc erat in Sionis arce, imo eo die, quo in Sionis arcem translata est, publice fuit cantatum, celebrandi ejus beneficii gratia.

1. Præcentori, Psalmus Davidis, canticum.

2. Te decet laus, Deus, in Sione,
   et *ibi* tibi persolvitur votum.
3. *O tu,* qui audis preces,
   ad te omnis caro (mortales) venit.
4. Peccata facta sunt magna nimis mihi (superant me),
   delicta nostra tu condonas ea.
5. O felicem *illum quem* eligis et *quem* admittis,
   ut habitet in atriis tuis!
   satiemur bonis domus tuæ,
   loco sacro templi tui.

6. Mirabiliter in justitia *tua* exaudis nos, Deus salutis nostræ,
   fiducia omnium finium terræ, marisque remotorum (hominum).
7. Qui firmat montes virtute sua,
   cinctus est robore.
8. Qui sedat tumultum marium,
   tumultum fluctuum eorum,
   et strepitum populorum.
9. Et timent incolæ finium (extremorum terræ) præ signis (miris operibus) tuis;
   ortus τοῦ mane et vespere jubilare facis.

10. Visitas terram, et eam *pluvia* abundare facis;
copiose (copia fructuum) ditas eam;
rivus Dei plenus est aquarum;
paras frumentum eorum (incolarum):
nam sic præparas eam:
11. Sulcos ejus inebrias (aqua), deprimis glebas,
imbribus dissolvis eam,
germina ejus benedicis.
12. Coronas (ornas beneficiis) annum benignitatis tuæ
et orbitæ tuæ distillant pinguedinem.
13. Stillant *pinguedinem* pascua (plagæ) deserti,
et jubilo (vultu lætissimo) colles se cingunt.
14. Agnis indutæ (circumdatæ) sunt oves,
et valles vestitæ sunt frumento,
jubilantque canuntque.

NOTÆ.

Vers. 2. *Decet,* propr. *æqualis :* ita post Alexandrinos Evaldus. Hengstenberg, *tibi* reddatur *in silentio laus.... persolvatur.* Maurer, *tibi* (in te) *sit fiducia nostra,* et *laus,* etc. — Vers. 5. *Ut habitet* : alii, qui *habitat.* — Vers. 6. *In justitia* : Maurer et Ewaldus, *cum felicitate,* felicitatem afferens : conf. *Ps.* XXIV, 5. — Vers. 9. *Ortus,* etc., i. e. regiones quæ sitæ sunt, i. e. homines qui degunt ad solis ortum quique ad occasum. Quemadmodum sidera, sic *vespera* quoque et *nox oriri* recte dicuntur. Alius, *fontes mane,* orientem, *et vesperam,* etc. — Vers. 10. *Abundare,* puta aquis, sive pluviæ (quod præplacet), sive torrentium : ita veteres. Hodierni, *abundare,* scil. proventu. *Rivus Dei,* i. e. pluvia; alii, *Jordanes* alique torrentes : minus recte. *Sic,* puta irrigando eam, ut *sic* referatur ad ea quæ præcesserunt. Quod Maurero languere videtur, et ipse *sic* copulat cum vers. 11, *nam sic paras eam,* ut sequitur. — Vers. 11. *Inebrias,* infinitivus, qui per enallagen induit naturam temporum antecedentium. *Deprimis,* complanas pluviis copiose demissis. — Vers. 12. *Orbitæ tuæ,* i. e. ubicumque modo es præsens, ibi distillas, etc. Alius : *Orbitæ tuæ,* i. e. viæ tuæ cœlestes, nubes. — Vers. 14. Maurer, *induta sunt arva ovibus.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David, Canticum Hieremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

Titulus hujus Psalmi in codicibus hebraicis non continet nisi prima illa verba : *In finem, Psalmus David.* Apud Hilarium quoque non habentur alia verba. Theodoretus autem affirmat nihil aliud haberi in editione græca Septuaginta Interpretum, cætera addita esse a posterioribus. Tamen non videtur contemnendum quod additur : *Canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire;* nam hæc verba habentur in antiquis codicibus, et leguntur a S. Hieronymo et Augustino in *Commentario* hujus tituli. Quicumque autem addidit hanc partem tituli, non voluit significare reipsa cantatum fuisse hunc Psalmum a Hieremia et Ezechiele, quando populus incipiebat exire ex captivitate Babylonica : nam Hieremias nunquam fuit in Babylonia, et sine dubio mortuus erat, quando cœpit solvi captivitas. Credibile est etiam Ezechielem tunc fuisse defunctum, ut Epiphanius testatur in *Vita Ezechielis.* Tribuitur igitur hic Psalmus (qui revera Davidis est) Hieremiæ et Ezechieli, quoniam isti duo Prophetæ prædixerunt reversionem populi de Babylone in Jerusalem; et fingitur decantatus ab his Prophetis initio egressionis Hebræorum de captivitate, ut intelligeremus hunc Psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel a captivitate in patriam. Et quoniam ea liberatio de captivitate typus fuit liberationis generis humani de captivitate diaboli, altiore sensu Psalmus prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, et reditum spiritualium peregrinorum ad patriam cœlestem : nam et Ecclesia et cœlestis patria per Jerusalem in sacris litteris significari solet.

Cur hic Psalmus tribuatur Hieremiæ et Ezechieli?

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. TE DECET HYMNUS, DEUS, IN SION, ET TIBI REDDETUR VOTUM IN JERUSALEM.**

Incipit Propheta in persona populi Dei a quodam verissimo principio, ex quo colligitur desiderium justum redeundi ad patriam. Principium verissimum est conveniens esse, ut populus Deum laudet, et vota illi offerat in Jerusalem. Laus enim debetur bono, et summa laus summo bono, quod est Deus ; et hæc laus debet exhiberi, ubi bonum, quod laudatur, est notum. Deus autem notus non erat in Babylone, sed in Jerusalem, ideo in Jerusalem Deus a populo laudandus erat. Sic etiam vota, ac præsertim sacrificiorum, ibi solvenda sunt, ubi templum et altare inveniuntur: templum Dei et altare non erant nisi in Jerusalem; igitur in Jerusalem vota populi Dei solvenda erant. Ex hoc principio recte colligitur, populum Dei jure desiderare, ac petere reditum in patriam. Et si hoc erat verum de reditu ad terrenam Jerusalem, multo verius est de reditu ad cœlestem Jerusalem, ubi multo notior est magnitudo divinæ bonitatis, et ubi est tabernaculum non manufactum, et altare aureum, in quo igne perfectissimæ charitatis sese totos offerunt omnes cives Jerusalem in holocaustum Deo. Veniamus ad verba Psalmi : « Te decet hymnus, Deus, in Sion, » id est, convenit omnino ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat « in Sion, » id est, ubi nota est magnitudo tua, non in terra aliena, ubi dii lignei et lapidei, aurei et argentei laudantur. « Et tibi reddetur votum in Jerusalem, » id est, convenit quoque ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Jerusalem, ubi nota sunt beneficia tua, et vota sacrificiorum, ubi est templum et altare tuo nomini dicatum; non in Babylone, ubi nec agnoscuntur beneficia tua, neque sunt templa et altaria nisi idolorum ; nam « omnes dii gentium dæmonia, » ut dicitur in *Psalm.* XCV. In hebræo pro verbo *decet*, est nomen *silentium*. Sic enim vertit S. Hieronymus : *Tibi silentium laus, Deus, in Sion.* Sed Septuaginta Interpretes viri doctissimi per vocem דמיה *dumiah*, non existimaverunt significari *silentium*, quod deducitur a verbo דום *dum*, sed *convenientiam*, ut sic loquar, a verbo דמה *damah*, quod significat *assimilari*. Similitudo enim nihil est aliud, nisi conformitas et convenientia unius ad aliud. Laus autem convenit maxime bonitati, et ideo soli Deo propriissime convenit laus, quia solus Deus propriissime bonus est, dicente Domino : « Nemo bonus, nisi solus Deus, » *Luc.* XVIII. Sed tamen vox *silentium*, quamvis non sit ex mente Septuaginta Interpretum, tamen utilissimum documentum continet; nam laus Dei quæ ore cantatur, deberet sequi ex præcedenti silentio, atque attenta admiratione magnitudinis Dei; qui enim cantant absque prævio tali silentio, « labiis Deum honorant, cor autem eorum longe est a Deo, » ut dicitur *Isai.* XXIX. Itaque recte dicitur : « Tibi silentium laus, Deus, in Sion, » id est, tibi Deus primum convenit tacita admiratio magnitudinis tuæ; deinde constituto corde in hoc silentio, debetur tibi laus in Sion, et votum in Hierusalem. Porro vox *Jerusalem* non habetur in hebraico codice, sed vel excidit vitio librariorum, vel addita ab Interpretibus explicandi gratia.

Summa laus debetur summo bono, quod est Deus.

Similitudo quid sit?

Vers. 2. **2. EXAUDI ORATIONEM MEAM ; AD TE OMNIS CARO VENIET.**

Ex eo quod debetur Deo laus in Jerusalem, orat populus, ut sibi concedatur ex captivitate redire in Jerusalem ad ipsum Deum laudandum, et non solum optat sibi reditum concedi, sed ut omnes homines convertantur ad Deum, et veniant per fidem in Jerusalem quæ est in terris, id est, ad Ecclesiam, et postea per visionem in Jerusalem quæ est in cœlis : sicut enim « Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, » I *Timoth.* II, sic etiam populus Dei cupit et orat, ut omnes homines veniant ad Deum agnoscendum et laudandum. « Exaudi, inquit, orationem meam, » quæ est, ut te auxiliante quam citissime canam tibi hymnum in Sion, et reddam tibi votum in Jerusalem. « Ad te omnis caro veniet, » id est, si me exaudieris, non ego solus, sed omnes homines ad te laudandum, et vota tibi reddenda venient. Id enim cupio et peto, et quod in me erit, verbis et exemplo, ut id fiat, laborabo. Quod omnis caro per figuram intellectionis omnes homines significet, perspicuum est ex multis Scripturæ locis. *Gen.* VI : « Omnis caro corruperat viam suam. » *Joel.* II : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. » *Isai.* XL : « Videbit omnis caro salutare Dei. » *Matth.* XXIV : « Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. » *Joan.* XVII : « Dedisti ei potestatem omnis carnis. » S. Augustinus per *omnem carnem* intelligit omne genus hominum, quia de omni genere aliqui veniunt ad Deum per fidem, et salvantur, videlicet ex divitibus, ex pauperibus, ex doctis, ex indoctis, ex viris, ex feminis, ex Judæis, ex Romanis, ex Græcis, ex Barbaris, etc. « Non enim omnium est fides, neque omnium est salus, sed eorum qui præordinati sunt ad vitam æternam, » ut dicitur *Act.* XIII. In hebræo habetur : *Donec tibi omnis caro veniat*; sed Septuaginta Interpretes non legerunt עדיך *hhadeca, donec tibi*; sed עליך *hhaleca, ad te*; et hæc est verior lectio.

Omnis caro, id est omnes homines, phrasis Scripturæ.

Vers. 3. **3. VERBA INIQUORUM PRÆVALUERUNT SUPER NOS, ET IMPIETATIBUS NOSTRIS TU PROPITIABERIS.**

Hæc est altera ratio cur populus Dei petat a Deo liberationem de captivitate, et reditum in patriam, quia videlicet ex peccatis parentum traditus sit in

captivitatem ; qui enim erant in Babylone, cum soluta est captivitas, fere omnes in captivitate nati erant, ac per hoc parentum peccatis captivitatem suam tribuere poterant : sicut nos omnes captivitatem sub diabolo primis parentibus debemus. « Verba iniquorum prævaluerunt super nos, » id est, mala opera iniquorum parentum nostrorum prævaluerunt super nos filios eorum, nosque gravaverunt jugo durissimæ captivitatis ; sed tu Pater misericordissimus « propitiaberis impietatibus nostris, » quas a parentibus hæreditavimus, et quas ipsi eorum exempla imitati superaddidimus. Quod autem per *verba* interpretati sumus *opera*, nemo mirabitur qui in Scripturis versatus sit. Sic *Luc.* II : « Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis. » *Psalm.* XXI : « Verba delictorum meorum. » *Psalm.* CIV : « Posuit in eis verba signorum suorum. » II *Reg.* I : « Quod est verbum, quod factum est, indica mihi. »

Vers. 4. 4. BEATUS QUEM ELEGISTI ET ASSUMPSISTI, INHABITABIT IN ATRIIS TUIS.

Hæc est tertia ratio cur populus Dei desideret et oret revocari in patriam : quæ ratio ducitur a felicitate patriæ. « Beatus, inquit, est » omnis ille, « quem tu elegisti ab æterno, » et assumpsisti in tempore ad tantam dignitatem, ut sit civis Sanctorum et domesticus Dei. « Is enim inhabitabit in atriis tuis, » id est, in domo tua manebit : ponitur enim pars pro toto, atrium pro palatio.

Vers. 5. 5. REPLEBIMUR IN BONIS DOMUS TUÆ; SANCTUM EST TEMPLUM TUUM, MIRABILE IN ÆQUITATE.

Bona spe fretus populus Dei, jam numerat se inter beatos illos qui habitabunt in domo Dei, ac dicit in ea domo se bonis omnibus abundaturum, imo ita satiandum, ut nihil desideret amplius; hic enim versiculus etiamsi utcumque convenire possit terrenæ Jerusalem, vel Ecclesiæ militanti, tamen absolute soli cœlesti patriæ convenit. « Replebimur, inquit, in bonis domus tuæ, » id est, replebimur ex bonis domus tuæ, ut nihil nobis desit, quod foris quærendum sit. Quid enim boni deesse poterit in domo illius qui fecit omnia, cui serviunt omnia, qui erit omnia in omnibus, in quo sunt thesauri bonorum infiniti? De hoc dicitur in *Psalm.* CII : « Qui replet in bonis desiderium tuum ; » et in *Psalm.* XVI : « Satiabimur, cum apparuerit gloria tua. » « Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. » In illa sancta civitate Jerusalem hoc erit prorsus mirabile et amabile, quod nos in Deo habitabimus, tanquam in domo, et ipse habitabit in nobis tanquam in templo; ipse erit domus nostra, et nos domus ejus, juxta illud : « Manete in me, et ego in vobis, » *Joan.* XVI. Et illud : « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, » I *Joan.* IV. Et si hæc reciproca mansio inchoatur in via, certe multo magis perficietur in patria. Porro « templum hoc Dei sanctum, est mirabile in æquitate, » id est, in justitia, ut vox hebræa בצדק *betsedek* demonstrat. Mirabile enim valde erit videre homines in peccato natos, et peccatis ita obnoxios, ut de illis diceretur *Psalm.* XIII : « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum; » et *Prov.* XXIV : « Septies in die cadit justus ; » et *Psalm.* CXLII : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ; » qui tamen postea ad illam sanctitatem justitiamque perveniunt, ut neque peccatum ullum habeant, neque habere possint, et evadant in templum sanctum, cujus sanctitatem et justitiam ipsi etiam sancti angeli admirentur in cœlis. In hebræo, pro *mirabile* habetur נוראות *noraoth, terribile.* Sed quoniam admirabilia terrorem venerationis incutiunt, recte Septuaginta Interpretes *mirabile* posuerunt, ut indicarent *terribile*, quod legitur in hebræo, non esse terribile, quia terreat, sed quia admirationem magnam pariat.

Vers. 6. 6. EXAUDI NOS, DEUS SALUTARIS NOSTER, SPES OMNIUM FINIUM TERRÆ, ET IN MARI LONGE.

Redit ad orationem, et adfert novum motivum ut exaudiri debeat, videlicet, quia Deus salvator est, et in eo sperant omnes gentes. « Exaudi, inquit, nos, Deus, » dum a te petimus liberationem a captivitate, et revocationem in patriam; exaudiri autem petimus confidenter, quia « tu es salvator noster, » quippe qui sæpe ab hostibus et persecutoribus non salvasti ; tu etiam « es spes omnium finium terræ, » id est, in te sperant omnes gentes totius terræ usque ad ultimos ejus fines ; nec non tu spes es « in mari longe, » id est, omnium habitantium insulas maris longissime positas. Hæc dicit Propheta prævidens conversionem omnium gentium ad cultum veri Dei ; et dicit in præsenti : « Tu es spes omnium finium terræ, » quia Prophetis erant præsentia, quæ in se futura erant.

Vers. 7. 7. PRÆPARANS MONTES IN VIRTUTE TUA, ACCINCTUS POTENTIA; QUI CONTURBAS PROFUNDUM MARIS, SONUM FLUCTUUM EJUS.

Addit aliam rationem a potentia Dei maxima, cui facile est, si velit, populum suum de captivitate liberare, atque ad patriam, unde pulsus fuerat, reducere. Ostendit autem omnipotentiam Dei ex duobus contrariis : nam Deus omnipotentia sua firmiter stabilivit terram, ut montes ejus nulli venti commovere possint : et contra ita fecit elementum aquæ liquidum et mobile, ut quavis aura moveatur. « Præparans montes in virtute tua, » id est, tu es Deus qui præparasti, sive stabilivisti (utrumque enim significat vox hebraica כון *cun*), montes altissimos in virtute tua. « Accinctus potentia, » id est, potentia tua firmasti montes, quia accinctus es potentia, id est, ab omni parte circumdatus et armatus potentia. « Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus. » In hebræo habetur : *Qui mitigas sonitum maris, sonitum*

fluctuum ejus. Sed Septuaginta videntur non legisse משביח *mashbiach*, quod est *mitigans*, sive *compescens*, sed מבעת *mabhith*, quod est *conturbans*, et tunc sensus erit : Tu conturbas profundum maris, excitans sonitum fluctuum ejus. At si non videatur verisimile Septuaginta legisse *mabhith*, pro *mashbiach*, ut textus græcus et latinus cum hebræo conveniant, et unus explicetur per alium, per illud verbum, *conturbas*, non erit intelligenda *commotio* et *concitatio* tempestatis maris, sed *comminatio* et *terrefactio*, qua compescatur fremitus maris : quo modo Dominus comminatus est mari turbato dicens : « Tace, obmutesce, » *Marc.* IV. Confirmatur hæc expositio ex eo quod idem verbum, *conturbas*, refertur etiam ad sonitum fluctuum ejus. « Qui conturbas, inquit, profundum maris, et conturbas sonitum fluctuum ejus; » non recte autem diceretur, qui conturbas sonitum fluctuum, ni sensus esset : Qui terrendo et comminando compescis sonitum turbati maris. In hebræo eadem vox habetur, שאון *sheon*, cum dicitur in latino *profundum;* et cum dicitur *sonitus;* quare per profundum intelligere debemus hoc loco *fremitum maris*, qui ex imo mari erumpit; denique per sonitum fluctuum, altiorem vocem, quam fluctus turbati maris emittunt. Illud etiam non est omittendum, in hebræo haberi omnia in tertia persona : Præparans montes in virtute sua, Deus videlicet, accinctus potentia, conturbans, sive compescens fremitum maris, sonitum fluctuum ejus. In editione latina habentur in secunda persona, sed sensus est omnino idem.

Vers. 8. 8. TURBABUNTUR GENTES, ET TIMEBUNT QUI HABITANT TERMINOS A SIGNIS TUIS; EXITUS MATUTINI ET VESPERE DELECTABIS.

Quemadmodum versiculo superiore potentiam Dei Propheta ostenderat ex montium stabilitate et fluctuatione maris, ita in hoc versiculo demonstrat sapientiam Dei, qui cœlestibus signis nunc terret, nunc exhilarat humanum genus. « Turbabuntur, inquit, gentes, » omnes videlicet gentes universæ terræ. Id quod explicat clarius, cum subjungit : « Et timebunt qui habitant terminos, » id est, turbabuntur et timebunt omnes homines usque ad illos qui habitant terminos terræ. Turbabuntur autem et timebunt « a signis tuis, » id est, a coruscationibus, tonitruis et fulminibus cœlestibus, juxta illud, I *Reg.* II : « Formidabunt Dominum adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit; » nihil est enim horribilius et formidolosius, et quod fortissima etiam pectora metu concutiat et dissolvat, quam fulmen cœleste. Sed idem Deus per ortum et occasum solis humanum genus mirifice recreat; nam oriente sole refectis artubus homines læti ad opera exeunt, et occidente sole fatigati respirare incipiunt, et rursum nihil jucundius ortu fulgentissimi et pulcherrimi luminis; nihil item delectabilius conspectu cœli, sideribus innumerabilibus quasi gemmis pretiosissimis ornati. « Exitus, inquit, matutini et vespere delectabis, » id est, exortum auroræ et crepusculi vespertini delectabilem facies. In hebræo, pro *turbabuntur gentes*, habetur *multitudo gentium;* sed Septuaginta Interpretes non legerunt המון *hamon*, quod *multitudinem* significat, sed המו *hamu*, quod significat *turbati sunt*. Illud autem, *delectabis*, in hebræo est, תרנין *tharnin*, quod est *laudare*, sive *jubilare facies*, quod intelligi debet efficienter, non formaliter; dicitur enim aurora et vespera *laudare*, seu *jubilare*, quia facit homines præ lætitia exultare et laudare. Sicut etiam cum dicitur in textu latino : *Delectabis exitum matutini et vespere*, intelligi debet per figuram, quia exortus auroræ et vesperæ delectat homines illa varietate et vicissitudine noctium ac dierum. Miratus sum cur quidam ex recentioribus vir doctus scripserit, pro voce *exitum*, in hebræo esse vocem, quæ ad solum diei exortum referatur, et non possit referri etiam ad exitum noctis; nam מוצא *motsa*, *exitum* in genere significat, a verbo יצא *iatsa*, quod est *exire*. Et si *exitus* in hebræo significaret *ortum diei*, non fuisset opus addere בקר *boker*, quod *tempus matutinum* significat, ut revera in textu hebræo est additum. Sic enim habetur ad verbum : *Exitus ipsius mane, et ipsius vesperæ laudare facies.*

Vers. 9. 9. VISITASTI TERRAM, ET INEBRIASTI EAM; MULTIPLICASTI LOCUPLETARE EAM.

Laudavit potentiam et sapientiam Dei, nunc adjungit laudes bonitatis, sive beneficientiæ ejusdem, quæ maxime ostenditur in admixtione terræ et aquæ, ex qua oriuntur omnes fructus terræ, sine quibus hæc vita non ducitur. Terra enim si non irrigetur aquis, et aqua nisi misceatur terræ, nihil omnino producit. « Visitasti, inquit, terram, » quæ per se « erat inanis et vacua, » sed visitatione tua facta est fecunda et plena. Visitatio enim Dei efficax est, et non simplex visio, sed provisio. Explicat quomodo visitavit terram, dum adjungit, « et inebriasti eam, » id est, aquis ad satietatem irrigasti, et hac irrigatione « multiplicasti locupletare eam, » id est, multum valde illam locupletem, et copiis omnibus refertam reddidisti.

Visitatio Dei est semper perspicua.

Vers. 10. 10. FLUMEN DEI REPLETUM EST AQUIS; PARASTI CIBUM ILLORUM, QUONIAM ITA EST PRÆPARATIO EJUS.

Explicat idipsum clarius : per flumen rivi aquarum intelligendi sunt; nam in hebræo est, פלג *pheleg*, quod *divisionem* significat. Itaque sensus est, *flumen Dei*, id est, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram, *pleni sunt aquis*, ex divina Providentia et benignitate; sic enim ita « tu, Deus, præparasti cibum eorum, » id est, hominum et animantium cæterorum; « quoniam ita est præparatio ejus, » id est, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irri-

gationem fecundetur, et fructus suos pariat.

Vers. 11. 11. RIVOS EJUS INEBRIA, MULTIPLICA GENIMINA EJUS : IN STILLICIDIIS EJUS LÆTABITUR GERMINANS.

Rursus aliis atque aliis verbis idem beneficium Dei extollit. Sed hoc loco per *rivos* intelliguntur sulci terrarum, ut ex hebræo textu perspicitur; et textus quem sanctus habuit Augustinus, *sulcos ejus* legit. Ait igitur : « Rivos ejus inebria, » id est, perge, Domine, et sulcos terræ abundanter riga fluentibus aquis; et sic « multiplica genimina ejus, » herbas, fruges, plantas ; « in stillicidiis ejus, » id est, pluvia Dei desuper cadente, « lætabitur » terra « germinans. »

Vers. 12. 12. BENEDICES CORONÆ ANNI BENIGNITATIS TUÆ, ET CAMPI TUI REPLEBUNTUR UBERTATE.

Benedicendo benefacies totius anni revolutioni, quæ instar *coronæ* variis floribus ornatæ a tua benignitate quasi semper renovatur, et ex hac benedictione « campi tui, » a te conditi et fecundati, « replebuntur » abundantia omnium bonorum.

Vers. 13. 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI, ET EXULTATIONE COLLES ACCINGENTUR.

Nec solum campi aratione et satione culti replebuntur ubertate frugum, sed etiam loca deserta, quæ solis pascuis deserviunt, et speciosa præ cæteris sunt ex multitudine et varietate herbarum et florum, quæ sponte funduntur a terra; pinguescent cœlesti rore, et colles pariter deserti et inculti herbescente viriditate ita vestientur, ut ex omni parte lætari et exultare videantur.

Vers. 14. 14. INDUTI SUNT ARIETES OVIUM, ET VALLES ABUNDABUNT FRUMENTO : CLAMABUNT, ETENIM HYMNUM DICENT.

In summa fecunditas erit maxima, et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. In hebræo sic legitur ad verbum : *Induti sunt agni pecore*, id est, pusillus grex, qui quasi nudus ob paucitatem videbatur, tanta multitudine pecoris circumdabitur, ut vestitus multiplici indumento videatur. « Induti sunt arietes ovium, » id est, ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant. Alii tamen referunt hæc verba ad vellera, quibus induuntur pecora, quando bona pascua inveniunt. Sed qui ita exponunt, non considerant verba hebraica, quæ non habent *arietes ovium*, sed *arietes*, sive potius *agni pecore*, sive *ove induti sunt*. « Et valles abundabunt frumento, » id est, loca deserta abundabunt pecore, et valles cultæ abundabunt frumento; omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges, suo modo clamabunt in laudem Dei, imo etiam quodam modo hymnum cantabunt conditori et benefactori suo. Porro res omnes creatæ specie sua clamant et canunt : ut homines, quorum usui deserviunt, et mente et voce Deum laudent, eique perpetuo gratias agant. Hæc omnia sanctus Propheta in laudem potentiæ, et sapientiæ, et bonitatis Dei cecinit, ut inde argumentum duceret, quo probaret sperandum esse, et cum fiducia petendam liberationem a captivitate, et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium, et beneficiis Dei in Ecclesiam, ut S. Augustinus et Theodoretus tradunt : qui Theodoretus recte Judæos redarguit, quod fabulentur hæc omnia impleta fuisse in terra Palæstinæ post reversionem ex captivitate : tantum enim abest, ut post reditum ex Babylone terra illa fecundior fuerit et beatior, ut potius in deterius semper abierit.

Omnia nos ad laudem Dei canendam hortantur.

PSALMUS LXVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *In finem, 1. Canticum Psalmi resurrectionis.*

Jubilate Deo, omnis terra;

2. Psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

3. Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo.

5. Venite, et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

6. Qui convertit mare in aridam, in flumine

V. s. h. — *Victori, Canticum Psalmi.*

Jubilate Deo, omnis terra. Cantate [*h. psallite*] gloriam nomini [al. *nominis*] ejus.

Date gloriam laudi ejus. Dicite Deo : Quam terribile opus tuum ! in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et cantet [*h. psallat*] tibi, cantet [*h. psallat*] nomini tuo. SEMPER.

Venite [*h. ite*], et videte opera Dei, terribilia consilia super filios hominum [*h. Adam*].

Convertit [al. *convertet*] mare in aridam,

pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt : qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

8. Benedicite, gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.

9. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos, Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : 12. imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, 14. quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in eo.

Qui dominatur in fortitudine sua a sæculo, oculi ejus gentes aspiciunt; qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis. SEMPER.

Benedicite, populi, Deo nostro, et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam nostram in vitam, et non dedit in commotionem pedes nostros.

Probasti enim nos, Deus : igne nos conflasti sicut conflatur argentum.

Introduxisti nos in obsidionem [al. *in rete*] : posuisti stridorem in dorso nostro [*h. lumbis nostris*] : imposuisti homines super caput nostrum.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

Ingrediar [al. ad. *in*] domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ promiserunt [*h. distinxerunt*] labia mea, et locutum est os meum cum tribularer.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : faciam boves cum hircis. SEMPER.

Venite [*h. ite*], audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ.

Ipsum ore meo invocavi, et exaltavi in lingua mea.

Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Ideo exaudivit Deus : et attendit vocem deprecationis [*h. orationis*] meæ.

Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Argumentum. — Gratiarum actio post populum ex insigni quadam calamitate liberatum. Maurero quidem carmen cantatum esse videtur a reductis de exsilio Babylonico, vers. 10 seqq., eo tempore quo reparatum erat templum; vers. 13 seqq., fortasse in ipsa reparati templi consecratione. Huic tamen opinioni plura opponit Hengstenberg, quem vide. Venema illud retulit ad *Isai.* XXXVII, 36 seqq. et XXXVIII seqq. Tandem Ewaldus non unum Psalmum, sed duos esse existimat, quorum prior vers. 1-12, posterior vers. 13-20 constat. Strophæ tres : vers. 1-7, celebrate Deum ob præterita beneficia; vers. 8-12, ob recens beneficium; vers. 13-20, promissa Deo offeramus sacrificia, qui preces nostras audivit. Stropha prima efficit procœmium.

1. Præcentori, canticum, Psalmus.

Jubilate Deo, omnis terra.
2. Canite gloriam nominis ejus,
reddite gloriam (gloriosam) laudem ejus.
3. Dicite Deo : Quam terribile *est* opus tuum (admiranda facinora tua)!
Propter magnitudinem potentiæ tuæ adulantur tibi hostes tui.
4. Universa terra se prosternit tibi, et canit tibi,
canit nomen tuum.

5. Venite et videte opera Dei :
terribilis *est* facinore (facinoribus) in hominibus.
6. Convertit mare (Rubrum) in aridum;
fluvium (Jordanem) transiere *majores nostri* pede *sicco :*
quapropter lætemur eo (Deo).
7. Dominatur *ille* potentia sua perpetuo;
oculi ejus in gentes prospectant (eas observant) :
refractarii non exaltant caput sibi.

8. Benedicite, populi, Deum nostrum,
et edite vocem laudis ejus :
9. Qui posuit animam nostram in vitam,
nec dedit ad nutandum pedem nostrum.
10. Nam (inflictis nobis calamitatibus) explorasti nos, Deus;
probasti nos (in fornace miseriæ), sicut probatur argentum.
11. Induxisti nos in rete (angustias);
posuisti oppressionem (grave onus) in lumbis nostris.
12. Equitare (sedere) fecisti homines capiti nostro;
intravimus in ignem et in aquam (extrema pericula),
et *inde* eduxisti nos ad irriguum (alii, *abundantem*) *locum.*

13. Veniam in domum tuam cum holocaustis,
persolvam tibi vota mea :
14. Quæ (vota) aperuerunt labia mea,
et locutum est os meum in angustia mea.
15. Holocausta pinguium *ovium* (propr. *pinguedines*) offeram tibi
cum suffitu (adolendo adipe) arietum,
offeram boves cum hircis.
16. Venite, audite, et enarrabo, omnes Dei cultores,
quæ fecit animæ meæ (mihi).
17. Ad eum ore meo clamavi,
et celebratio *erat* sub lingua mea.
18. Iniquitatem si aspexissem (meditatus essem) in corde meo,
non auditurus me fuisset Dominus.
19. Verum audivit Deus,
attendit ad vocem precum mearum.
20. Benedictus sit Deus,
qui non amovit *a se* preces meas, et (nec) gratiam suam a me.

NOTÆ.

Vers. 2. Aben-Ezra, *ponite gloriam laudem ejus*, i. e. pro summa gloria ducite Deum laudare. — Vers. 4. Alii, *prosternat, canat.* — Vers. 5. *Facinore*, gall. *par ce qu'il fait sur les hommes*, impiis præsertim. — Vers. 6. *Quapropter :* multi, *ibi lætati sumus*, etc. — Vers. 10. *Probasti*, propr. *liquefecisti.* — Vers. 11. *Lumbi*, pro dorso : imago petita a jumentis. — Vers. 12. *Equitare*, etc. i. e. hostibus nostris nos subjecisti. *Ignem*, etc. Cf. *Isai.* XLIII, 2; *Jerem.* VI, 9, etc. — Vers. 14. *Aperuerunt*, ut *quæ* sit subjectum : alii, *enuntiarunt... et* quæ *edixit os meum*, etc. — Vers. 17. *Celebratio*, propr. *elatio*, puta vocis. *Sub lingua* dicuntur esse verba, quæ quis in ore parata habet; contra *super* lingua est id, quod quis in præsenti proloquitur. Aliis sensus est : Deum *olim* invocavi, et *nunc* illum efferre possum laudibus, nam precibus meis satisfecit. — Vers. 18. Pro *iniquitatem*, Maurer vertit *vana*, i. e. falsos deos.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Canticum Psalmi resurrectionis.

Non habetur in hebræo nomen *resurrectionis,* neque legitur apud Hilarium; et Theodoretus testatur non esse in editione Septuaginta Interpretum, sed postea additum. Legitur tamen a SS. Patribus Hieronymo et Augustino in Commentario hujus Psalmi, et videtur hæc unica vox, a quocumque addita sit, prudenter addita, ut indicaret argumentum Psalmi. Argumentum enim Psalmi est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta felicitate post omnes finitas calamitates : quod sine dubio in resurrectione erit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. JUBILATE DEO, OMNIS TERRA; PSALMUM DICITE NOMINI EJUS : DATE GLORIAM LAUDI EJUS.

Invitat ad jubilandum et psallendum Deo omnem terram, id est, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa lætandi in communi resurrectione justorum. Tria vult exhiberi, jubilum, sonum psalteriii et vocem humanam. Jubilum, quod magis in affectu quam in verbis positum est, recte tribuitur Deo. « Jubilate Deo. » Deo enim, qui spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Sonitus psalterii debetur nomini, id est, famæ, sive gloriæ Dei. « Psalmum dicite nomini ejus, » vel, ut clarius habetur in hebræo, *psallite gloriæ ejus,* id est, pulsate psalterium in gloriam ejus. Denique vox humana divinæ laudi tribuenda est. « Date gloriam laudi ejus, » id est, nolite gloriam vobis sumere, vel tribuere, sed totam date laudi ejus, vel, ut habetur in hebræo, *ponite gloriam in laude ejus,* id est, hæc sit gloria vestra Deum perpetuo laudare, et in ejus laudibus gloriari.

Jubilum Deo maxime convenit.

Vers. 2. 2. DICITE DEO : QUAM TERRIBILIA SUNT OPERA TUA, DOMINE! IN MULTITUDINE VIRTUTIS TUÆ MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI.

Hæc est materia laudis Dei, opera summæ potentiæ et sapientiæ. « Dicite Deo, » dum eum laudare vultis : « Quam terribilia sunt opera tua, Domine! » id est, opera tua præ magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. « In multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui, » id est, tanta est virtus et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse jactabant. Exempla sunt in Scripturis non pauca, *Psalm.* LXXVII : « Male, inquit, locuti sunt de Deo; dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? » Deus autem, in multitudine potentiæ suæ, fecit ut tanta multitudo coturnicum deferretur in desertum, ut omnibus abunde sufficeret, atque hoc modo mendaces eos ostendit, et ut mendaces terribiliter punivit, ut dicitur in eodem Psalmo, et fusius in lib. *Num.* cap. XI. Item lib. IV *Reg.* VII, cum Elisæus propheta tempore gravissimæ famis dixisset : « Audite verbum Domini, cras modius similæ statere uno vendetur in porta Samariæ, » dux quidam respondit : « Etiamsi Deus faciat cataractas in cœlo, non poterit verum esse quod dicis. » Sed Deus in multitudine virtutis suæ mendacem illum ostendit. Vere enim sequenti die tanta fuit abundantia rerum omnium, ut modius similæ statere uno in porta Samariæ venderetur; et dux, qui contra Deum mentitus fuerat, in ipsa porta conculcatus a populo transeunte miserrime periit. Simile est mendacium Judæorum adversus Christum, cum pendenti in cruce insultarent : « Si Filius Dei es, descende de cruce. » Ille autem in multitudine virtutis suæ fecit miraculum longe majus, quia surrexit de sepulcro, quod est multo majus quam de cruce descendere. Itaque mendacii coarguit inimicos suos potentia virtutis suæ. Posset etiam cum Theodoreto dici, « in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici, » hoc significare, multos fore qui mentiantur Deo, se illius esse cultores, ob metum terribilium operum ipsius : multos item Christi fidem, non sincero, sed ficto corde suscepturos propter eamdem rationem.

Mendaces ostendit suos detractores Dei potentia.

Vers. 3. 3. OMNIS TERRA ADORET TE, ET PSALLAT TIBI; PSALMUM DICAT NOMINI TUO.

Vers. 4. 4. VENITE, ET VIDETE OPERA DEI, TERRIBILIS IN CONSILIIS SUPER FILIOS HOMINUM.

Iterum excitat Propheta universos homines, qui terram incolunt, ad Deum vero corde adorandum et laudandum. Atque ut majore affectu id faciant, hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendarum supra omnes filios hominum.

Vers. 5. 5. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM, IN FLUMINE PERTRANSIBUNT PEDE : IBI LÆTABIMUR IN IPSO.

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei,

quæ nullo humano consilio unquam fieri potuissent. « Qui convertit, inquit, mare in aridam; » hoc est primum opus quod narratur *Exod.* XIV : « Fecit enim Deus, ut siccaretur mare Rubrum, ut filii Israel libere pertransirent. » « In flumine pertransibunt pede; » hoc est alterum, quod refertur *Jos.* III. Rursus enim Deus fecit ut Jordanis fluvius siccaretur, ut filii Israel non ponte, aut navicula, sed pede flumen trajicerent. « Ibi lætabimur in ipso, » id est, ubi hæc facta sunt, ibi lætati sumus in ipso; non in nobis gloriati sumus, quasi nostra hæc essent opera; sed in Deo lætati et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur *Exod.* XV. Utitur autem Propheta tempore futuro, pro præterito, nisi forte hoc loco uti voluerit verbo futuri temporis, ut indicaret miracula illa præterita fuisse figuras majorum miraculorum futurorum. Majus enim miraculum est, quod homines transeunt mare amarum hujus sæculi, quod in maligno positum est, et transmittant flumen temporalitatis et mortalitatis hujus, quæ nunquam stat, et plurimos absorbet et suffocat, et perveniant vivi et salvi ad terram æternæ promissionis, et ibi lætentur in ipso Deo ipsum videntes facie ad faciem; et tamen hoc majus miraculum ita facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeant per hoc mare, quasi per aridam, et flumen pertranseant pede, id est, facillime temporalia omnia, sive bona, sive mala despicientes, id est, nec bonis adhærentes, nec mala pertimescentes, ut securi perveniant usque ad ipsam cœlestem Jerusalem, ubi lætabimur in ipso, non spe gaudentes, sed ipso in æternum fruentes.

Vers. 6. 6. QUI DOMINATUR IN VIRTUTE SUA IN ÆTERNUM, OCULI EJUS SUPER GENTES RESPICIUNT : QUI EXASPERANT, NON EXALTENTUR IN SEMETIPSIS.

Hæc videtur digressio ad impios, qui Deo subjici eumque laudare contemnunt. Eos enim admonet omnipotentiæ et omniscientiæ Dei, ut vel timore pœnæ resipiscant. « Qui dominatur, inquit, in virtute sua in æternum, » id est, ille qui ex potentia sua, non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur æterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia. Ideo « qui exasperant » tam potentem et sapientem Dominum, « non exaltentur in semetipsis, » non superbiant, non glorientur de suis viribus, quia non effugient manus omnipotentis, et omnia videntis Dei.

Vers. 7. 7. BENEDICITE, GENTES, DEUM NOSTRUM, ET AUDITAM FACITE VOCEM LAUDIS EJUS.

Illa digressione præmissa, repetit exhortationem quam in primo et in tertio versiculo posuerat. Itaque tertio jam invitat omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad prædicandas laudes ejus tam clara voce, ut ab omnibus audiatur

8. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM, ET NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS. Vers. 8.

Aperit nunc causam cur tanto ardore cupiat Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis vitam suam liberaverit. « Qui posuit animam meam ad vitam, » id est, laudari cupio Deum, qui fecit ut anima mea non periret, et qui me titubare et labi non permisit. Hæc dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad portum salutis tandem aliquando perveniunt. Per *animam,* intelligitur totus homo, quod frequens est in Scripturis sanctis; ac, ut alia loca omittamus, in lib. *Gen.* cap. XLVI plusquam sexies ponitur *anima* pro toto homine. Illud autem, *posuit,* significat *ordinavit,* sive *præordinavit,* vel *prædestinavit,* ut sensus sit : Qui me præordinavit ad vitam, sive qui me posuit in numero eorum qui victuri sunt in æternum. Quod autem sequitur : « Et non dedit in commotionem pedes meos, » ad donum perseverantiæ pertinet, quod est proprium prædestinatorum ad vitam : quos enim Deus prædestinavit, eos etiam conservat, protegit ac dirigit, ut non cadant ad dexteram, vel sinistram. In hebræo habetur, *animam nostram et pedes nostros,* in numero multitudinis. Sed idem est sensus; nam per *animam meam* et *pedes meos* non intelligitur unus tantum homo, sed unus populus, cœtus videlicet omnium electorum.

Anima sæpe ponitur pro toto homine.

9. QUONIAM PROBASTI NOS, DEUS; IGNE NOS EXAMINASTI, SICUT EXAMINATUR ARGENTUM. Vers. 9.

Variis metaphoris explicat Propheta tribulationes justorum, ac primum metaphora fornacis probantis argentum, ut significet justis a Deo permitti tribulationes, non ut lædantur, sed ut probentur, vel probati et puri, sinceri, fideles ostendantur. Ignis enim paleas consumit, argentum et aurum purius reddit; et palea in igne fumat, argentum in igne lucet. Hinc angelus sanctus dicit Tobiæ cap. XII : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te; » et *Sap.* III : « Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos; » et *Eccli.* XXVII : « Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis; » et I *Petri* I : « Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur. »

Justi a Deo tribulationibus variis probantur.

10. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM, POSUISTI TRIBULATIONES IN DORSO NOSTRO; IMPOSUISTI HOMINES SUPER CAPITA NOSTRA. Vers. 10.

Descendit nunc ad particulares afflictiones sub aliis metaphoris. « Induxisti nos in laqueum, » id est, in captivitatem nos tradidisti hostibus nostris, in vincula, in catenas, in compedes, in carceres. Sicut enim aves et feræ, cum laqueis comprehenduntur, libertate sua privantur : ita dici possunt homines induci in laqueos, cum captivi

effecti, carceribus includuntur, vel catenis et vinculis constringuntur. « Posuisti tribulationes in dorso nostro, » id est, nos more jumentorum onerari et cædi verberibus permisisti : quibus oneribus et verberibus intelliguntur varii labores et dolores, quos Sancti in hoc mundo ab impiis pertulerunt, ut cum ad metalla fodienda, ad marmora secanda, ad onera pro exstruendis ædificiis portanda, aliaque id genus laboriosa opera facienda, non sine flagellis et verberibus adigebantur. « Imposuisti homines super capita nostra, » id est, fecisti ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis jure belli devictis et triumphatis. Sed hæc etiam metaphora est, qua per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica et crudelis potestas principum in miseros subditos. Nam principes modesti et æqui præsident quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientiæ suaviter ferri possit : tyranni vero, et sævi atque inhumani principes, quales erant persecutores christianorum, et quondam Pharao Ægyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, pœnis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Propheta miro artificio personas justorum toto corpore afflictas demonstravit; nam laquei ad manus et pedes, onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

Vers. 11. **11. TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQUAM, ET EDUXISTI NOS IN REFRIGERIUM.**

Hæc est ultima metaphora, qua Propheta pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium Sanctorum. Ignis enim et aqua contraria sunt; ignis ardet, aqua congelatur; ille acerrimus, ista mollissima; ignis desiccat aquam, et aqua exstinguit ignem : quare si ignis dolore afficit hominem, aqua consolari et mulcere deberet. Et tamen in pœnam justorum servorum Dei, ignis et aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur per *ignem* intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustio; per *aquam*, supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames. Sanctus tamen Augustinus per ignem intelligit omne genus angustiarum et molestiarum contristantium hominem; per aquam vero omne genus voluptatum et abundantiam temporalium bonorum, quæ spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum, sic etiam aqua corrumpit et putrefacit lignum, non aurum; et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque justi et sancti, qui sunt auro similes, sine detrimento transeunt per ignem et aquam, quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii hujus sæculi similes ligno putrido in igne consumuntur, in aqua suffocantur, quia impatientes in tribulatione murmurant, maledicunt, blasphemant; dissoluti in prosperitate mollescunt, luxuriantur, superbiunt. Dicunt igitur Electi : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium, » quoniam etiamsi in cœlesti patria non deerunt ignis et aqua, tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet, et illa aqua sitim exstinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in cœlo ardores charitatis, erit ignis divinus feliciter consummans, non consumens; perficiens, non destruens; transformans in Deum, non convertens in cineres : erit aquarum abundantia, erit ubertas bonorum æternorum, erunt gaudia immensa et ineffabiles jucunditates, sed non mollem, aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient, denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt.

Ignis et aquæ supplicia quæ sint?

Vers. 12. **12. INTROIBO IN DOMUM TUAM IN HOLOCAUSTIS; REDDAM TIBI VOTA MEA, QUÆ DISTINXERUNT LABIA MEA.**

Hæc videtur esse conclusio ex iis quæ dicta sunt, quasi dicat : « Tu eduxisti nos in refrigerium, postquam transivimus per ignem et aquam. Introibo igitur in domum tuam, » ad quam te duce, te defensore perveni. Introibo autem « in holocaustis, » id est, offeram sacrificium gratiarum actionis : holocaustum est enim proprie ad gratias agendas pro acceptis beneficiis. Et vere holocaustum nusquam perfectius offertur quam in cœlo, ubi Sancti omnes totos se offerunt Deo in igne perfectæ charitatis, nulla parte animæ repugnante : tota enim actio, totum negotium in cœlo erit laudare Deum. « Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, » id est, ista oblatio holocausti debita est, quoniam id vovi, dum essem in tribulatione positus. Itaque introibo in domum tuam cum holocaustis, ut sic reddam vota mea, quæ non alius pro me, sed ego ipse labiis meis distincte promisi. S. Augustinus more suo ad ædificationem populi Psalmos exponens, notat illud, *distinxerunt*, significare distinguenda esse vota, ut placeant Deo. Distinctio autem talis esse debet, ut confiteamur nos Deo indigere, Deum bonorum nostrorum non egere; nos mutabiles, illum immutabilem; nos creaturas, illum Creatorem; nos ex nobis nihil esse, illum ex se perfectum esse.

Vers. 13. **13. ET LOCUTUM EST OS MEUM IN TRIBULATIONE MEA.**

Vers. 14. **14. HOLOCAUSTA MEDULLATA OFFERAM TIBI CUM INCENSO ARIETUM : OFFERAM TIBI BOVES CUM HIRCIS.**

Explicat quæ vota voverit in tribulatione sua, et dicit se vovisse sacrificia pinguia omnium pecorum, quæ in holocaustum secundum legem offerri possunt. Ea vero tria tantum erant, arietes,

Quæ offerri poterant secundum legem?

boves et hirci. Sed nomine arietum intelliguntur etiam agni, et nomine boum intelliguntur etiam vituli, et nomine hircorum intelliguntur etiam hædi. « Et locutum est os meum in tribulatione mea, » id est, hoc est, quod dixi : « Reddam vota, quæ distinxerunt labia mea, » quia locutum est os meum dum tribularer, et auxilio Domini indigerem, atque illius opem lacrymis implorarem. « Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, » id est, immolabo tibi agnos pingues et medullis plenos, cum bono odore ex arietibus pariter in holocaustum oblatis. « Offeram tibi boves cum hircis, » id est, ad holocaustum agnorum et arietum addam holocaustum vitulorum et hircorum. In textu græco legitur : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus*; et sic legit etiam S. Augustinus, et per *incensum* intelligit thus. Sed S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam* improbat hanc lectionem, et veram lectionem esse dicit, *cum incenso arietum* (ut nos in nostra latina editione habemus), cui concordat lectio hebraica. Per *incensum* autem non intelligitur thus, sed odor qui ex incensis arietum carnibus emanat, qui odor suavissimus dicitur *Levit.* I. Odor autem ex incensis carnibus sacrificiorum suavissimus dicebatur, quoniam figura erat odoris vere ac proprie suavissimi patientiæ et humilitatis, obedientiæ et charitatis Filii Dei, qui ut Patrem glorificaret et mundum redimeret, « humiliatus est usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philip.* II. Dicuntur vero holocausta medullata, quæ offeruntur in cœlis, actiones gratiarum, confessiones et laudes ex intimo corde, et ex pinguedine veræ charitatis profectæ.

Vers. 15. 15. VENITE, AUDITE, ET NARRABO, OMNES QUI TIMETIS DEUM, QUANTA FECIT ANIMÆ MEÆ.

Hortatur in fine Psalmi Propheta in persona beatorum electorum Dei, nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in Sanctos collata, et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia beneficia recipiamus, et ad eamdem quietem et gloriam aliquando perveniamus. « Venite, inquit, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ, » id est, venite, omnes qui timetis Deum, et audite, et ego narrabo vobis quanta fecit animæ meæ : oratio enim in hebræo et græco textu perturbata est quantum ad ordinem verborum, et latinus Interpres non est ausus ordinem codicum originalium commutare. Vocat *timentes Deum*, quoniam « timor Domini est initium sapientiæ, » *Psalm.* CX; ipse solvit pedes, ipse aperit aures : proinde, qui nullo Dei timore tangitur, frustra vocatur, ut veniat, vel ut audiat.

Vers. 16. 16. AD IPSUM ORE MEO CLAMAVI, ET EXALTAVI SUB LINGUA MEA.

Hoc est primum donum Dei, quod animæ suæ datum dicit electorum cœtus, qui in hoc Psalmo loquitur. « Hoc, inquit, fecit Deus animæ meæ. » Dedit fidem et spiritum orandi. « Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? » inquit Apostolus *Rom.* X. Igitur ex dono fidei cognovi miseram captivitatem, in qua detinebar; cognovi liberatorem et redemptorem, et sic « ad ipsum ore meo clamavi. » Addit deinde secundum beneficium : « Et exaltavi sub lingua mea, » id est, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum meum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursum alia mererer accipere, quæ mihi deerant. Atque hoc totum, ut laudarem et orarem, ipse fecit ut facerem. Quamvis autem illud, *sub lingua mea*, vel, *in lingua mea*, idem sit quod *lingua mea*, vel *in lingua mea*, tamen annotavit S. Augustinus fortasse dictum *sub lingua*, ut intelligeremus justum non solum lingua ad aures hominum, sed etiam *sub lingua*, in silentio ad aures Dei, exaltare solitum ipsum Deum.

Vers. 17. 17. INIQUITATEM SI ASPEXI IN CORDE MEO, NON EXAUDIET DOMINUS.

Hoc est beneficium tertium, quod accepit a Domino, ut videlicet Deo illuminante cognosceret quid sit, quod impedit, ne oratio exaudiatur. «Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.» *Aspicere iniquitatem in corde*, est in secreto cordis diligere iniquitatem, sive aspicere ad concupiscendum eam, quomodo dicitur in Evangelio, *Matth.* V: «Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam. » Multi enim et verbis et factis videntur odisse peccata, reprehendunt et puniunt peccatores, et ipsi tamen in secreto cordis, ubi nemo videt quid agatur, cum delectatione aspiciunt iniquitatem, et si impune possent, exercerent. Hos hypocritas non exaudit Dominus, sed eos exaudit, qui ex corde iniquitatem odio habent, et si forte peccant, confitentur peccata sua, et medicum quærunt, a quo sanentur. Et quoniam tales sunt omnes electi, ideo subjungit Propheta in persona populi electi :

Aspicere iniquitatem in corde quid sit?

Vers. 18. 18. PROPTEREA EXAUDIVIT DEUS, ET ATTENDIT VOCI DEPRECATIONIS MEÆ.

« Propterea exaudivit Deus, » quia ipse scrutatur corda, et vidit mihi serio displicere peccata, meque non « aspicere iniquitatem in corde, » sed faciem cordis avertere ab omni iniquitate. « Et attendit voci deprecationis meæ, » quia vidit me attendere voci præceptorum suorum, non voci serpentis prævaricationem suadentis.

Vers. 19. 19. BENEDICTUS DEUS, QUI NON AMOVIT ORATIONEM MEAM ET MISERICORDIAM SUAM A ME.

Ergo « benedictus sit, » et in perpetuum laudetur « Deus, » qui tanta fecit animæ meæ, quorum summa est, « quod non amovit a se orationem meam, » nec amovit « a me misericordiam suam. » Ita misericordia ejus perseverante me-

cum, perseveravi et ego in via mandatorum ipsius, et perseverantiæ præmium jam obtinui, liberationem a captivitate, et reditum in cœlestem Jerusalem. S. Augustinus paulo aliter exponit, et quamvis fortasse non omnino ad litteram, tamen utilissime ad mores. Vult igitur, illud, *non amovit deprecationem meam,* sic intelligi, *non amovit a me deprecationem meam,* id est, fecit ut non intermitterem unquam orationem, et per hoc implerem dominicum præceptum : « Oportet semper orare, et nunquam deficere, » *Luc.* XV. Est autem insigne donum Dei, perseverantia in oratione, quia securum reddit hominem de perseverantia miserationis. Cum videris, inquit S. Augustinus, non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

PSALMUS LXVII.

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *In finem,* 1. *In hymnis, Psalmus Cantici David.*

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

3. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

6. Confiteantur tibi populi, Deus ; confiteantur tibi populi omnes : 7. terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, 8. benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.

V. s. h. — *Victori, in Psalmis* [*h. Carminibus*], *Canticum* [*h. Psalmus*] *carminis.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nos [al. *nobis*] : illustret faciem suam super nos. SEMPER.

Ut nota fiat in terra via tua : in universis gentibus salus tua.

Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, et laudent gentes [*h. plebes*], quoniam judicas populos in æquitate, et gentium [*h. plebium*] quæ in terra sunt, ductor es. SEMPER.

Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit germen [al. *fructum*] suum : benedicat nobis Deus Deus noster.

Benedicat nobis Deus, et timeant eum omnes fines terræ.

Argumentum. — Optat vates totius populi nomine, ut ipsis faveat Deus et benigne faciat, quo nimirum cæteri populi ad nominis divini cognitionem ac prædicationem excitentur. Fusum videtur carmen occasione largæ messis. Strophæ tres : vers. 2-3, rebus nostris faveat nobis, ut ejus benignitatem cognoscant omnes populi ; vers 4-5, Deum celebrent omnes populi, quod ipsos recte judicat et gubernat ; vers. 6-8, quod terra reddidit fructum suum.

1. Præcentori, fidibus, Psalmus canticum.

2. Deus propitius sit nobis et benedicat nos,
lucere faciat faciem suam nobiscum :
3. Ut cognoscant in terra viam tuam,
inter omnes populos auxilium tuum.

4. Celebrent te populi, Deus,
celebrent te populi omnes.
5. Lætentur et jubilent nationes,
nam judicas populos recte,
et nationes in terra ducis eas.

6. Celebrent te populi, Deus,
celebrent te populi omnes.
7. Terra dedit proventum suum,
benedicat nos (pergat nos benedicere) Deus, Deus noster.
8. Benedicat nos Deus,
et timeant (venerentur) eum omnes fines terræ.

NOTÆ.

Vers. 3. *Ut cognoscant*, vel *ut cognoscatur*. *Viam tuam*, tuam agendi rationem cum tuis cultoribus. — Vers. 5. *Recte*, propr. *rectum* : duplex accusativus. Maurer, *et nationes* lætentur, quod *in terra eas gubernas*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, in hymnis, Psalmus Cantici David.

In hebræo codice non habetur nomen *David*, et ideo non desunt qui auctorem hujus Psalmi nolint esse Davidem : sed cum in codice græco et latino habeatur, et sic legant Hilarius, Hieronymus, Augustinus, et alii in Commentariis in Psalmos, credibile est, aut ex codice hebraico vocem illam excidisse, vel a Septuaginta Interpretibus additam fuisse, ne quis suspicaretur Psalmum non esse a Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo. Argumentum Psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messiæ, et redemptionem generis humani, juxta illud *Luc.* x : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; » existimo enim Dominum loqui de prophetis, qui simul etiam reges fuerunt; alioqui non dixisset : *Multi prophetæ*, sed *omnes Prophetæ*. Nomine autem *regis* intelligendi videntur omnes principes, qui regium jus in populum suum habebant, quales fuerunt Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, et alii qui simul prophetæ fuerunt, et Christum videre desideraverunt; sed inter omnes excellit David, qui proprie rex et propheta fuit, et desiderium Messiæ in multis Psalmis expressit, sed in hoc potissimum, qui totus in hoc desiderio explicando consumitur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS MISEREATUR NOSTRI, ET BENEDICAT NOBIS : ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS, ET MISEREATUR NOSTRI.

Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat : Utinam « Deus misereatur nostri » secundum magnam illam misericordiam, qua mittat ad nos, quem missurus est, et ex hoc affectu misericordiæ paternæ « benedicat nobis; » benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed « illuminatio vultus sui super nos. » Illuminatio vultus Dei super nos multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos*, quando remotis nubibus iræ et indignationis, sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat et calefacit, sapientiam et charitatem infundens, quomodo sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. Denique dicitur *illuminare vultum suum super nos*, quando præstat ut eum, quasi remoto velamine, intueamur : quod maxime præstitit, quando per incarnationis mysterium « in terris visus est et cum hominibus conversatus est, » ut dicitur *Baruch.* VIII. Atque hoc videtur hoc loco petere sanctus Propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petiit cum ait in *Psalm.* LXXIX : « Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. » Et quoniam hæc est misericordia quam initio petiit, ideo repetit : « Et misereatur nostri, » id est, et sic, illuminando videlicet vultum suum super nos, misereatur nostri. In hebræo non habetur hæc repetitio, *et misereatur nostri*, neque legitur a S. Augustino et S. Hieronymo : tamen habetur in codice græco, et legitur a S. Hilario, ab Euthymio et aliis.

Multis modis Deus dicitur illuminare vultum suum super nos.

Vers. 2. 2. UT COGNOSCAMUS IN TERRA VIAM TUAM, IN OMNIBUS GENTIBUS SALUTARE TUUM.

Hæc est ratio, cur tanto ardore desideretur illuminatio vultus Dei, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa viam Dei, id est viam ad patriam, a qua tamdiu peregrinamur ambulantes in tenebris et umbra mortis; hæc au-

Christus via est et lux.

tem via sine dubio Christus ipse est, qui ait *Joan.* XVI: «Ego sum via;» et non solum via, sed etiam lux, qua via ipsa cognoscatur : de qua dixit Isaias cap. IX, et explicuit S. Matthæus cap. IV : « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » « In omnibus gentibus salutare tuum, » hæc est explicatio verborum superiorum. « Ut cognoscamus in terra viam tuam, » id est ut cognoscatur inter omnes gentes Salvator tuus; clarius habetur in hebræo : *Ut nota fiat in terra via tua, in omnibus gentibus Salvator tuus;* quod etiam Isaias prædixit cum ait : « Videbit omnis caro salutare Dei, » ut refert S. Lucas cap. III.

Vers. 3. 3. CONFITEANTUR TIBI POPULI, DEUS; CONFITEANTUR TIBI POPULI OMNES.

Quoniam desiderium Prophetæ secundum veram charitatem ordinatum erat, cupiebat Christum venire in terras, primum propter gloriam Dei, deinde propter utilitatem generis humani. Ideo de gloria Dei dicit: « Confiteantur tibi populi, Deus; » deinde adjungit: «Lætentur et exultent gentes, » etc. Ait igitur : « Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes,» id est, ob hoc tam insigne et tam universale donum, omnes populi confiteantur tibi confessionem laudis, et gratiarum actionis. Cesset cultus et veneratio falsorum deorum, tibi uni vero Deo ab omnibus populis honor divinus habeatur.

Vers. 4. 4. LÆTENTUR ET EXULTENT GENTES, QUONIAM JUDICAS POPULOS IN ÆQUITATE, ET GENTES IN TERRA DIRIGIS.

Post laudem Dei agnoscatur etiam utilitas populorum : ideo « lætentur et exultent gentes, » omnes videlicet homines gaudeant, « quoniam » tu Deus per Christum tuum « judicas populos in æquitate,» id est, ablato jugo tyrannicæ potestatis Principis tenebrarum harum, regnum justissimum in Ecclesia tua constituisti. «Et gentes in terra dirigis, » regens eas, et dirigens per saluberrimas leges tuas ad portum æternæ salutis. In hebræo et græco codice hæc habentur in futuro : *Quoniam judicabis populos in æquitate, et gentes in terra diriges.* Sed non ideo falsum est, quod habetur in latino, quoniam etsi futura erant, tamen Propheta spiritu Dei videbat ea tanquam præsentia. S. Augustinus refert ad ultimum judicium id quod dicitur : «Judicabis populos in æquitate,» et ad præsentis vitæ directionem, quod additur : «Gentes in terra diriges, » ut sensus sit : « Lætentur et exultent gentes, » quoniam si quid mali hic ab hominibus patiantur, veniet tempus quo tu Deus judicabis populos in justitia : et interim gentes tibi subjectas et devotas in terra diriges.

Vers. 5. 5. CONFITEANTUR TIBI POPULI, DEUS; CONFITEANTUR TIBI POPULI OMNES : TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM.

Iterum repetit exhortationem, ut populi omnes Deum laudent, et addit novam rationem, quoniam «terra dedit fructum suum,» id est, quoniam jam tandem terra protulit fructum suum illum, cujus gratia facta erat, id est Christum in carne. Hic est enim « fructus terræ sublimis, » de quo dicitur in cap. IV *Isai.*: « Erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis;» et in *Psalm.* LXXXIV: « Et terra nostra dedit fructum suum. » Tantus enim hic fructus fuit, ut comparatione ejus nihil unquam terra nostra protulisse videatur, nisi spinas et tribulos. Utitur autem Propheta tempore præterito pro futuro, quoniam in ejus prænotione jam factum erat, quod nobis futurum prædicebat. Potest tamen hic versiculus cum S. Augustino exponi de fructu bonorum operum, quem homines habitantes in terra facturi erant per gratiam Christi reconciliati et justificati; de quo dicit Apostolus *ad Tit.* II: «Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. » Terra enim olim arida et sterilis, id est genus humanum per peccatum primi hominis gratia Dei destitutum, non nisi spinas et tribulos, id est, peccata vel opera inutilia ad salutem, germinare noverat : sed a sole justitiæ postea calefacta, et imbre doctrinæ cœlestis compluta per Jesum Christum, qui et sol et verbum est, fecunda effecta producere cœpit fructum bonum justitiæ, fidei et operum sanctorum, quibus merces deberetur corona justitiæ, et bravium salutis æternæ.

Fructus quos terra per Christum proferre possit.

Vers. 6. 6. BENEDICAT NOS DEUS DEUS NOSTER, BENEDICAT NOS DEUS, ET METUANT EUM OMNES FINES TERRÆ.

Ergo deinceps hæc sit grata vicissitudo, ut Deus aperiat manum suam, et impleat nos omni benedictione, id est, copia bonorum omnium, præcipue spiritualium et cœlestium : et contra, omnes homines usque ad ultimos terræ fines habitantes, Deum verum timeant timore sancto, reddentes ei tributum obedientiæ et laudis usque in æternum. Porro trina illa repetitio nominis Dei quæ in hoc versiculo habetur, quamvis affectum Prophetæ significet, tamen insinuat etiam mysterium sanctissimæ Trinitatis, quæ per Christum et Apostolos manifestissime prædicata est.

PSALMUS LXVIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *In finem, 1. Psalmus Cantici, ipsi David.*

2. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

3. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

4. Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.

5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus, 6. patris orphanorum et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo; 7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8. Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto :

9. Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

10. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ : et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea; parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

13. Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

15. Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.

16. Mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis; 17. ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem.

18. Currus Dei decem millibus multiplex,

V. s. h. — *Victori David Psalmus Cantici.*

Exsurgat Deus, et dissipentur [al. *dispergantur*] inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : sicut tabescit cera a facie ignis, sic pereant impii a facie Dei.

Justi autem lætentur, et exsultent in conspectu Dei, et gaudeant in lætitia.

Cantate Deo, psallite nomini ejus : præparate viam ascendenti per deserta [*h. araboth, quod est superius cœlum*].

In Domino nomen ejus, et exsultate coram eo, patri [*h. judici*] pupillorum, et defensori viduarum.

Deus in habitaculo sancto suo, Deus habitare facit solitarios in domo.

Educet [al. *educit*] vinctos in fortitudine : increduli autem habitaverunt in siccitatibus.

Deus, cum egredereris ante populum tuum, et ambulares [*h. gradieris*] per desertum. SEMPER.

Terra commota est, et cœli stillaverunt a facie Dei, hoc est Sinai : a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam elevasti, Deus : hæreditatem tuam laborantem tu confortasti.

Animalia tua habitaverunt in ea : præparasti in bonitate tua pauperi Deus.

Domine, dabis sermonem annuntiatricibus fortitudinis plurimæ [*h. exercituum plurimum*].

Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur; et pulchritudo domus dividet spolia.

Si dormieritis inter medios terminos, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora ejus in virore auri.

Cum divideret robustissimus [al. *robustissimos*] reges in ea, nive dealbata est in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis [*h. Basan*] :

Mons excelsus, mons pinguis [*h. Basan*].

Quare contenditis, montes excelsi, adversus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo : siquidem Dominus habitabit in sempiternum.

Currus Dei innumerabilis millia abundan-

millia lætantium : Dominus in eis, in Sina, in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

20. Benedictus Dominus die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

21. Deus noster, Deus salvos faciendi; et Domini Domini exitus mortis.

22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.

23. Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.

24. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

25. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

27. In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

28. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, principes Nephthali.

29. Manda, Deus, virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

30. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

31. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt : 32. venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

33. Regna terræ, cantate Deo : psallite Domino, psallite Deo,

34. Qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, 35. date gloriam Deo : super Israel magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

36. Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ : benedictus Deus.

tium : Dominus in eis, Sinai [al. *in Sinai*] in sancto.

Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus per singulos dies, portabit nos Deus salutis nostræ. SEMPER.

Deus noster [*h. nobis*], Deus salutis [*h. salutum*], et Domini Dei, mortis egressus.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis, ambulantis in delictis [al. *deliciis*] suis.

Dixit Dominus : De Basan convertam, convertam de profundis maris.

Ut calcet pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum, ex inimicis a temetipso.

Viderunt itinera tua, Deus : itinera Dei mei, regis mei in sancto.

Præcesserunt cantatores [al. *cantores*] eos, qui post tergum psallebant, in medio puellarum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fonte [al. *fontibus*] Israel.

Ibi Benjamin parvulus continens [*h. fecit descendere*] eos, principes Juda in purpura sua [*h. lapidabunt eos*] : principes Zabulon, principes Nephthali.

Præcepit Deus tuus, fortitudine tua conforta, Deus, hoc quod operatus es in nobis.

De templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

Increpa bestiam calami, congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas [al. *portas*] argenteas.

Disperge populos qui bella volunt. Offerant [*h. veniant legati*] velociter ex Ægypto : Æthiopia festinet manus Deo.

Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino. SEMPER.

Qui ascendit super cœlum cœli ab oriente [*h. a principio*] : ecce dabit vocem suam vocem fortitudinis.

Date gloriam [*h. fortitudinem*] Deo : super Israel magnificentia ejus, et fortitudo ejus in cœlis.

Terribilis Deus de sanctuariis suis : Deus Israel ipse dabit fortitudinem, et robur populo : benedictus Deus.

Argumentum. — Communis opinio est, hunc Psalmum a Davide compositum esse ex occasione illius solemnitatis,

qua arca sacra ex ædibus Obededonis in arcem Sioniticam ad locum ei paratum transferretur, II *Sam.* VI, 12 seqq.; I *Chron.* XV. Rectius, ut opinor, Hengstenberg illum refert ad II *Sam.* XII, 26-31, quum scilicet, urbe Rabbath capta, arca, quæ Israelitas pugnantes de more secuta erat (II *Sam.* XI, 11), iterum in Sionis arcem reportaretur. Præmissa, exordii instar, ea ipsa formula, qua Moses olim uti consueverat, quotiescumque arca locum mutaret suum, ita tamen ut eamdem jure suo vates augeat et amplificet (vers. 2-4), Jovam Israelitarum liberatorem in universum laudat (5-7); deinde omnia enarrat, quæ Jova patribus suis inde ab exitu ex Ægypto usque ad terræ Cananææ occupationem præstiterit (8-14); tum celebratur singularis prærogativa, qua Deus montem Sionem ut sedem suam elegerat (15-19), victoriaque non una de hostibus, Philistæis præsertim, reportata regnante Davide (20-24); sequitur solemnis pro recenti victoria pompæ descriptio (25-28); quo triumpho excitatus vates diem prævidet et optat, quo populi omnes Israelitarum Deum revereantur (29-32); tandem, quasi id jam adimpleatur, eos invitat ad tantam hujus Dei majestatem agnoscendam et celebrandam (33-36). Hinc partes tres vers. 5-24, 25-28, 29-36, quæ in strophas 7 commode dividentur, puta vers 2-4, 5-7, 8-14, 15-19, 20-24, 25-28, 29-32, 33-36.

Vide nostram hujus Psalmi interpretationem historicam et criticam, quæ exstat in *Université catholique*, mense mart. ann. 1853.

1. Præcentori, Davidis carmen, canticum.

2. Exsurgat Deus : (statim) dispergantur hostes ejus,
et fugiant osores ejus a facie ejus.
3. Sicut dispellitur fumus, dispellas *eos;*
sicut liquescit cera coram igne, pereant improbi coram Deo.
4. Et (at) justi lætentur, jubilent coram Deo,
et exsultent in lætitia.

5. Canite Deo, fidibus canite nomen ejus;
viam complanate incedenti *curru* per deserta :
Jova est nomen ejus;
et jubilate coram eo.
6. Pater orphanorum et judex viduarum
Deus *est* in sua sancta domo.
7. Deus habitare facit solitarios (domo extorres) *in* domum,
educit vinctos in prosperitates :
soli refractarii habitant desertum.

8. Deus, cum exires (ex Ægypto) ante populum tuum,
cum procederes per desertum,
9. *Tunc* terra contremuit, et cœli stillarunt coram Deo,
(hic Sinai) coram Deo, Deo Israelis.
10. Pluviam liberalitatum demisisti, Deus;
hæreditatem (populum) tuam vel (quamvis) defatigatam tu sustentasti eam.
11. Grex tuus (coturnices) habitavit (devolavit) in ea (hæreditate tua) :
sic paras *cibum* per bonitatem tuam inopi *populo tuo.*
12. Dominus dedit hymnum;
mulierum *victoriam* nuntiantium magnus erat numerus.
13. Reges exercituum fugiunt, fugiunt,
et habitatrix domus (matrona) partitur prædam.
14. Utique recubuistis *tunc* inter limites (κλήρους) *terræ Cananææ,*
o Israelitæ, alæ columbæ obductæ argento,
pennæque ejus cum pallore auri.

15. Quum dispersisset Omnipotens reges in ea *terra,*
tunc nix fuit in monte *Salmon.*

16. Mons Dei (altissimus) *est* mons Basan,
mons tumulosus, mons Basan.
17. Quare (o homines) respicitis montes *istos* tumulosos?
Ecce mons (Sion), *quem* concupivit Deus in sedem suam;
utique Deus habitabit *eum* (vel *ibi*) in æternum.
18. Currus Dei duæ myriades, millia iterationis (multa);
Dominus inter eos *est;*
Sinai *mons* est in sanctuario.
19. Adscendisti altitudinem, duxisti captivos;
accepisti dona inter homines, vel reluctantes,
ut habites *hic,* Jova Deus.

20. Benedictus sit Dominus omni die;
si quis onus imponit nobis, Deus ille est salus nostra.
21. Deus est nobis Deus salvationum,
et Jovæ Domino *sunt* exitus mortis.
22. Certe Deus percutiet caput hostium suorum,
verticem capilli (capillatum) ejus, qui incedit in delictis suis.
23. Dixit Dominus : « Ex Basan reducam,
reducam ex profundo maris,
24. ut agites (o Israel) pedem tuum in sanguine;
et lingua canum tuorum *satietur* ex inimicis ex eo. »

25. Viderunt (homines) incessus tuos, Deus,
incessus Dei mei, regis mei in sanctuario (arca) *vecti.*
26. Præcedunt cantores, post (deinde) fidicines,
in medio virginum pulsantium tympana.
27. In cœtibus benedicite Deum Dominum,
vos ex fonte Israelis (Israelitæ).
28. Ibi (in solemni pompa) *adest* Benjamin parvulus, dominator eorum;
principes Judæ, lapidatio eorum;
principes Zabulon, principes Nephthali.

29. Decrevit Deus tuus, *o Israel,* potentiam tuam;
potens esto (firmus in consiliis), Deus, qui operaris nobis.
30. Propter templum (tabernaculum) tuum imminens Hierosolymis
tibi afferent reges munera.
31. Increpa feram arundinis,
turbam taurorum cum vitulis populorum,
qui prosternunt sese cum frustis argenti :
dispergit *Deus* populos, qui bella diligunt.
32. Venient magnates ex Ægypto;
Æthiopia acceleret manus suas (dona) ad Deum.

33. Regna terræ, canite Deo;
fidibus canite Dominum :

34. Qui vehitur per cœlos cœlorum sempiternos :
en ! edit voce sua vocem potentem.
35. Date potentiam (honorem potentiæ) Deo :
super Israel excelsitudo ejus,
et potentia ejus in nubibus.
36. Terribilis es, Deus, e sanctuario tuo (cœlo et arca) ;
Deus Israelis, is dat potentiam et robur populo suo :
benedictus sit Deus !

NOTÆ.

Vers. 2. *Num.* x, 35. Alii, *disperguntur, fugiunt,* et ita deinceps, eodem sensu. — Vers. 3. Propr. *secundum τὸ dispelli fumi.* — Vers. 5. Alluditur Israelitarum peregrinationi in deserto, duce et auspice arca, i. e. Jova. *Incedenti,* imperatoris instar. *Jova,* propr. *in Jova.* — Vers. 6. *Domo,* cœlo, ait Hengstenberg; rectius *arca.* — Vers. 7. *Habitant,* relinquuntur in deserto : conf. *Num.* xiv, 16, 23. — Vers. 8. « Jam arca cum splendido suo comitatu solemniter procedente, abesse omnino haud potuit, quin animo vatis sese offerret cogitatio pristini illius temporis, quo populus, excusso Ægyptiorum jugo, duce et auspice Jova, per deserta arabica migrabat. » Schnurrer. Cf. *Jud.* v, 4, 5. — Versiculus 9 Maurero et aliis descriptio est majestatis et potentiæ numinis in Sinai monte præsentissimi; *stillarunt,* ingentes imbres præcipitando, quasi liquefacti a numinis præsentia; *hic Sinai mons* contremuit. Rectius,... *stillarunt* manna; *hic Sinai,* glossa est, declarationis causa perperam addita. — Vers. 10. Hæ *liberalitates* multifaria illa sunt beneficia, quibus Jova populum suum per vasta et horrida deserta iter facientem ornavit et sustentavit. Alii strictius intelligunt sive mannam, de qua in vers. præced., sive coturnices, de quibus in vers. seq. Maurer, invito accentu, cum Alexandr. et Vulg. sic jungit, *pluvia... conspersisti, Deus, hæreditatem tuam.* — Vers. 11. Alii, *grex,* populus *tuus habitavit in ea,* terra deserta, vel Cananæa : *sic,* etc. — Vers. 12. *Hymnum* victoriæ. Feminarum magnas partes fuisse in ejusmodi publica lætitia, intelligitur ex locis *Exod.* xv, 20; *Jud.* xi, 34; I *Sam.* xviii, 6, 7, etc. Referendum videtur ad victorias *Num.* xxi, 21 seqq. — Vers. 13. « Feminis, non viris, quod tribuitur partitio prædæ, elegantissimum est, atque ad rem ipsam accommodatissimum. Nempe viris satis est hostes prostravisse, prælioque vicisse : prædam vero, ipsorum virtute partam, ejusque æquabilem partitionem non admodum curare sinit animi elatio atque liberalitas. » Schnurrer. Alii, *habitatio domus,* i. e. omnes qui domum habitant, i. e. omnis populus, tranquillam in focis agens pacem. Alii, *ἡ pulchra domus,* gall. *la belle de la maison,* i. e. femina. Sunt qui versic. 13-15 esse carmen illud triumphale feminarum, de quo in vers. præced. : ita Ewaldus. — Vers. 14. Israelitas dicit similes alis columbæ, etc., i. e. similes columbis, quarum alæ candentes radiis solis flavescunt. Hunc vers. et seq. Ewaldus ita interpretatur : Cum in pace degitis, alæ columbæ nitent, omnia prospera sunt in terra vestra, sol suos emittit radios; cum vero Deus dispellit reges, i. e. tempore belli, nix et grando in tenebris (pro *Salmon*), i. e. et tenebræ horrendæ, cadunt in hostium vestrorum perniciem. — Vers. 15. *Nix fuit,* albebat nive Salmon, dignusque videbatur, quem Deus eligeret ut arcæ sedem. Alii aliter. Maurer : Tum terra Cananæa eamdem niveam faciem habuit, qualem habuit Salmon mons, i. e. tum tanta fuit regum strages, ut terra obtecta truncatis cæsorum cadaveribus alberet, quemadmodum albuit Salmon mons excisis ab Abimelecho illius arboribus, *Jud.* ix, 48. Cf. Virgil. *Æneid.* V, 865, XII, 36. Hengstenberg : Tunc lux felicitatis in terra splendet, quemadmodum mons Salmon, nigris opertus silvis, nive cadente albescit. — Vers. 16. Mons Basan, fateor, præstans est atque eximius, pluribusque jugis et collibus constans; neque tamen a Deo eligetur. — *Respicitis,* gall. *faites-vous attention à,* etc. Alii, *quare invidiose observatis, o montes tumulosi, montem* Sionis, quem, etc. Non male. — Vers. 18. *Currus* (in numero plur.), etc. Sicut magni olim reges suam ostentare potentiam solebant magna curruum bellicorum copia, veluti Pharao *Exod.* xiv, 7; Jabin *Jud.* iv, 13 : ita noster regem supremum Israelitici populi, Jovam, inducit tanquam victorem triumphantem, spirituum cœlestium exercitu infinito stipatum, in Sionem montem ascendentem. *Sinai,* numinis sedes et domicilium, cum suis terroribus. Ita Martialis lib. IV, epist. 60 : « In medio Tibure Sardinia est; » et Themistius orat. 31 : « Helicon in Bosphorum transiit. » — Vers. 19. *Altitudinem,* Sionem; alii, cœlum. *Dona,* tributa. Maurer, *accipis dono homines,* dono tibi dantur, imperio tuo sese subjiciunt; *Atque adeo refractariis habitandum est cum Jova Deo,* coguntur illi quoque adire templum Jovæ, Jovæ in fidem et clientelam se conferre. — Vers. 20. Alii, *onus aufert a nobis.* — Vers. 21. *Exitus mortis,* habet Jova vias modosque, quibus suos possit morti subducere. Alii, *exitus,* seu *impetus* Dei in hostes *mortis* pleni, cum strage hostium conjuncti, ut sit parallelismus oppositorum : conf. *Habac.* iii, 13. — Vers. 22.

Capilli, sive quia duces erant criniti, ut Absalom; sive quia Arabes ducem vocant *crinem,* quod gall. diceremus *toupet.* — Vers. 23. *Reducam,* puta hostes, tibi mactandos, o Israel. Alii, *reducam,* puta populum meum ad felicitatem ex maximis periculis : quodminus placet.— Vers. 24. *Ut agites,* vel *ut conculcet pes tuus;* Hengstenberg, *ut confringas* eos *pede tuo in sanguine* eorum. *Ex eo,* sanguine; Rosenmullerus, *ex unoquoque eorum.* Minus recte Maurer, *lingua....., de hostibus* sit *pars ejus.* — 25. *In sanctuario;* Schnurrerus, *ad sanctuarium.* — Vers. 27. Sunt qui hunc versum cantari putant ab iis, de quibus in vers. præced. — Vers. 28. *Parvulus,* natu minimus; alii : quia hæc tribus minima erat. *Dominator :* alluditur Sauli, e tribu Benjaminis orti, victoriis; *eorum,* i. e. hostium. Maurer, *dominus,* i. e. princeps seu dux hujus tribus. Pro *lapidatio* (quo Davidis de Goliatho victoriæ alluditur), Maurer vertit *agmen,* i. e. viri illius tribus. Alexandrini *rodem* retulerunt ad verbum *radam.* Duo paria tribuum nominat instar omnium : nam Benjamin et Juda in finibus terræ australibus sitæ erant, Zabulon et Nephthali in finibus septentrionalibus. — Vers. 29. Maurer, pro *operaris,* vertit, *præsentem te exhibes;* Rosenmullerus, quoad id *quod nobis* (in salutem nostram) *fecisti.* Maurer, *potens esto.... e templo tuo super Hierosolymis. Tibi afferant,* etc. — Vers. 31. *Fera arundinis* est crocodilus, qui etiam ab Ezechiele XXIX, 3, 4, XXXII, 2, 3 pro Ægypti imagine usurpatur; aliis tamen est leo, quem Syriæ regis imaginem esse putant. Quæcumque demum ponatur fera, dubio saltem caret, metaphorica locutione populi Dei hostem significari. *Tauri* sunt duces, *vituli* milites. *Qui prosternunt sese,* propr. *qui prosternit sese,* distributive accipiendum. *Frustis,* seu massulis, ad tributa solvenda. *Dispergit,* seu *dispersit;* veteres multi legerunt *bazzer.* — Vers. 32. Maurer, *accurret manibus suis ad Deum* adorandum expansis. — Vers. 34. Sensus : Deus sedet in cœlis supremis, quæ sedes æterna est, indeque tonat. — Vers. 35. Sensus : Jovæ potentiam agnoscite, quæ non minus in gubernandis et protegendis Israelitis, quam in tempestatibus excitandis, elucescit.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus Cantici ipsi David.

Argumentum hujus Psalmi volunt aliqui esse victoriam Ezechiæ de Assyriis aut aliquam aliam similem, quæ post tempora Davidis contigerit, quoniam in hoc Psalmo fit mentio templi Domini, dum dicitur : « A templo tuo, quod est in Jerusalem, » quod tamen post mortem Davidis a Salomone ejus filio exstructum fuit. Sed hoc argumentum non convincit; nam tabernaculum Domini, quod erat in Silo, postea in Jerusalem, templum dicitur I *Reg.* III, 3 : « Samuel dormiebat in templo, » et habetur eadem vox hebraica הֵיכָל *hechal,* quæ habetur in hoc Psalmo. Alii volunt Psalmum compositum et decantatum, quando translata est arca Domini in Jerusalem, quod ea ratione confirmant, quia verba primi versus : « Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, » dici solebant, quando elevabatur arca ut alio transferretur, ut notum est ex cap. X *Num.* Alii totum Psalmum referunt ad Christum resurgentem et ascendentem in cœlum, et ad Ecclesiam, quæ est corpus ejus, ut S. Augustinus et Euthymius. Sed S. Hilarius, et qui eum sequitur S. Hieronymus, docent in hoc Psalmo decantari mysteria utriusque Testamenti, quod verissimum nobis esse videtur, cum negari non possit, in hoc Psalmo describi descensum Domini in montem Sina ad legem populo dandam, et Christi ascensionem in cœlum, et alia id genus mysteria. Est autem Psalmus plenus figuris et metaphoris, et poeticis descriptionibus admirabilibus, ut propterea, quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior; augent vero obscuritatem lectionum varietates et dissensiones, quæ inter codices hebraicos et græcos, ac latinos esse videntur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers 1. 1. EXSURGAT DEUS, ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS; ET FUGIANT, QUI ODERUNT EUM, A FACIE EJUS.

Hæc sunt verba quæ a Mose dici solebant, cum elevaretur arca, et populus migrare inciperet : quibus verbis Moses precabatur Deum, ut arca exurgente et præcedente populum, ipse quoque surgere dignaretur, et defensione sua ac protectione securum populum redderet. David igitur Mosem imitatus, et prævidens Christi resurrectionem, per quam arca humanitatis ejus elevanda erat, et ipse dux futurus erat omnibus electis ad terram veræ promissionis, dicit : « Exsurgat Deus, » id est, resurgat a mortuis Christus Deus, et sic elevetur arca, et populum Dei præcedat ad cœlestem Jerusalem : sic exponunt communiter Patres, Hilarius, Hieronymus, Augustinus et alii. « Et dissipentur inimici ejus, » id est, Judæi, qui dixerunt : « Nolumus hunc regnare super nos, » *Luc.* XIX. Atque hoc jam impletum videmus : nulla enim gens magis dissipata est per omnes terras, quam Judæorum. « Et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus, » id est, et dæmones inimici ejus jam devicti et superati, fugiant a facie Dei, Christi vi-

delicet triumphantis, et per resurrectionem verum se Deum esse demonstrantis.

Vers. 2. 2. SICUT DEFICIT FUMUS, DEFICIANT; SICUT FLUIT CERA A FACIE IGNIS : SIC PEREANT PECCATORES A FACIE DEI.

Celeritas et facilitas, qua præsentia Christi dissipat peccatores, non poterat aptius depingi, quam similitudine fumi, qui a vento dispergitur; et ceræ, quæ coram igne liquescit atque consumitur. Quod si per peccatores intelligantur dæmones, quod dicitur, *pereant*, significat interitum virium et roboris, non substantiæ; et hoc modo intellexisse hos duos versiculos S. Antonium, testis est S. Athanasius qui, describens vitam ejus, dicit eum, cum a dæmonibus oppugnaretur, cantare solitum : « Exsurgat Deus, » etc. Quod si ad homines referatur hæc sententia, tunc sensus erit, homines peccatores, qui justos injuste persequuntur, maxima celeritate et facilitate a Deo tollendos de medio.

Vers. 3. 3. ET JUSTI EPULENTUR, ET EXULTENT IN CONSPECTU DEI, ET DELECTENTUR IN LÆTITIA.

Iniquis persecutoribus deturbatis hoc sequitur, ut justi fruentes præsenti auxilio Dei, securi « epulentur, » id est, reficiantur alimonia tum corporali, tum spirituali; « et exultent coram Deo, » id est, gestiant præ gaudio, sed ea modestia et gravitate, quæ decet eos qui sciunt se a Deo semper videri, utpote in conspectu ejus jugiter constitutos; « et delectentur in lætitia, » id est, et ex ea lætitia delectationem capiant, ut non sit eis necessarium, ob inopiam consolationis cœlestis, carnalem atque mortiferam quærere voluptatem.

Vers. 5. 4. CANTATE DEO, PSALMUM DICITE NOMINI EJUS; ITER FACITE EI, QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM, DOMINUS NOMEN ILLI.

Hæc dicuntur ad Apostolos aliosque primos fideles, ex sententia non solum veterum Latinorum, sed etiam Græcorum, Theodoreti et Euthymii. « Cantate Deo, » vos primitiæ credentium. « Psalmum dicite nomini ejus, » laudate Deum voce et opere, vos qui digni facti estis cognitione tantorum mysteriorum. « Iter facite ei, qui ascendit super occasum, » id est, parate viam Domino prædicationibus vestris, ut is qui jam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras prædicationes aditum apertum et paratum inveniat. « Dominus enim est nomen illi, » et ideo jure suo regnare debet. Dominus autem est, quia condidit et redemit. Quod attinet ad verba, *iter facere*, hoc loco non est, ambulare, sed ponitur iter pro via, ut sensus sit : Facite viam ubi non est, parate transitum liberum removendo impedimenta, quomodo dicitur *Isai.* XL : « Parate viam Domino; » et declaratur cum additur : « Omnis vallis implebitur, omnis mons, et collis humiliabitur : » quod spiritualiter significat, debere pusillanimes erigi in spem salutis, et superbos deprimi ad humilitatem terrore divini judicii. Illud, *qui ascendit*, non significat ascendere in altum, sed equitare, sive curru vehi, id est, ascendere super rem aliquam eam conculcando pedibus equorum, aut rotis currus. Id patet ex hebraica voce רכב *rocheb*. Illud, *super occasum*, hebraice est בערבות *bahharaboth*, *super vesperam*, sive *tenebras noctis*, vel etiam *super desertum* : quæ omnia significant corruptionem mortalitatis, quæ plena est tenebris et ariditate. Dicitur igitur Christus resurgens ascendere super occasum, quia quodammodo equitat, et curru invehitur super omnia mortalia, triumphans de morte, de tenebris, de deserto mundi hujus inferioris; et sic exponunt non solum Patres citati, sed etiam S. Gregorius in homil. *De Ascensione Domini*.

Vers. 5. 5. EXULTATE IN CONSPECTU EJUS : TURBABUNTUR A FACIE EJUS, PATRIS ORPHANORUM, ET JUDICIS VIDUARUM.

Vos qui paratis viam Domino, « exultate in conspectu ejus; » nec timeatis eos, qui vos turbant persecutionibus suis : nam et ipsi « turbabuntur a facie ejus, » id est tempore suo, cum dies judicii venerit, aut etiam antea, quando tempus opportunum Deo esse videbitur, gravissime « turbabuntur a facie iræ Dei, » qui est « pater orphanorum, et judex viduarum, » id est, omnium desolatorum et afflictorum. In hebraico textu desunt illa verba : *Turbabuntur a facie ejus*, et legitur : *Exultate in conspectu ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum*. Unde aliqui existimant in græcis et latinis codicibus esse duplicem interpretationem illius sententiæ : « Exultate in conspectu ejus; » nam verba hebraica litteris paululum immutatis, possunt etiam facere hanc sententiam : « Turbentur a facie ejus. » Sed non video cur non possimus dicere excidisse ex textu hebraico illa verba, *turbabuntur a facie ejus* : id enim facilius est, quam ut Septuaginta Interpretes in eodem loco duplicem interpretationem posuisse credantur.

Vers. 6. 6. DEUS IN LOCO SANCTO SUO, DEUS QUI INHABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO.

Quia dixerat Propheta Deum esse patrem orphanorum et judicem viduarum, ut ostendat se potissimum loqui de orphanis et viduis spiritualibus, de iis videlicet hominibus, qui non agnoscunt in terris patrem, neque sponsum, sed Deum solum habent pro patre et sponso, et in illo solo confidunt, eum solum diligunt, ad ejus visionem suspirant; ideo addit, « Deum habitare in loco sancto suo, » id est, in mentibus horum orphanorum et viduarum, horum peregrinorum in terra aliena, et ipsum esse, qui facit sibi hanc domum, dum « habitare facit unius moris in domo. »

Verbum hebraicum, pro quo nos habemus *unius moris*, est יחידים *iechidim*, quæ vox proprie significat *unitos*, et ideo recte verterunt Septuaginta, *unius moris*, id est, unius sensus, unius voluntatis, unius fidei, spei, dilectionis, quales erant in Jerusalem primi christiani, qui dicebantur esse « cor unum, et anima una, » *Act.* IV. Sed potest etiam eadem vox significare *unicos* et *solitarios*, ut S. Hieronymus vertit; et tunc sensus erit : *Qui habitare facit unicos et solitarios*, destitutos aliorum auxilio, facit, inquam, habitare *in domo* sua sine timore et periculo, quia ipse pater orphanorum eos protegit. Potest etiam sensus esse secundum alios : *Qui habitare facit unicos in domo*, id est, facit ut qui unicus erat, multa prole procreata amplam familiam habere incipiat. Denique non est absurdus sensus eorum, qui hæc referunt ad monachos, qui relictis mundi curis solitarii habitant. Isti sensus veri sunt omnes, et unus alium non destruit : sed primus videtur maxime litteralis, et eum sequuntur omnes fere Patres græci et latini, qui hunc locum tractaverunt, qui etiam per *unius moris*, interpretantur *unanimes*. Sic exponit S. Hilarius, sic etiam S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii.

Vers. 7. 7. QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE; SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCRIS.

Declarat magnam pietatem Dei, qui non solum unanimes facit habitare in domo, sed etiam « educit vinctos in fortitudine, » id est, ligatos vinculis peccatorum educit de captivitate in fortitudine brachii sui; et quod magis est admirandum, « eos qui exasperant » per incredulitatem ipsum Deum, et qui « habitant » quasi jam mortui « in sepulcris » profundissimæ iniquitatis, eos quoque potentia gratiæ suæ educit de sepulcris, reducit ad vitam, et habitare facit unanimes in domo. Notat autem S. Augustinus discrimen inter vinctos et sepultos : vincti enim dicuntur, qui ligati quidem sunt vinculis concupiscentiæ, et in peccatis hærent, sed cupiunt liberari, et petunt auxilium. Sepulti autem dicuntur illi, qui cum in profundum malorum venerint, contemnunt salutem, et incredulitate sua Deum valde exasperant. Et tamen utrosque interdum magna Dei pietas emollit ad pœnitentiam, et liberat a miseria illa diabolicæ captivitatis, qua major non invenitur. Possunt etiam hæc intelligi de liberatione a malis temporalibus, ut a captivitate Ægyptiaca, et Babylonica, et similibus, et per sepulcra metaphorice intelligenda erunt loca arida deserti, ut sonat vox hebraica hoc loco posita, צחיחה *tsechchah*, quæ *locum arentem* proprie significat; vel ipsa terra captivitatis per *sepulcra* intelligenda erit : quomodo Ezechiel, cap. XXXVII, captivitatem Babylonicam non semel appellat sepulcra Hebræorum.

Vincti et sepulti hic quomodo differant?

8. DEUS, CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI, CUM PERTRANSIRES IN DESERTO. Vers. 8.

9. TERRA MOTA EST; ETENIM CŒLI DISTILLAVERUNT A FACIE DEI SINAI, A FACIE DEI ISRAEL. Vers. 9.

Jam ut credibiliora faciat Propheta beneficia redemptionis Christi, commemorat beneficia antiqua, quæ figura erant futurorum beneficiorum. « Deus, inquit, cum egredereris in conspectu populi tui, » id est, cum coram populo tuo præcederes in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem, eo tempore « cum pertransires in deserto, » post transitum maris Rubri, tunc « terra mota est, et etiam cœli distillaverunt, » sed « terra mota est a facie Dei Sinai, et cœli distillaverunt a facie Dei Israel. » Sic enim ordinanda sunt verba hujus versiculi. Porro terra mota est, quando tremere cœpit a conspectu Dei descendentis in montem Sinai, ut perspicuum est ex lib. *Exodi*, cap. XIX, ubi dicitur : « Eratque omnis mons terribilis; » nam pro voce *terribilis*, est in hebræo *tremens*, sive *saliens*. Dicitur autem *Deus Sinai*, Deus qui apparuit in monte Sinai. Cœlum autem distillavit, quando pluit manna, et dicitur distillasse a facie Dei Israel, quoniam Deus in gratiam populi sui Israel fecit, ut manna de cœlo descenderet.

10. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS, DEUS, HÆREDITATI TUÆ; ET INFIRMATA EST, TU VERO PERFECISTI EAM. Vers. 10.

Patribus in deserto cœlum distillavit te jubente pluviam quamdam, id est, manna; sed « hæreditati tuæ, » id est, Ecclesiæ tuæ, quam tibi tanquam propriam hæreditatem vindicasti, « segregabis pluviam voluntariam, » id est, pluviam spontaneam, quæ ex se descendit : hæc vero pluvia, gratia est Spiritus Sancti, quæ voluntaria, sive spontanea dicitur, quia non descendit ex meritis operum, quasi vaporibus terræ sursum elevatis, sed sponte sua Spiritus Sanctus infundit corda fidelium aqua cœlesti; et dicitur « segregata hæreditati Dei, » quia bona temporalia sunt communia fidelibus et infidelibus, sed gratia Spiritus Sancti segregata est, ut detur solum fidelibus in Ecclesia, extra quam non est salus. Posset etiam per pluviam voluntariam intelligi doctrina cœlestis, quæ non solum voluntaria est respectu Dei, sed etiam (ut Theodoretus observavit) respectu hominum, qui eam recipiunt, si volunt; rejiciunt, si nolunt. « Et infirmata est, tu vero perfecisti eam. » Illud, *et*, ponitur pro *quia*, ut sensus sit, *pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ, quia hæreditas tua infirmata est*, jam dudum videlicet ob ignorantiam Dei et invalescentes concupiscentias, debilitata erat, cum idolis serviret, et vitiis omnibus laboraret : sed tu per gratiam Spiritus Sancti, tanquam per pluviam salutarem, confirmasti et roborasti eam.

Pluvia voluntaria est gratia Spiritus Sancti.

Vers. 11. **11.** ANIMALIA TUA HABITABUNT IN EA; PARASTI IN DULCEDINE TUA PAUPERI, DEUS.

In ea hæreditate, id est Ecclesia, quæ irrigatur aqua cœlesti, « habitabunt animalia tua, » id est, oves pascuæ tuæ, quas pascendas regendasque suscipies : tu enim Deus « parasti, » cibum videlicet, « pauperi, » id est egeno populo tuo, « in dulcedine tua, » id est, juxta bonitatem et misericordiam tuam, quæ dulcissima est miseris et egentibus.

Vers. 12. **12.** DOMINUS DABIT VERBUM EVANGELIZANTIBUS VIRTUTE MULTA.

Declarat quis sit cibus, quem paravit Deus pauperi populo suo, ac dicit esse verbum suum. « Dominus, inquit, dabit verbum evangelizantibus, » id est, efficiet Deus, ut qui annuntiant verbum Dei, quod est cibus animarum, abundent copia sermonis, « virtute multa, » id est, multa cum efficacia et libertate, ut non possint resistere, et contradicere omnes adversarii eorum. Posset etiam per multam virtutem intelligi efficacia signorum et prodigiorum, quibus Deus prædicationem Evangelii confirmabat. In hebræo habetur in feminino genere *annuntiantibus*, sed non est inusitatum apud Hebræos ponere genus femininum pro masculino : nam in libro *Eccle.* cap. I, juxta hebraicum textum legitur : *Verba concionatricis filii David, regis Jerusalem : Vanitas vanitatum, dixit concionatrix*, ubi ponitur *concionatrix* pro *concionator*. Itaque Septuaginta, qui hæc non ignorabant, recte verterunt *evangelizantibus*. Illud autem, *virtute multa*, contendunt nonnulli vertendum fuisse, *exercitibus multis*. Sed non est necesse ita vertere : nam vox צבא *tsaba* significat *exercitum*, sed significat etiam *robur* et *fortitudinem;* imo credibile est exercitum dici צבא, sive *virtutem*, quia exercitus res est magnæ fortitudinis et multarum virium. Denique non solum Septuaginta Interpretes hoc loco verterunt, *multa virtute*, sive *potentia*, sed etiam S. Hieronymus vertit, *fortitudinis plurimæ*. Quare inepta videtur expositio illorum, qui docent in hoc versiculo significari, datum esse sermonem feminis Hebræis, ut concinendo annuntiarent victoriam exercitibus multis.

Vers. 13. **13.** REX VIRTUTUM DILECTI DILECTI, ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA.

Calvinus ridet versionem communem, sed pessime.

Hoc loco ridet Joannes Calvinus hæresiarcha, in *Antidoto Concilii Tridentini*, hanc lectionem editionis latinæ Vulgatæ, et vult ipse legendum esse : *Reges exercituum fugerunt, fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia*. Sed Interpres latinus non ex hebræo, sed ex græco traduxit Psalmos; græcus autem textus (qui Septuaginta Interpretum esse censetur) habet idipsum, quod latinus Interpres fideliter reddidit. Sanctus quoque Hieronymus non vertit, *fugerunt, fugerunt*; sed, *fœderabuntur, fœderabuntur*. Proinde Calvinus ridere potuisset non solum editionem Vulgatam, sed etiam interpretationem S. Hieronymi et Septuaginta virorum sapientissimorum : ipse pro tam impia temeritate deflendus potius quam ridendus. Adde quod non est difficile videre, quid in textu hebraico legerint Septuaginta Interpretes, et eos recte vertisse hunc locum, et latinum Interpretem eumdem locum fideliter reddidisse : ac primum, pro *rex virtutum*, in hebræo sunt duo verba, quæ si legantur, מלכי צבאות *melchi tsibaoth*, significant, *rex virtutum*, ut noster Interpres vertit; si legantur cum aliis punctis, מלכי צבאות *malche tsebaoth*, significant, *reges virtutum*, sive *exercituum*. Sed, ut sæpius diximus, credibile est melius legisse Septuaginta Interpretes, quam Rabbinos, qui puncta litteris addiderunt. Illud autem, *dilecti*, in hebræo nunc est, ידדון *iddodun*, quod significat *fugient;* sed Septuaginta Interpretes non habuerunt hanc vocem in suis codicibus, ut neque etiam S. Hieronymus; videntur enim Septuaginta legisse ידידות *iedidoth*, quod significat *dilectum* : hæc enim vox habetur in titulo Psalmi quadragesimi quarti, quam Septuaginta verterunt *dilecto*, et S. Hieronymus, *amantissimo*. Denique illud, נות בית *nevath baith*, significat quidem *habitatricem domus*, sed significat etiam *mulierem speciosam* et *delicatam*, quæ fere semper domi manet : et inde, translato vocabulo, significat *speciem* et *pulchritudinem*, ut hoc loco non solum Septuaginta, sed etiam B. Hieronymus reddiderunt, quibus major fides debetur, quam Rabbinis, aut Calvino. Sensus igitur ex Patrum expositione hic erit : « Rex virtutum, » id est, rex exercituum multorum, « dilecti, dilecti, » id est, dilectissimi, Christi videlicet, dilectissimi Deo et hominibus, ipse dabit « speciei domus, » id est, ad speciem et decorem domus Dei, quæ est Ecclesia, « dividere spolia, » gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos. Ubi verbum *dabit* subintelligitur ex versiculo præcedenti, ut hic sit integer sensus : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, et ipse idem *Dominus rex virtutum dilectissimi, dabit ad speciem domus dividere spolia*. Illud autem, *dilectissimi*, conjungitur cum nomine *virtutum*, « rex virtutum, » id est, exercituum, qui exercitus sunt Christi Filii Dei dilectissimi. Neque obstat quod nomine regis, idem Christus intelligatur; nam phrasi hebraica consuetum est dicere : Christus rex exercituum Christi, pro quo nos diceremus : Christus rex exercituum suorum, ut notat S. Augustinus, et sunt exempla in Scripturis plurima, ut *Rom.* I : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi, » id est, ex resurrectione ejus a mortuis; et *Exod.* XVI : « Dicit Moses ad Aaron : Sume vas, etc. Sicut præcepit Dominus Moysi, » id est, sicut præcepit Dominus mihi. Denique in Pentateucho sæpe legitur : « Fecit Moyses hoc, » aut illud : « Sicut

Versio communis egregie defenditur.

præcepit Dominus Moysi, » id est, sicut præcepit ei Dominus. Porro rectissime dicitur Christus rex exercituum; nam *Apoc.* XIX, vidit Joannes quemdam insignem equitem, qui habebat vestem sanguine aspersam, et nomen ejus erat Verbum Dei, et sequebantur eum exercitus, qui sunt in cœlo.

Vers. 14. **14.** SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, PENNÆ COLUMBÆ DEARGENTATÆ, ET POSTERIORA DORSI EJUS IN PALLORE AURI.

Hunc versiculum fateor obscurissimum esse : sed interim mirari satis non possum temeritatem recentiorum, quorum unus Calvinus est, qui secuti Rabbinos legendum esse contendunt: «Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut pennæ columbæ, quæ tecta est argento, et cujus alæ tectæ sunt auro. » Ad refutandam horum temeritatem sufficere deberet auctoritas S. Hieronymi et Septuaginta Interpretum, quibus istæ ollæ nunquam in mentem venerunt. Sed accedit, quod eadem vox habetur in *Genes.* cap. XLIX, ubi dicitur : «Isachar asinus fortis accubans inter terminos; » quo loco Septuaginta verterunt, *inter medios cleros*, ut hoc loco; S. Hieronymus utrobique vertit, *inter terminos*. Et huic loco nullo modo ollæ interseri possunt; cum sequatur : « Vidit requiem quod esset bona, et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens. » Ubi per *cleros*, sive *terminos*, intelliguntur *sortes*, sive possessiones duæ, inter quarum terminos contigit Isacharo possessio, sive hæreditas; et quoniam ea visa est illi satis fecunda et pinguis, maluit laborare in cultura terræ, et tributa pendere, quam bello excutere jugum dominantium. Adde etiam quod vox hebraica שפתים *shephathaim*, habet numerum dualem, quo non utuntur Hebræi nisi ad significandas res geminas, ut duo labia, duas manus, duos pedes, duos oculos, duas aures, duas malas, et similia : ollæ autem non sunt geminæ ex natura sua, sed et una, et plurimæ esse possunt. Denique qui « inter ollas dormiunt, » non solent instar argenti dealbari, sed instar fuliginis denigrari. Igitur Calvino cum Rabbinis inter suas ollas dimisso, existimamus sensum hujus versiculi hunc esse : « Si dormiatis inter medios cleros, » id est, *si vos* qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, id est quiescatis in medio duorum Testamentorum novi et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis et Apostolis, tunc *pennæ columbæ*, id est Ecclesiæ fides et mores, *erunt deargentatæ* puritate sapientiæ, et deauratæ fervore charitatis. Nam per *duos cleros* intelligenda esse duo Testamenta, scribunt communi consensu latini et græci expositores, S. Augustinus et S. Hieronymus, Theodoretus et Euthymius. Neque absurdum est per duos cleros intelligi duo Testamenta, quoniam clerus *sortem*, *possessionem*, et *hæreditatem* significat. Sunt autem Scripturæ divinæ possessio quædam, et hæreditas Ecclesiæ. Quod si etiam per cleros intelligamus cum S. Hieronymo *terminos*, rectissime duo Testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, nisi veritatis semitam perdere velimus. Possent etiam per duos cleros intelligi possessio cœlestis et terrena. Debent enim prædicatores Evangelii non toti esse affixi contemplationi cœlestium bonorum, neque toti addicti vitæ activæ, et operibus charitatis erga proximos, sed in medio utriusque sortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos. Potest denique cum S. Augustino sic exponi versiculus : « Si dormiatis inter medios cleros, » si moriamini inter felicitatem terrenam contemptam, et felicitatem æternam speratam, et nondum adeptam, tunc erunt « pennæ columbæ deargentatæ, » quia quando sancti prædicatores perseverant usque ad mortem contemnentes terrenam felicitatem, et sperantes æternam, et sic dormientes dormitione mortis inter has duas hæreditates constituti, tunc fama Ecclesiæ quasi pennis deargentatis volat ubique, et exaltatur, ac magnificatur.

Numerum dualem Hebræi habent, et quando eo utantur?

Loci difficillimi expositio perspicua.

15. DUM DISCERNIT CŒLESTIS REGES SUPER EAM, NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON; MONS DEI, MONS PINGUIS. Vers. 15.

16. MONS COAGULATUS, MONS PINGUIS : UT QUID SUSPICAMINI MONTES COAGULATOS? Vers. 16.

17. MONS IN QUO BENEPLACITUM EST DEO HABITARE IN EO : ETENIM DOMINUS HABITABIT IN FINEM. Vers. 17.

Descripsit Propheta prædicatores per similitudinem dormientium inter cleros, et Ecclesiam per similitudinem columbæ deargentatæ et deauratæ : nunc describit eosdem prædicatores per similitudinem regum a summo Rege constitutorum, et Ecclesiam per similitudinem montis altissimi candidi propter nives, et uberrimi propter abundantiam lactis. Selmon enim mons est altissimus, et ideo nivibus in vertice coopertus, sed in imo fertilis, cujus fit mentio in lib. *Judic.* cap. IX. Ait igitur : « Dum discernit cœlestis reges super eam, » id est, « Dum cœlestis, » vel, ut est in græco, ἐπουράνιος *supercœlestis*, et in hebraico, שדי *shaddai, omnipotens*, Deus videlicet Christus, Rex cœlestis et omnipotens, « discernit, » id est dividit ac segregat unicuique provinciæ suum; « reges super eam, » id est Apostolos super Ecclesiam, per columbam antea designatam : eos enim « constituit principes super omnem terram, » *Psalm.* XLIV, ut regant ac dirigant populos. « Nive dealbabuntur in Selmon, » id est, tunc populi multi justificabuntur, et nigrore peccatorum in candorem justitiæ commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon, monte altissimo, qui Ecclesiam significat. Qui mons Selmon est *mons Dei*, *mons pinguis*, quoniam Ecclesia est mons propter excellentiam dignitatis, et est *mons Dei*, quia in ea

Ecclesia mons Dei, qui in ea habitat.

Deus habitat : elegit enim eam in habitationem sibi, et est *mons pinguis* ob abundantiam gratiæ et donorum Spiritus Sancti. Et est etiam *mons coagulatus*, et per hoc pinguissimus, quia lac divinæ gratiæ non defluit, sed quasi coagulatus in ea semper manet. « Ut quid suspicamini montes coagulatos ? » id est, quare igitur suspicamini, vel opinamini esse alios montes æque coagulatos et pingues? quasi dicat : Non est, quod existimetis esse alios montes æque pingues, atque hic Selmon. Hic enim est unicus « mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ; » nec in eo habitabit ad tempus, ut fecit in monte Sina, « sed habitabit in finem, » id est semper. Hæc videntur dici adversus hæreticos, qui alias Ecclesias erigere conantur. Pro voce *suspicamini*, legunt aliqui *æmulamini*, vel *contenditis;* sed idem est sensus. Significant enim illæ voces, frustra alios montes contendere cum isto monte, vel ei invidere. De hoc monte legimus apud Isaiam, cap. II : « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles ; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; » quæ sine controversia intelliguntur de Ecclesia.

Hæretici alias Ecclesias erigere conantes arguuntur.

Vers. 18. 18. CURRUS DEI DECEM MILLIBUS MULTIPLEX, MILLIA LÆTANTIUM : DOMINUS IN EIS IN SINA, IN SANCTO.

Vers. 19. 19. ASCENDISTI IN ALTUM, CEPISTI CAPTIVITATEM, ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS.

Vers. 20. 20. ETENIM NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM DEUM.

Nunc comparat Propheta descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem populo judaico, cum ascensione Christi in cœlum, ut inde mitteret donum Spiritus Sancti, et legem novam populo christiano : quam comparationem facere videtur Propheta, ut ostendat unde tanta abundantia lactis, et tantus candor Ecclesiæ data sint. « Currus Dei decem millibus multiplex, » id est, currus quo vehebatur Deus, cum descenderet in montem Sina, erant multa millia sanctorum angelorum : quæ omnia non erant gementia sub pondere, sed « lætantia, » et plaudentia præ voluptate vehendi Dominum. « Dominus enim in eis » sedens fuit in « Sinai, in monte sancto. » Quod autem sancti angeli sint, qui cum Deo descenderint in montem Sinai, dicitur apertius in *Deuter.* cap. XXXIII : « Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. » Quod autem currus Dei sint angeli, Scriptura passim docet, cum ait, *Psalm.* LXXIX : « Qui sedes super Cherubim. » Porro illud, *decem millibus multiplex*, in hebræo est unica vox, רבתים *rabbothaim*, quæ proprie significat, *bis decem millia*, sed accipitur pro plurimis millibus. Itaque « decem millibus multiplex » significat *plus decem millibus*, id est innumerabilis multitudo. Illud, *millia lætantium*, vertit S. Hieronymus, *millia abundantium*, et sic legit ex græco Euthymius, et interpretatur, *millia abundantium virtute, et gratia, et omnibus bonis*, quales sunt angeli beati, qui cum bonis omnibus abundent, lætissimi semper sunt. Sed vox hebræa שנאן *shinean*, est vox quatuor litterarum, et valde obscura ; unde alii ex Hæbræis putant significare *angelos;* alii, *duplicata millia ;* alii etiam vertunt nobiscum, *millia lætantium*. Quod sequitur : « Ascendisti in altum, » S. Paulus de ascensione Christi interpretatur *ad Ephes.* IV. Itaque sensus est : Dominus olim descendit in montem Sina cum multis millibus angelorum ; sed tu, Messias, « ascendisti in altum, » id est in sumnum cœlum, « cepisti captivitatem, » id est, captivos diaboli fecisti captivos tuos, miseram captivitatem in captivitatem felicissimam commutasti, et sic triumphator multis millibus sanctorum, quos ab inferis eduxisti, comitatus in regnum tuum intrasti. « Accepisti dona in hominibus, » id est, accepisti a Patre dona Spiritus Sancti « in hominibus, » id est pro haminibus a te redemptis, et ea dona a Patre accepta dedisti hominibus. Sic explicat S. Paulus, qui hunc locum his verbis refert : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. » Et est expositio conformis Evangelio ; nam *Joan.* XIV, dicitur : « Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. » Et cap. XV : « Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre. » Porro inter dona a Christo in terras effusa, præcipuum est charitas, quæ est lex nova, dicente Apostolo *ad Rom.* V : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Et *ad Gal.* V : « Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, » etc. Denique illud, *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, significat, etiam incredulos per dona Spiritus Sancti conversos esse ad Christum, et ad bonam captivitatem pertinere cœpisse. Ubi illud, *etenim*, ponitur pro *etiam* : nam in hebræo non est כי *chi*, sed אף *aph*, quod significat, *etiam, verumtamen, insuper*. Unde S. Hieronymus vertit : *Insuper, et non credentes inhabitare Dominum Deum.* Itaque sensus est : « Cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, » etiam eos cepisti captivos, et pro iis accepisti dona, qui antea « non credebant Dominum Deum inhabitare in homine, » id est, non credebant Verbum carnem factum esse, et inhabitasse in nobis ; vel non credebant Dominum Deum inhabitare in monte sancto, id est in Ecclesia christianorum.

In monte Sina cum Deo fuerunt multa millia angelorum.

21. BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE : PROSPERUM ITER FACIET NOBIS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM. Vers. 21.

Vers. 22. 22. DEUS NOSTER, DEUS SALVOS FACIENDI; ET DOMINI, DOMINI EXITUS MORTIS.

Græci conjungunt verba præcedentia cum hoc versiculo, hoc modo, Κύριος ὁ Θεὸς εὐλογητὸς, εὐλογητὸς Κύριος ἡμέραν καθ' ἡμέραν, *Dominus Deus benedictus Dominus*, et finiunt præcedentem versiculum in illis verbis, *etenim inhabitare;* et sic legunt etiam S. Augustinus et S. Hilarius. Sed noster Interpres vertit conformiter ad hebraicum codicem. Et S. Hieronymus, in epist. *ad Suniam et Fretellam*, reprehendit lectionem Græcorum, et confirmat nostram ut veriorem. Igitur Propheta posteaquam descripsit ascensionem Christi, qui nobis dux fuit ad patriam cœlestem, agit gratias Deo, ac dicit : « Benedictus sit Dominus per singulos dies. » Id enim significat *die quotidie*; nam Interpres latinus reddidit ad verbum, quod invenit in græco; sed in hebræo est, יום יום *iom, iom die die*, id est *omni die*, sive *de die in diem*. Benedicimus autem Deum omni die, quia omni die nobis benefacit. « Prosperum iter faciet nobis, » id est benefaciet nobis omni die, quia non deseret nos in hoc itinere, quod facimus omni die, donec ad æternitatis diem pervenerimus. Vox hebraica יעמס *iahamos* significat *portabit*, quam unam vocem expressit Interpres tribus vocibus, *prosperum iter faciet*; vere enim prospere ambulat, qui portatur a Deo. In græco est etiam unicum verbum, κατευοδώσει, quod significat *prosperare iter*, complanando videlicet viam, et impedimenta removendo. Itaque promittitur hoc loco continua assistentia gratiæ Dei, dum peregrinamur a Domino. « Deus salutarium nostrorum, » id est prosperabit nobis iter Deus, qui est auctor totius nostræ salutis; non enim indigemus simplici salute, sed multiplici, qui multiplici periculo sumus obnoxii. « Deus noster, Deus salvos faciendi, » id est, non sine causa dixi, Deum prosperaturum iter nobis, et salutes multas allaturum: nam hoc est illi proprium, hæc est ejus natura; ipse enim Deus noster, est Deus salvans, Deus misericors et pius. « Et Domini, Domini exitus mortis, » id est, et ab ipso provenit evasio mortis, sive egressio a morte. Pro illud, *Domini, Domini*, in hebræo sunt duo nomina : unum quatuor litterarum, quod est proprium Dei, et in Scripturis non pronuntiatur, sed loco ejus legitur *Adonai;* alterum nomen est, אדני *Adonai*, quod *Dominum* significat. Itaque sensus est : et Dei nostri, qui est verus Dominus omnium rerum, sunt « exitus mortis, » id est, liberatio a morte sive evasio mortis. Ipse enim est vita æterna, et eam nobis communicabit, cum finita peregrinatione transferet nos de morte ad vitam.

Prospere ambulat qui portatur a Deo.

Vers. 23. 23. VERUMTAMEN DEUS CONFRINGET CAPITA INIMICORUM SUORUM : VERTICEM CAPILLI PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS.

Docuit quid faciet Dominus amicis suis : docet nunc quid faciet inimicis, qui increduli, permanserint, atque a regno ejus alieni esse voluerint. « Confringet, inquit, Deus capita inimicorum suorum, » id est, superbiam inimicorum suorum humiliabit, dum eos ad inferos æternis cruciatibus puniendos damnabit. « Verticem capilli perambulantium in delictis suis. » Idem aliis verbis repetit, ac declarat more suo Propheta : nam quod dixerat *capita*, nunc dicit *verticem capilli*, id est, verticem crinitum, superbum ac vanum confringet; quod dixerat *inimicorum*, nunc dicit *perambulantium in delictis suis* : illi enim soli sunt inimici Dei, qui non ambulant in lege Domini, sed in delictis suis, hoc est, qui tempus vitæ suæ peccando consumunt. Paulo aliter exponit S. Hilarius : vult enim per capita inimicorum Dei, intelligi principes tenebrarum, id est, principes dæmonum, quos Dominus dicit « perambulare verticem capilli, » id est, insidere et dominari capitibus hominum perversorum; « in delictis suis, » quia ad hoc solum insident, et dominantur capitibus hominum impiorum, ut eos ad varia delicta alliciant.

Inimici Dei quid sint?

Vers. 24. 24. DIXIT DOMINUS : EX BASAN CONVERTAM, CONVERTAM IN PROFUNDUM MARIS.

Vers. 25. 25. UT INTINGATUR PES TUUS IN SANGUINE, LINGUA CANUM TUORUM EX INIMICIS AB IPSO.

Confirmat Deus sententiam Prophetæ de perditione impiorum. « Dixit Dominus, ex Basan convertam, convertam in profundum maris, » id est, ego Dominus abstraham inimicos meos ex Basan, regione uberrima et pinguissima, et « projiciam in profundum maris, » ut olim egi cum Pharaone. Convertam videlicet impios a delictis et voluptatibus in ultimam perditionem; tantaque erit hostium strages, « ut pes tuus, » o populе meus, « intingatur in sanguine » occisorum, et lingua canum tuorum tingatur ab ipso sanguine ex inimicis effuso. Hæc mihi videtur sententia apte cohærens cum superioribus. In hebræo habetur, ממצלות ים *mimmetsuloth iam, ex profundis maris*, quæ videtur lectio contraria lectioni nostræ editionis Vulgatæ, quam tamen habuerunt S. Hilarius, S. Augustinus et S. Hieronymus in *Commentario*. Et quamvis in hebræo sit præpositio מין *min*, quæ significat *ex*, vel *ab*, tamen ponitur aliquando pro ב *be*, quæ significat *in;* et contra *in* ponitur pro *ab;* nam *Eccle.* II, ubi legimus : « Cogitavi distrahere a vino carnem meam, » in hebræo est, *in vinum*. Sed S. Hieronymus recte judicavit, *in* positum esse pro *a*, vel *ab;* et contra, *Deut.* XXXIII, ubi legimus : « Dominus de Sina venit, » Rabbi David existimavit positum esse *de* pro *in*, quia «Dominus *in* Sina montem venit, » non de Sina, quando legem dedit. Scio hos versiculos varie explicari, et tot esse expositiones, quot sunt auctores. Ideo in tanta obscuritate licitum mihi esse duxi, novam expositionem excogitare, quam lectorum judicio permitto.

Vers. 26. 26. VIDERUNT INGRESSUS TUOS, DEUS, INGRESSUS DEI MEI, REGIS MEI, QUI EST IN SANCTO.

Explicata victoria, et triumpho Christi de hostibus ejus, docet Propheta eos, qui testes fuerunt tantarum rerum, cœpisse illas toti mundo cum cantu et lætitia publicare. « Viderunt, inquit, ingressus tuos, Deus, » id est, non desunt qui viderint itinera tua, Christe Deus, actiones tuas, prælia tua, victorias tuas, « ingressus, inquam, tuos, qui es Deus meus, et Rex meus, qui nunc es in sanctuario tuo, » sive summum cœlum, sive Ecclesia sanctum habitaculum ejus dicatur : nam utrumque est verum; est enim Christus in cœlo per præsentiam visibilem, in Ecclesia per fidem et providentiam.

Vers. 27. 27. PRÆVENERUNT PRINCIPES CONJUNCTI PSALLENTIBUS, IN MEDIO JUVENCULARUM TYMPANISTRIARUM.

Alludit Propheta ad id quod fecerunt filii Israel, quando Deus liberavit populum suum de manu Pharaonis, tunc enim Moses princeps populi cum aliis filiis Israel cantavit canticum illud, *Exod.* XV: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Et Maria soror Mosis, cum sequentibus se mulieribus sumpsit tympanum, et ludebat laudans Deum. » Sic igitur quando viderunt principes Ecclesiarum Christi victoriam et triumphum, quo de potestate Satanæ liberati sumus, prævenerunt ipsi alias gentes et populos, ut Christi laudes prædicarent et resonarent. « Conjuncti psallentibus, » id est, conjuncti sanctis angelis in cœlo psallentibus ob eamdem victoriam, « in medio juvencularum tympanistriarum, » id est, psallentibus angelis in medio animarum sanctarum, quæ cum Christo in cœlo ascenderunt, quæ dicuntur juvenculæ, quoniam recens vitam beatam ducere, et cum angelis Deo assistere, eique psallere et cantare cœperunt.

Vers. 28. 28. IN ECCLESIIS BENEDICITE DEO, DOMINO DE FONTIBUS ISRAEL.

Hic versiculus est quasi parenthesis, qua Propheta prævidens futuram lætitiam principum Ecclesiæ, hortatur eos, ut « in Ecclesiis, » quas fundaturi erant, pergant « benedicere Domino Deo, de fontibus Israel » materiam laudis haurientes; vocat autem *fontes Israel* promissiones Dei ad Patriarchas, et vaticinia Prophetarum prædicentium ea, quæ nunc impleta esse videmus et gaudemus. Illud, *Deo Domino*, legi debet cum distinctione hoc modo : « In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel, » id est, « benedicite Deo in Ecclesiis, » benedicite, inquam, « Domino de fontibus Israel. » Sic enim distinguitur hic versiculus in codicibus hebraicis, et hoc modo distinctus majorem habet venustatem.

Vers. 29. 29. IBI BENJAMIN ADOLESCENTULUS IN MENTIS EXCESSU.

Vers. 30. 30. PRINCIPES JUDA, DUCES EORUM; PRINCIPES ZABULON, PRINCIPES NEPHTALIM.

Redit ad superiorem narrationem, et explicat qui sint illi principes, de quibus dixit : « Prævenerunt principes. » Isti, inquit, sunt « Benjamin adolescentulus, principes Juda, et principes Zabulon, et Nephthali, » per quæ nomina intelligunt communiter latini Patres, Hilarius, Hieronymus et Augustinus, et græci expositores Theodoretus et Euthymius, sanctos Apostolos, qui constituti sunt a Deo principes super omnem terram, *Psalm.* XLIV; ac primo loco nominatur « Benjamin adolescentulus, » per quem intelligitur apostolus Paulus, qui erat de tribu Benjamin, et qui novissimus fuit vocatione, « sed plus omnibus laboravit, » prædicando et laudando victoriam Christi : et is « in mentis excessu » ita conjunctus fuit psallentibus in tertio cœlo et in paradiso, ut nesciret, « an tunc in corpore esset, vel extra corpus, » ut ipse testatur II *Corinth.* XII. Per *principes Juda* intelliguntur Apostoli, qui erant de tribu Juda, et Christi fratres dicuntur in Evangelio, quod essent filii Cleophæ, fratris Joseph, sponsi B. Virginis, ut ex Hegesippo refert Eusebius lib. III *Hist.* cap. XI, juxta versionem Ruffini, videlicet Jacobus, Simeon, Judas. Principes Zabulon et Nephthali dicuntur apostoli cæteri, Petrus et Andræas, Jacobus et Joannes, Philippus, Matthæus, et cæteri, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum et vicinis civitatibus, ad sortem Zabulon et Nephthali pertinentibus; quod colligitur ex Evangelio S. Matthæi, qui scribit cap. IV : « Cum audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et relicta civitate Nazareth habitavit Capharnaum maritima in finibus Zabulon et Nephthali, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon, et terra Nephthali via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. » Sed quoniam ex captivitate non redierunt decem tribus, sed sola tribus Juda et Benjamin cum Levitis, ut colligitur ex lib. I *Esdræ*, Apostoli dicuntur principes Zabulon et Nephthali, vel quia in sortibus horum duorum Patriarcharum habitabant; vel quia forte pauci aliqui ex his tribubus redierint admixti Judæis : quod cogimur dicere de Anna prophetissa, quæ dicitur fuisse de tribu Azer, *Luc.* II. Miratur Calvinus hæresiarcha in *Antidoto Concilii Tridentini*, quid cogitaverit Interpres noster latinus, quando vertit : « Benjamin adolescentulus in mentis excessu, » cum in hebræo non habeatur, *in mentis excessu*, sed, *dominator eorum*. At nos miramur Calvinum non cogitasse, a latino Interprete redditum fidelissime fuisse, quod est in græco : Vulgata enim latina editio Psalterii ex græco expressa est, non ex hebræo. Sed neque

Apostolus Paulus hic primo loco nominatur.

Sola tribus, Juda et Benjamin cum Levitis redierunt ex captivitate.

dissentit lectio græca, vel latina ab hebraica bene intellecta, ut eam intellexerunt Septuaginta Interpretes. Vox enim hebraica רדם *rodem*, si deducatur a verbo רדה *radah*, significat *dominator eorum*, ut Calvinus dicit secutus Rabbinos. Sed si deducatur a verbo רדם *radam*, ut eam deduxerunt Septuaginta Interpretes, significat *altissime dormiens*, sive *mentis excessum patiens*. Pro illo autem, *duces eorum*, vertunt alii, *in purpura sua*: sed vox hebraica רגמתם *rigmatham* utroque modo reddi potest, et sensus est idem.

Vers. 31. 31. MANDA, DEUS, VIRTUTI TUÆ; CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS.

Descripta victoria Christi, et lætitia Apostolorum, petit a Deo Propheta, ut potentiam suam, quam exercuit in superandis hostibus, et constituenda Ecclesia, iterum exerceat in confirmando et conservando opere suo. « Manda, inquit, virtuti tuæ, » id est, impera potentiæ tuæ, ut operi inchoato assistat illudque conservet et augeat. Explicat deinde hoc ipsum clarioribus verbis, dicens : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, » id est, liberasti nos de potestate Satanæ, transtulisti in regnum Filii tui, plantasti Ecclesiam sanguine ejusdem Filii tui, effudisti in nos Spiritum adoptionis filiorum; « confirma hæc omnia, » quæ opera sunt misericordiæ tuæ. In hebræo habetur : *Mandavit Deus tuus virtuti tuæ*; sed vox hebraica צוה *tsiwah* potest esse præteritum, *mandavit*, et imperativum, *manda*. Sed illud pronomen additum nomini *Deus*, cum dicitur, Deus tuus, totam sententiam obscurat. Itaque suspicor esse additum, et non fuisse in codicibus quos habuerunt Septuaginta Interpretes; nam omnes veteres Græci et Latini legunt: «Manda, Deus, virtuti tuæ,» dum exponunt hunc versiculum ex interpretatione Septuaginta. Sanctus enim Hieronymus vertit quidem ex hebræo : *Præcepit Deus tuus de fortitudine tua*; tamen in *Commentario* legit et exponit cum aliis Patribus : *Manda, Deus, virtuti tuæ.*

Vers. 32. 32. A TEMPLO TUO IN JERUSALEM, TIBI OFFERENT REGES MUNERA.

Potest hic versiculus intelligi de regibus, qui in cœlo cum Christo regnant, et tunc sensus est : A templo quod est in cœlesti Jerusalem, tibi Deo sancti, qui regnant cum Christo, offerent munera, id est, sacrificia laudis perpetuæ. Potest etiam intelligi de regibus spiritualibus, id est, de sacerdotibus Ecclesiæ, de quibus paulo ante dictum est : « Dum discernit cœlestis reges super eam; » et tunc sensus est : « A templo, » quod est in Ecclesia catholica, « tibi » Deo sacerdotes, qui sunt ministri regni tui, et populum vice tua regunt, « offerent munera, » id est, sacrificia Eucharistica, sacrificia item laudum et precum, sacrificia denique conversionis animarum. Postremo potest intelligi de regibus temporalibus; et tunc illud, *a templo*, exponendum est, propter templum, id est, propter sanctitatem templi tui, quod est in Ecclesia, offerent tibi reges terræ munera pretiosa ad ipsius templi ornatum, et ad alendos templi ministros : de qua oblatione regum multa prædicit Isaias cap. LX et LXVI.

Vers. 33. 33. INCREPA FERAS ARUNDINIS, CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM, UT EXCLUDANT EOS QUI PROBATI SUNT ARGENTO.

Convertit nunc orationem ad hostes Ecclesiæ, qui pacem ejus perturbare satagunt, ne munera laudum, et sacrificia bonorum operum offerantur Deo : ac primum loquitur de hostibus invisibilibus, ut exponunt S. Hilarius ex Latinis, et Euthymius ex Græcis. Ait igitur : « Increpa, » id est, exterre, coerce, reprime « feras arundinis; » per feras arundinis intelliguntur bestiæ silvestres, quæ latent inter arundineta, et per has bestias describuntur dæmones, qui libenter versantur inter homines vanos et leves, et in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Sic enim de diabolo sub figura Behemoth loquitur Dominus in lib. *Job.* cap. XL : « Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus. » Deinde addit de hominibus : « Congregatio taurorum in vaccis populorum, » id est, congregatio principum impiorum sævientium instar taurorum. « In vaccis populorum, » id est, in medio populorum insipientium et insanientium instar vitulorum sive juvencarum (nam in hebræo per בעגלי עמים *beheglei hammim*, exprimitur non solum genus femininum, sed etiam juventus), « congregatio, » inquam, facta est, « ut excludant eos qui probati sunt argento, » id est, convenerunt principes et populi impii, Satana instigante et impellente, ut excludant, rejiciant, ad nihilum redigant prædicatores fidei, qui probati sunt instar argenti in fornace ignis, et inventi purissimi et fidelissimi. Itaque significantur his verbis persecutiones gravissimæ, tum Judæorum, tum paganorum, quæ exortæ sunt post Christi ascensionem in cœlum. S. Augustinus per feras arundinis, sive calami, ut ipse legit, intelligit hæreticos, qui calamo, id est scriptura, vexant Ecclesiam. Et illud *ut, excludant eos qui probati sunt argento*, exponit in hunc sensum, ut faciant eminere eos qui probati sunt, ut argentum excluditur ab artificibus, quando ex massa impolita excludunt vas argenteum, id est, apparere et eminere faciunt. Hæretici enim exercent Ecclesiam, et occasionem præbent, ut multi viri docti et probi emineant in intelligentia Scripturarum.

Diabolus versatur in locis humentibus, in quibus regnat luxuria.

Hæretici exercent Ecclesiam.

Vers. 34. 34. DISSIPA GENTES, QUÆ BELLA VOLUNT : VENIENT LEGATI EX ÆGYPTO, ÆTHIOPIA PRÆVENIET MANUS EJUS DEO.

Prædicit nunc victoriam adversus persecutores. « Dissipa, » inquit, « gentes, » id est, tu dissipabis omnes qui bella movent adversus populum tuum;

et tunc « venient legati ex Ægypto » pacem petentes, et subjectionem profitentes; et « Æthiopia, » quæ longius distat, « præveniet manum ejus Deo, » id est, præveniet apud Deum manum Ægypti offerentis munera. Nominat Propheta Ægyptum, et Æthiopiam : illam, ut valde inimicam veræ religionis; istam, ut valde longinquam. Volunt autem Patres per Æthiopiam prævenientem, significari eunuchum Candacis reginæ Æthiopum, qui ad fidem christianam adjunctus est multo antea, quam eadem fides ad Ægyptum, aliasque gentilium regiones pervenisset; de qua re lege cap. VIII *Actor. Apostol.*

Vers. 35. 35. REGNA TERRÆ, CANTATE DEO, PSALLITE DOMINO; PSALLITE DEO, QUI ASCENDIT SUPER CŒLUM CŒLI AD ORIENTEM.

Pergit prædicare per modum exhortantis, conversionem Gentilium ad fidem christianam. « Regna terræ, » id est, totius terræ, non solum regnum Israel, aut Juda, « cantate Deo, » ex fide agnoscentes verum Deum, cantate laudes ejus. « Psallite Domino, » non solum verbis cantate, sed etiam bonis operibus « psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem, » id est, qui posteaquam ascendit in altum, sedet in summo cœlo ad fontem lucis, unde oritur omne lumen. In hebræo et græco codice non sunt illa duo verba, *psallite Deo;* et S. Hieronymus, in epist. *ad Suniam et Fretellam,* dicit esse supervacanea; tamen nihil obest, quod in nostra editione legantur, cum nihil sint, nisi repetitio præcedentium verborum. Illud autem, *ascendit super cœlum cœli,* non significat, *ascendit in cœlum,* sed *sedet super cœlum:* vox enim hebraica est רכב *rocheb*, quæ non significat, *sursum ascendere,* sed *equitare,* vel *curru vehi*, ut supra diximus ad illa verba : « Qui ascendit super occasum. » Itaque significat Propheta Christum Dominum post ascensionem in cœlum, de qua locutus est, cum ait : « Ascendisti in altum, » esse cœpisse ipso cœlo altiorem et superiorem, quippe qui sedet super cœlum, ut eques super equum, vel auriga super currum, vel rex super solium. Illud autem, *ad orientem,* optime cohæret cum eo, quod supra dictum est : « Qui ascendit super occasum, » id est, quia sub se habet tenebras omnes, ipse est in luce, vel ad lucem inaccessibilem, unde oritur lumen omne, quod communicatur angelis et hominibus. S. Hieronymus vertit : *Qui ascendit super cœlum cœli a principio;* et vere vox hebraica קדם *kedem* utrumque significat, et *orientem*, et *principium*, et utrumque est verum. Christus enim, ut Deus, a principio sedit super cœlum cœli, et ut homo, post resurrectionem ascendit in cœlum, et nunc est super cœlum cœli ad orientem, assistens æterno et supremo Orienti, id est fonti lucis.

Christus post ascensionem, est ipso cœlo altior et superior.

Vers. 36. 36. ECCE DABIT VOCI SUÆ VOCEM VIRTUTIS : DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL : MAGNIFICENTIA EJUS, ET VIRTUS EJUS IN NUBIBUS.

Vers. 37. 37. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS; DEUS ISRAEL, IPSE DABIT VIRTUTEM ET FORTITUDINEM PLEBI SUÆ, BENEDICTUS DEUS.

Hos duos versiculos referunt græci. Theodoretus et Euthymius, ad missionem Spiritus Sancti, quando post ascensionem Domini, induti sunt Apostoli virtute ex alto. Sed latini, Hilarius, Augustinus et Hieronymus referunt ad secundum adventum Christi : et hoc magis probo. Hic enim Psalmus (ut initio diximus) omnia mysteria utriusque Testamenti complectitur. « Ecce, inquit, dabit voci suæ vocem virtutis, » id est, qui humilis apparuit, « et sicut agnus coram tondente obmutuit, » ut dicit Isaias cap. LIII, nunc « sedet super cœlum cœli, » et paulo post « dabit voci suæ, » ut sit vox virtutis, id est, vox potentissima et efficacissima : quod fiet quando « omnes mortui audient vocem Filii Dei, et resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii, » ut habetur *Joan.* V : nulla enim vox potentior cogitari potest. Vox quidem virtutis fuit, quæ dixit : « Adolescens, tibi dico, surge, » *Luc.* VII; et : « Lazare, veni foras, » *Joan.* XI. Sed vox, quæ cineres omnium hominum ab initio mundi defunctorum, subito formabit, animabit, excitabit, quantæ tandem virtutis erit? Vox item maximæ virtutis erit, quæ dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum, » *Matth.* XXV; et : « Venite, benedicti, possidete paratum vobis regnum; » cui voci absque ulla resistentia, vel retractatione respondebit effectus. Certe comparatione ad hanc vocem, omnia omnium principum edicta et imperia nullius virtutis existimanda sunt. Recte igitur subjungit : « Date gloriam Deo super Israel, » id est, glorificate Deum super beneficia in electos ejus collata. « Omnia enim propter electos, » inquit Apostolus II *Tim.* II. « Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus, » id est, « date gloriam Deo super Israel, » quoniam magnificentia Dei, et potentia Dei manifestabitur maxima « super Israel in nubibus cœli, » quando videlicet « rapientur electi in nubibus obviam Christo, » ut ait B. Paulus I *Thessal.* IV, et in ipsis nubibus erunt sedentes, quasi in soliis cœlestibus et sublimissimis omnes electi Dei a dextris, et a sinistris Judicis omnipotentis. Quare exclamare licet : « Mirabilis Deus in sanctis suis; » tunc enim vere totus mundus intelliget Deum in sanctis suis provehendis ab imo ad summum, a summa humilitate ad summam et celsissimam gloriam plane admirabilem fuisse : nam « Deus Israel, » Deus electi populi sui, tunc « dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, » cum electos suos vera immortalitate et impassibilitate donabit. Neque obstat quod in hebræo legatur, *mirabilis Deus in sanctuariis :* ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei; neque etiam quod

Vox Christi quæ potentissima?

in hebræo sit in secunda persona, *in sanctuariis tuis*. Videtur enim errore scriptorum id accidisse. Nam non solum Septuaginta verterunt in tertia persona, sed etiam S. Hieronymus vertit, *sanctuario suo*. Denique parum refert quod in hebræo sit: *Terribilis Deus*, pro quo nos habemus : *Mirabilis Deus;* nam utrumque est verum, et una lectio explicat aliam : discimus enim ex lectione hebraica, Christum in die novissimo fore mirabilem in sanctis suis, cum magno terrore impiorum : quanquam omnis admiratio terrorem quemdam incutere soleat. Concludit Propheta illis verbis : « Benedictus Deus ; » id enim sequitur ex prædictis in toto Psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum ejus misericordia et justitia, potentia et sapientia, ex tot mysteriis mirifice declarata sint.

PSALMUS LXIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v.—1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, David.*

2. Salvum me fac, Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

3. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste : quæ non rapui, tunc exsolvebam.

6. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.

7. Non erubescant in me qui exspectant te, Domine, Domine virtutum.

Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

8. Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam.

9. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi cecidernnt super me.

11. Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.

12. Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.

13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.

14. Ego vero orationem meam ad te, Domine; tempus beneplaciti, Deus.

V. s. h. — *Victori pro liliis David.*

Salva me, Deus : quoniam venerunt aquæ usque ad animam.

Infixus sum in limo profundi, et non possum consistere.

Veni in profundum aquarum, et flumen [*h. fluctus*] operuit me.

Laboravi clamans, exasperatum est guttur meum : defecerunt oculi mei, exspectantes Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei; qui oderunt me gratis :

Confortati sunt qui persequebantur me inimici mei injuste : quæ non rapueram, tunc reddebam.

Deus, tu scis stultitiam meam, et peccata mea a te non sunt abscondita.

Non confundantur in me exspectantes [al. *qui exspectant*] te, Domine Deus exercituum.

Non confundantur in me qui quærunt te, Deus Israel.

Quia propter te portavi opprobrium : operuit confusio faciem meam.

Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis [al. *filius*] matris meæ.

Quia zelus domus tuæ comedit me, et opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me.

Et flevi in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum saccum, et factus sum eis in parabolam.

Contra me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bibentes vinum [*h. siceram*].

Mea autem oratio ad te, Domine, tempus reconciliationis [*h. placiti*] est.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

15. Eripe me de luto, ut non infigar : libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

16. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.

17. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum, respice in me.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me.

19. Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me.

20. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.

21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : improperium exspectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

22. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.

24. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.

25. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.

26. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

27. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.

29. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

30. Ego sum pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me.

31. Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.

32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.

33. Videant pauperes, et lætentur; quærite Deum, et vivet anima vestra.

34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

Deus in multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me in veritate salutis tuæ.

Erue me de luto ut non infigar; libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Ne operiat me fluctus aquæ, ne absorbeat me profundum, et non coronet super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam bona est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me.

Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo : quoniam tribulor, cito [*h. festina*] exaudi me.

Accede ad animam meam, redime eam : propter inimicos meos libera me.

Tu scis opprobrium meum, et confusionem meam, et ignominiam meam : coram te sunt omnes hostes mei.

Opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum.

Et exspectavi qui contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Sit mensa eorum coram eis in laqueum, et in retributiones ad corruendum.

Contenebrentur oculi eorum ne videant, et dorsum [*h. lumbos*] eorum semper incurva.

Effunde super eos indignationem tuam, et ira furoris tui comprehendat eos.

Fiat commoratio eorum deserta : in tabernaculis eorum non sit qui habitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt : et ut affligerent vulneratos tuos, narrabunt.

Da iniquitatem super iniquitatem eorum, et non veniant in justitia tua.

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

Ego autem pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in confessione.

Et placebit Domino super vitulum novellum [*h. bovem taurum*], cornua efferentem et ungulas.

Videntes mansueti lætabuntur : qui quæritis Deum, vivet anima vestra [*h. cor vestrum*].

Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

35. Laudent illum cœli et terra, mare et omnia reptilia in eis.

36. Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.

37. Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Laudent eum cœli et terra, maria et omne quod movetur in eis :

Quia Deus salvabit Sion, et ædificabit civitates Juda : et habitabunt ibi, et possidebunt eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

Argumentum. — Sunt preces hominis pro Dei causa injuriam patientis. A Davide tempore Absalonicæ seditionis compositas esse existimant quidam ; Maurer opinatur esse fusas in exsilio, fortasse ab homine qui e prophetis esset, quique non suo, sed populi nomine loqueretur. Hengstenberg putat in eo Psalmo describi miseriam hominis justi in universum, nec certam quamdam historicamve illius occasionem quærendam esse. Multa habet hoc carmen similia Psalmis VI, XXII, XXV, XXXVIII, XLII. Versiculos 34-37, quos nonnulli ab aliena manu in exsilio Babylonico adjectos putant, strenue defendit Maurer. Strophæ tres : vers. 2-22, precatio cum miseriæ descriptione multiformi; vers. 23-29, in adversarios imprecatio ; vers. 30-37, gratiarum actio pro liberatione. E priori stropha tres quidam faciunt : 2-6, 7-13, 14-22.

1. Præcentori, in liliis, *carmen* Davidis.

2. Adjuva me, Deus,
nam venerunt aquæ (miseriæ) usque ad animam (vitam) meam.
3. Mergor in luto profundo (propr. *profundi*),
nec est statio;
veni in profunda aquarum,
et fluctus obruit me.
4. Fessus sum clamando,
arefactum est guttur meum, contabuere oculi mei,
exspectando Deum meum (ejus auxilium).
5. Multi sunt præ capillis capitis mei osores mei immeriti;
fortes (alii, *numerosi*) perditores mei, hostes mei mendaces :
quod non rapui, tunc jubeor restituere.
6. Deus, tu nosti stultitiam meam (vitia mea),
et delicta mea te non latent.
7. Ne *ergo* erubescant in me qui te exspectant, Domine, Jova exercituum *Deus*;
ne confundantur in me qui quærunt te, Deus Israelis.
8. Nam tua causa fero opprobrium,
operit contumelia faciem meam.
9. Alienus factus sum fratribus meis,
et peregrinus filiis matris meæ.
10. Nam zelus domus tuæ consumit me,
et probra exprobrantium tibi ceciderunt super me.
11. Et fleo, et *est* in jejunio anima mea,
et *hoc* in opprobrium *cedit* mihi.
12. Facio vestimentum meum saccum,
et sum eis in parabolam (irrisionem).
13. Loquuntur de me sedentes in porta,
et *sum* cantilena potantium temetum.
14. Ego vero, preces meæ ad te, Jova, *directæ sunt;*
tempus benevolentiæ tuæ veniat, Deus!

Pro magnitudine gratiæ tuæ exaudi me,
pro fide tua (in promissis) salvatrici.
15. Libera me ex cœno, neve sinas me immergi;
fac ut eripiar ab osoribus meis atque ex profundis aquarum.
16. Ne obruat me fluctus aquarum,
neve devoret me profundum (vorago aquarum),
ne claudat super me puteus (abyssus) os suum.
17. Exaudi me, Jova, nam bona (præstans, eximia) est misericordia tua;
secundum multitudinem miserationum tuarum converte te ad me.
18. Neve obveles faciem tuam a servo tuo,
nam angustiæ mihi *sunt* : properans exaudi me.
19. Prope adsis animæ meæ, vindica (seu *libera*) eam;
propter hostes meos (ne superbiant), serva me.
20. Tu nosti probrum meum, et ignominiam meam, et contumeliam meam;
coram te *sunt* omnes adversarii mei.
21. Probrum (quod patior) frangit cor meum et æger *sum;*
et exspecto miserationem, et non præsto est,
et consolatores, et non invenio.
22. Et indunt in cibum meum herbam venenatam,
et ad sitim meam bibendum dant acetum.

23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (exitium),
et *ipsis* securis in tendiculam.
24. Obscurentur oculi eorum, ita ut non videant,
et lumbos eorum perpetuo fac nutare.
25. Effunde super eos furorem tuum,
et ardor iræ tuæ prehendat eos.
26. Sit pagus eorum desolatus,
in tentoriis eorum nullus sit habitans.
27. Nam tu quem percussisti, *illi* persequuntur,
et dolori confossorum tuorum addunt.
28. Da culpam super culpam eorum,
nec veniant in justitiam tuam.
29. Deleantur ex libro viventium,
et cum justis ne scribantur.

30. Et ego afflictus et dolore affectus sum :
salus (auxilium) tua, Deus, tutum me præstet (tanquam in arce).
31. Laudabo nomen Dei cantico,
celebrabo illud gratiarum actione.
32. Et *id* placebit Jovæ magis quam bos,
quam taurus cornutus, ungulatus.
33. Videbunt *id* afflicti (vel *mites*), lætabuntur;
qui quæritis Deum, vivat (reviviscat) cor vestrum.
34. Nam attendit ad pauperes Jova,
et vinctos suos non spernit.

35. Laudent eum cœli et terra,
mare, et omne quod in eo repit.
36. Nam Deus salvabit Sionem,
et ædificabit urbes Judæ;
et habitabunt ibi, et occupabunt eam (Judam).
37. Et semen servorum ejus possidebunt eam,
et qui amant nomen ejus habitabunt in ea.

NOTÆ.

Vers. 1. *In liliis* : vid. *Ps.* VI, 1; XLV, 1. — Vers. 2. Imago petita e torrentibus in Palæstina post hiemem exundantibus. — Vers. 3. *Statio,* stabile quid, quo nitantur pedes. — Vers. 5. *Mendaces* ; Maurer, *immeriti. Quod non rapui,* etc. Proverbium fuisse videtur Hebræis de innocente; sensus : plectuntur in me, quæ non admisi. — Vers. 6. Hoc sibi vult : qui delicta mea bene cognita habes, scis, o Deus, me nihil deliquisse dignum tantis injuriis. Alii minus recte delictorum confessionem hoc versu contineri putant. — Vers. 7. *In me,* occasione mei immerito injurias patientis. — Vers. 8. *Tua causa* : vid. vers. 10. — Vers. 10. *Domus tuæ,* cultus tui. *Consumit,* i. e. me tenet; Maurer : *consumit,* i. e. me perdit, utpote odium et ludibrium mihi conflans eorum, qui te tuaque sacra contemptui habent. — Vers. 11. Alii, *et fleo in jejunio ego,* propr. *anima mea.* — Vers. 13. *Sedentes in porta* sunt vulgo proceres qui jus dicunt; multi tamen hic intelligunt homines otiosos et leves, qui in portis confabulantur. *Cantilena* : alii, *fides,* musicæ instrumentum, eod. sensu. Maurer, *et* loquuntur de me *cantica potantium,* vel *potantes temetum.* — Vers. 14. Alii : utinam hoc fiat *in tempore benevolentiæ tuæ!* Maurer,... directæ sunt *tempore,* etc., i. e. statis quibus vis precibus adiri temporibus et locis. — Vers. 15. *Cœno* : cf. vers. 3. — Vers. 20. *Coram te,* tibi notissimi, eorumque scelera. Hoc versu et 2 sequentibus transit ad imprecationes, quæ sequuntur. — Vers. 21. *Et æger sum,* ita ut æger sim; alii, *et miseria,* puta *frangit,* etc. : non male. *Miserationem,* propr. *miserari,* vel venientes *ad miserandum.* — Vers. 23. *Mensa,* cibus; alii : felicitas, voluptates. *Securis*; alii, *et amicis* eorum. — Vers. 27. *Addunt,* propr. *annumerant,* puta alios dolores. Minus recte Maurer et alii, *dolorem....* deridendo narrant. Cf. *Job.* XIX, 21, 22; *Luc.* XXIII, 3; *Isai.* LXVI, 16; *Jerem.* XVIII, 23. — Vers. 28. Sensus : Sinito eos accumulare peccata, et indurari. — Vers. 29. Cf. *Dan.* XII, 1. — Vers. 32. Describitur victima, qualis ad sacrificium requirebatur. Cf. *Levit.* XI, 3. — Vers. 33. *Id,* meas pro divina ope laudes. — Vers. 34. *Suos,* pro ejus causa, vel ut vers. 27.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, pro iis qui commutabuntur, David.

De hoc titulo dictum est in explicatione Psalmi XLIV, quæ non sunt repetenda. Consentiunt fere omnes expositores veteres, ut Hilarius, Augustinus, Hieronymus; et recentiores, ut Genebrardus, Jansenius, Agellius et alii, in hoc Psalmo prædici passionem Christi plane ad litteram, nec non eversionem Judæorum, et ædificationem Ecclesiæ, quæ constat ex iis qui feliciter commutabuntur de iniquitate ad justitiam, et de miseria temporali ad gloriam sempiternam. Unus est Theodoretus, quem sequitur Euthymius, qui Psalmum exponendum censuit de captivitate Babylonica Judæorum : sed beatus Augustinus constanter reprehendit eos, qui audent aliter exponere, quam Apostoli exposuerint. Apostoli enim de Christo prædicta esse affirmant illa : « Qui oderunt me gratis, » *Joan.* XV; et illa : « Zelus domus tuæ comedit me, » *Joan.* II; item illa : « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, » *Rom.* XV; et illa : « In siti mea potaverunt me aceto, » *Joan.* XIX; et illa : « Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea, » *Act.* I.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. SALVUM ME FAC, DEUS, QUONIAM INTRAVERUNT AQUÆ USQUE AD ANIMAM MEAM.

Vers. 2. 2. INFIXUS SUM IN LIMO PROFUNDI, ET NON EST SUBSTANTIA.

Vers. 3. 3. VENI IN ALTITUDINEM MARIS, ET TEMPESTAS DEMERSIT ME.

Passio Christi

Passio Domini nostri Jesu Christi in Evangeliis ita describitur, ut non multa dicantur de vehe-

ab Evangelistis qualiter sit expressa?

mentia doloris ejus. Voluerunt enim Evangelistæ declarare passionem illam fuisse voluntariam, et summa constantia toleratam a Christo. Sed quoniam oportebat etiam ut mundus intelligeret acerbitatem doloris in Christo fuisse maximam, atque inde colligeret quantum debeat Redemptori, ideo Spiritus Sanctus hanc doloris vehementiam multo antea Prophetis revelavit, ac per eos, ut testes fide dignissimos, et ab omni adulatione alienos. scribi voluit. Itaque multa de hac re scripsit Isaias, multa Jeremias; sed nullus plura quam David. Igitur in primis tribus hujus Psalmi versiculis, describitur passio Christi per similitudinem mersionis in aquas lutulentas et profundissimas. « Salvum me fac, Deus; » salutem petit Salvator a Deo Patre, non salutem animæ quam habebat, et perdere non poterat, cum beatus esset : sed salutem corporis, eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, et contrarietatem naturalis appetitus ad mortem, eo prorsus modo quo in horto dixit : « Pater, si vis, transfer calicem hunc a me, » *Luc.* XXII. « Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » Hic incipit similitudo demersionis in aquas : Quoniam, inquit, similis factus sum ei, qui projectus in aquas incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia, ut jam respirare et vivere non possit. « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, » id est, similis factus sum, non solum homini præcipitato in aquas, sed in aquas limosas et sine fundo, ut non liceat emergere, neque subsistere. Illud, *et non est substantia*, significat, *et non est fundamentum*, sive *fundus*, ubi subsisti possit : nam græce est ὑπόστασις, et hebraice מעמד *mahamad*, quæ *stationem*, sive *consistentiam*, vel *subsistentiam* significant. « Veni in altitudinem maris, » id est, non in parvum gurgitem demersus sum, sed in mare magnum et profundissimum, ut aquarum immensa multitudo super me sit. « Et tempestas demersit me, » id est, quia tempestas vehementissima ventorum et fluctuum demersit me. In hac similitudine per *multitudinem aquarum usque ad animam penetrantium*, intelliguntur pœnæ multæ, quas Christus pertulit, quæ usque ad mortem sævierunt : non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras pœnas doloresque sustinuit. Per *limum profundum*, cui infixus inhæsit, significantur peccata totius humani generis, quæ illum in pœnis detinuerunt; per *tempestatem*, qua demersus fuit in aquas, intelliguntur justitia decretumque divinum quod expiari peccata voluit : intelligitur quoque rabies et crudelitas Judæorum : intelligi denique potest, et maxime proprie, vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quæ multiplex fuit, ut theologi docent ex divinis Scripturis. Nam Apostolus *ad Rom.* VIII, dicit : « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Et *Actor.* III, dicit S. Petrus ad Judæos : « Auctorem vitæ interfecistis. » Et rursus B. Paulus *ad Ephes.* V : « Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea. » Itaque tempestas valida, quæ Christum demersit in profundum passionis et mortis, fuit partim bona et laudabilis, partim mala et reprehensione dignissima.

Christus non simplici morte defunctus.

4. LABORAVI CLAMANS, RAUCÆ FACTÆ SUNT FAUCES MEÆ : DEFECERUNT OCULI MEI, DUM SPERO IN DEUM MEUM. Vers. 4.

Ex hoc versiculo intelligimus, quæ dicta sunt in tribus versiculis superioribus accipienda esse per similitudinem : nam si proprie Christus demersus fuisset in aquas, non potuisset clamare. Sed hic etiam versiculus quartus per similitudinem accipiendus est : Christus enim clamavit quidem in passione, cum ait : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Matth.* XXVII; et rursum clamavit, cum ait : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » *Luc.* XXIII. Sed hi clamores tam breves fuerunt, ut non potuerint raucedinem facere. Quod autem Christus in passione defecit aspiciendo, et exspectando auxilium a Deo, nusquam legimus. Itaque sensus est : Tanta fuit acerbitas, et prolixitas doloris mei, quantam intelligimus esse in illis, qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur et clamant; et quanta in illis esse solet, quorum oculi deficiunt aspiciendo in cœlum, et exspectando auxilium a Deo. Quod igitur Christus in passione semper fere tacuerit, « ut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, » ut dicit Hieremias cap. XI, et adjuvantem non requisiverit, quasi nihil acerbi pateretur, non fecit levitas passionis, sed magnitudo constantiæ, et flamma charitatis. Si enim juxta magnitudinem dolorum lamentatio esse debuisset, sine dubio raucæ factæ fuissent fauces ejus ob continuam vociferationem, et oculi ejus caligassent, dum aspiceret in auxiliatorem. Quare (ut supra indicavimus) Propheta expressit magnitudinem passionis, Evangelista vero constantiæ magnitudinem demonstravit.

5. MULTIPLICATI SUNT SUPER CAPILLOS CAPITIS MEI, QUI ODERUNT ME GRATIS. Vers. 5.

6. CONFORTATI SUNT, QUI PERSECUTI SUNT ME INIMICI MEI INJUSTE; QUÆ NON RAPUI, TUNC EXSOLVEBAM. Vers. 6.

Explicat nunc Propheta in persona Christi, propriis verbis, quæ hactenus dixit per similitudinem. Comparavit enim persecutores Christi multitudini aquarum et violentiæ tempestatis : nunc aperte dicit inimicos suos fuisse prope innumerabiles et violentissimos, et absque ulla justa causa, imo sine ulla causa ita sæviisse. « Multiplicati sunt super capillos capitis mei, » *Matth.* XXVII, id est, plures fuerunt, quam sit numerus capillorum capitis, qui numerari vix possunt. « Qui oderunt me gratis, » *Joan.* XIX, id est, plu-

rimi fuerunt, qui oderunt me absque ulla causa. Quod plurimi fuerint perspicuum est ex Evangelio; nam præter concilium seniorum, pontificum, scribarum et pharisæorum, accessit turba populi maxima, quæ « clamavit : Crucifige eum, » *Luc.* XXIII. Accesserunt integræ cohortes militum paganorum : « sprevit enim eum Herodes cum exercitu suo. » Et in domo Pilati convenit universa cohors militaris ad Christum illudendum. Accessit etiam Judas super numerum odientium Christum. Quod autem gratis eum oderint non potest dubitari, « cum pertransierit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, » *Act.* XX, et neminem unquam læserit. Causa vero quam allegabant in concilio, *Joan.* XI : « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem, » eventus docuit quam fuerit vana et ex falsa prudentia prodierit : nam non dimiserunt eum, imo impediverunt, quantum potuerunt, Evangelii progressum, et tamen venerunt Romani, et tulerunt locum eorum et gentem : quod non accidisset, si Christum, qui pacis, et mansuetudinis et charitatis, doctor et auctor erat, fideliter recepissent. Addit Propheta de violentia inimicorum Christi. « Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste, » id est, injusti persecutores mei roborati sunt, fecerunt sibi animum, prævaluerunt, et ideo injusti fuerunt, quia coegerunt ut solverem « quæ non rapui, » id est, pœnam darem sine merito culpæ. Omnis iniquus, raptor dici potest, quia rapit gloriam Dei, et ideo cum punitur, solvit quod rapuit : sed Christus nihil rapuit, quia nunquam peccavit, et tamen pœnas gravissimas dedit. Agnovit id latro pendens in cruce, cum ait : « Nos quidem juste (crucis videlicet supplicium patimur), nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit, » *Luc.* XXIII.

Omnis iniquus raptor dici potest.

Vers. 7. 7. DEUS, TU SCIS INSIPIENTIAM MEAM, ET DELICTA MEA A TE NON SUNT ABSCONDITA.

Quia dixerat injuste se pati, et solvere quæ non rapuit, reddit nunc rationem cur voluerit pati, cum facile posset ab injusta persecutione se liberare; causam autem esse dicit insipientiam suam, et delicta sua, quæ Deo notissima, sed mundo occultissima erant. *insipientiam suam* vocat insipientiam Adami quam in se suscepit, et *delicta sua* vocat delicta ejusdem Adami et cæterorum hominum, quæ portavit, non commisit. « Deus, inquit, tu bene nosti, quæ sit insipientia mea, » quæ « delicta mea, » id est, tu scis me pati propter insipientiam primi hominis, qui seductori credidit similem Deo se futurum, si ligno vetito vesceretur; et propter inobedientiam ejusdem, quæ insipientiam illam consecuta est. Addit S. Augustinus, insipientiam Christi dici posse eam, quæ apud omnes homines insipientia visa est, cum tamen sapientia esset maxima, videlicet quod, cum posset unico verbo a morte se liberare, voluit tamen pati acerbissima tormenta et mortem ipsam crucis, ut servulos et ipsos inimicos a tormentis et morte redimeret. Hæc stultitia visa est hominibus, sed Deus novit hoc genus stultitiæ sapientius esse omni humana sapientia. Quomodo stultitia videri potest ignorantibus artem agriculturæ, cum grana optima projiciuntur in campos, et amitti irreparabiliter videntur : sed, cum eadem grana multiplicata colliguntur in messe, tunc apparet, non stultitiam, sed sapientiam fuisse projicere eo modo grana in sulcos terræ.

8. NON ERUBESCANT IN ME, QUI EXPECTANT TE, Vers. 8.
DOMINE, DOMINE VIRTUTUM.

9. NON CONFUNDANTUR SUPER ME, QUI QUÆRUNT Vers. 9.
TE, DEUS ISRAEL.

10. QUONIAM PROPTER TE SUSTINUI OPPROBRIUM, Vers. 10.
OPERUIT CONFUSIO FACIEM MEAM.

Sollicitus pro membris suis orat, ut hæc ipsius passio non sit scandalum fidelibus suis, aut certe non desperent; nam ipse dixit : « Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, » *Matth.* XI; et ad discipulos passione jam imminente : « Omnes vos scandalum patiemini in me nocte ista, » *Matth.* XXVI. Ideo nunc ait : « Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine, » id est, non erubescant propter me, qui sperant in te, quasi ego derelictus a te sim, et spes mea vana fuerit; ne dicant : Quis audebit exspectare Dominum, id est, sperare in Domino, si Filium suum Dominus ita negligit, ita deserit? Ac deinde repetit et declarat, addens : « Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel; » nam qui confunduntur, erubescunt, et qui sperant, quærunt. Quod ergo dixerat : « Non erubescant in me, » declarat per illa verba : « Non confundantur super me, » id est, mei causa. Et quod dixerat, « qui exspectant te, » explicat per illa, « qui quærunt te, » id est, qui sperantes in te quærunt auxilium tuum; et ad id quod dixerat, « Domine virtutum, » addit, « Deus Israel, » ut ostendat merito homines confidere in Deo, quia Dominus est virtutum, id est exercituum, ac per hoc potentissimus; et simul est Deus Israel, id est, amator et protector populi sui, ac per hoc benignus, et qui non solum potest, sed etiam vult et solet defendere suos. Reddit postremo causam, cur id juste petat : « Quoniam, inquit, propter te sustinui opprobrium, » id est, hoc juste peto, quia ignominiam, quam passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum. Propter te, inquam, « operuit confusio faciem meam, » id est, propter gloriam tuam, ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, et alia id genus, quæ verecundia ac rubore vultum meum impleverunt.

Vers. 11. 11. EXTRANEUS FACTUS SUM FRATRIBUS MEIS, ET PEREGRINUS FILIIS MATRIS MEÆ.

Vers. 12. 12. QUONIAM ZELUS DOMUS TUÆ COMEDIT ME; ET OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME.

Explicat Propheta in persona Christi occasionem persecutionis Judæorum. Occasio enim fuit, quia Dominus reprehendebat mala opera eorum; sic enim ipse ait *Joan.* VII : « Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. » Et in libro *Sapient.* cap. II dictum est : « Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, » etc. Dicit igitur : « Extraneus factus sum fratribus meis, » id est, tanquam extraneum me reputaverunt fratres mei, Judæi; « et peregrinus filiis matris meæ, » id est, tanquam hospes vel alienigena existimatus sum a filiis matris meæ synagogæ. Et hoc est quod initio Evangelii scripsit S. Joannes : « In propria venit, et sui eum non receperunt. » Nam etiamsi dixerant *Joan.* VII : « Hunc scimus unde sit; » et Dominus eis : « Et me scitis, et unde sim scitis; » tamen *Joan.* IX dicunt : « Scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit, » id est, non novimus eum, extraneus est nobis.

Christus quomodo Judæis sit factus extraneus?

Reddit autem rationem cur tanquam extraneum eum habuerint, cum addit : « Quoniam zelus domus tuæ comedit me; » zelus enim domus Dei tum corporalis, id est, templi, quod profanabant Judæi negotiationibus; tum spiritualis, id est, congregationis fidelium, quam vitiis variis inquinabant, « comedebat, » id est, consumebat, urebat, dolore afficiebat ipsum : ac propterea ipse zelo illo permotus gravissime Judæos arguebat, ut perspicuum est ex cap. XXIII *Matth.*, et cap. XI *Luc.*, et cap. VIII *Joan.*; et sicut ipse juste eos arguebat, ut emendaret : sic vicissim illi eum blasphemabant, eique conviciabantur, dicentes : « Dæmonium habes, Samaritanus es; » et : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia; » et : « Scimus quia hic homo peccator est, » *Joan.* VIII; et ideo subjungit in Psalmo : « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Dicit autem : Opprobria exprobrantium tibi, quia injuriæ Filii pertinent ad Patrem, præsertim, cum in divinis Pater et Filius unum sint in essentia :

Injuriæ filii sunt communes patri

et quamvis communes essent omnes injuriæ Patri et Filio, tamen eæ præcipue pertinebant ad Patrem, quæ ad miracula pertinebant, quæ sunt opera divina, de quibus ipse dicebat : « Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam illa, testimonium perhibent de me, » *Joan.* V; et : « Pater in me manens ipse facit opera, » *Joan.* XIV. Illa ergo calumnia : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, » propriissime ad Patrem pertinebat, cum opera Dei, quæ Filius faciebat in nomine Patris sui, et quæ Pater per Filium operabatur, ipsi tribuerent diabolo. Ista ergo opprobria exprobrantium Patri cadebant super Filium, tum quia intentio Judæorum erat Filium calumniari, non Patrem; tum quia ipse Filius libenter super se accipiebat injurias quæ ad Patrem pertinebant, et in hoc sensu allegatur hic versiculus ab Apostolo *ad Rom.* XV.

Vers. 13. 13. ET OPERUI IN JEJUNIO ANIMAM MEAM, ET FACTUM EST IN OPPROBRIUM MIHI.

Vers. 14. 14. ET POSUI VESTIMENTUM MEUM CILICIUM, ET FACTUS SUM ILLIS IN PARABOLAM.

Prior versiculus obscurissimus est, tam quoad verba, quam quoad sententiam. Et obscurior etiam videtur esse juxta verba hebraica, ubi legimus : *Et flevi in jejunio animam meam*; neque satisfaciunt, qui contendunt lectionem puram esse in quodam codice Vaticano, ubi legitur : *Et incurvavi in jejunio animam meam;* et verba hebraica esse immutata, et pro אבכה *ebcheh*, legendum esse אכפף *echpeh* : isti, inquam, non satisfaciunt, tum quia Vulgata editio habet *et operui*, tum quia omnes tractatores græci et latini legunt *et operui*. Neque vox hebraica *echpeh* significat *incurvari*, ut ipsi volunt; non enim כפף *caphah*, sed חפף *chaphaph*, significat *incurvare*. Igitur, his omissis, primo *anima* ponitur pro toto homine, et *operui animam meam*, significat *operui me*, id est, operui caput meum jejunando. Operire autem caput jejunando est cum luctu et mœrore in signum humilitatis et pœnitentiæ jejunare; unde dicitur in alio *Psalm.* XXXIV : « Humiliabam in jejunio animam meam. » Quod autem lugentes et mœrentes solerent operire caput, perspicuum est ex multis locis Scripturæ sacræ, lib. II *Reg.* cap. XV : « Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus, et operto capite. » Et eodem lib. cap. XIX : « Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalon, Absalon fili mi! » *Esther.* cap. VI : « Aman festinavit in domum suam lugens, et operto capite. » Et de ritu jejunandi *Isai.* LVIII : « Numquid hoc est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum, et cinerem sternere? » ubi contorquere caput quasi circulum est caput cooperire undique, et tegmen arcte constringere. Atque hinc conciliari potest lectio hebraica cum græca et latina. Quod enim habetur in hebræo : *Et flevi in jejunio animam meam*, existimaverunt Septuaginta Interpretes, intelligendum esse non proprie de fletu, sed de signo et ritu fletus et doloris, et ideo verterunt, *operui in jejunio animam meam*. Neque est novum quod fletus accipiatur pro signo fletus : nam in Scriptura passim legimus defletos fuisse mortuos multis diebus; quod significat signa præcedentia molestissimi doloris multis diebus portata. Et quod legimus in Genesi

cap. ultimo, quod Ægyptus fleverit Jacobi patriarchæ mortem septuaginta diebus, sine dubio de signis luctus intelligitur, ut notat S. Hieronymus. Jam quod attinet ad sententiam, non legimus Christum jejunasse operto capite, neque saccum induisse, multo minus ea causa fuisse derisum; sed contra legimus dictum de eo, *Matth.* XI: « Ecce homo vorax et potator vini; » et discipulos ejus reprehensos, quod non jejunassent, ut discipuli S. Joannis et Pharisæorum jejunabant, *Matth.* IX. Jejunavit quidem Dominus quadraginta diebus in deserto, sed hoc fuit occultum jejunium, ut non potuerit inde opprobrium pati. Jejunavit quoque sæpissime totos dies occupatus in prædicatione, quemadmodum vigilabat sæpe totas noctes orationi vacans, sed non inde opprobrium illi accessit. Denique jejunavit in passione sua a vespera feriæ quintæ usque ad horam nonam feriæ sextæ, et ob defatigationem et flagella sine dubio esurivit et sitivit. Nec defuit ritus operiendi caput: nam spineo galero coopertus jejunavit, nec sine opprobrio, cum in fame sua felle cibatus, et in siti aceto potatus fuerit: tamen de cilicio, sive sacco nihil in Evangelio legimus. Quare cum S. Augustino duo isti versiculi exponendi esse videntur spiritualiter, ut per jejunium cum fletu et mœrore intelligamus esuriem et sitim ardentissimam salutis animarum, pro quibus angebatur et gemebat; per cilicium vero intelligatur caro mortalis et passibilis, qua Verbum indutum mundo apparuit, ut humilitate sua mortales adduceret ad contemptum rerum transeuntium, et desiderium æternarum: et ob ista opprobrium factus est, et fuit Judæis « in parabolam, » id est in irrisionem, inquit S. Augustinus. Parabola enim est similitudo quæ potest esse in bono et in malo, sed hoc loco intelligitur in malo, quomodo *Sap.* V, dicuntur sancti fuisse « in similitudinem improperii. » Fuisse autem Christum irrisum in terris, manifestum est; nam *Marc.* V, cum diceret: « Non est mortua puella, sed dormit, irridebant eum. » Et *Luc.* XVI, cum loqueretur de eleemosynis large faciendis, « audiebant Pharisæi avari, et deridebant eum. » In passione autem irrisus fuit a militibus, ab Herode, a principibus sacerdotum, et ab aliis.

Christus in Passione sua esurivit.

Parabola hic sumitur in malo.

Vers. 15. 15. ADVERSUM ME LOQUEBANTUR, QUI SEDEBANT IN PORTA; ET IN ME PSALLEBANT, QUI BIBEBANT VINUM.

Hæc est quasi appendix ad ea quæ dicta sunt, quasi dicat: Accedit præterea, quod « adversum me loquebantur qui sedebant in porta, » id est, principes ac judices in conciliis suis de interitu meo consultabant, et falsa testimonia quærebant, ac me denique ad mortem condemnabant. Judicia in portis civitatum apud Hebræos exercebantur; unde *Proverb.* XXXI: « Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ. » « Et in me psallebant qui bibebant vinum, » id est, non solum publice in conciliis, sed etiam privatim in domibus tempore conviviorum inter pocula de me garriebant, et cantabant ludentes et irridentes.

Vers. 16. 16. EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE, DOMINE: TEMPUS BENEPLACITI, DEUS.

Exposuit hactenus Propheta magnitudinem passionis Dominicæ; nunc exponit orationem Christi ad Patrem pro liberatione a tantis malis, de qua scribit Apostolus *ad Hebr.* V: « Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Ex quo intelligimus orationem Christi absolutam non fuisse, ut non pateretur, aut non moreretur, sed ut in passione vel morte non detineretur: in quo « exauditus fuit; » nam oratio illa fusa est in cruce, et mox emisso spiritu liberatus est a passione, et post triduum resurgens gloriosus liberatus est omnino a morte et omni tribulatione. « Ego, vero, inquit, orationem ad te, Domine, » id est, illi mihi insultabant, et opprobria in me jaciebant; « ego vero orationem » pro illis, et pro me tibi Deo Patri cum lacrymis offerebam, dicens: « Tempus beneplaciti, Deus, » id est, jam advenit tempus a te definitum, ut complaceat tibi me ab his cruciatibus liberare, et mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare. Hoc idem legimus *Joan.* XVI: « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum; » et *Joan.* XIX: « Consummatum est. »

Christi oratio non fuit ut non pateretur, aut non moreretur.

Vers. 17. 17. IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ EXAUDI ME, IN VERITATE SALUTIS TUÆ.

Pergit in oratione, ac petit ut quandoquidem jam venit tempus beneplaciti, exaudiat orationem ejus. « In multitudine misericordiæ, et in veritate salutis tuæ, » id est propter multitudinem misericordiæ, ex qua motus est ad promittendam reconciliationem per passionem Filii sui, et propter veritatem, id est, veracitatem et fidelitatem salutis, quia Deus non minus pius et misericors est in promittenda salute, quam fidelis et justus in præstanda salute, quam promisit.

Vers. 18. 18. ERIPE ME DE LUTO, UT NON INFIGAR: LIBERA ME AB IIS, QUI ODERUNT ME, ET DE PROFUNDIS AQUARUM.

Vers. 19. 19. NON ME DEMERGAT TEMPESTAS AQUÆ, NEQUE ABSORBEAT ME PROFUNDUM, NEQUE URGEAT SUPER ME PUTEUS OS SUUM.

Petit liberationem sub eadem metaphora aquarum, et luti, et tempestatis, de qua dixerat in primis tribus versiculis. « Eripe me de luto, ut non infigar, » id est, ut non tam alte infigar, ut non emergam; dixerat enim: « Infixus sum in limo profundi, » nunc petit non detineri in eo luto. « Libera me ab iis, qui oderunt me, » id est, ab iniquis persecutoribus; « et de profundis aquarum, » id est de magnis tribulationibus, in quas illi me conjecerunt. « Non me demergat tempes-

tas aquæ; » antea dixerat, « tempestas demersit me, » ideo nunc petit, non demergi, id est, non detineri in illa immersione; quod declarat, dicens : « Non ita me absorbeat profundum, » ut nunquam emergam. « Et non urgeat super me puteus os suum, » id est, non claudat puteus in quem cecidi os suum : nam, dum patet os putei, spes est evadendi; sed, clauso atque obturato ore putei, nihil nisi desperatio superest. Verbum hebraicum אטר *atar* proprie significat *claudere*, et sic legit S. Augustinus : *Non coarctet puteus os suum;* et exponit, *non claudat*. S. Hilarius legit : *Non contineat;* S. Hieronymus : *Non coronet;* quare nostra lectio, quæ habet : *Non urgeat,* exponenda est, *non comprimat os suum*, id est, *non claudat*. Quomodo etiam exponunt græcam vocem, συσχέτω, Theodoretus et Euthymius, id est, *non concludat*. In summa petit celerem resurrectionem a mortuis, et liberationem ab omni malo, primum sibi, deinde membris suis.

Vers. 20. 20. EXAUDI ME, DOMINE, QUONIAM BENIGNA EST MISERICORDIA TUA; SECUNDUM MULTITUDINEM MISERATIONUM TUARUM RESPICE IN ME.

Vers. 21. 21. ET NE AVERTAS FACIEM TUAM A PUERO TUO, QUONIAM TRIBULOR, VELOCITER EXAUDI ME.

Vers. 22. 22. INTENDE ANIMÆ MEÆ, ET LIBERA EAM; PROPTER INIMICOS MEOS ERIPE ME.

Multiplicat Propheta verba orationis in persona Christi patientis, ut ostendat magnitudinem passionis. « Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; » proponit tres rationes, ob quas debet exaudiri : unam ex parte misericordiæ Dei, alteram ex parte magnitudinis doloris sui, tertiam ex parte inimicorum persequentium. Prima ratio est in hoc versiculo, ubi dicitur misericordia Dei benigna et multa esse. S. Augustinus legit : *Quoniam suavis est misericordia tua;* et dicit misericordiam miseris suavissimam esse, quemadmodum cibus suavis est esurientibus, non autem saturis, a quibus contemnitur. Itaque vult sensum esse : « Exaudi me, Domine, quoniam » mihi in tribulatione constituto suavis « est misericordia tua; » jam enim incipio experimento discere, quam dulciter sapiat misericordia tua. In hebræo est vox generalis, nimirum טוב חסדך *tob chasdecha, bona est misericordia tua* : quæ vox potest et *benignam*, et *suavem* significare. Altera ratio est in sequenti versiculo : « Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me. » Nusquam Deus faciem suam avertit a Filio suo; sed visus est avertisse, quando eum in cruce pendentem in summis doloribus dereliquit, dicente ipso Domino : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Matth.* XXVII. Huc igitur respicit, cum dicit : « Ne avertas faciem tuam a puero tuo, » id est, ne diutius me in his doloribus derelinquas. Per vocem *puerum*, S. Augustinus intelligit *parvulum*, quia Christus « humiliavit se usque ad mortem, » et sic parvulum, abjectum et humilem se fecit. Vox hebraica מעבדך *mehhabdeca servum* significat, et est hoc loco valde ad rem, ut ostendat Christum in forma servi orasse, et dixisse : « Quoniam tribulor, » vehementissima videlicet, et intolerabili passione, « velociter exaudi me. » Tertia ratio est in sequenti versiculo : « Intende animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe me. » Quid petierit, cum ait : « Velociter exaudi me, » explicat per sequentia verba : « Intende animæ meæ, » id est, vitæ meæ ad extremum perductæ, et libera eam per celerem resurrectionem. Et subjungit rationem, quæ tertia est, ut diximus, cum ait : « Propter inimicos meos eripe me, » id est, eripe me a doloribus et a morte, resuscitans me in vitam immortalem, ut inimici mei videntes se prævalere non potuisse, vel confundantur, vel convertantur : quod factum esse legimus *Act.* II, ubi audientes populi Christum resurrexisse, et videntes id manifestissimis signis et prodigiis confirmari, multi compuncti dicere cœperunt : « Quid faciemus, viri fratres? » et conversi sunt ad tria millia. Alii obstinati in malo ita confusi sunt, ut dicerent, *Act.* IV : « Quid faciemus hominibus istis? quoniam notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem; manifestum est, et non possumus negare. »

Misericordia Dei quomodo suavis est?

23. TU SCIS IMPROPERIUM MEUM, ET CONFUSIONEM MEAM, ET REVERENTIAM MEAM. Vers. 23.

24. IN CONSPECTU TUO SUNT OMNES, QUI TRIBULANT ME; IMPROPERIUM EXPECTAVIT COR MEUM, ET MISERIAM. Vers. 24.

Vocat ipsum Deum in testem passionis suæ, ac præcipue ejus passionis, quæ in ignominia consistit : nobiles enim animi pluris faciunt ignominiam, quam dolorem corporis. « Tu, inquit, scis improperium meum, » id est, quæ improperia in me jaciant adversarii; « et confusionem meam, » id est, confusionem, quæ nascitur ex opprobriis : confunditur enim apud alios, non solum qui culpam veram agnoscit, sed etiam qui sine culpa est, sed videt credi ab aliis crimina, quæ sibi falso objiciuntur. « Et reverentiam meam, » id est, verecundiam, quæ ex confusione oriri solet : erubescunt enim, qui apud alios confunduntur, etiamsi injuste confundantur. In hebræo est vox כלמתי *chelimmah*, quæ *verecundiam* significat, et *verecundiam* in hoc loco legunt S. Hilarius, S. Augustinus, Euthymius et alii : quare vox *reverentia*, quæ habetur in nostra editione, non significat reverentiam quæ debebatur Christo, sed reverentiam quam ipse in se habebat, id est, erubescentiam et verecundiam. « In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, » id est, sicut non te latet afflictio mea, ita non te latent, qui me affligunt : a quibus nihil exspectare possum, nisi improperium et miseriam; sicut semper exspec-

tavit cor meum, multo antea quam advenirent. Ex hebræo S. Hieronymus vertit : *Opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum.* Sed facile est videre quid Septuaginta legerint, ut verterent : *Improperium exspectavit cor meum, et miseriam;* nam שבר *shabar*, si legatur cum puncto in dextro cornu, significat *contritum est*, ut vertit S. Hieronymus ; sed si legatur *sabar*, cum puncto in sinistro, significat *exspectavit*, et sic legerunt Septuaginta. Sic etiam vox hebraica אנושה *anuschah*, et nomen esse potest, et verbum : si nomen sit, ut Septuaginta crediderunt, ταλαιπωρίαν significat *gravem afflictionem*, quam ipsi *miseriam* dixerunt; si verbum sit, ut credidit S. Hieronymus, significat *valde dolui;* vel etiam, ut ipse vertit, *desperatus sum.* Itaque lectio græca et latina non discordat ab hebraica, si legatur, ut eam Septuaginta Interpretes legerunt.

Vers. 25. 25. ET SUSTINUI, QUI SIMUL CONTRISTARETUR, ET NON FUIT; ET QUI CONSOLARETUR, ET NON INVENI.

Vers. 26. 26. ET DEDERUNT IN ESCAM MEAM FEL, ET IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO.

Quomodo defuerunt, qui Christo condolerent?

Addit ad extremum, in tantis passionibus suis, non solum se nullum habuisse consolatorem et compatientem, sed in fame fel sibi datum in escam, et in siti acetum in potum. Non defuerunt, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt, qui simul cum illo contristarentur, id est, ob eam causam tristarentur, unde ipse tristabatur. Nam Apostoli et piæ mulieres tristabantur ob mortem Christi temporalem; ipse vero tristabatur ob mortem spiritualem, et spiritualem cæcitatem Judæorum, qui insaniebant in medicum, qui venerat curare eos. « Sic etiam quæsivit consolantem, et non invenit, » quia consolatio, quam quærebat, erat conversio impiorum. In passione autem ejus multi perversi sunt; pauci, aut nulli conversi. Nam latro conversus quidem est, sed sub finem passionis; at in ipsa passione turbæ clamarunt *Joan.* x : « Tolle, tolle, crucifige eum; » Apostoli, scandalum passi, fugerunt, Petrus negavit, Judas desperavit. Quod autem dicitur de felle dato in escam, ad litteram non legitur in Scriptura, quia *Matth.* XXVII, fit quidem mentio fellis, sed dati in potum, non in escam : « Dederunt, inquit, ei bibere vinum cum felle mixtum; » et fortasse non fuit proprie fel, quia erat potio amara. Marcus enim, cap. XV, hoc idem referens dicit : « Dabant ei bibere myrrhatum vinum, » et hæc est causa fortasse, cur Matthæus non allegaverit scripturam istam Psalmi, ut semper solet diligenter notare, quando scriptura aliqua impletur in actionibus et passionibus Christi. Probabile igitur est, escam istam fellis intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quæ Christo in passione jejunanti loco cibi ingesta est. Quod denique dicitur de potu aceti, non solum spiritualiter, sed etiam ad litteram impletum est, ut perspicuum est ex cap. XIX *Joan.*, ubi notat Evangelista Christum dixisse : « Sitio, » et accepisse acetum sibi in spongia porrectum, ut impleretur Scriptura. Scriptura autem implenda hæc erat : « In siti mea potaverunt me aceto. »

Vers. 27. 27. FIAT MENSA EORUM CORAM IPSIS IN LAQUEUM, ET IN RETRIBUTIONES, ET IN SCANDALUM.

Vers. 28. 28. OBSCURENTUR OCULI EORUM, NE VIDEANT; ET DORSUM EORUM SEMPER INCURVA.

Vers. 29. 29. EFFUNDE SUPER EOS IRAM TUAM, ET FUROR IRÆ TUÆ COMPREHENDAT EOS.

Vers. 30. 30. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA, ET IN TABERNACULIS EORUM NON SIT, QUI INHABITET.

Incipit nunc Propheta, per modum imprecationis, prædicere mala quæ eventura erant Judæis ob ingratitudinem et crudelitatem in Christum, qui ad eos missus fuerat Salvator et Redemptor. Describit autem pœnas spirituales et corporales, quas in Judæis manifestissime cernimus : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum ; » per mensam intelligunt Patres lectionem Scripturarum, unde pascuntur animæ fidelium veritate divina. Vocat autem mensam, ut opponat escæ fellis, quasi dicat : Illi mihi dederunt fel in escam, tu facies ut eorum mensa et esca vertatur eis in laqueum. Hæc mensa coram Judæis est, quia assidue legunt Mosem et Prophetas, sed facta est illis in laqueum, quia perperam intelligentes capiuntur laqueo infidelitatis, et illa ipsa Scriptura, quæ fideliter considerata poterat eis salutem adferre, adfert eis perditionem, quia detinet illos in incredulitate. Eadem facta est illis « in retrib utiones, » quia quod mensa Scripturarum versa sit illis in laqueum, permisit Deus, ut retribueret illis quod merebantur. Nam justum est, ut qui lucem aspicere noluerunt, in tenebris maneant. Facta quoque est illis « in scandalum, » quia lapidem angularem a Deo missum, non cognoverunt, sed in eum potius impegerunt et offenderunt; unde factus est illis « lapis offensionis, et petra scandali, » *Isai.* VIII, et *Rom.* IX. « Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. » Hæc est radix malorum supradictorum, quia permittente Deo depravatus est intellectus, et affectus eorum. « Obscurati sunt oculi eorum » interiores; imo « velamen est super cor eorum, » teste Paulo II *Cor.* III; « imo excæcati sunt, » ut dicitur *Isai.* cap. VI, *Matth.* XIII, *Joan.* XII et *Rom.* XI. Depravatus quoque est eorum affectus, ut nihil appetant, nisi terrena; quod significat illud : « Dorsum eorum semper incurva, » id est, te permittente, ac per hoc puniente eorum ingratitudinem, semper curvi incedent, ut nihil nisi terram aspiciant. Ut autem intelligamus hanc eorum cæcitatem et pravitatem de ira Dei descendere, subjungit Propheta : « Effunde iram tuam super eos, » id est, effundes super eos iram tuam : quod Apostolus confirmat, I *Thessal.* II : « Qui Dominum oc-

Mensa est lectio Scripturarum.

Scriptura Judæis est in laqueum.

ciderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent,» etc. Et paulo post : « Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.» Ex hac ira Dei processit spiritualis plaga primum, deinde etiam temporalis, quia expulsi de terra promissionis toto orbe exules, et profugi vagantur; quod subjungit Propheta, dicens : « Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui in tabernaculis eorum inhabitet : » id impletum est ad litteram, cum Tito imperatore jubente eversa est Jerusalem, et inhabitabilis reddita; postea vero reædificata quidem est, et habitari cœpta, sed a Gentilibus, vel Christianis, vel Saracenis, non autem a Judæis. Unde quod ad Judæos attinet, adhuc deserta est, quia ibi non permittuntur habitare, nisi pauci admodum; prædixit hoc etiam Dominus, *Matth.* cap. XXIII : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. »

Vers. 31. 31. QUONIAM QUEM TU PERCUSSISTI, PERSECUTI SUNT; ET SUPER DOLOREM VULNERUM MEORUM ADDIDERUNT.

Vers. 32. 32. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM EORUM, ET NON INTRENT IN JUSTITIAM TUAM.

Vers. 33. 33. DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, ET CUM JUSTIS NON SCRIBANTUR.

Quemadmodum paulo ante propter escam fellis Christo exhibitam, Judæi puniti sunt, ut mensa eorum fieret illis in laqueum : ita nunc dicit Propheta Judæos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata eorum, quemadmodum ipsi addiderunt Christo pœnas ad pœnas, et dolores ad dolores. Sed explicandum est quomodo sit intelligendum, Judæos « persecutos esse, quem Deus percussit, » et « addidisse dolores super dolores vulnerum Deo percutiente acceptorum : » Deus enim non videtur percussisse Christum, nisi permittendo ut a Judæis percuteretur; proinde videntur eadem omnino vulnera fuisse, quæ Christus a Deo et a Judæis accepit. Sciendum igitur est quamdam percussionem et quædam vulnera a solo Deo inflicta fuisse Christo sine ulla cooperatione Judæorum : aliam fuisse percussionem, et alia vulnera a Judæis proprie Christo inflicta, Deo permittente, et ut illa Christus pateretur, decernente et volente. Percussio et vulnera a Deo inflicta, sine cooperatione Judæorum, fuit assumptio carnis passibilis et mortalis; unde secuta est fames, sitis, fatigatio, frigoris et æstus perpessio, et alia permulta incommoda. Porro incarnatio, unde ista secuta sunt, facta est opera Spiritus Sancti; ac per hoc Deus solus Christum percussit, dum sine culpa ejus propria, tam multas peccati originalis pœnas illum subire voluit. Ad has pœnas, sive percussiones addiderunt Judæi persecutiones et vulnera. Nam etiamsi Deus definito consilio voluerit Christum illa pati, et bene usus sit mala voluntate Judæorum, tamen vere et proprie Judæi ex propria malignitate et invidia Christum persecuti sunt, et vulneribus ac morte affecerunt. Ait igitur Propheta : « Quoniam quem tu percussisti, » mittens in mundum in similitudinem carnis peccati, fami et siti, frigori et æstui, aliisque innumerabilibus incommodis obnoxium; « persecuti sunt » calumniis, conviciis, falsis testimoniis. « Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, » id est, super dolorem quem capiebam ex consideratione innumerabilium peccatorum, quæ quasi vulnera mea essent curanda et purganda susceperam, « addiderunt » dolorem flagellorum, spinarum, clavorum; et cum jam mortuus essem, « addiderunt » vulnus lateris mei; et cum e sepulcro surrexissem, et in me quid amplius facerent, non haberent, addiderunt persequi, et vulnerare me in membris meis, discipulos meos lapidando et occidendo. In hebræo habetur, *et super dolorem vulnerum tuorum narraverunt,* vel *numeraverunt.* Sed idem est sensus, nam vulnera illa dici possunt a Christo vulnera mea, et vulnera tua : mea, quia mihi inflicta; tua, quia a te inflicta. Illud autem, *narraverunt,* vel *numeraverunt,* a Septuaginta acceptum est in significationem numerationis, non narrationis; et ideo verterunt, *addiderunt* : quia idem est addere ad numerum percussionum, seu vulnerum, et numerare super vulnera et percussiones; non enim quis potest numerare super vulnera inflicta, nisi addendo nova vulnera. « Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. » Quoniam, inquit, illi addiderunt vulnera super vulnera, ideo tu, juste Judex, « appone iniquitatem super iniquitatem » id est, justo judicio tuo non eos liberes a prima iniquitate, sed sine ut addant iniquitatem ad iniquitatem, sine ut impleant mensuram patrum suorum, *Matth.* XXIII : « Ut veniat super illos omnis sanguis justus. » Dicitur enim Deus facere, quando permittit fieri id quod sine ejus permissione non fieret, et hoc non casu, sed ex certo decreto ad punienda peccata eorum, qui merentur sic deseri et excæcari : nulla enim est pœna gravior, quam cum peccatum est pœna peccati. De qua re vide S. Augustinum lib. IV *in Julianum.* « Et non intrent in justitiam tuam. » Hæc est explicatio superiorum verborum : illi enim, qui non intrant in justitiam Dei, id est, qui non admittuntur ad justificationem, quam Dei gratia gratis operatur in vasis misericordiæ, illi de peccato in peccatum ruunt, et peccata peccatis opponunt. « Deleantur de libro viventium. » Aliqui hæc exponunt de libro vitæ temporalis, ut deleri de libro viventium, nihil sit aliud, nisi interfici. Sed huic expositioni repugnant verba sequentia : « Et cum justis non scribantur; » nam ex usu Psalmorum una pars versiculi alteram explicat : proinde idem esse videtur, *deleri de libro viventium,* et *non scribi in libro justorum*, ut per *deleri*, vel *non scribi*, intelligatur *non computari*; et per *viventes* intelligantur justi, qui soli vere vivunt, cum injusti mortui sint in peccatis et delictis suis. S. Augustinus

Vulnera Christo inflicta a Deo non a Judæis.

intelligit hæc omnia de libro æternæ prædestinationis, de quo deleri dicuntur, qui tandem intelligunt se in eo scriptos non fuisse. Sed quoniam liber ille vitæ ante merita prævisa scriptus fuit, ut in primis S. Augustinus affirmat, non video quomodo in pœnam istorum nunc dicatur : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. » Probabilior videtur eorum sententia, qui per librum viventium et justorum intelligunt librum populi Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera justificatio contingit, et qui sunt filii et hæredes. Vere enim Judæi, qui olim erant populus Dei, nunc deleti de libro viventium et justorum, non sunt amplius populus Dei, neque partem habent in hæreditate filiorum Dei : et contra Gentiles, qui non erant populus Dei, per fidem in Christum cœperunt esse populus Dei, et partem habere in regno Dei. Hoc prædixit Ezechiel cap. XIII : « In concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur. » Et Daniel cap. IX : « Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. » Et Osee I : « Non populus meus, et ego non ero vester Deus. » Et Dominus in Evangelio sæpissime hoc prædixit Judæis, fore, « ut auferretur ab eis regnum Dei, et filii regni ejicerentur foras; et in locum eorum venirent gentes ab oriente et occidente, et recumberent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. » Hanc expositionem attingit breviter S. Hilarius, sed fusius S. Hieronymus, qui dicit Judæos persecutores Christi deletos esse de libro in quo scribebantur Patriarchæ et Prophetæ, et non esse scriptos in libro eorum, qui justificantur per fidem Christi, quorum nomina scripta sunt in cœlis.

Liber viventium quis sit?

Vers. 34. **34. EGO SUM PAUPER ET DOLENS : SALUS TUA, DEUS, SUSCEPIT ME.**

Nunc tandem in fine Psalmi prædicit Propheta Christi gloriam, et Ecclesiæ ædificationem. Loquitur autem in persona ipsius Christi, ut etiam in superioribus fecit. « Ego, inquit Dominus, sum pauper et dolens, » id est, in cruce fui pauper et dolens, nudus vestibus, coopertus plagis. Ita nihil habuit ex hoc nostro mundo exiens, nisi mala nostra, exemplum nobis præbens, ut sequamur vestigia ejus, contemnentes cum gaudio bona mundi, et tolerantes cum patientia mala mundi. « Salus tua, Deus, suscepit me; » cum talis essem, egens bonis, dives malis, salus tua me resuscitans a mortuis abstersit omnia mala, replevit omnibus bonis. Quid enim mali hærere possit in eo quem ipsa salus suscipit, et undique complectitur? In hebræo non est verbum *sum*, sed *ego pauper et dolens :* debet autem illud verbum explicari accommodate ad sententiam, ut sensus sit : Ego pauper et dolens, vel : Ego sum ille pauper et dolens, quem salus tua suscepit.

Vers. 35. **35. LAUDABO NOMEN DEI CUM CANTICO, ET MAGNIFICABO EUM IN LAUDE.**

Christus in forma hominis resuscitatus, et glorificatus a Deo Patre, gratias illi agit, et aget in æternum; ideo dicit : « Laudabo nomen Dei cum cantico, » defunctus videlicet laboribus et doloribus, non cessabo laudare nomen Dei, id est, potentiam Dei, « cum cantico, » id est, cum lætitia et gaudio. « Et magnificabo eum in laude, » quod est idem aliis verbis repetitum, ad effectum indicandum.

Vers. 36. **36. ET PLACEBIT DEO SUPER VITULUM NOVELLUM, CORNUA PRODUCENTEM ET UNGULAS.**

Sacrificium laudis in cœlo exhibitum Deo, multo est excellentius sacrificiis, quæ in lege præstantissima habebantur : sacrificium enim omnium præstantissimum erat immolatio vituli juvenis, incipientis cornua et ungulas emittere. Ideo dicit : « Et placebit Deo » canticum meum « super vitulum novellum, » id est, magis quam placeat immolatio vituli juvenis; atque ad significandum non debilem ac tenerum, sed perfectum et validum, adjungit, « cornua producentem et ungulas. » In hebræo est elegans allusio nominum : nam canticum vocavit *shir*, vitulum vocavit *shor*, quasi dicat : Magis placebit *shir*, quam שור *shor*, id est, *canticum*, quam *vitulus*; sive, sacrificium laudis, quam sacrificium pecoris.

Vers. 37. **37. VIDEANT PAUPERES, ET LÆTENTUR; QUÆRITE DEUM, ET VIVET ANIMA VESTRA.**

Laudationi admiscet exhortationem. « Videant, » inquit, id est, intelligant et considerent hæc « pauperes, et lætentur » in paupertate sua. Alloquitur autem pauperes sibi similes, qui magis voluntate, quam necessitate sunt pauperes; qui, si divitias forte possident, habent eas ad dispensandas secundum voluntatem Dei, ut œconomi, non ut domini; ad promerendum, non ad superbiendum; ad opera charitatis, non ad passiones desiderii; denique, qui non minori lætitia dicant : « Sit nomen Domini benedictum, » cum egent, quam cum abundant. « Quærite Deum, et vivet anima vestra. » O vos, pauperes spiritu, qui terrena despicitis omnia, tanto onere levati, erigite animum, quærite Deum, et anima vestra, quæ ex rebus caducis vivere non potest, vere vivet. « Cavete (inquit Dominus *Luc.* XII) ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet. » Contra autem de Deo dicitur : « In ipso vita erat, » *Joan.* cap. I; et in *Psalm.* XXXV : « Apud te est fons vitæ. » Et *Eccli.* I : « Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis; » et *Prov.* VIII : « Qui me invenerit, inveniet vitam. » Nam animæ rationali vivere, sapere est : tunc autem sapientissima erit anima, ac per hoc perfectissime vivet, cum primam atque altissimam causam in seipsa sine ullo medio cernet. Ergo quæ-

Animæ rationali vivere, super est.

rite Deum per viam mandatorum ejus incedendo, et non declinando ad dexteram, vel sinistram, et cum perveneritis, vivet anima vestra.

Vers. 33. 38. QUONIAM EXAUDIVIT PAUPERES DOMINUS, ET VINCTOS SUOS NON DESPEXIT.

Reddit rationem cur bonum sit quærere Deum, ut vivamus : et ratio sumpta est ab experimento sanctorum patrum, quos Christus descensu suo ad inferos visitavit. Illi enim diu quæsierunt Deum, et primi fuerunt, qui eum per Christum vitæ æternæ aditu patefacto, invenerunt, et ex ejus visione vitam æternam acceperunt. « Quoniam, inquit, exaudivit pauperes Dominus. » Patriarchæ enim et Prophetæ omnes pauperes spiritu fuerunt, et in hoc mundo, tanquam hospites et peregrini habitaverunt, patriam cœlestem inquirentes, ut dicit Apostolus *ad Hebr.* XI. Hos ergo pauperes exaudivit Dominus, et quia exaudivit, « vinctos suos non despexit. » Iidem enim ipsi vincti erant, et quasi compediti, quoniam ex inferno ad cœlestem patriam transire non poterant, nisi Christus inferni claustra perrumperet, vectesque ferreos sua morte confringeret.

Vers. 39. 39. LAUDENT ILLUM CŒLI ET TERRA, MARE ET OMNIA REPTILIA IN EIS.

Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur. « Laudent illum (Deum videlicet) cœli, terra, et mare, et omnes qui habitant in eis. » Meminit autem proprie « reptilium, » quæ degunt in aquis; non autem angelorum, qui degunt in cœlis, et hominum, qui vivunt in terris : quoniam dubium esse non poterat an angeli et homines ad laudem Dei excitarentur.

Vers. 40. 40. QUONIAM DEUS SALVAM FACIET SION, ET ÆDIFICABUNTUR CIVITATES JUDA.

Hic jam prædicitur ædificatio Ecclesiæ, quæ passionem et resurrectionem Christi consecuta est; vel, ut alii volunt, ædificatio cœlestis Jerusalem, vel utrumque simul. « Quoniam Deus salvam faciet Sion, » id est, Ecclesiam suam primitivam ex Judæis collectam, id est, cœtum illum Apostolorum ac discipulorum primorum salvabit ab omni periculo et persecutione in terris, et postea salvabit illam perfecta salute in cœlis. « Et ædificabuntur civitates Juda, » id est, propagabitur prima illa Ecclesia, dum multi lapides vivi accedent, et multæ Ecclesiæ toto orbe ædificabuntur, quæ dicuntur civitates Judæ, id est confessionis, quia confessio veræ fidei Ecclesiam ædificat et propagat : *Juda* enim confessionem significat.

Vers. 41. 41. ET INHABITABUNT IBI, ET HÆREDITATE ACQUIRENT EAM.

Vers. 42. 42. ET SEMEN SERVORUM EJUS POSSIDEBIT EAM, ET QUI DILIGUNT NOMEN EJUS HABITABUNT IN EA.

Ecclesiæ beatitudo et firmitas prædicitur.

Hic vero prædicitur firmitas, et beatitudo Ecclesiæ. Nam civitates Juda, id est, cives civitatum Juda, « habitabunt ibi, » id est, in Sion. « Et hæreditate acquirent eam : » omnes enim veri fideles Ecclesiarum particularium adhærent Ecclesiæ apostolicæ, quæ est Sion, « et hæreditate acquirent eam. » Ad quam hæreditatem non pertinent sectæ hæreticorum et schismaticorum. Et isti iidem veri fideles, si permanserint in fide, « quæ per dilectionem operatur, » *Galat.* V, inhabitabunt quoque Sion cœlestem, « et hæreditate acquirent eam, » quia, « si filii, et hæredes, » ut ait Paulus *Rom.* VIII. « Et semen servorum ejus possidebit eam, » id est, istam Sion, sive in terris, sive in cœlis, non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum. Non enim perit Ecclesia Christi, quæ fundata est supra firmam petram. « Et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea, » id est, illi ex posteritate fidelium permanenter habitabunt in Ecclesia, et pervenient ad cœlestem Sion, « qui diligunt nomen ejus. » Qui enim sine charitate invenientur in fine, tanquam paleæ segregabuntur a frumento, et igni tradentur, ut comburantur. Salus enim æterna charitatis est præmium, dicente apostolo Jacobo, cap. I : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. » Poterunt igitur ad tempus cum sola fide, absque charitate, peccatores cum justis esse in Ecclesia, ut paleæ cum tritico in area, et pisces boni cum malis in rete; sed non permanebunt usque in finem, neque hæreditate acquirent cœlestem Sion, ut in æternum habitent in ea.

PSALMUS LXX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *In finem, Psalmus David.*
1. *In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.*

V. S. H. — *Victori David ad recordandum.*

2. Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina.

Deus, ut liberes me : Domine, ut auxilieris mihi, festina.

3. Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.

Confundantur et erubescant, qui quærunt animam meam.

4. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge.

5. Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

6. Ego vero egenus, et pauper sum : Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu : Domine, ne moreris.

Convertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt malum mihi.

Revertantur ad vestigium confusionis suæ, qui dicunt : Vah! vah!

Gaudeant et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper : Magnificetur Deus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem egenus et pauper; Deus, festina pro me :

Auxilium meum et salvator meus tu. Domine, ne moreris.

Argumentum. — Vid. quæ Psalmo XL præmisimus. Ἀποσπασμάτιον hujus Psalmi videtur ad hoc destinatum, ut certis quibusdam temporibus aut occasionibus in templo inter sacra decantaretur.

1. Præcentori, Davidis *carmen,* ad revocandum *eum* in memoriam *Jovæ.*

2. Deus, ad liberandum me;
Jova, ad auxilium meum festina.
3. Pudore afficiantur et erubescant,
qui appetunt vitam meam;
cedant retro et contumelia afficiantur,
qui volunt malum meum.
4. Revertantur propter pudorem suum,
qui dicunt : Eia! eia!
5. Exsultent et lætentur de te,
quicumque te quærunt;
dicant continuo : Magnus est Jova!
qui amant auxilium tuum.
6. Et ego afflictus sum et pauper,
Deus, propera mihi;
auxilium meum et liberator meus *es* tu;
Jova, ne moreris.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David, in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

In hoc titulo apud Hebræos habetur tantum : « In finem David in rememorationem; » sed Septuaginta Interpretes addiderunt, explicandi gratia illa verba, « quod salvum fecerit eum Dominus. » Quod enim quidam bonus auctor, sed modernus, scripsit, a Septuaginta Interpretibus posita fuisse in titulo aliqua verba primi versiculi, non est probabile, tum quia in hebræo non ponitur in titulo pars ulla primi versiculi; tum quia in primo versiculo mentio fit auxilii, non salutis : quæ tamen expresse nominatur in titulo; tum denique quia si ulla pars primi versiculi pertineret ad titulum, certe prima esset; at prima pars, videlicet : « Deus, in adjutorium meum intende, » in omnibus codicibus, hebraicis, græcis et latinis invenitur in principio Psalmi, non in titulo. Argumentum Psalmi idem est cum argumento Psalmi trigesimi noni, cujus sex ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis versiculis hujus Psalmi. Igitur continet hic Psalmus orationem Christi in cruce pendentis pro salute sua, id est pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. Dicitur autem Psalmus

compositus in rememorationem salutis acceptæ ; quoniam David spiritu prophetico, ut prævidit orationem Christi pro salute fundendam, sic etiam prævidit salutem sine dubio secuturam, et in ejus memoriam Psalmum Deo cecinit.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS, IN ADJUTORIUM MEUM INTENDE : DOMINE, AD ADJUVANDUM ME FESTINA.

Hic versiculus in Ecclesia catholica celeberrimus est : inde enim incipiunt Officia divina omnium horarum. Quamvis enim præcipue conveniat Christo in cruce pendenti, potest tamen usurpari ab omnibus fidelibus in periculo versantibus; et quoniam semper in multis magnisque periculis versamur, dum peregrinamur a Domino, et « dum adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, » ut scribit B. Petrus I *Epist.* cap. v; ideo non solum licet, sed etiam expedit assidue hunc versiculum frequentare : ad quod faciendum hortatur monachos Joannes Cassianus *Collat.* X, cap. IX, ubi fusissime persequitur utilitatem et virtutem hujus versiculi. Petitur igitur in hoc versiculo auxilium Dei magnum et velox, ad avertendum malum grave et imminens; de priore dicit : « Deus, in adjutorium meum intende, » id est, incumbe diligenter in me juvando, ut gravitas mali requirit; de posteriore dicit : « Domine, ad adjuvandum me festina, » id est, non solum diligenter incumbas in me juvando, sed etiam velociter, et nulla interposita mora, quoniam periculum imminet. S. Hilarius et S. Augustinus exponunt solum prima illa verba : « Deus, in adjutorium meum intende. » Reliqua ejusdem versiculi omittunt : quæ fuit causa cur auctor ille, de quo supra locuti sumus, existimaverit posteriora verba hujus versiculi non fuisse apud Hilarium et Augustinum in ipso Psalmo, sed in titulo. Sed apud Hilarium invenitur integer titulus, et integer Psalmus descriptus, et in primo versiculo non desunt illa verba : « Domine, ad adjuvandum me festina. » Cur autem non exposuerint hæc verba SS. Hilarius et Augustinus, ratio est, quia sunt eadem cum superioribus, præsertim si quis consulat hebræum textum, ubi unicum est verbum, hoc modo : *Deus, ad me liberandum; Domine, ad adjuvandum me festina.*

Hic versiculus cur toties in Ecclesia repetatur?

Vers. 2. 2. CONFUNDANTUR ET REVEREANTUR, QUI QUÆRUNT ANIMAM MEAM.

Hic versiculus idem est cum versiculo 19 Psalmi XXXIX, et sensus est, ut per Christi resurrectionem, et fidelium liberationem de potestate inimicorum, inimici videntes se frustra laborasse, confundantur et erubescant, quod partim jam est factum, partim complebitur in novissimo die.

Vers. 3. 3. AVERTANTUR RETRORSUM, ET ERUBESCANT, QUI VOLUNT MIHI MALA.

Idem est hic versiculus cum versiculo 20 Psalmi XXXIX, nisi quod hic dicitur : « Avertantur, » ibi, « convertantur. » Sed idem est sensus, repetitio videlicet ejusdem precationis ad rem magis explicandam et confirmandam.

Vers. 4. 4. AVERTANTUR STATIM ERUBESCENTES, QUI DICUNT MIHI : EUGE, EUGE.

Et hic versiculus idem est, quoad sensum, cum versiculo 21 Psalmi XXXIX, ubi res eadem tertio repetitur, ut videlicet hostes Christi et Ecclesiæ cito confundantur, qui nunc exsultant dicentes inter se : « Euge, euge. »

Vers. 5. 5. EXULTENT, ET LÆTENTUR IN TE OMNES QUI QUÆRUNT TE; ET DICANT SEMPER : MAGNIFICETUR DOMINUS, QUI DILIGUNT SALUTARE TUUM.

Idem est hic versiculus cum versiculo 22 Psalmi XXXIX, in quo per modum precationis prædicitur victoria, et exaltatio Christi et Ecclesiæ.

Vers. 6. 6. EGO VERO EGENUS, ET PAUPER SUM : DEUS, ADJUVA ME.

Hic quoque idem est cum versiculo 23 Psalmi XXXIX, in quo revertitur Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cum vere pauper et nudus Patri dicebat : Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Vers. 7. 7. ADJUTOR MEUS, ET LIBERATOR MEUS ES TU : DOMINE, NE MORERIS.

Hic denique versiculus idem est cum ultimo versiculo Psalmi XXXIX, in quo repetitur prima petitio celeris auxilii. Vide plura in explicatione Psalmi XXXIX.

PSALMUS LXXI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Psalmus David.* 1. *Filiorum Jonadab, et priorum captivorum.*

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

V. S. H.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum [*h. in sæculum*].

2. In justitia tua libera me, et eripe me. Inclina ad me aurem tuam, et salva me.

3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.

4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui :

5. Quoniam tu es patientia mea, Domine : Domine, spes mea a juventute mea.

6. In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper. 7. Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

9. Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,

11. Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum; quia non est qui eripiat.

12. Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice.

13. Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ; operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.

15. Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam 16. introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

17. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

18. Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me,

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est;

Potentiam tuam, 19. et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus quis similis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas; et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

In justitia tua erue me, et libera me : inclina ad me aurem tuam, et salva me.

Esto mihi robustum habitaculum, ut ingrediar jugiter; præcepisti ut salvares me, quia petra mea et fortitudo mea es tu.

Deus meus, salva me de manu impii, de manu iniqui et nocentis.

Quia tu es exspectatio mea, Domine Deus, fiducia mea ab adolescentia mea.

A te sustentatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus : in te laus mea jugiter.

Quasi portentum factus sum multis, et tu spes mea fortissime.

Impleatur os meum laude tua, tota die magnitudine tua.

Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit [al. *defuerit*] fortitudo mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : et qui observabant animam meam, inierunt consilium pariter.

Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eruat.

Deus, ne elongeris a me : Deus meus, ad auxilium meum festina.

Confundantur, consumantur adversarii animæ meæ.

Operiantur opprobrio et confusione, qui quærunt malum mihi.

Ego autem jugiter exspectabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum narrabit justitiam tuam, tota die salutare tuum : quia non cognovi litteraturas.

Ingrediar in fortitudines Domini Dei : recordabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me ab adolescentia mea, et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.

Insuper et usque ad senectutem et canos Deus, ne derelinquas me :

Donec annuntiem brachium tuum generationi, cunctisque qui venturi sunt fortitudinem tuam.

Et justitiam tuam Deus usque in excelsum, quanta [*h. quæ*] fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi [al. *tui*]?

Quia ostendisti nobis tribulationes plurimas et malas; et conversus vivificabis nos, et de abyssis terræ rursum educes nos.

21. Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.

22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : Deus, psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.

23. Exultabunt labia mea cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti.

24. Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Multiplicabis magnitudinem meam, et conversus consolaberis me.

Ego autem confitebor tibi in vasis psalterii veritatem tuam, Deus meus : cantabo [*h. psallam*] tibi in cithara, Sancte Israel.

Laudabunt labia mea cum cantavero [*h. psallero*] tibi, et anima mea, quam redemisti.

Insuper et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : quia confusi sunt, et dehonestati quærentes malum mihi.

Argumentum. — Hunc Psalmum a Davide, ut videtur, compositum filii Jonadab (*Jerem.* xxxv) suæ conditioni accommodarunt, additis vers. 20-24. Post exordium, vers. 1-3, duæ sequuntur strophæ : vers. 4-13, ab adversariis vitæ meæ insidiantibus defende me senem, o Jova, in quo inde ab initio ætatis spem repositam habui; vers. 14-24, pro hoc tuo beneficio summis te efferam laudibus, maximas agam gratias.

1. In te, Jova, fiduciam colloco;
   ne pudore afficiar in perpetuum.
2. Justitia tua eripe me et libera me,
   inclina ad me aurem tuam et salva me.
3. Esto mihi in petram domicilii,
   ad veniendum *illuc tutus* perpetuo,
   tu, qui constituisti salvum me facere :
   nam rupes mea et arx (sive *cacumen*) mea tu *es*.

4. Mi Deus, libera me e manu improbi,
   e manu agentis prave et violenter.
5. Nam tu *es* spes mea, Domine;
   Tu, Jova, fiducia mea a juventute mea.
6. Super te innixus sum ab utero,
   e visceribus matris meæ tu *fuisti* transire meum (in lucem);
   de te laus mea perpetuo.
7. Prodigii instar sum multis,
   tu vero refugium meum firmum.
8. Plenum est (alii, *sit*) os meum laudationis tuæ,
   toto die gloriationis tuæ.
9. Ne rejicias me tempore senectutis;
   cum consumuntur vires meæ, ne deseras me.
10. Nam loquuntur hostes mei de me ;
    et qui observant animam meam (mihi insidiantur), deliberant una
11. dicentes : Deus deseruit eum,
    persequimini, prehendite eum : nam non est qui liberet.
12. Deus, ne sis procul a me;
    Mi Deus, ad auxilium meum festina.
13. Pudore afficiantur, pereant hostes animæ meæ ;
    induant probrum et contumeliam qui quærunt malum meum.

14. Ego vero semper sperabo,
    et addam ad omnem laudationem tuam.

15. Os meum enarrabit justitiam tuam,
omni die salutem tuam :
nam non novi numeros.
16. Ingrediar cum facinoribus Adonai Jovæ,
celebrabo justitiam tuam solum.
17. Deus, docuisti me inde a juventute mea,
et huc usque prædico mirabiliter a te facta.
18. Atque etiam usque ad senectutem et canitiem, Deus, ne deseras me,
donec prædicaverim brachium tuum ætati *meæ* (æqualibus meis),
omni venienti *in mundum* (posteris) potentiam tuam.
19. Et justitia tua, Deus, usque in altum;
qui patrasti magna,
Deus, quis sicut tu?
20. Qui videre (experiri) fecisti nos ærumnas multas et calamitates,
iterum vitæ restitues nos,
et de abyssis terræ iterum adscendere nos facies.
21. Augebis dignitatem (vel *magnitudinem*) meam,
et iterum consolaberis me.
22. Et ego celebrare te volo instrumento nablii (lyræ),
canere fidem tuam, mi Deus,
psallere tibi cithara, Sancte Israelis.
23. Jubilent labia mea, nam volo tibi psallere,
et anima mea (id vult), quam liberasti.
24. Lingua quoque mea quotidie canet justitiam tuam,
quando confundentur et erubescent qui quærunt malum meum.

NOTÆ.

Vers. 4. *Violenter* : minus recte Hengstenberg, *corrupte.* — Vers. 5. Alii *Jova* trahunt ad primum hemistichium,.... *mea, Domine Jova, Fiducia mea,* etc. — Vers. 6. *Transire meum,* i. e. auctor ortus mei, infinit. cum suffixo a *goz* : cf. *Ps.* XXII, 10. Ewaldus et alii post Alexandrinos et Vulg., *tributor meus,* i. e. beneficiis me afficiens, a *gazah, secare, distribuere. De te,* i. e. laudis meæ tu es *objectum;* vel : te laudandi materiam tuis tribuisti beneficiis. — Vers. 7. *Prodigii,* ob inauditas meas calamitates. — Vers. 10. *Loquuntur* : nil supplendum, nam quod loquuntur, id dicitur vers. 11. — Vers. 13. *Pudore afficiantur,* consiliis suis excidant. — Vers. 15. *Nam non novi,* etc., i. e. innumera sunt beneficia tua. — Vers. 16. *Ingrediar,* i. e. aggrediar fortia Jovæ facta commemorare ; Ludovicus de Dieu, *adducam,* i. e. *proferam,* etc. : ita Ewaldus; Rosenmullerus, *ingrediar* templum *per fortitudines Domini,* ejus auxilio adjutus, quæ interpretatio aliena est a consilio Psalmi; Maurer, *veniam* in templum *cum facinoribus Domini, Jovæ,* ea celebraturus. *Solum,* non meum gladium, non meam virtutem. Alii, *solius,* cum Vulg. — Vers. 18. *Docuisti,* quid? Contextus docet, puta : admirabili tua rerum mearum gubernatione docuisti me celebrare te. — Vers. 19. *Usque in altum,* cœlos pertingit, i. e. omnem numerum et mensuram excedit. — Vers. 20. Hoc vers. suffixa pluralia sunt, sive quia versiculi 20-24 alius sunt auctoris, sive ut ostendatur totum populum Hebræum sub unius persona hoc carmine sisti, sive quia, ait Maurer, scriptores Psalmorum, qui pro sua ipsorum salute preces fundunt, amant, sub finem maxime carminis, totum populum respicere, atque ut sua salus cum publica omnium salute conjungatur optare. — Vers. 21. *Iterum* : alii, *convertes te,* puta ad me meique curam.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, filiorum Jonadab et priorum captivorum.

Hic Psalmus titulo caret apud Hebræos: sed Interpres aliquis titulum supra scriptum addidit; ad quem intelligendum, sciendum est filios Jonadab fuisse homines ob obedientiam celebres. Scribit enim Hieremias, cap. XXXV, eos habuisse præceptum parentis sui, « ut vinum non biberent, et in domibus non habitarent, » idque diligentissime observasse. Sciendum præterea filios Israel bis fuisse captivos factos a rege Nabuchodonosore, semel tempore Joachim regis Jerusalem, et iterum tempore Sedechiæ; sed priores captivos ad verbum Domini per Hieremiam prædicatum, sponte se tradidisse in captivitatem; posteriores vi coactos fuisse, ut perspicuum est ex quarto libro *Regum*, et ex ipso Hieremia. Credibile autem est filios Jonadab fuisse ex primis, qui obedierunt Deo ad verbum Hieremiæ, ut se traderent regi Babyloniæ, cæteros autem eorum exemplum esse secutos. Et congruit etymologia nominis: *Jonadab* enim *spontaneum* significat. Hic igitur Psalmus canitur in persona filiorum Jonadab, et cæterorum, qui sponte in priorem captivitatem cum rege Joachim profecti sunt. Utrum autem David ad hanc captivitatem respexerit, an interpres, aut ipsa Ecclesia Testamenti veteris accommodaverit Psalmum ad hanc captivitatem, quomodo Ecclesia Christiana accommodat Psalmos varios ad varias celebritates, incertum est. Tractatores ut plurimum volunt hunc Psalmum a Davide compositum ob persecutionem, quam ab Absalone filio in senectute sua perpessus est. Quod etiam confirmari potest ex eo, quod hic Psalmus idem habet principium, quod Psalmus trigesimus, et in cæteris partibus cum eodem satis conveniat. Psalmum autem trigesimum nos etiam cum aliis exposuimus de persecutione Absalonis. Neque titulus repugnat: David enim sponte in exilium profectus est, agnoscens illam esse Dei voluntatem, ut ejectionem illam e regno, et fugam, atque exilium patienter ferret; et gratiam liberatoris, cum paulo post in regnum reduceretur, agnosceret. Quod exemplum Davidis secuti postea sunt filii Jonadab, et priores captivi, de quibus titulus loquitur. S. Augustinus monet in hoc Psalmo mirifice commendari gratiam Dei, et sub exemplo Davidis, omnes pios debere in hoc Psalmo cantare laudes gratiæ Dei, per quam liberamur a captivitate diaboli, et gratiam iterum atque iterum implorare, ut proficiamus et perseveremus in bono, non præsumentes de propriis viribus, sed de adjutorio Dei in omni tentatione confidentes. Sic enim tutissime ad perfectam libertatem, quæ est libertas gloriæ filiorum Dei, perveniemus.

Filii Jonadab ob obedientiam celebres.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. IN TE, DOMINE, SPERAVI, NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM : IN JUSTITIA TUA LIBEBA ME, ET ERIPE ME.

Memor sanctus Propheta promissionum Domini erga sperantes in eum, et de suis propriis viribus non præsumens, ait: « In te, Domine, » non in me, vel in alia creatura, « speravi, » ideo securus, quod « non confundar in æternum, » ad te in præsenti tribulatione confugio, ac peto, ut « in justitia tua, » id est, secundum justitiam tuam, qua impios punire et innocentes liberare soles, liberes me, et eripias de manibus persequentium me.

Vers. 2. 2. INCLINA AD ME AUREM TUAM, ET SALVA ME.

Conjungitur hic versiculus cum secunda parte versiculi superioris. Idipsum enim repetit ad affectum ostendendum. « Inclina aurem tuam, » id est, audi vocem humilem, sive de imo sonantem, et salva me a præsenti periculo.

Vers. 3. 3. ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM, ET IN LOCUM MUNITUM, UT SALVUM ME FACIAS.

Explicat clarius quid a Deo desideret, nimirum, ut Deus eum protegat instar arcis munitissimæ, ad quam hostes sui penetrare non possint. Nam in hebræo pro *in Deum protectorem*, habetur *in petram fortissimam*; sed Interpretes explicaverunt metaphoram, et dixerunt, *in Deum protectorem*, id est, in Deum protegentem instar arcis in petra sublimi locatæ; quod exponitur per verba sequentia, *et in locum munitum*. Vere autem nulla est facilior via evadendi omnes tribulationes, quam si quis sciat mente conscendere in Deum, et bona æterna contemplari: inde enim omnia humana facile despiciet. Sic B. Paulus, II *Cor.* IV, vocat *momentaneas et leves tribulationes* suas, quæ alioqui gravissimæ videri poterant, quia subjungit: « Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna sunt, » II *Corinth.* IV. In hebræo pro *in locum munitum*, habetur *ad ingrediendum jugiter jussisti;* sed apparet corruptio ex loco simili in Psalmo XXX: nam pro לבוא *labo, ad ingrediendum*, est in Psalmo XXX לבית *lebeth, in domum*, sive *in locum*; ut Septuaginta hic et ibi verterunt; pro תמיד צויתה *thamid tsivita, jugiter præcepisti*, est in Psalmo XXX, מצודותי, quæ sunt eædem litteræ, sed aliter dispositæ, et significant *munitionem*. Itaque ex Psalmo XXX, et ex interpretatione Septuaginta videtur manifeste colligi lectionem hebraicam hoc loco esse mutatam.

Vers. 4. 4. QUONIAM FIRMAMENTUM MEUM, ET REFUGIUM MEUM ES TU.

« Esto mihi, inquit, tu Domine, in Deum protectorem et in locum munitum, quoniam tu solus es firmamentum meum, » id est, domus firma et stabilis, utpote lapidea (ut clarius habetur in hebræo), ad quam confugere possim. Cætera enim omnia, sive respiciam ad favores hominum, sive ad industriam meam, domus sunt luteæ, et super arenam ædificatæ, sive baculus arundineus. Quid enim sunt mortalia omnia, nisi res caducæ et fragiles, in quibus non nisi stulti confidunt? Beati qui hæc intelligunt, beatiores qui experiuntur.

Mortalia omnia caducæ res sunt et fragiles.

Vers. 5. 5. DEUS MEUS, ERIPE ME DE MANU PECCATORIS, ET DE MANU CONTRA LEGEM AGENTIS ET INIQUI.

Descendit magis ad particularia, ac petit liberari « de manu, » id est, de potestate « peccatoris, contra legem agentis, et iniqui; » quibus nominibus intelligit ad litteram Absalonem, Achitophelem et ministros eorum: nam hic Psalmus convenit omnino cum *Psalm.* XXX, in quo omnium consensu agitur de persecutione Absalonis. S. Augustinus per *peccatorem* intelligit peccatorem in genere, quem dicit dividi in prævaricatorem legis, quales sunt Judæi et Christiani, qui legem a Deo sibi datam non servant; et iniquum non prævaricatorem, quales sunt pagani, qui legem scriptam a Deo non acceperunt, et ideo iniqui sunt, quia male agunt, et peccant contra rationem naturalem, sed prævaricatores legis scriptæ non sunt, quia, ut ait B. Paulus, *Rom.* IV, « ubi non est lex, nec prævaricatio. » Sed verba hebraica non recipiunt istam explicationem: nam vox hebræa חומץ *chomets*, pro qua habemus *iniquum*, significat proprie *violentum raptorem*; et pro qua habemus, *contra legem agentis*, significat *iniquum* simpliciter. Videtur igitur Propheta per *peccatorem* intelligere hominem pravum, sive improbum, qualis erat Absalon; per *iniquum*, eum qui occulte et ex insidiis nocet, quales sunt fraudulenti, Achitophel et alii; per *raptorem*, eum qui palam et aperte opprimit, qualis erat tunc populus armatus contra regem suum. Spiritualiter per *peccatorem* intelligere possumus diabolum; per *iniquos*, hæreticos; per *raptores*, tyrannos et persecutores. Cupit autem vir justus liberari non solum a vexatione corporali, sed multo magis a periculo spirituali, ne forte consentiens peccato ob persecutionum immanitatem, incidat in periculum mortis æternæ.

Vers. 6. 6. QUONIAM TU ES PATIENTIA MEA, DOMINE; DOMINE, SPES MEA A JUVENTUTE MEA.

Vers 7. 7. IN TE CONFIRMATUS SUM EX UTERO, DE VENTRE MATRIS MEÆ TU ES PROTECTOR MEUS.

S. Augustinus per *patientiom* intelligit tolerantiam dolorum et persecutionum, ut sensus sit: « Eripe me de manu peccatorum, » dando mihi « patientiam, » ne per impatientiam consentiam peccato. Et quidem verbum græcum et latinum hanc expositionem patiuntur; sed vox hebraica תקותי *thikvathi* significat *exspectationem* et *spem*, ac per hoc patientia hoc loco significat patientiam in exspectando potius, quam in tolerando dolores, juxta illud: « Per patientiam exspectamus, » *Rom.* VIII; et *Jacob.* V: « Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum; patientes estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit. » Ait igitur: « Eripe me de manu peccatoris, quoniam tu es patientia mea, » id est, quoniam a te patienter exspecto auxilium. « Tu es spes mea a juventute mea, » id est, quia semper in te speravi ab eo tempore, quo te noscere cœpi; sed tamen multo ante quam ego in te sperare inciperem, tu pro tua misericordia protector meus fuisti: nam « ex utero matris meæ in te confirmatus sum, » id est, in te stabilitus robur accepi, cum ex me infirmissimus essem; « ex utero matris meæ protector meus es, » id est, vix natus protectione tua frui cœpi, cum adhuc te invocare non possem. Hæc beneficia Deus omnibus hominibus conferre solet, præsertim in ea ætate, qua sibi ipse homo nullam opem adferre potest: sed pauci admodum sunt, qui hæc beneficia agnoscant, et pro iis debitas Deo gratias agant. Ideo Propheta, qui Spiritus illustratione hæc agnoscebat, magno cum animi sensu dicit: « In te confirmatus sum ex utero, et ab utero matris meæ protector meus es; » quasi dicat: Scio, Domine, et confiteor me tibi curæ fuisse ab ipso primo ortu; ideo fiduciam habeo multo magis te mihi protectorem fore, cum te invocavero.

Vers. 8. 8. IN TE CANTATIO MEA SEMPER: TANQUAM PRODIGIUM FACTUS SUM MULTIS, ET TU ADJUTOR FORTIS.

His de causis, et ob tanta beneficia, « in te erit cantatio mea semper, » id est, te semper laudibus celebrabo in prosperis et in adversis, in hoc sæculo et in futuro. Et nunc quidem « tanquam prodigium factus sum multis, » id est, expulsus e regno a proprio filio; et dum misere fugio, qui antea gloriose hostes fugabam, factus sum admirationi omnibus hominibus, præsertim cum a te desertus videar, quem semper colui, et in quo speravi; sed tamen « tu adjutor fortis, » et constans es; et quamvis ad tempus secundum consilium sapientiæ tuæ hostes in me prævalere permiseris, tamen tempore suo « mihi adjutor eris. » S. Augustinus, spiritualiter exponens, dicit illum fieri prodigium, sive portentum multis, qui contemnit temporalia, et patienter fert injurias, et per hoc ambulat contraria via, atque ambulent cæteri homines. Talis fuit Joannes Baptista, talis Christus ipse; talis S. Petrus, S. Paulus, Apostoli cæteri; tales Martyres omnes, et plerique SS. Confessores, S. Antonius, S. Hilarion, S. Franciscus,

Prodigium est multis, qui contemnit temporalia.

et alii, qui a sapientibus mundi stulti habiti sunt; sed vere dicere poterant: Etiamsi prodigium factus sim multis, tamen tu adjutor meus fortissimus es, quo duce viam angustam perambulabo, et regno cœlorum vim inferam, et tunc apparebit, stultus, an sapiens fuerim.

Vers. 9. 9. REPLEATUR OS MEUM LAUDE, UT CANTEM GLORIAM TUAM, TOTA DIE MAGNITUDINEM TUAM.

Ergo, inquit, quicquid homines de me sentiant et dicant, ego opto ut « os meum repleatur laude tua, » ut nihil mihi aliud placeat, nihil me delectet, nisi te diligere, et laudare gloriam tuam, et « tota die, » id est, omni tempore « decantare magnitudinem tuam. » Porro illi soli et omnes similes sunt huic sancto regi et prophetæ, qui vere cogitant et sentiunt, ac intima consideratione penetrant, et persuadentur nihil esse magnum, nihil admirandum, præter Deum.

Nihil admirandum præter Deum.

Vers. 10. 10. NE PROJICIAS ME IN TEMPORE SENECTUTIS: CUM DEFECERIT VIRTUS MEA, NE DERELINQUAS ME.

Cum David persecutionem Absalonis pateretur, senex erat: ideo memor victoriarum, quas in juventute et in ipsa pueritia obtinuerat, dicit: « Ne projicias me in tempore senectutis, » id est, ne deseras me in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper juvisti. « Cum defecerit jam virtus mea, » robur, ac vires meæ debilitatæ sint, « ne derelinquas me, » qui auxilio tuo magis egeo, quam alias unquam eguerim. Possunt hæc omnia spiritualiter accommodari homini, qui a fervore charitatis, quo aliquando flagravit, tepescere incipit, et tamen cupit in eodem studio perfectionis perseverare.

Vers 11. 11. QUIA DIXERUNT INIMICI MEI MIHI, ET QUI CUSTODIEBANT ANIMAM MEAM, CONSILIUM FECERUNT IN UNUM.

Vers. 12. 12. DICENTES: DEUS DERELIQUIT EUM, PERSEQUIMINI, ET COMPREHENDITE EUM; QUIA NON EST, QUI ERIPIAT.

Hæc ad litteram Davidi conveniunt, adversus quem populus, Absalone duce et Achitophel consiliario, rebellavit, quonam vidit jam senuisse, et debilem effectum, atque a Deo destitutum esse credidit. « Quia dixerunt inimici mei mihi, » id est, de me. « Et qui custodiebant animam meam, » id est, qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis, illi « consilium fecerunt in unum, » id est, simul uniti inter se consultaverunt de perditione mea, « dicentes: Deus dereliquit eum. » Ad hoc refertur illud, *inimici mei dixerunt mihi*, id est, dixerunt de me: « Deus reliquit eum; » et hoc dixerunt consultantes simul: « Persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. » Hoc fuit consilium Achitophelis, quod non habuit effectum, quia Deus non permisit. Vide lib. II *Regum*, cap. XVII. Illud, *qui custodiebant animam meam*, potest etiam significare: qui observabant animam meam, ut illam perderent, et hic sensus convenit homini justo in tentationibus posito. Dæmones enim, inimici nostri, qui perpetuo vigilant, et observant occasiones nos perdendi, consilium faciunt inter se, tunc maxime, cum nos a Dei gratia destitutos existimant.

Vers. 13. 13. DEUS, NE ELONGERIS A ME; DEUS MEUS, IN AUXILIUM MEUM RESPICE.

Vers. 14. 14. CONFUNDANTUR, ET DEFICIANT, DETRAHENTES ANIMÆ MEÆ; OPERIANTUR CONFUSIONE ET PUDORE, QUI QUÆRUNT MALA MIHI.

Illi consultant adversus Davidem, et ille recurrit ad Deum, qui nullo negotio potest dissipare consilium eorum, ut reipsa fecit. « Deus, inquit, ne elongeris a me, » ut illi jactant te jam fecisse; imo potius « in auxilium meum respice, » id est, per auxilium tuum mihi propinqua. Illud, *respice*, in hebræo est *festina*, in græco *intende*. Fieri potest ut Septuaginta non legerint חושה *chushah*, id est *festina*, sed חשב *chashob*, id est *considera*, sive *attende*; sed tamen sensus est idem, et una lectio explicat aliam: quod enim hebraica lectio habet, *festina*, intelligitur per providentiam: Deus enim ubique est, neque proprie festinare debet, ut alicubi esse incipiat. Festinare per providentiam, idem est, quod attendere et respicere. « Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ, » id est, te in auxilium meum festinante, confundantur consiliarii Absalonis, et deficiant in consiliis suis, evanescant, infatuentur, « detrahentes animæ meæ, » id est, calumniantes me. « Operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi. » Idem aliis verbis repetit: pro verbo, *detrahentes mihi*, in hebræo est, *adversantes mihi*; sed idem est sensus: nam qui calumniantur, sine dubio calumniando adversantur. S. Augustinus legit: *Confundantur et deficiant qui committunt animam meam*; et sensum esse vult: Confundantur, qui committunt cum Deo animam meam, id est, qui faciunt ut cum Deo contendam, quasi ille injuste mecum agat, dum tribulationibus me affligit; sed non video unde eam lectionem acceperit.

Deus ubique est, neque festinare debet ut alicubi sit.

Vers. 15. 15. EGO AUTEM SEMPER SPERABO, ET ADJICIAM SUPER OMNEM LAUDEM TUAM.

Vers. 16. 16. OS MEUM ANNUNTIABIT JUSTITIAM TUAM, TOTA DIE SALUTARE TUUM.

Illi confundantur, et deficiant; « ego autem semper sperabo, » magis ac magis in te confidam, experimento edoctus, quanta sit virtus auxilii tui; et semper « adjiciam laudes » ad laudes tuas, pro novis beneficiis novos hymnos tibi decantans. « Os meum non cessabit annuntiare justitiam tuam, » qua punis impios, « et tota die, » id est assidue, prædicabo « salutare tuum, » quo innocentes liberas et salvas. S. Augustinus quærit

Quomodo ad laudes Dei semper aliquid adjici possit?

hoc loco, quomodo possit fieri ut adjiciatur aliquid super omnes laudes Dei. Et respondet, omnes laudes dici perfectam laudem, cui nil desit, qualis fuisset, si Deus totum genus humanum post lapsum Adami damnare voluisset : fuisset enim ea perfecta laus justitiæ, cui perfectæ laudi nihil adjici potest, quod ad justitiam attinet; sed tamen adjici potest nova laus misericordiæ, quia placuit Deo gratis justificare impios. Cæterum facilius dici potest Prophetam adjicere velle laudem ad omnes laudes Dei, non ad omnes simpliciter, sed ad omnes, quas ad illud usque tempus cecinerat.

Vers. 17. 17. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM, INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI; DOMINE, MEMORABOR JUSTITIÆ TUÆ SOLIUS.

Hic sunt duæ difficultates : prior, an illa verba, « quoniam non cognovi litteraturam, » debeant conjungi cum superiore versiculo, ut conjunguntur in textu hebraico; an potius cum sequentibus verbis, ut conjunguntur in græco et latino. Sed nos existimamus distinctionem hebraicam non esse attendendam, quando discrepat a græca, quoniam distinctionem addiderunt in textu hebraico Rabbini posteriores, qui non sunt ullo modo comparandi cum Septuaginta Senioribus, qui aliter legerunt et distinxerunt. Accedit quod hoc loco sunt quædam similiter cadentia ita posita in textu hebraico, ut videatur omnino Propheta voluisse legi hunc versiculum, ut nos cum Græcis legimus, non ut alii cum Rabbinis legunt. Sic enim ait : « Quoniam non cognovi ספרות *sopheroth*, introibo in גבורות *gheburoth*, » ac si nos diceremus : *Quoniam non cognovi litteras, adibo potentias.* Posterior quæstio est de nomine *litteraturæ* : nam vox hebraica כפר *saphar*, unde nomen ספרות, significat *scribere, narrare, numerare,* et alia; ac per hoc nomen, *sopheroth*, potest significare *scripturas, numerationes, libros, litteras,* sive *litteraturas,* et similia. Aliqui igitur volunt ut litteratura accipiatur pro *numeratione*, et hic sit sensus : *Quoniam non cognovi numerationem mirabilium tuorum,* id est, quoniam non possum assequi numerum, cum sint innumerabilia, *introibo*, id est, ingrediar, *ad narrandas potentias,* sive fortitudinem et vires Domini potentissimas et robustissimas. Sed hanc expositionem probare non possum : nam et Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus bene noverant vim hebraicæ vocis, et tamen non verterunt *numerationem,* sed *litteraturam;* neque deerant illis voces græcæ, vel latinæ, quibus *numerationem* exprimerent, si voluissent. Alii simpliciter dicunt Davidem non novisse *litteraturam,* id est doctrinam, quæ litteris continetur, quoniam pastor ovium erat, et ex pastoritio illo munere assumptus fuit ad militiam et ad regnum, ut dicitur in *Psalm.* LXXVII : « De post fœtantes accepit eum, pascere Jacob populum suum. » Sed huic expositioni repugnat, quod ipse de se dicit in *Psalm.* CXVIII : « Super omnes docentes me intellexi; » et liber Psalmorum indicat eum excultum fuisse omni doctrina divina et humana : quamvis enim pastor ovium et postea miles esset, non tamen ita totus intentus erat pascendis ovibus, aut bellis gerendis, quin etiam studiis et contemplationi vacaret. Existimo igitur Davidem hoc loco per *litteraturam* intelligere humanam sapientiam et astutiam, quali abundabat Achitophel, qui contra ipsum consilium dederat; et per verbum *cognovi* non accepisse scientiam simpliciter, sed approbationem et usum. Quomodo dicimus : « Non novi te, » et quomodo Apostolus I *Cor.* II, dicit, « se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum. » Itaque sensus est : « Non cognovi litteraturam, » id est, non novi sapientiam hujus mundi, non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam et prudentiam sæculi; sed « introibo in potentias Domini, » id est, adhærebo penitus omnipotentiæ Dei, in illa confidam, in illa quasi in arce munitissima abscondar. « Et sic memorabor justitiæ tuæ solius, » id est, non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum, sed recordabor et mente retinebo justitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios, qua pios coronas. S. Augustinus legit, *non cognovi negotiationes* : verisimile enim est in aliquo græco codice pro γραμματείας, fuisse πραγματείας, et inde fluxisse in latinum aliquem codicem *negotiationes.* Fatetur tamen idem S. Augustinus in aliis codicibus legi *litteraturam*; et exponit tam per negotiationem, quam per litteraturam, confidentiam in operibus factis ex propriis viribus, quasi ad justitiam faciendam sufficiat littera legis sine gratia, aut negotiatio liberi arbitrii sine adjutorio Dei, et ideo ponderat illud : « Memorabor justitiæ tuæ solius, » id est, non meæ justitiæ, sed tuæ solius, quam dare soles per gratiam tuam, cum justificas impium. Quæ sententia, ut est optima ad ædificationem, ita parum videtur facere ad sensum litteralem.

David non fuit imperitus litteraturæ.

18. DEUS, DOCUISTI ME A JUVENTUTE MEA, ET USQUE NUNC PRONUNTIABO MIRABILIA TUA. Vers. 18.

Tu, inquit, docuisti me, ut contempta litteratura humana confiderem in potentia tua; « docuisti autem a juventute mea, » et secundum hanc doctrinam eruditus pugnavi cum urso et leone, et cum gigante Goliath, inermis adolescens, et victoriam reportavi. « Et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua, » id est, et dum vivam, usque ad ultimum finem vitæ meæ pronuntiabo hæc mirabilia tua; quæ per me fecisti a juventute mea.

19. ET USQUE IN SENECTAM ET SENIUM, DEUS, NE DERELINQUAS ME. Vers. 19.

20. DONEC ANNUNTIEM BRACHIUM TUUM GENERATIONI OMNI, QUÆ VENTURA EST. Vers. 20.

Et simul rogo ut usque « ad senectam non derelinquas me, » sed mihi semper adsis auxilio tuo,

« donec annuntiem, » id est, donec perficiam librum Psalmorum, per quem « annuntiem brachium tuum, » id est fortitudinem tuam, omni posteritati. Per *senectam* et *senium* idem significare videtur; nam in hebræo est *usque ad senectutem et canos* : cani enim indicant senectutem. Quomodo autem David dicat se annuntiaturum potentiam Domini omni posteritati, sæpe diximus, quia videlicet prævidebat Psalmos a se compositos in toto orbe usque ad consummationem sæculi decantandos.

Vers. 21. 21. POTENTIAM TUAM ET JUSTITIAM TUAM, DEUS, USQUE IN ALTISSIMA, QUÆ FECISTI MAGNALIA : DEUS, QUIS SIMILIS TIBI?

Explicat quid sit brachium quod se annuntiaturum dixit generationi venturæ, et ait : « Potentiam tuam et justitiam tuam, » id est, annuntiabo brachium tuum, quod est potentia tua conjuncta cum justitia tua. « Omnipotens Deus est, » sed simul justissimus est; potest quicquid vult, sed nihil injuste vult. Hæc autem potentia cum justitia extenditur « usque in altissima magnalia, » quæ Deus fecit : non enim Deus potentia sua creavit solum terram et maria, et habitantes in eis; sed etiam creavit cœlum et cœlos cœlorum, et habitantes in eis millia millium angelorum. Itaque usque ad hæc altissima magnalia extenditur brachium potentiæ Dei. Neque solum justitia Dei punit homines peccatores, qui sunt pulvis et cinis; sed punivit etiam altissimos angelos, quos de cœlo ob superbiam præcipitavit in abyssum : proinde brachium divinæ justitiæ usque ad altissima magnalia pervenit, ut exclamare liceat : « Domine, quis similis tibi? » Neque hoc repugnat Scripturæ, quæ dicit : « Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, » *Gen.* I. Et : « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, » I *Joan.* III. Nam cum dicitur : « Quis similis tibi? » accipitur similitudo pro æqualitate, ac si dictum esset : Quis est similis tibi in potentia, id est, æque potens ac tu? Quis est similis tibi in essentia, id est, qui a nullo pendeat et a quo omnia pendeant, qualis es tu?

Omnipotens Deus est, et simul justissimus.

Vers. 22. 22. QUANTAS OSTENDISTI MIHI TRIBULATIONES MULTAS ET MALAS : ET CONVERSUS VIVIFICASTI ME, ET DE ABYSSIS TERRÆ ITERUM REDUXISTI ME.

Vers. 23. 23. MULTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM TUAM, ET CONVERSUS CONSOLATUS ES ME.

Consolatur David præsentem calamitatem suam ex eo quod alias calamitates, Deo juvante, feliciter evaserit. « Quantas, inquit, ostendisti mihi tribulationes multas et malas, » id est, magnas varietate et amaritudine, quas pertuli in persecutione Saulis. « Et conversus vivificasti me, » cum pene ad portas mortis pervenissem. « Et de abyssis terræ iterum reduxisti me, » id est, et de extremis malis, cum pene ad inferos descendissem, liberasti me. « Multiplicasti *enim* magnificentiam tuam » secundum multitudinem dolorum meorum, « et conversus » ad misericordiam, cum me paterne castigasses, magnifice « consolatus es me, » cum ex misero exule regem beatissimum feceris. Spiritualiter significat hic locus hominem peccatorem cum Christo resurrexisse a morte peccati, et mirifice consolatum spe vitæ æternæ.

Vers. 24. 24. NAM ET EGO CONFITEBOR TIBI IN VASIS PSALMI VERITATEM TUAM, DEUS; PSALLAM TIBI IN CITHARA, SANCTUS ISRAEL.

Vers. 25. 25. EXULTABUNT LABIA MEA, CUM CANTAVERO TIBI : ET ANIMA MEA, QUAM REDEMISTI.

Vers. 26. 26. SED ET LINGUA MEA TOTA DIE MEDITABITUR JUSTITIAM TUAM : CUM CONFUSI ET REVERITI FUERINT, QUI QUÆRUNT MALA MIHI.

In fine Psalmi prædicit ipse sibi Propheta David liberationem de manu Absalonis, et pollicetur gratiarum actionem corde, et ore, et instrumentis musicis psalterio et cithara. « Nam et ego, » adepta scilicet victoria, « confitebor tibi veritatem tuam, » id est, laudabo justitiam tuam, sive fidelitatem tuam, « in vasis Psalmi, » id est in instrumento Psalmi concinendi, quod psalterium vocatur. Addam etiam psallere tibi, « o Sanctus Israel! » in instrumento citharæ. Illud, *Sanctus Israel,* est cognomen Dei, qui vocatur *Sanctus Israelis,* quoniam sanctificari debebat a populo Israel sanctificatione cultus et honoris, et ipse sanctificabat populum Israel sanctificatione gratiæ. Neque solum per psalterium et citharam tibi gratias agam, teque laudabo; sed etiam « exsultabunt labia mea, » id est, os meum jubilabit, « cum cantabo tibi, » et « ipsa anima mea » et vita mea, « quam redemisti » ab interitu, exultabit te, id est : exultans laudabit te. Denique non semel, aut iterum « lingua mea laudabit justitiam tuam, » sed « tota die, » omni tempore « meditabitur, » id est, exercebit se in decantanda justitia tua, quando confusi erubuerint omnes inimici mei, qui quærunt nocere mihi. Hæc omnia multo verius conveniunt homini justo, qui toto corde, et pleno ore, et per totam æternitatem laudabit Deum, cum in die judicii confusi fuerint omnes persecutores ejus, et ipse redemptus fuerit, et liberatus ab omni malo corporis et animæ.

De epitheto *Sanctus Israel.*

PSALMUS LXXII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *Psalmus*, 1. *In Salomonem.*

2. Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

3. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.

4. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum : et humiliabit calumniatorem.

5. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.

6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

7. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna.

8. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.

10. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent.

11. Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.

12. Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor.

13. Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.

15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei.

16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in sæcula; ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.

18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

19. Et benedictum nomen majestatis ejus in

V. s. h. — *Salomoni.*

Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.

Judicabit populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

Assument montes pacem populo, et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, salvabit filios pauperis [al. *pauperum*], et confringet calumniatorem.

Et timebunt te quamdiu erit sol, et ultra lunam in generatione generationum.

Descendet ut pluvia super vellus, ut [al. *et ut*] stillæ irrorantes terram.

Germinabit in diebus ejus justitia [*h. justus*], et multitudo pacis, donec non sit luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ.

Ante eum procident Æthiopes, et inimici ejus pulverem lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabiæ [*h. Saba*] et Saba tributum conferent.

Et adorabunt eum omnes reges : universæ nationes servient ei.

Quia eruet pauperem a potente, et inopem cui non est adjutor.

Parcet inopi et pauperi, et animas pauperum salvabit.

Ab usura et iniquitate redimet animas [al. *animam*] eorum, et pretiosus erit sanguis eorum coram oculis ejus.

Et vivet, et dabitur ei de auro Saba, et orabunt de eo jugiter, tota die benedicent ei.

Erit memorabile triticum in terra, in capite montium elevabitur [*h. fluctuabitur*] sicut Libani fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Erit nomen ejus in æternum [*h. sæculum*]; ultra [*h. ante*] solem perseverabit nomen ejus.

Et benedicentur in eo : omnes gentes beatificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israel : qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen gloriæ ejus in sempi-

æternum ; et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.

20. *Defecerunt laudes David filii Jesse.*

ternum [*h. sæculum*], et implebitur gloria ejus universa terra : amen et amen.

Completæ sunt orationes David filii Isai.

Argumentum. — Quemadmodum Davides, multa post bella feliciter exacta, in Psalmis II et CX canit Messiam omnes suos hostes depugnantem : ita Salomon hic, longa pace fruitus, Messiæ pacifici, pacemque omnibus afferentis, regnum celebrat. Aliter Rationalistæ, e quibus unum audi : « Insunt vota pro rege aliquo accedente ad regnum. Quem regem ut investigent interpretes, regum qui Hebræorum imperium tenuerunt omnium anxie scrutantur res gestas. Quasi vero votis debuerint respondere fortuna et voluntas ! Ex votis nihil unquam colliges. Piis votis et magnificis quandoque salutantur impii futuri tyranni. » Maurer. At talia vota pro qualicumque rege pro Scriptura sacra a Judæis habita fuisse quis credat ? Insuper vers. 5, 7-11, 17, nonnisi de Messia intelligi possunt. Strophæ quinque : vers. 1-4, faciat Deus ut rex agat juste ; 5-7, ut sit diuturnum, salutare imperium ; 8-11, amplissimum ejus regnum ; 12-14, ut miserorum curam gerat ; 15-17, ut ipso regnante floreant res omnium, ejusque memoria omnium sermone celebretur. Non inepta Ewaldi partitio in strophas 3, quarum ultima totum Psalmum brevius repetit, puta : 1-7, 8-15, 17-18. Quæ vers. 18-19 continentur δοξολογία sunt, addita a collectore libri qui hic desinit secundi.

1. Salomonis *carmen.*

Deus, judicia tua regi da,
et justitiam tuam filio regis :
2. *Ut* judicet populum tuum juste,
et pauperes (seu *afflictos*) tuos (populi tui) æque.
3. Proferent montes pacem populo,
et colles justitiam.
4. Judicabit pauperes populi,
opem feret filiis egeni,
et conteret oppressorem.

5. Venerabuntur te cum sole,
et coram luna, per omnes ætates.
6. Descendet sicut pluvia in gramen detonsum,
ut imbres, *qui sunt* irrigatio terræ.
7. Florebit in diebus ejus justus,
et multitudo pacis, usque dum non *sit* luna.
8. Et dominabitur a mari usque ad mare,
et a fluvio usque ad fines terræ.
9. Coram eo incurvabunt se deserticolæ,
et hostes ejus lingent pulverem.
10. Reges Tartessi et insularum tributa referent,
reges Sabææ et Seba munus adducent.
11. Et prosternent se ei omnes reges,
omnes gentes servient ei.

12. Nam liberabit pauperem implorantem auxilium,
et afflictum, cui non est auxiliator.
13. Miserebitur miseri et pauperis,
et animas (vitam) inopum salvabit.
14. Ab oppressione et violentia vindicabit animas eorum (eos),
et pretiosus erit sanguis eorum in oculis ejus.
15. Et vivet (miser, beneficio regis), et dabit ei *rex* de auro Sabæo,
et orabit (miser) pro eo,
quotidie benedicet ei.

16. Erit abundantia frumenti in terra, in cacumine montium,
strepet instar Libani fructus ejus (segetes vento agitatæ);
et efflorebunt ex urbe (urbibus) *cives*, ut herba terræ.
17. Erit nomen ejus in æternum,
coram sole (quamdiu sol erit) sobolescet nomen ejus,
et bene sibi precabuntur (seu *benedicentur*) *homines* per eum,
omnes populi felicem eum prædicabunt.

18. Benedictus sit Jova Deus, Deus Israelis,
qui facit admiranda solus.
19. Et benedictum nomen ejus gloriosum in sempiternum,
et repleat se gloria ejus per universam terram.
Amen ! Amen !

20. Finem habent orationes Davidis, filii Isai.

NOTÆ.

Vers. 1. *Judicia tua*, tuum judicandi modum, seu, ut ait Jarchi, scientiam judiciorum, quæ *in lege* præcepisti. *Filio regis*, regio genere nato. — Vers. 3. *Justitiam* : ב redundat. Maurer, *et colles justitia* abundent; Rosenmullerus, *et colles* pacem proferent *cum justitia*, seu *per justitiam*. Sensus : Sint plena omnia salutis justitia partæ. Aliis *montes* sunt principes populi, *colles* vero magistratus inferiores. Hodierni interpretes, *proferant, judicet*, et ita deinceps. — Vers. 4. *Judicabit*, causam eorum aget. — Vers. 5. *Cum sole, coram luna*, quamdiu sol erit, et luna. Simile illud Ovidii, I *Amor.* 16 : « Cum sole et luna semper Arætus erit. » Alexandrini legerunt *iaariq, prolongabit*, puta dies suos : non male. — Vers. 6. Pratum recens *detonsum* inter medios calores æstatis cito aresceret, nisi sequeretur pluvia. — Vers. 8. Id est, tam longe lateque, quam quousque maribus et aquis concluditur terra. Τὸ *fluvius* ad Euphraten alludit. Gratuito Rationalistæ : a mari Rubro usque ad Syriacum, quod Philistæum et mare magnum vocant, et ab Euphrate usque ad solitudinem magnam, inter Palæstinam et Ægyptum : qui sunt Israeliticæ terræ limites. — Vers. 9. *Lingent*, osculabuntur terram, procidentes ante regem, Orientalium more. — Vers. 10. *Tartessus*, Phœnicum colonia, haud longe ab Herculis columnis sita, remotissimas easdemque ditissimas regiones in genere indicat. *Insulæ*, puta Mediterranei maris. *Referent*, ut debitum quid. *Seba*, Abyssinia. Maurer, *Meroë*. — Vers. 14. *Pretiosus*, ideoque raro aut nunquam fundetur. — Vers. 15. Hengstenberg, *et dabit ei* (regi) miser, regis benevolentia et benignitate ditatus. *Orabit*, eo sensu, quo dicimus : « Adveniat regnum tuum. » — Vers. 16. *Abundantia*, propr. *diffusio*; alii, *pugillum*, vertuntque ita, si *fuerit pugillum frumenti in terra*, imo *in vertice montium* (ineptiore alioquin ad sationem loco), seminatum, *fructus* tamen, etc. Veteres multi, *fulcimentum*, puta panis. *Efflorebunt*, late crescet soboles populi in civitatibus. Alii, οἱ ἐκ πόλεως. — Vers. 17. *Sobolescet*, propagabitur; gall. *rajeunira*. *Bene sibi precabuntur*, ejus felicitatem sibi adprecabuntur.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In Salomonem.

Psalmus hic omnium postremus a Davide scriptus est.

Hic Psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis non sit collocatus in postremo loco. Scriptus est enim eo tempore, quo David vicinus morti tradidit regnum Salomoni filio suo. Unde etiam ad finem hujus Psalmi leguntur hæc verba : « Defecerunt laudes David filii Jesse. » Cur autem non sit positus hic Psalmus in fine libri, fortasse causa fuit, quia visum est ei qui Psalmorum ordinem disposuit, ut librum concluderent Psalmi, qui solas Dei laudes continent, et incipiunt et desinunt in vocem *Alleluia*, quales hymni continuabuntur post hanc vitam in sæculum sæculi. Titulus est : *In Salomonem*, quia occasio scribendi, vel canendi hunc Psalmum fuit, ut bene precaretur

Salomoni filio suo, quem in regni solium extulerat. Et vere primi versiculi satis apposite Salomoni conveniunt. Sed mox a Spiritu Sancto elevata mens et lingua Prophetæ transtulit sermonem ad Christum, qui per Salomonem significatur. Fuit enim Salomon apertissima Christi figura; et tria nomina Salomonis, *Salomo*, id est *pacificus*, *Ecclesiastes*, id est *concionator*, et *Idida*, id est *dilectus Domino*, magis proprie Christo conveniunt, quam Salomoni. Ipse enim est pax nostra, qui reconciliavit mundum Deo; ipse est Verbum incarnatum ad evangelizandum pauperibus missum; denique ipse est de quo Pater non semel dixit · « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, » *Matth.* III et XVII. Vide S. Augustinum in lib. XVII *De Civitate Dei*, cap. VIII. Describit autem David in hoc Psalmo elegantissimis similitudinibus adventum Christi et propagationem regni ejus, nec non rectitudinem gubernationis ejus.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. DEUS, JUDICIUM TUUM REGI DA, ET JUSTITIAM TUAM FILIO REGIS.

Vers. 2. 2. JUDICARE POPULUM TUUM IN JUSTITIA, ET PAUPERES TUOS IN JUDICIO.

Hæc est bona precatio, qua precatur David Salomoni filio suo gratiam Dei ad juste judicandum. Vir enim sanctus non precatur filio suo abundantiam auri et argenti, neque propagationem imperii, ut filii hujus sæculi facere solent : sed precatur ei gratiam bene fungendi officio suo. Rex est propter populum, non contra. Sciebat enim regem esse propter populum, non populum propter regem : et ideo illum esse bonum regem, qui bene regit populum juste judicando. Quod ipsum et Salomon filius a Davide patre edoctus postulavit a Deo, III *Reg.* cap. III. Ait igitur : « Deus, judicium tuum regi da, » id est, da Salomoni regi recens instituto « judicium tuum, » id est judicium tale, quale est tuum, rectum, sapiens, justum; sive gratiam judicandi, ut tibi placet, vel secundum leges tuas. Et idem repetens addit : « Et justitiam tuam filio regis, » id est, da Salomoni, qui est rex et filius regis, justitiam tuam, id est justitiam talem, qualis est tua, ut juste judicet ad imitationem tuam, qui semper justissime judicas. « Da, inquam, Salomoni judicium tuum et justitiam tuam, judicare populum tuum in justitia, » id est justo judicio, « et pauperes tuos, » id est populum tuum, « in judicio. » Est enim hic etiam repetitio ejusdem sententiæ. Omnes homines pauperes Dei sunt. Vocat autem populum Dei, pauperes Dei, quia omnes homines quantumvis divites esse videantur, tamen pauperes Dei sunt. Egent enim auxilio ejus in omnibus rebus, et quidquid habent, a Deo habent, non tam donatum, quam commodatum; unde et repetere, et auferre sine ulla injuria Deus potest : et quamvis populi gentium hæc non intelligant, tamen populus Dei intelligere et profiteri debet. Hic mihi videtur sensus litteralis : tamen non repugno, quin possit etiam hic locus intelligi de auctoritate regia et judiciaria, ut sensus sit : Da, Deus, regi a me electo et filio meo judiciariam potestatem, ut juste judicet populum tuum. Vel si de Christo hos etiam primos versiculos exponere placeat, sensus sit : Da, Deus Pater, Regi Christo filio tuo potestatem judicandi, juxta illud *Joan.* V : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. » Porro inter judicium et justitiam est quidem differentia, quod justitia est virtus, judicium autem actus est justitiæ : tamen hoc loco accipiuntur pro eodem, videlicet pro judicandi potestate, vel pro gratia bene judicandi, vel pro ipso actuali judicio. Siquidem, ut observat hoc loco S. Augustinus, et confirmat ex aliis locis, in singulis fere versiculis repetitur bis eadem sententia. Neque solum hoc loco, sed etiam alibi passim accipiuntur pro eodem judicium et justitia, ut II *Reg.* VIII : « Faciebat David judicium et justitiam omni populo suo; » et *Psalm.* CXVIII : « Feci judicium et justitiam, non calumnientur me superbi. »

Vers. 3. 3. SUSCIPIANT MONTES PACEM POPULO, ET COLLES JUSTITIAM.

Vers. 4. 4. JUDICABIT PAUPERES POPULI, ET SALVOS FACIET FILIOS PAUPERUM, ET HUMILIABIT CALUMNIATOREM.

Hi quoque versiculi pertinent ad bonam imprecationem regi Salomoni, quasi dicat David : Precor Deum, ut regnante filio meo Salomone descendant pax et justitia in omnem terram hujus regni, et ad omnes populos qui habitant in ea; et quia terra illa maxima ex parte in montibus et collibus sita erat, ideo dicit : « Suscipiant montes pacem populo, » id est, descendat pax ad omnes montes hujus terræ promissionis, et suscipiatur ab eis pro populo in eis habitante; « et colles » hujus terræ suscipiant « justitiam, » quæ est causa pacis : nam ex injustitia oriuntur bella et seditiones; ex justitia oritur pax, *Isai.* XXXII : « Erit opus justitiæ pax. » Ex justitia pax. Vel per montes intelligi possunt homines regni majores et nobiliores, per colles vero viliores et humiliores : nam cum majores inter se pacem habent, et communi consilio rempublicam gerunt, facile continent humiliores intra cancellos justitiæ. Itaque si montes suscipiant pacem, colles quoque suscipient justitiam. « Judicabit pauperes populi, » id est, si pax et justitia vigeant in regno, ita ut pauci admodum inveniantur oppressores aliorum, facile rex ipse judicabit pauperes populi a calumniis et oppressionibus paucorum potentiorum, qui in tanta multitudine deesse non possunt. « Judicabit, » rex videlicet, « pauperes populi, » et judicio suo « salvabit filios pauperum, » de manu calumniatorum, « et ipsos » calumniatores « humiliabit, » deprimet et confundet.

Vers. 5. 5. ET PERMANEBIT CUM SOLE ET ANTE LUNAM, IN GENERATIONE, ET GENERATIONEM.

Jam incipit Propheta transitum facere a Salomone ad Christum : dicit enim Salomonem regem permansurum in regno, quamdiu sol et luna permanebunt in cœlo, id est, quamdiu tempus durabit. Et quoniam de persona Salomonis hæc dici non possunt, cogit nos Spiritus Sanctus, ut hæc intelligamus de Salomone, non per se, sed per Christum, ut sensus sit : Continuabitur regnum Salomonis per Christum, qui ex progenie ejus nascetur usque ad mundi consummationem. « Et permanebit » rex Salomon in filio suo, qui verissimus erit pacificus, et amabilis Domino, « cum sole, » id est, quamdiu sol erit, et « ante lunam, » id est, et coram luna, « in generatione et generationem, » id est, usque ad finem sæculi. Hic multa notanda sunt : *primo*, illud, *et permanebit*, in hebræo habetur *timebunt te;* sed Septuaginta videntur legisse ויאורך *viaroc, et prolongavit,* vitam videlicet, quod est idem quod *permanebit*, pro ויראוך *virauca, et timebunt te.* Solum enim una littera mutat locum, et fit lectio quam habemus : sensus enim est idem, nam *timebunt te* significat timendum Salomonem, ut regem, a populis, ac per hoc permansurum in regno. *Secundo*, illud, *cum sole*, non solum significat permansurum regem, quamdiu sol erit, sed permansurum in terris regnum ejus, dum sol peraget dies, id est, usque ad mundi consummationem; nam post mundi consummationem, non erit regnum Christi cum sole et supra solem, neque sole ullo modo indigebit. *Tertio*, illud, *ante lunam*, in hebræo est, לפני *liphne, coram luna*, sive ante faciem lunæ, quod recte cohæret eum illo, *cum sole*, quasi dicat: Permanebit in conspectu solis et lunæ, quamdiu sol et luna dies noctesque distinguent : tamen in græco est, πρὸ σελήνης, id es *antequam esset luna;* et hinc colligunt S. Augustinus, Euthymius et alii, hic significari æternitatem Christi, qui fuit ante lunam. Cæterum non desunt, qui illud πρὸ velint significare *ante*, id est *coram*, ut concordet græca lectio cum hebraica, præsertim cum non cohæreat verbum *permanebit*, cum illo, *antequam luna esset*, sed bene cohæreat cum illo, *coram luna.* Rectissime enim dicimus : Permanebit coram luna; sed non nisi absurde diceremus : Permanebit antequam esset luna. S. Hieronymus vertit, *ultra lunam;* sed fateor me ignorare quid secutus sit : nam neque vox hebraica, neque græca hoc significat. *Quarto*, illud, *in generatione et generationem*, potest accipi pro *æternitate*, ut alias notavimus; sed hoc loco accipiendum est proprie pro spatio temporis, quo durat sub sole vicissitudo generationum. Neque hinc sequitur Christum aut ejus regnum non permansurum, nisi usque ad finem generationum et mundi consummationem. Solum enim hic significatur Christum et ejus regnum duraturum usque ad finem sæculi, sed non significatur ibi finem esse habiturum, quomodo intelligimus illud *Matth.* XXVIII : « Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem. » Hic enim significatur Christum futurum nobiscum usque ad mundi consummationem per gratiam et auxilium, sed in æternum futurum per gloriam et felicitatem : sic etiam Christus et ejus regnum permanebit in terris *coram sole et luna* per temporum vicissitudines, donec sol et luna movebuntur super terram, et generationes præteribunt, et generationes advenient; sed his finitis Christus et regnum ejus permanebit supra solem et supra lunam, sine ulla varietate in æternum : nam « regni ejus nullus erit finis, » *Daniel.* II, et *Luc.* I.

Christi regni nullus erit finis.

Vers. 6. 6. DESCENDET SICUT PLUVIA IN VELLUS, ET SICUT STILLICIDIA STILLANTIA SUPER TERRAM.

Quia dixerat regem Salomonem permansurum usque ad finem mundi, et hoc intelligendum erat, non in persona propria, sed in filio suo Christo, ideo nunc Propheta describit adventum Christi, et propagationem ac proprietates regni ejus. Adventum Christi ad Judæos primum, deinde ad Gentes describit similitudine pluviæ, velleris, et terræ, juxta signum liberationis populi datum olim Gedeoni, *Jud.* VI; nam petente Gedeone signum a Deo factum est, ut vellus in area positum impleretur rore cœli, area tota sicca permanente; deinde sequenti nocte area tota completa est, solo vellere in medio areæ remanente arido : sic igitur descendit primo Christus ad Judæos, per vellus significatos, tota reliqua terra permanente arida, dicente ipso : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, » *Matth.* XV. Deinde venit ad Gentes per Apostolorum prædicationem, et sic completa est terra pluvia doctrinæ salutaris, et gratia baptismi, dicente eodem Domino : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » *Matth.* XXVIII; et solum vellus remansit aridum, ariditate incredulitatis, ut etiam hodie cernimus. Ita S. Augustinus. Addit S. Bernardus serm. 2 super *Missus est*, Christum descendisse « sicut pluviam in vellus » per incarnationem, « et sicut stillicidia stillantia super terram, » per prædicationem, quia sicut ros cadit de cœlo in vellus cum maximo silentio, ita Christus descendit in Virginem ut lanam purissimam, maximo cum silentio, et cœlesti solum virtute; et sicut stillicidia stillantia super terram magno sonitu guttas demittunt in terram, sic idem Christus venit per prædicationem suam et Apostolorum cum magno strepitu verborum et miraculorum.

Christi prædicatio per Apostolos, ad Judæos et gentes.

Vers. 7. 7. ORIETUR IN DIEBUS EJUS JUSTITIA; ET ABUNDANTIA PACIS, DONEC AUFERATUR LUNA.

Hic erit primus fructus adventus Christi, vera justificatio, et verissima pax cum Deo et cum omnibus hominibus. « Orietur in diebus ejus justitia, » id est, cum venerit Salvator, abolebitur pec-

catum, et in locum ejus « adducetur justitia sempiterna, » ut prædixit Daniel cap. IX. Quamvis enim non defuerint ab initio mundi multi vere justi, ut Abel, Henoch, Noe, Abraham et alii, tamen omnes justificati sunt ex meritis Christi prævisis. Vere enim dixit Angelus Josepho, *Matth.* I: « Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum; » et hoc est gaudium, quod Angelus evangelizavit pastoribus, *Luc.* II : « Quia natus est vobis hodie Salvator. » « Orietur » ergo justitia in cordibus hominum per fidem Jesu Christi, et inde sequetur « abundantia pacis, » quia vera justitia in charitate consistit, charitatis autem proles est pax, et pax quam mundus dare non potest, sed vera, stabilis, et in tanta copia, ut cœlum et terram repleat. In cujus rei signum nascente Christo quieverunt bella in toto orbe terrarum sub Augusto Cæsare. Durabit autem hæc justitia et pax in terris « donec auferatur luna, » id est durabit justitia fidei, et pax conscientiæ, non sine externis persecutionibus, donec tollatur e medio omnis corruptio et mortalitas, quæ per lunam significatur; sive donec tollatur lunæ varietas et transmutatio : nam post mundi consummationem luna semper erit plena, et justitia fidei mutabitur in justitiam gloriæ, et pax non solum erit in corde, sed et in corpore interior et exterior, sine ullo hoste. In hebræo, pro *orietur justitia*, habetur, *orietur justus;* sed facile est Septuaginta legisse צדק *tsedek, justitia*, non ut nunc legitur צדיק *tsadik, justus:* sensus tamen est idem; nam cum oritur justitia, oritur justus : neque justus oriri potest, nisi in eo oriatur justitia. Pro *donec auferatur luna*, in hebræo est, *donec non sit luna*, ex quo tollitur ambiguitas vocis græcæ : nam, ut S. Augustinus notavit, vox græca significare potest lunam tollendam, ut non sit; et lunam extollendam, ut altior sit. Sed vera sententia est, tollendam, ut non sit. Id enim cohæret cum lectione hebraica et latina. Intelligimus autem lunam tollendam, ut non sit, qualis nunc est, modo clara, modo obscura, modo magna, modo parva; sed et illa lectio : « Donec extollatur luna, » optimum sensum habet, videlicet, donec Ecclesia per lunam significata extollatur per resurrectionem et glorificationem.

Vers. 8

8. ET DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS ORBIS TERRARUM.

Descriptio regni Christi.

Describitur nunc propagatio regni Christi, quod est ipsa Ecclesia toto orbe diffusa. Videtur autem hic describi terra habitabilis secundum longitudinem a mari Indico, sive Orientali, usque ad mare Gaditanum, sive Occidentale : et per latitudinem a flumine Tanai Septentrionali, usque ad fines Æthiopiæ, quæ est ultima provincia ad meridiem. Alii existimant per flumen intelligi Euphratem, qui erat ultimus terminus regni Salomonis. Sed hoc non est probabile, quoniam regnum Christi non incipit ab Euphrate, neque terminatur ad Euphratem, sed ultra et citra Euphratem extenditur. Melius S. Augustinus et Theodoretus per *flumen* intelligunt Jordanem, in quo dictum est Christo : « Hic est Filius meus dilectus, » *Matth.* III, *Luc.* III; et in quo baptisma dedicatum est, et circa quem prædicatio Domini, ac per hoc propagatio regni initium habuit. Itaque secundum Augustinum illa verba : « A flumine usque ad terminos orbis terrarum, » explicant quod antea dictum erat, « a mari usque ad mare; » quasi dicat: *Dominabitur per totam terram a mari usque ad mare*, quia terra undique cingitur mari Oceano; id autem fiet, quia a Jordane flumine incipiet prædicatio, et diffundetur per omnes terras usque ad mare Oceanum, quod undique terminat orbem terræ.

Vers. 9.

9. CORAM ILLO PROCIDENT ÆTHIOPES, ET INIMICI EJUS TERRAM LINGENT.

Nominantur Æthiopes in particulari, vel quia paulo ante dictum erat, a flumine usque ad terminos orbis terrarum, et secundum latitudinem ipsi Æthiopes sunt in finibus orbis terræ, ut supra diximus; vel quia primus fuit Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum, ut legimus *Act.* cap. VIII, qui ad fidem Christi conversus est ex iis qui extra terram promissionis habitabant; vel quia Æthiopes, ut nigerrimi corpore, ita feri moribus, longissime videbantur abesse a cultu veri Dei. Quod autem subditur : « Et inimici ejus terram lingent, » explicatio est verborum superiorum; nam procidere est prosterni usque ad terram, quod faciunt, qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subjectio, et adoratio, quæ proprie debetur Deo, et quam deferent Christo inimici ejus, id est infideles, et peccatores conversi ad fidem et pœnitentiam. Et qui noluerint sponte procidere Christo, eumque pie et fideliter adorare, cogent ur in novissimo die inviti procidere, et subjici sub scabellum pedum ejus.

Vers. 10.

10. REGES THARSIS ET INSULÆ MUNERA OFFERENT; REGES ARABUM ET SABA DONA ADDUCENT.

Quia dixerat Christum dominaturum a mari usque ad mare, id est per universam terram, quæ mari cingitur : ne putaremus ab ejus dominio excludendas insulas quæ sunt in medio mari, adjungit : « Reges Tharsis, et insulæ munera offerent. » Quid significet *Tharsis*, diximus in explicatione *Psalm.* XLVII. Probabilissima sententia est, ea voce significari insulas maris orientalis, quæ plurimæ et maximæ sunt, et unde tertio quoque anno adferebatur Salomoni maxima copia auri et aromatum, ut legimus III *Reg.* X. Sensus igitur est : « Reges Tharsis, » id est, insularum orientalium, et ipsæ etiam insulæ, id est, populi earum, munera pretiosa regi Christo offerent. Adjungit deinde his regibus et insulis, « reges Arabum et Saba, » quia hæc sunt loca, unde eruitur copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pre-

tiosorum, et omnis generis aromatum. Nam, ut legimus loco citato, III *Reg.* X : « Regina Saba attulit Salomoni infinitam copiam auri, argenti, lapidum pretiosorum, et aromatum. » In hebræo est, *reges* שבא *sheba et* ס בא *Seba,* quæ solum differunt, quod prior habeat durius, nimirum *shin,* posterior mollius *samech.* Quamvis autem aliqui velint priorem Sabam hoc loco nominatam significare *Æthiopiam*, posteriorem *Arabiam*, tamen Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus per priorem intellexerunt *Arabiam*, per posteriorem ipsam *Sabam*, quo nomine utuntur etiam Græci et Latini; et nisi ego decipior, Saba, per *shin*, est Arabia Felix. Nam etiam paulo post, cum dicitur: « Dabitur ei de auro Arabiæ, » in hebræo est *sheba;* et *Isai.* LX, cum dicitur : « Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, » in hebræo est, *sheba.* סבא *Saba* autem per *samech* latius patet, et significat *Arabiam*, *Madian*, et *Epha*, ut S. Hieronymus indicat in *Commentario* ad cap. LX *Isaiæ.* Itaque « reges Arabum, et Saba, » significant reges Arabiæ et totius regionis quæ dicitur Saba. Atque hujus totius regionis reginam fuisse existimamus reginam Saba, quæ venit ad Salomonem lib. III *Reg.* cap. X. Nam dicitur regina Saba per *shin*, id est שבא *sheba*, et hoc nomine Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus in versione hujus Psalmi intelligunt Arabiam; et rursus idem Hieronymus in *Commentario Isaiæ* cap. XLIII et cap. LX, dicit reginam Saba fuisse reginam Saba, quæ scribitur per *samech, Isai.* LX; proinde fuit regina Arabiæ Felicis, et præterea Madian et Epha, et totius regionis Sabæorum. Neque his repugnat, quod regina Saba dicitur, *Matth.* cap. XII, « regina Austri, et venisse » « a finibus terræ; » nam Arabia Felix ad austrum porrigitur, et pertinet ad mare Æthiopicum, et ad zonam torridam : proinde rectissime dicitur « regina Austri venisse a finibus terræ. » Quod autem quidam dicit reginam Saba imperasse Ægypto et Æthiopiæ, cujus regia est Meroe, nescio unde probari possit : nam tempore Salomonis regnabat Pharao in Ægypto, cujus filiam Salomon duxit uxorem; non igitur regina Saba, quæ venit ad Salomonem, regnabat in Ægypto. Sed his omissis, illud utilius considerandum est, munera, quæ Christo Regi offerenda sunt, quæque illi maxime placent, esse aurum charitatis, thus orationis, et myrrham patientiæ, sive, esse fidem cum invocatione, spem cum desiderio rerum supernarum, charitatem cum fructibus bonorum operum : ex qua charitate fit, ut qui ea flagrant, non difficulter omnes terrenas opes, nec non duros corporis labores, et ipsam vitam Christo offerant.

Munera Christo offerenda quæ sint?

Vers. 11. 11. ET ADORABUNT EUM OMNES REGES TERRÆ, OMNES GENTES SERVIENT EI.

Hæc omnia in Christo impleta sunt in aliquo sensu, et in alio sine dubio implebuntur. Nam si intelligantur de adoratione et servitute fidelium, impleta sunt per figuram intellectionis; Scriptura enim tribuit omnibus ea quæ conveniunt multis, *Genes.* VI : « Omnis caro corruperat viam suam; » et tamen ibidem dicitur : « Noe vir justus atque perfectus. » *Matth.* II : « Turbatus est Herodes, et omnis Jerosolyma cum illo, » et tamen non deerat Simeon justus, et Anna prophetissa, et cæteri justi, qui non turbati cum Herode, sed gaudio magno cum Magis affecti sunt. Sic igitur dicuntur omnes reges adoraturi Christum, et omnes gentes ei servituræ, quia plurimi principes cum populis suis ad Christi cultum et obsequium convertendi erant. Sed si intelligatur hic locus de adoratione sive spontanea sive coacta, in die judicii adimplebitur perfectissime: tunc enim Christo curvabitur omne genu. Denique si intelligatur de potestate Christi, quam habet in omnes reges et populos, ut sive ipsi sciant, sive nesciant, et sive velint, sive nolint, ipse de ipsis agat quidquid sibi placet, ac per hoc serviant omnes ejus voluntati, adimpletur semper hæc prophetia : « Data enim illi est omnis potestas in cœlo et in terra, » *Matth.* XXVIII. « Et ipse est Princeps regum terræ, » *Apocal.* I : « Et habet in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium, » *Apocal.* XIX.

Figura intellectionis in Scriptura frequens.

12. QUIA LIBERABIT PAUPEREM A POTENTE, ET PAUPEREM CUI NON ERAT ADJUTOR. Vers. 12.

Hæc est ratio, cur reges et populi servient Christo, quia per ipsum liberabuntur a potestate diaboli, a crudelissima tyrannide Principis tenebrarum, et transferentur in pacatissimum regnum ejus. Per pauperem, intelligitur genus humanum spoliatum a diabolo omnibus bonis suis, quibus in statu innocentiæ abundabat; per potentem, intelligitur diabolus, quem ex astuto potentem fecit iniquitas nostra : si enim homo persuasioni ejus consentire noluisset, nunquam eum diabolus debellare potuisset. Sed post peccatum captivus diaboli factus est homo, et diabolus potentiam in eum acquisivit. Incipit autem homo liberari, cum incipit cognoscere paupertatem suam, ac per hoc humiliari, et non in se, sed in Domino confidere. « Liberabit ergo pauperem hominem a potente diabolo, et pauperem cui non erat adjutor, » id est, quem neque alius homo, neque angelus, neque ulla creatura poterat adjuvare. In hebræo, pro *a potente,* est *clamantem,* ut sit adjectivum pauperis. Sed Septuaginta non legerunt משוע *meshavveah,* sed cum aliis punctis, משוע *misshoah,* a potente sive divite clamoso, et hoc eodem modo legit S. Hieronymus, qui vertit, *a potente.*

Diabo potens iniquitate nostra.

13. PARCET PAUPERI ET INOPI, ET ANIMAS PAUPERUM SALVAS FACIET. Vers. 13.

Explicat modum quo Christus liberabit homines a diabolo : modus enim erit condonando eis peccata, et restituendo gratiam; cum enim remittuntur peccata, rumpitur catena, quæ capti-

vos tenebat sub diaboli potestate. « Parcet » ergo rex noster « pauperi et inopi, » id est, condonabit delicta agnoscentibus debita sua, et confitentibus paupertatem suam, ob quam solvendo non erant; nec solum ignoscet peccatis, sed etiam donabit gratiam, sive justitiam, et per hoc animas pauperum salvas faciet.

Vers. 14. 14. EX USURIS ET INIQUITATE REDIMET ANIMAS EORUM, ET HONORABILE NOMEN EORUM CORAM ILLO.

Homo per originale peccatum debitor factus est mortis æternæ.

Homo per originale peccatum est mortis æternæ. Atque hoc est debitum capitale; sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quæ sunt pœnæ primi peccati; et dum horum peccatorum pœna differtur, usuræ transeunt in sortem principalem. Ita quo diutius peccator vivit, eo magis debitum crescit. Christus ergo benignissimus Dominus, non solum peccatum originis, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet, sed etiam ab usuris, id est, ab actualibus peccatis et iniquitate tam duri exactoris redimet. Hoc prædixit etiam Isaias cap. IX, cum ait: « Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti. » S. Augustinus dicit peccati pœnam reddi cum usura, quia plus peccator reddit, quam accepit. Homicida occidit carnem proximi, ipse peribit in corpore et in anima: fur accipit pecuniam, et perdet vitam æternam: fornicator sumit modicam et brevem voluptatem, reddet supplicia gravissima et sempiterna. « Et honorabile nomen eorum coram ipso: » hæc est causa tantæ pietatis Domini, quia nomen istorum pauperum fuit honorabile coram Deo. Ubi *et* accipitur pro *quia*, et nomen significat naturam humanam creatam ad imaginem Dei: quamvis enim homo per peccatum vilis et despectus valde factus sit, tamen natura humana, et nomen hominis, non est vile apud Deum, neque despicit Deus imaginem suam. Et vere incarnatio Filii Dei manifeste ostendit quam pretiosa sit natura humana apud Deum: quod certe deberet omnes homines rapere in amorem Dei, a quo tanti se fieri præter omne meritum suum intelligunt. In hebræo habetur, *sanguis eorum*, pro eo quod nos habemus, *nomen eorum*. Sed idem est sensus; nam Deus magni fecit sanguinem nostrum, id est vitam nostram, quam ideo de interitu redemit, quia pretiosum fuit coram eo nomen nostrum, natura nostra, genus nostrum.

Nomen hominis non est vile apud Deum.

Vers. 15. 15. ET VIVET, ET DABITUR EI DE AURO ARABIÆ; ET ADORABUNT DE IPSO SEMPER: TOTA DIE BENEDICENT EI.

Quoniam dicens: « Redimet animas eorum, » insinuaverat mortem Christi, quæ fuit redemptio et propitiatio pro animabus nostris, addere voluit etiam resurrectionem et vitam ejus æternam; ideo subjungit: « Et vivet, » id est, et posteaquam per mortem redemerit, iterum vivet. « Et dabitur ei de auro Arabiæ, » id est, pretiosis muneribus coletur; quod autem S. Augustinus legit: *Dabitur ei de auro Abrakæ*, videtur manifesta corruptio. « Et adorabunt de ipso semper, » id est, et redempti ab ipso adorabunt Deum verum ex ipsius ritu, doctrina et institutione usque ad mundi consummationem. « Et tota die, » id est, jugiter et assidue benedicent ei, hoc est, laudabunt et glorificabunt eum. In hebræo habetur in numero singulari, *orabit*. Sed Septuaginta et S. Hieronymus verterunt in numero multitudinis, *orabunt*; et omnes tractatores exponunt verbum in numero multitudinis. Quare videndum est an fortasse in verbo hebraico una littera in fine, videlicet *vau*, desideretur. Quod autem in hebraico et græco sit verbum *orabunt*, in latino *adorabunt*, non variat sensum: nam qui orat, adorat, ut plurimum id faciunt, ut orent: ergo *adorabunt*, et qui adorant, exponendum est: adorantes orabunt, vel orantes adorabunt. Illud, *de ipso*, varie exponitur: aliqui enim volunt *de ipso* significare *pro ipso*, id est, pro felici progressu ipsius, vel regni ejus. Alii, *de ipso*, hoc est, pro salute, quæ est ab ipso. Alii, *de ipso*, id est, *per ipsum*, orabunt Patrem: sed si præpositio *de* proprie accipienda sit, ut eam accipiendam esse arbitramur, jam diximus quis nobis sensus esse videatur.

Vers. 16. 16. ET ERIT FIRMAMENTUM IN TERRA IN SUMMIS MONTIUM, SUPEREXTOLLETUR SUPER LIBANUM FRUCTUS EJUS, ET FLOREBUNT DE CIVITATE SICUT FŒNUM TERRÆ.

Hic jam describitur fructus apostolicæ prædicationis post Christi resurrectionem, et ascensionem in cœlum. Sed primum declaranda est vox *firmamentum*, pro qua in hebræo est, פִּסַּת בַּר *pissath bar*. Rabbini, et qui eos sequuntur, volunt *pissath bar* significare *pugillum frumenti*, sive quantum vola manus potest capere frumenti, vel etiam *placentulam panis*; sed non possunt ex Scripturis hanc suam expositionem probare. S. Hieronymus vertit ex hebræo contrariam sententiam, videlicet, *memorabile triticum*, id est, abundantiam optimi frumenti, et potest confimari hæc expositio ex cap. XXXVII *Gen.*, ubi dicitur Jacob fecisse Josepho filio suo unice dilecto vestem egregiam variorum colorum, et habetur vox hebræa פַּסִּים *passim*, ex hac eadem radice, unde hic habemus *pissath*. Quomodo ergo in eo loco non significatur vestis angusta, aut brevis, sed talaris et pulcherrima: ita hoc loco significatur frumentum non modicum, quod pugillo aut vola contineatur, sed *abundans* et *memorabile*, ut S. Hieronymus recte vertit. Atque huc respexerunt Septuaginta, qui transtulerunt *firmamentum*, id est *firmamentum panis*, ut dicitur in *Psalm.* CIV: « Omne firmamentum panis contrivit. » Est enim abundantia frumenti firmamentum familiæ, ut non cogatur mendicare, juxta illud *Gen.* XXVII:

« Frumento, vino, et oleo, stabilivi eum. » Per abundantiam autem frumenti, hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia Verbi Dei, ut colligitur ex illis verbis : « Et florebunt de civitate sicut fœnum terræ; » ubi explicatur metaphora superiorum verborum. Hic igitur est sensus hujus loci, alioqui valde obscuri: « Erit in terra firmamentum, » id est, abundantia frumenti spiritualis, quod est Verbum Dei. « In summis montium, » id est, etiam in locis ex se sterilibus (valles enim, non montes abundare solent frumento), « superextolletur fructus ejus, » id est, crescet, et multiplicabitur fructus hujus frumenti in terra sati; « super Libanum, » id est, fructus hujus frumenti excrescet supra altitudinem cedrorum Libani, vel supra fructum Libani, qui producit arbores plurimas et altissimas. « Et florebunt de civitate sicut fœnum terræ, » id est, et hic fructus frumenti non consistet in spicis corporalibus, sed in multiplicatione credentium : nam ex civitate Dei, quæ est Jerusalem, de qua dictum est ab Isaia cap. II : « De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem, » florebunt, et germinabunt credentes in tanta copia, ut fœnum in terra germinare solet. Et quod ita factum sit docet S. Lucas *Act.* VI, ubi dicit : « Et Verbum Dei crescebat, et multiplicabatur numerus credentium valde. » Scio quid Paulus Burgensis ex paraphrasi chaldaica adferat ad probandum ex hoc loco sacrificium Missæ : sed scio etiam quam multis fabulis Judaicis paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Judaicarum haurire, quæ nobis ex purissimis fontibus sacrarum Scripturarum abundant.

Vers. 17. 17. SIT NOMEN EJUS BENEDICTUM IN SÆCULA, ANTE SOLEM PERMANET NOMEN EJUS.

Concludit Psalmum Propheta orando, et laudando futurum Messiam. « Sit, inquit, nomen ejus benedictum in sæcula, » id est, ab omnibus, ubique, et semper benedicatur nomen Christi : quod nomen « ante solem permanet, » id est, coram sole, sive quamdiu sol erit, permanebit. Conabuntur quidem persecutores illud exstinguere, sed non prævalebunt. In hebræo non habetur illud, *benedictum*, sed simpliciter legitur : *Erit nomen ejus in sæcula*, et idem aliis verbis repetitur, *quamdiu sol erit, nomen ejus permanebit.* Testatur quoque Theodoretus a nullo interprete, id est, neque ab Aquila, neque a Symmacho, neque a Theodotione illud, *benedictum*, in textu esse positum, neque haberi in exemplis apud Septuaginta Interpretes : tamen habetur in græcis et latinis antiquis libris, et legitur in *Commentariis* Hieronymi, Augustini et Euthymii. Illud, *permanet*, seu *permanebit*, in hebræo est יִנּוֹן *innon*, quod verbum *filiabitur*, dici posset, id est *propagabitur* : quod satis proprie convenit nomini Christi, quod per prædicatores propagatur, et propagabitur usque ad mundi consummationem.

Vers. 18. 18. ET BENEDICENTUR IN IPSO OMNES TRIBUS TERRÆ, OMNES GENTES MAGNIFICABUNT EUM.

Hoc desumptum est ex *Gen.* cap. XXII : « In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. » Et explicatur ab Apostolo *ad Gal.* III : « Non dictum est, inquit, in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno; et semini tuo, quod est Christus. » Omnes ergo gentes benedicentur a Deo Christo, id est, nemo benedicetur, nisi in Christo, et in ipso benedicentur, quotquot ex ipso renati fuerint, et in ipso perseverarint. Ipsis enim dicetur in judicio : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, » *Matth.* XXV. Proinde benedictio ista est justificatio, et adoptio filiorum per Christum. Sicut autem in ipso benedicentur omnes tribus terræ, sic etiam vicissim « omnes gentes magnificabunt, » id est, laudabunt et glorificabunt eum.

Vers. 19. 19. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL, QUI FACIT MIRABILIA SOLUS.

Hæc est laus, qua magnificabunt eum omnes gentes : agnoscent enim et prædicabunt hæc mirabilia, quæ fecit Deus Christus justificando impios, et eruendo eos de potestate tenebrarum, et transferendo in regnum suum, ab ipso solo fieri potuisse.

Vers. 20. 20. ET BENEDICTUM NOMEN MAJESTATIS EJUS IN ÆTERNUM; ET REPLEBITUR MAJESTATE EJUS OMNIS TERRA : FIAT, FIAT.

Optat in fine Propheta, ut nomen divinæ majestatis in æternum ab omnibus benedicatur, non in cœlo tantum, ubi semper ab angelis benedicitur; sed etiam in terra, ita ut repleatur omnis terra gloria Domini, et omnes homines agnoscant et laudent Dominum. Addit ex magno affectu, « fiat, fiat, » sive hebraice, *amen, amen, vere ita sit, vere ita sit.* Atque hic est finis libri secundi secundum Hebræos.

LIBER III PSALMORUM

SECUNDUM HEBRÆOS,

USQUE AD PSALMUM LXXXIX.

DE PSALMIS ASAPHI NOMINE INSCRIPTIS.

« Duodecim omnino Psalmi sunt, Asaphi inscripti nomine. Primus XLIX, atque ab hoc LXXII ad LXXXII. Asaph autem I *Paral.* VI, 39, accensetur Levitis, quos David ad canendum ordinavit. Item I *Paral.* XV, 17; XVI, 5, 37, Asaph et fratres ejus in conspectu arcæ ministrant. Memorantur item Heman, Asaph et Ethan in cymbalis æneis concrepantes I *Par.* XV, 17 et 19. Hos cantores inter, a S. Spiritu toties celebratos, cum tres excellerent, Asaph, Heman et Idithun I *Par.* XXV, 1, tum ipse Asaph inter alios clarus habetur, princeps quippe çantorum a Davide constitutus *ibid.* XVI, 5, et singulari quadam honoris prærogativa nominatus inter eos qui juxta regem prophetarent *ibid.* XXV, 2..... Porro Asaphi filios in canendi ministerio patri successisse, atque etiam inter canendum divino spiritu ad pandenda futura fuisse afflatos, docent II *Paral.* XX, 14; XXIX, 13; I *Esdr.* III, 10; II *Esdr.* XI, 22. » Bossuetus. Cf. not. *Ps.* L (hebr.), vers. 1.

Quibus memoratis, Psalmos *Asaphi* nomine inscriptos, Asapho revera adscribendos esse, sive illi Davidis coævo, sive alicui ex ejus posteris, eodem tamen nomine insignito, omnino tenendum est.

PSALMUS LXXIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — *Psalmus Asaph.*

1. Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!

2. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.

5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua.

7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

8. Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt.

9. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra.

10. Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt : Quomodo scit Deus? et si est scientia in Excelso?

V. S. H. — *Canticum* [*h. Psalmus*] *Asaph.*

Attamen bonus est Israel Deus, his qui mundo sunt corde.

Mei autem pene vacillaverunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.

Quia æmulatus sum contra iniquos, pacem impiorum videns.

Quod non recogitaverint de morte sua, et firma sint vestibula eorum.

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo nutriti sunt ad superbiam : circumdederunt iniquitatem sibi.

Processerunt a pinguedine oculi eorum : transierunt cogitationes cordis.

Irriserunt, et locuti sunt in malitia calumniam, de excelso loquentes.

Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum deambulavit in terra.

Propterea convertetur populus ejus hic, et quis plenus invenietur in eis?

Et dixerunt: Quomodo novit Deus, et si est scientia in Excelso?

12. Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.

14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

15. Si dicebam : Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me :

17. Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.

18. Verumtamen propter dolos posuisti eis; dejecisti eos dum allevarentur.

19. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam.

20. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21. Quia inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt :

22. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

23. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.

24. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

25. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?

26. Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.

27. Quia ecce qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam :

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

Ecce isti impii, et abundantes in sæculo multiplicaverunt divitias.

Ergone frustra mundavi cor meum, et lavi in innocentia manus meas?

Et fui flagellatus tota die, et increpatio mea in matutinis.

Et dixi : Si narravero sic : ecce generationem filiorum tuorum reliqui.

Et cogitavi ut intelligerem istud : labor est in oculis meis.

Donec veniam ad sanctuaria [al. *sanctuarium*] Dei : intelligam in novissimo [al. *novissimos*] eorum.

Verumtamen in lubrico posuisti eos : dejecisti eos ad interitum.

Quomodo vastati sunt subito : defecerunt, consumpti sunt quasi non sint.

Quasi somnium evigilantis, Domine, in civitate imaginem eorum ad nihilum rediges.

Quia contractum est cor meum, et lumbi mei velut ignis fumigans.

Et ego insipiens, et nescius : quasi jumentum factus sum [al. *eram*] apud te.

Et ego semper tecum, et tenebas manum dexteram meam.

In consilium tuum deduces me, et postea in gloria suscipies me.

Quid mihi est in cœlo, et tecum volui [al. *nolui*] in terra?

Consumpta est caro mea et cor meum : robur cordis mei et pars mea Deus in æternum [*h. sæculum*].

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnem fornicantem a te.

Mihi autem propinquare [al. *appropinquare*] Deo ιιa est : posui in Domino Deo spem meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas.

Argumentum. — Argumentum Psalmi idem fere est, quod *Ps.* XXXVII et XLIX. Vates hoc carmen inchoans veluti emergit ex profunda aliqua meditatione, in qua mens ejus inter minus pias cogitationes jactata aliquandiu æstuavit, donec tandem meliores animi sensus prævaluerint. Igitur primo, vers. 1, suum ponit thema, solis piis Deum favere; deinde, vers. 2-15, fatetur, conspecta impiorum felicitate, in eo se fuisse, ut irritum haberet omne pietatis studium; sed, vers. 16-28, utrorumque rationes quum accuratius considerasset, vidisse se, improbos tandem perire, probos vero Deum servare atque tueri. Referendum videtur ad Manassis persecutionem, IV *Reg.* XXI; II *Paral.* XXXIII, 1-10.

1. Carmen Asaphi.

Non nisi benignus erga Israelem *est* Deus,
erga puros corde (veros Israelitas).

2. Ego vero, haud multum abfuit, quin inclinarent pedes mei,
quasi nihil *abfuit, quin* laberentur gressus mei.
3. Nam invidebam insolentibus,
pacem improborum intuebar :
4. Nam non sunt *eis* dolores usque ad mortem eorum,
et pinguis est venter eorum.
5. In ærumnis mortalium non sunt,
et cum hominibus *cæteris* non percutiuntur.
6. Ideo torques eorum est superbia;
vestis violentiæ obtegit eos.
7. Prodit (prominet) ex adipe (vultu obeso) oculus eorum,
erumpunt cogitationes cordis eorum.
8. Subsannant, et eloquuntur malitiose,
violentiam ex alto (superbe) loquuntur.
9. Ponunt in cœlis os suum,
et lingua eorum ambulat per terram.
10. Propterea convertit se populus ejus (Jovæ) huc (ad partes improborum),
et aquæ plenitudinis (plenæ, pleno calice) hauriuntur ab eis.
11. Et dicunt : Quomodo scit Deus aliquid,
atque est scientia Altissimo?
12. Ecce, hi *sunt* impii,
et *tamen* securi in perpetuum augent opes.
13. Nonnisi frustra mundavi cor meum,
et lavi in puritate manus meas.
14. Et fui percussus quotidie,
et castigatio mea *adfuit* quovis mane.
15. Si dixissem : Loquar ita,
en! generationem filiorum tuorum (o Jova) perfide deseruissem.

16. Et meditatus sum, ut intelligerem hoc :
labor *illud est* (cognitu difficile) in oculis meis (me judice) :
17. Donec intrarem in sanctuarium Dei,
atque attenderem ad novissima (exitum) eorum (improborum).
18. Non nisi in lubrico ponis eos (vel *eis* viam),
dejicies eos in fallacia *loca*.
19. Quomodo sunt in vastationem repente!
auferuntur, absumuntur subita pernicie.
20. Sicut somnium ab evigilando (gall. *après le réveil*),
sic, Domine, cum expergisceris, imaginem eorum contemptim abolebis.
21. Quum exacerbaretur cor meum (ob improborum felicitatem),
et in renibus meis pungerer,
22. Tunc ego brutus (stupidus) *eram,* neque intelligens,
instar bestiarum coram te.
23. Ego tamen semper tecum fui;
prehendisti manum meam, meam dexteram.
24. Consilio tuo deduces me,
et postea cum honore me suscipies.

25. Quis mihi *est* in cœlis præter te?
et tecum nullum diligo (desidero) in terra.
26. *Si* deficit caro mea et cor meum,
petra cordis mei et portio mea Deus *est* in æternum.
27. Nam ecce! qui recedunt a te, pereunt;
ad silentium redigis (perdis) omnem a te scortantem (idololatram).
28. Ego autem, propinquitas Dei mihi bonum est,
pono in Domino Jova fiduciam meam,
ut *servatus tuo beneficio* enarrem omnia opera tua.

NOTÆ.

Vers. 2. *Inclinarent* ad perverse judicandum de Jovæ erga pios animo. Ad verbum est, *inclinans* unusquisque *pedes mei*, particip. paul; commodius Masorethæ proponunt 3 plur. præter. cal. — Vers. 3. Alii, *cum...* intuerer. — Vers. 4. Per totam vitam nullos patiuntur dolores. Alii minus recte : *dolores*, qui ipsis *mortem* afferant. Hengstenberg, *non sunt* eis *vincula ad mortem*, i. e. eorum scelera impunita sunt. Pro *venter*, propr. *robur*, alii *corpus*. — Vers. 6. *Torques*, etc., i. e. torquis instar cingit eos superbia. *Vestis*, vel, *quasi vestis violentia*, etc. — Vers. 7. Elegans descriptio divitum bene saginatorum superbia intumescentium. Pro *oculus*, hodiernorum non pauci malunt legere cum Alexandrinis *avonemo*, hoc sensu : *Prodit ex corde* eorum *torpente delictum eorum*, quod ad parallelismum aptissimum est. *Erumpunt*, magnæ de se cogitationes apparent in verbis et gestibus; seu, ut Hengstenberg, exundant, torrentis instar, qui coerceri nequit, omnia eorum vel impia vel absona consilia, mentisque deliria. — Vers. 8. *Violentiam*, quæ ad aliorum oppressionem tendit. — Vers. 9. Sensus : De summis pariter atque imis loquuntur, nihil est in tota rerum natura, quod superbi isti a putida sua censura alienum putent. Minus recte Hengstenberg sequitur Lutherum, qui sic vertit, *quidquid loquuntur, id veluti e cœlo demissum audiendum est.* — Vers. 10. *Propterea*, ob improborum felicitatem. Hengstenberg : *Propterea* improbus *convertit populum suum* (non Dei, sed homines malos) *huc* (ad suas partes), *et aquæ*, hæ eædem falsæ deliciæ et felicitas, *pleno gutture hauriuntur ab iis* obcæcatis. Alius, *et convertit se*, redit semper, *populus ejus* (Jovæ) *huc*, i. e. ad eamdem querelam, et *aquæ* (querelæ)... — Vers. 11. *Et dicunt* hi pii : *Num* hæc *novit Deus*, etc. — Vers. 11. « Loquentes jam vates facit non improbos, sed eos, qui deficientes a Jova partes sequuntur improborum. Eorum vero pro sermonibus habenda sunt non tantum quæ vers. 11 dicuntur (quanquam hoc vult Hengstenberg), sed quæ inde ab hoc versu usque ad vers. 14 leguntur omnia. Id quod intelligitur ex vers. 15. » Maurer. — Vers. 12. Alii : *Ecce! tales* sunt *impii, et securi*, etc. — Vers. 13. *Lavi*, etc., eas ab omni scelere immaculatas servavi. — Vers. 14. Hengstenberg, *nam plaga* a te *afficior*, etc. Male nonnemo, *et* tamen *fui percussus*, etc. : *tamen* enim quomodo cohæret cum *frustra* vers. 13? — Vers. 15. Jam vates. *Ita*, ut isti loquuntur. *Deseruissem*, fuissem apostata. Hengstenberg, *si dicerem* : *Narrabo hæc*, palam hæc mea dubia proferam, ecce! quid egissem? *cultores tuos fefellissem*, eosque in viam improborum duxissem. — Vers. 16. Hengstenberg : sed frustra, *molestia* fuit semper *res hæc in oculis meis.* — Vers. 17. *Sanctuarium* : « Fingit vates se hujus quæstionis declarationem a Deo petiisse, a quo edoctus fuerit, non præsentia esse spectanda. » Rosenmull. Maurero et aliis, *sanctuarium*, vel *sacrarium*, non est templum, sed arcana Dei consilia, quibus in administratione rerum utitur. *Attenderem*, seu intelligerem. — Vers. 18. Pro *in fallacia*, Hengstenberg, *in ruinas* (gall. *en éclats*); Maurer, *ut fiant ruinæ*. Non male Alexandrini legerunt *masouoth* (cum *sin*), dum *alleventur*, superbiant. — Vers. 19. *Subita pernicie* : alii, *præ terroribus*. — Vers. 20. Maurer, *cum* eos expergefeceris, excitaveris e tranquillitatis suæ dulci somno : infinit. hiph. Hengstenberg, *in urbe*, coram tota urbe. *Imaginem*, imaginariam eorum felicitatem. — Vers. 22. Instar *bestiarum* : Maurer, hippopotamus, ob numerum plural. — Vers. 23. Maurer, *sum..... prehendis.* — Vers. 24. *Postea*, in reliqua mea vita, et præsertim in cœlo. Hengstenberg, *et post*, i. e. *ad, gloriam*, etc. : violenter! — Vers. 25. *Tecum*, præter te, vel æque ac te. — Vers. 26. Vel,.... *mea* es, *Deus, in æternum.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

De hoc titulo diximus aliquid in explicatione Psalmi XLIX, et in Præfatione. Argumentum est exhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc mundo florere: quæ adhortatio semper utilis, sæpe etiam necessaria est, tum videlicet, cum populus Dei, vel justus quicumque persecutionem patitur, et injusti maxima pace et tranquillitate fruuntur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. QUAM BONUS ISRAEL DEUS, HIS QUI RECTO SUNT CORDE!

Explicaturus David tentationem et scandalum pusillorum, quorum personam in hoc Psalmo induerat, primo, jacit fundamentum rectæ fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem divinæ providentiæ naufragasse. Quod idem fecit propheta Hieremias, cap. XII; primum enim ait: « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; » deinde hoc fundamunto posito, subjungit: « Verumtamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur. » Sic igitur hoc loco David primum affirmat Deum bonum esse, ac per hoc justum; sed bonum ut est, videri bonis, qui sano judicio præditi sunt, quamvis perversis perversus videatur. Ait igitur, non interrogando, sed affirmando: « Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! » id est, perquam bonus est Deus Israeli, Israelitis, inquam, qui recto sunt corde. In hebræo sic legitur ad verbum: *Certe bonus est Deus Israel his qui puro sunt corde.* Itaque Deus, qui in se semper est bonus, rectus et justus, est etiam talis Israelis judicio; non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui purum cor habent, id est, liberum a fumo passionum, ut recte possint judicare, sive iis, « qui recto sunt corde, » ut conforme sit rectitudini Dei; distortis enim, quod rectum est, distortum esse videtur.

Vers. 2. 2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES, PENE EFFUSI SUNT GRESSUS MEI.

Incipit nunc exponere tentationem infirmorum, quorum personam, ut diximus, in hoc Psalmo gerit. Boni, inquit, fideles, qui puro et recto sunt corde, bonum et justum Deum esse non dubitant, quicquid illis accidat: sed ego infirmus, et qui cor habeo non usquequaque purum et rectum, pene cecidi in dubitationem de justitia Dei. Hanc enim dubitationem metaphorice significat motio pedum, et effusio gressuum. Sicut enim qui nutare incipit pedibus, et qui labitur dum ambulat, deficit a firmitate et stabilitate sua, sic ille, qui agitatur dubitationum tentationibus contrariis veritati, deficere incipit, et quasi nutat a constantia fidei. « Mei autem, inquit, pene moti sunt pedes, » id est, nutare cœpi, non tamen omnino cecidi. « Pene effusi sunt gressus mei, » id est, labi cœpi, dum ambularem, non tamen rui usque ad terram: denique significat se parum abfuisse a lapsu in dubitationem circa justitiam et providentiam Dei.

Vers. 3. 3. QUIA ZELAVI SUPER INIQUOS, PACEM PECCATORUM VIDENS.

Aperit causam suæ tentationis, ac dicit esse, quia viderit iniquos, quos puniri a Deo oporteret, frui altissima pace, aliisque bonis permultis. Illud, *zelavi super iniquos*, significat, *zelo indignationis exarsi super iniquos*, id est, adversus iniquos, quos vidi prosperitate et pace gaudere, quam non merentur.

Vers. 4. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM, ET FIRMAMENTUM IN PLAGA EORUM.

Pergit in explicanda felicitate iniquorum, ac dicit eos frui pace et prosperitate, quoniam tanta sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper essent victuri, et si forte plaga aliqua, sive morbus illis contingat, ea plaga non habet firmamentum, sed continuo evanescit. Illud, *non est respectus morti eorum*, hunc sensum habere videtur: Non respiciunt iniqui mortem suam, neque alii qui eos vident in mortem ipsorum, id est, non videntur unquam morituri, propter diuturnam et stabilem sanitatem, qua fruuntur. In textu græco legitur, οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, *non est abnuitio mortis eorum*, vel, ut legit S. Augustinus, *non est declinatio mortis eorum*: quæ verba eumdem sensum facere possunt, videlicet: Iniqui non declinant, neque abnuunt mortem, quia de ea non cogitant, confidentes in optima constitutione corporis sui. Ex hebræo S. Hieronymus vertit: *Non cogitant mortem suam;* quæ lectio nihil fere differt a nostra. Alii ex hebræo vertunt:

Non sunt vincula in morte ipsorum; et potest sensus esse : Non trahuntur iniqui ad mortem vinculis variorum morborum, ut sæpe accidit justis. Hæc nobis videtur explicatio loci obscurissimi, quia cohæret cum verbis sequentibus; quod enim sequitur: « Et firmamentum in plaga eorum, » sine dubio requirit repetitionem negantis particulæ initio positæ, ut sit sensus : Et non est firmamentum, id est, firmitas et stabilitas in plaga eorum, quia si qua plaga illis accidit, facillime curatur.

Vers. 5. **5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.**

Ad sanitatem iniquorum, quæ est pax cum morbis et plagis corporalibus, accedit etiam abundantia omnium rerum, ut non necesse habeant conflictari cum inopia, fatigatione, litibus, angoribus aliisque tribulationibus, quibus flagellantur plerique hominum, qui « in sudore vultus sui vescuntur pane suo, » et calumniis potentiorum opprimuntur. Sed, ut recte admonet S. Bernardus in *Declamatione sua*, qui cum hominibus in hac vita non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur in gehenna; nam generale est quod dicit Apostolus II *Timoth.* III : « Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur; » et *ad Hebr.* XII : « Quem diligit Deus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. »

Qui non flagellantur cum hominibus, cum dæmonibus flagellabuntur.

Vers. 6. **6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.**

Declarat Propheta quem fructum producat prosperitas in impiis, superbiam videlicet et cumulum iniquitatum. Utuntur enim copia rerum temporalium ad explendas libidines suas, et ad opprimendos debiliores, cum e contrario viri pii valde timeant et humilientur, cum arridet prosperitas; suspectam enim habent prosperitatem, ne forte sit merces eorum, et excidant a mercede sempiterna, quam toto corde sitiunt. Sed notanda sunt verba. « Tenuit, inquit, eos superbia, » non enim superbi superbiam tenent, sed tenentur a superbia, quasi vinculo quodam : nam « qui facit peccatum, servus est peccati, » *Joan.* VIII; et vox hebræa hoc sonat : *Circumdedit eos superbia, velut torques collo alligatus.* « Et operti sunt iniquitate et impietate : » hoc significat iniquos in prosperitate non habere peccatum solum intus in corde, ut sæpe habent pauperes et miseri, qui corde concupiscunt furta, adulteria, pompas sæculi; sed opere non implent, quod libenter implerent, si possent; itaque latet intus peccatum eorum. Iniqui autem rebus omnibus abundantes, toti cooperti sunt iniquitate, quia non solum cogitatione et desiderio, sed oculis, manibus, pedibus, lingua, visu, verbo et opere peccant.

Vers. 7. **7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.**

Ostendit originem iniquitatis natam esse ex malo usu rerum temporalium abundanter illis a Deo concessarum : quoniam enim non dispensarunt divitias magis egentibus, ut par erat, sed ipsi sibi omnia retinuerunt, inde pingues effecti, velut tauri ac equi indomiti, pauperes oppresserunt. Pulchre notat S. Augustinus in pauperibus ex macie prodire iniquitatem, in divitibus ex adipe : pauperes enim interrogati cur furentur, respondent, ob inopiam rerum necessariarum; divites, interrogati cur alienum agrum invadant, respondent, si tamen respondere dignantur, quia multos habent agros vicinos, hunc etiam adjungi congruum est. Sic Achab rex, III *Reg.* XXI, abstulit vineam Naboth, non quod ipse vineis indigeret, sed quia vicina erat palatio suo. Porro abundantiam esse causam iniquitatum, quando non fiunt inde eleemosynæ pauperibus, docet Ezechiel, cap. XVI : « Hæc fuit, inquit, iniquitas Sodomæ. » id est, occasio sive causa iniquitatis gravissimæ, ob quam igne de cœlo consumpta fuit, « superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant : et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me, » et abstuli eas. In hebræo non legitur *iniquitas*, sed *oculus*; et hunc sensum esse volunt Hebræi : *Prodiit quasi ex adipe oculus eorum*, id est, ex nimia pinguedine, oculus eorum prominebat, quasi exire vellet. Sed Septuaginta Interpretes viri doctissimi non legerunt עין *hain*, quod significat *oculum*, sed עון *havon*, quod significat *iniquitatem*. Facile autem fuit vitio librariorum mutari *vau* in *iod*, cum non differant, nisi quod una littera est paulo longior quam altera. Quod sequitur : « Transierunt in affectum cordis, » difficile admodum est; nam in hebræo secundum versionem S. Hieronymi pro *affectu*, ponitur *cogitatio*, secundum alios, *pictura*, in græco est διάθεσις *dispositio*, et sic legit S. Augustinus. Aliqui tollunt præpositionem *in*, et legunt *transierunt affectum*, sive *cogitationem cordis*; et sensum esse volunt, iniquos transgressos esse, quoad abundantiam bonorum temporalium, ipsum desiderium et cogitationem suam, id est, plus accepisse, quam desiderarent, vel cogitarent, quæ expositio non placet; experientia enim docet iniquos amatores mundi non satiari temporalibus, nec fieri posse ut habeant plus, quam desiderent, cum res temporales sint modicæ, et cito finiantur; et desiderium humanum vastissimum sit, nec satiari possit, nisi summo et infinito bono, ut dicit S. Augustinus lib. I *Confess.* cap. I. Adde quod præpositio *in* non debet tolli cum habeatur in textibus omnibus græcis et latinis. Existimo igitur, *transire in affectum cordis*, esse, *transmutari* et *converti in carnales passiones*, et effici hominem totum carnalem et animalem; quod aliis verbis dicitur *ad Rom.* I : « Tradidit eos Deus in desideria cordis sui; » et infra : « Tradidit eos in passiones ignominiæ. » Et ad hanc expositionem hoc accodari possunt omnes lectiones; nam affectus et cogitatio conjunctissimæ sunt, et pro eodem ac-

Abundantia causa iniquitatum, quando non fiunt eleemosynæ.

cipiuntur. Nihil enim homo desiderat, nisi quod cogitat et cognoscit. Sed significantius est nomen picturæ, quam dicunt periti linguæ hebraicæ proprie significare vocem משכורת *maschioth*, quam nomen cogitationis, quia mundi amatores non desiderant quod verum bonum et pulchrum est, sed quod ipsi sibi pingunt, et fingunt in corde suo perverso bonum et pulchrum esse. Adulter enim, qui summo affectu diligit adulteram, et eam rebus omnibus anteponit, etiam æternæ felicitati, non id facit, quia revera illa sit pulcherrima et pretiosissima, sed quia ita ipse judicat, et talem sibi ipse eam in corde pingit et fingit. Itaque *transierunt iniqui* abundantes rerum temporalium *in affectum, et cogitationem, et picturas cordis sui*, quia conversi sunt, et transformati in concupiscentias et figmenta cordis sui : quo etiam referri potest vox græca διάθεσις, id est *dispositio*; nam tales effecti sunt, qualis est dispositio cordis ipsorum, id est, toti carnales.

Mundi amatores diligunt falsa bona.

Vers. 8. 8. COGITAVERUNT, ET LOCUTI NEQUITIAM; INIQUITATEM IN EXCELSO LOCUTI SUNT.

Pergit in explicanda perversitate iniquorum abundantium rebus temporalibus, ac dicit eos cogitasse apud se iniquitatem adversus Deum et homines, et non timuisse eam palam etiam prædicare, irridendo Dei majestatem, et qui illum colunt. Illud, *cogitaverunt*, S. Hieronymus vertit *irriserunt*, et potest fieri ut vox hebraica מיך *mik* utrumque significet; nam raro hoc verbum occurrit in sacris libris. Fortasse etiam significat, irridendo in corde suo cogitasse nequitiam, quam postea loquendo propalaverunt. Quam autem audacter locuti sint nequitiam, explicat Propheta, dicens: Iniquitatem in excelso locuti sunt, id est, iniquitatem, sive blasphemiam iniquissimam in excelso loco positi palam et aperte locuti sunt. Illud enim, *in excelso*, hebraice est, ממרום *mimmarom, de excelso*, sive *ex excelso :* proinde sensus est, istos iniquos divites in sublimi locatos, ut superbiam eorum decebat, de excelso illo loco blasphemiam protulisse : sed hæc clariora erunt in versu sequenti.

Vers. 9. 9. POSUERUNT IN CŒLUM OS SUUM, ET LINGUA EORUM TRANSIVIT IN TERRA.

Hæc est nequitia impiorum. « Posuerunt in cœlum, » id est, supra cœlum, os suum, non timentes Deum et angelos blasphemare. « Et lingua eorum transivit in terra, » id est, *et lingua eorum perambulavit* (ut sonat vox hebraica) *in terra*, detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi vana sit spes eorum.

Vers. 10. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS HIC, ET DIES PLENI INVENIENTUR IN EIS.

Vers. 11. 11. ET DIXERUNT : QUOMODO SCIT DEUS, ET SI EST SCIENTIA IN EXCELSO?

Revertitur Propheta in persona infirmorum in fide, ad explicandam tentationem et scandalum ipsorum ex felicitate, qua fruuntur peccatores. « Ideo, inquit, convertetur populus meus hic, » id est, propter tanta scelera, et tantam felicitatem iniquorum populus meus, qui est populus fidelis et timens Deum, « convertetur hic, » id est, convertet se ad consideranda hæc. « Et dies pleni invenientur in eis, » id est, considerando inveniet vere felices esse impios, ita ut etiam diutissime vivant, et impleant dies suos pervenientes ad ultimam senectutem. « Et dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso? » id est, et titubantes in fide dixerunt : Quomodo potest fieri ut Deus hæc sciat et permittat? estne scientia in Deo excelso? an potius hæc ignorat, vel non considerat? Hanc existimo veriorem esse hujus loci explicationem. Theodoretus enim docet verba versiculi decimi dicta esse per parenthesim in consolationem populi justi, et verba versiculi undecimi esse verba iniquorum, qui posuerunt os suum in cœlum. Quam expositionem non reprobo, sed priorem, ut faciliorem, et magis connexam cum sequentibus et præcedentibus præfero. In hebræo non habetur, *populus meus*, sed *populus ejus*, videlicet *Dei*. Sensus est idem, sed lectio nostra est clarior, et credibile est Septuaginta Interpretes non legisse עמו *hammo, populus ejus*, sed עמי *hammi, populus meus*. Facile enim fuit librariis errorem committere in scribendo *vau*, pro *iod*, quæ sunt litteræ similes. Sic etiam in hebræo non habetur nunc, *dies pleni*; sed vel, ut S. Hieronymus vertit, *quis plenus*; vel, ut alii legunt, *aquæ pleni*, supple *calicis*. Sed Septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut per aquas intelligerent et verterent *dies*; ergo necesse est dicere, eos non habuisse in suis codicibus מי *mi*, id est *quis*; neque מי *me*, id est *aquæ*, sed ימי *ieme*, id est *dies*. Neque mirum est, si tam longo tractu temporis exciderit una littera, quæ minima est omnium litterarum. Illud est verum, legendum esse ex hebræo *dies plenitudinis*, potius quam, *dies pleni*; sed *dies plenitudinis* significat dies plenissimos, vel plenos, ut verterunt Septuaginta.

Vers. 12. 12. ECCE IPSI PECCATORES, ET ABUNDANTES IN SÆCULO, OBTINUERUNT DIVITIAS.

Vers. 13. 13. ET DIXI : ERGO SINE CAUSA, JUSTIFICAVI COR MEUM, ET LAVI INTER INNOCENTES MANUS MEAS.

Vers. 14. 14. ET FUI FLAGELLATUS TOTA DIE, ET CASTIGATIO MEA IN MATUTINIS.

Aperit causam dubitationis, an Deus sciat quæ aguntur in terris : et loquitur in persona infirmorum, quasi unus esset ex illis, ut facilius eorum infirmitati medeatur. « Ecce, inquit, ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, » id est, hæc ratio est cur incipiam dubitare de providentia Dei, quia peccatores, qui flagellari deberent, abundantes sunt in sæculo, et obtinent divitias magnas. « Et dixi » apud me ista

considerans : « Ergo sine causa justificavi cor meum, » id est, frustra cor meum purum a peccatis servare studui, et frustra « lavi manus meas cum innocentibus, » innocenter operans et vivens : frustra, inquam, quoniam Deus non benefacit justis, sed peccatoribus; imo non solum Deus non benefacit justis, sed eos affligi patitur. Ego enim, qui justitiæ studeo, « fui flagellatus tota die, » id est, semper in tribulationibus versor. « Et castigatio mea in matutinis, » id est, summo mane incipit vexatio, et tribulatio mea non differtur saltem ad tempus, ut vel modicum requiescam. Hæc est sententia horum versiculorum : sed verba consideremus. Illud, *abundantes in sæculo*, in hebræo significat proprie, *pacem et quietem habentes*, ac per hoc abundantes sanitate, robore, amicis, et similibus rebus. Illud, *obtinuerunt divitias*, poterat etiam verti, *multiplicaverunt et coacervarunt substantiam* : quo declaratur id quod nos legimus, *obtinuerunt divitias* : nam qui multiplicant divitias, illi vere eas obtinent, id est, tenent ne dilabantur; tenuis enim substantia facile evanescit. Illud, *justificavi cor meum*, in hebræo est, *purificavi cor meum*, id est, maculas peccatorum tersi per pœnitentiam, vel mundum et justum conservavi. Illud, *lavi inter innocentes manus meas*, significat, *unum ex innocentibus me probavi*, ut vere innocens eram opere, et purus corde. Nam lotio manuum signum erat innocentiæ, cum quærebatur reus homicidii, ut legimus *Deuter.* XXI; ex quo etiam « Pilatus lavit manus coram populo, » *Matth.* XXVII, ut se innocentem demonstraret in passione Christi.

Vers. 15. 15. SI DICEBAM : NARRABO SIC : ECCE NATIONEM FILIORUM TUORUM REPROBAVI.

Incipit adhibere medicinam infirmis. Exposuit hactenus eorum querelas et causam scandali, quod patiebantur ex prosperitate impiorum et adversitatibus piorum; nunc quasi compunctus et pœnitens ait : « Si dicebam : Narrabo sic, » id est « si dicebam » apud me, « narrabo, » id est, pergam narrare prosperitates impiorum quasi injustas, et hanc injustitiam in Deum referre, « ecce nationem filiorum tuorum reprobavi, » id est, hoc ipso reprobavi et damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Jacob, Mosem, et cæteros. Omnes enim confitebantur habere Deum providentiam rerum humanarum, et justo judicio peccatoribus interdum dare prosperitates, et justis afflictiones. Vel « reprobavi, » et damnavi omnes filios Dei, quasi insipientes, qui frustra justitiæ studeant. Vel denique, « reprobavi » omnes filios Dei, quia judicavi eos omnes a Deo derelictos esse : quæ omnia falsa sunt, et reprehensione dignissima. Atque hæc est prima ratio, qua persuadet Propheta infirmis, ut non dubitent de providentia Dei, ne videlicet contrarii sint omnibus filiis Dei, sanctis videlicet Patriarchis et Prophetis, neve illos insipientes fuisse credant, aut a Deo derelictos. Vox hebræa, בגדתי *bagadti*, pro qua habemus, *reprobavi*, significat *spernere*, *relinquere*, *deficere*, *prævaricari*, *fidem fallere*. Itaque S. Hieronymus vertit, *generationem filiorum tuorum reliqui*, id est, ab eis defeci. S. Augustinus legit, *non concinui*, *dissonui*, id est, non conveni in sententia cum filiis Dei. In eumdem sensum exponendum est *reprobavi*, id est, sprevi eos, neque fidem eis servavi, quam debebam.

Vers. 16. 16. EXISTIMABAM UT COGNOSCEREM HOC, LABOR EST ANTE ME.

Vers. 17. 17. DONEC INTREM IN SANCTUARIUM DEI, ET INTELLIGAM IN NOVISSIMIS EORUM.

Ad primam illam rationem, addit secundam petitam a difficultate hujus quæstionis, quæ deterrere deberet homines, ne prompti essent ad reprehendenda quæ non intelligunt. « Existimabam, inquit, ut cognoscerem hoc, » id est reputabam, mecum cogitando investigabam, ut ad hujus rei cognitionem pervenirem : sed « labor » magnus, et difficultas mihi objiciebatur, « donec intrarem in sanctuarium Dei, » et per orationem a Deo lumen obtinerem, et eo lumine ad novissima iniquorum abundantium adspicerem; nam ex novissimis, id est ex divino judicio, quod post mortem impios manet, manifeste declarabitur, illos non fuisse vere felices. Illud, *existimabam, ut cognoscerem hoc*, obscurum est ex ambiguitate verbi *existimabam*; nam hoc loco non significat *opinabar*, vel *arbitrabar*; sed *reputabam*, sive discutiendo judicabam, quomodo dicimus, ex præteritis futura existimare possumus. Verbum hebræum חשב *chasab*, quod hoc loco habetur, significat *cogitare*, *existimare*, *reputare*; et S. Hieronymus vertit, *cogitavi, ut intelligerem hoc*, id est, cogitavi apud me disculiens quæstionem istam, ut ejus solutionem invenirem. Illud, *labor est ante me*, in hebræo habetur, *zoth hamal behhenai, labor in oculis meis hoc*, id est, dum inquiro notitiam hujus rei, opponitur oculis mentis meæ labor penetrandi, quasi murus quidam impenetrabilis. Illud, *intelligam in novissimis eorum*, vel significat : Intelligam solutionem quæstionis in novissimis eorum, id est, considerando novissima eorum, cognoscam Deum habere providentiam rerum humanarum; vel significat : Intelligam novissima eorum, id est, considerando vitam eorum perveniam ad intelligendum exitum et ultimum finem ipsorum, et inde colligam quæstionis solutionem.

Vers. 18. 18. VERUMTAMEN PROPTER DOLOS POSUISTI EIS; DEJECISTI EOS, DUM ALLEVARENTUR.

Hic jam Propheta ostendit, ex novissimis intelligi posse iniquos abundantes in sæculo non esse felices, et Deum justum esse judicem. Sed quia lectio nostra, quæ fideliter ex græco translata est, multum dissentire videtur ab hebraica quod ad verba, licet in sensu conveniant, utramque

explicemus. « Verumtamen, inquit, propter dolos posuisti eis, » subintellige *dolos*, aut *mala*, ut addunt aliqui textus græci, id est, propter dolos, quibus usi sunt erga proximos suos illi injusti, ut multiplicarent divitias, tu, Domine, secundum providentiam tuam fecisti, ut ipsi doli ipsorum verterentur ipsis in dolos longe majores : nam dum per dolos lucrati sunt pecunias, aut agros, aut vestes, per eosdem dolos imprudentes ipsi jacturam fecerunt æternæ vitæ. « Et dejecisti eos, dum allevarentur, » id est, et dum extollerentur ad honores et dignitates, per eas dejecti sunt in præcipitium mortis æternæ, justo judicio tuo. Hebraica lectio, quæ est apud S. Hieronymum, sic habet : *Verumtamen in lubrico posuisti eos, dejecisti eos in interitum*, id est, dum injustis dedisti magnas divitias, posuisti eos in loco, unde facile labi possent in interitum; et quia non sciverunt in lubrico caute ambulare, lapsi sunt justo judicio tuo in interitum. Utraque lectio congruit cum Apostoli sententia in epist. I *ad Timoth.* cap. VI : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. » Quod si velimus concordare lectionem latinam cum hebraica, sciendum est *propter dolos*, in hebraico esse בחלקות *bachalakoth*, quæ vox non significat proprie *propter dolos*, neque *in lubrico*, sed significat *in rebus lenibus, politis, blandis*, quales sunt lapides valde politi, specula, et similia : nam חלק *chalak* est *dividere, lenire*, etc. Itaque potuisset verti hic locus : *In blanditiis*, vel *propter blanditias*, quales sunt doli et insidiæ decipientium, et huc respexerunt Septuaginta Interpretes; potuit etiam verti, *in lubrico loco*, siquidem locus lubricus, blandus et lenis est, et hanc significationem secutus est B. Hieronymus. Illud autem, *dum allevarentur*, non difficulter invenitur in textu hebraico. Nam vox illa משואת *massuoth*, si scribatur cum *sin* habente punctum in sinistro cornu, derivabitur a verbo נשא *nasa*, quod *elevare* significat, et huc respexerunt Septuaginta Interpretes; si vero scribatur cum *shin*, habente punctum in dextro cornu, derivabitur a verbo נשא *nasha*, quod significat, *desolare*, et hanc lectionem secutus est S. Hieronymus.

Vers. 19. 19. QUOMODO FACTI SUNT IN DESOLATIONEM! SUBITO DEFECERUNT, PERIERUNT PROPTER INIQUITATEM SUAM.

Declarat quod obscure dixerat, et admirans celerem ruinam iniquorum, quorum felicitas vix exorta arescit, vix apparuit et evanescit : « Quomodo, inquit, facti sunt in desolationem subito! » id est, quomodo, qui videbantur rebus abundare, repente facti sunt instar civitatis desolatæ, ubi præter ruinas nihil cernitur! « Defecerunt, » qui videbantur in æternum super terram victuri, « perierunt propter iniquitatem suam. » Illud, *subito*, in hebræo græcoque textu conjungitur cum verbis : « Facti sunt in desolationem; » et sic etiam legunt S. Augustinus et Euthymius. Dicuntur autem iniqui subito periisse, quia prosperitas eorum brevissima est, si cum futura æternitate pœnarum comparetur. Videtur quidem prosperitas eorum diuturna esse, dum permanet : sed cum finem acceperit, tunc sentietur quam brevis et momentanea fuerit. Illud, *propter iniquitatem suam*, S. Hieronymus vertit ex hebræo : *Quasi non sint*, id est *ad nihilum redacti sunt*. Alii vertunt, *ab horroribus*, vel *terroribus*; sed vox illa, בלהות *ballahoth*, obscuræ significationis est, et in tanta varietate versionum, sua remanere debet Septuaginta Interpretibus auctoritas.

Prosperitas impiorum est momentanea.

Vers. 20. 20. VELUT SOMNIUM SURGENTIUM, DOMINE, IN CIVITATE TUA IMAGINEM IPSORUM AD NIHILUM REDIGES.

Comparat Propheta eleganti similitudine prosperitatem iniquorum somnio. Somnium non est res vera, sed apparens : qui somniat se divitem esse; cum evigilat, intelligit se delusum inani spectro fuisse. Sic omnes iniqui abundantes in sæculo, felices sibi esse videntur; sed cum transierit nox hujus sæculi, intelligent vere se felices non fuisse, et « tunc imago ipsorum, » id est, imaginaria eorum felicitas, « ad nihilum redigetur, » quia in civitate Dei, ubi vera et sempiterna felicitas est, nullum locum habebit felicitas ista imaginaria et momentanea, quæ in auro et argento, in famulis et equis, in palatiis et hortis, in honoribus et dignitatibus, in conviviis et luxuria posita est : hæc enim omnia peribunt, et amatores suos infelicissimos reddent. Ideo rectissime admonet apostolus Paulus, « ut qui habent bona hujus mundi, tanquam non habentes sint, non de iis glorientur, non in illis confidant, quia præterit figura hujus mundi, » I *Corinth.* VII. « Velut somnium, inquit, surgentium, » quod evigilando evanescit, « sic tu Domine, in civitate tua, » quæ in novissimo demonstrabitur et aperietur, « imaginem impiorum, » id est, imaginariam eorum felicitatem, « ad nihilum rediges; » umbratilis enim felicitas evanescet, cum vera felicitas apparebit. Juste, inquit S. Augustinus, Deus in civitate sua cœlesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget, qui in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere sategerunt.

Imaginaria felicitas impiorum eos perdit

Vers. 21. 21. QUIA INFLAMMATUM EST COR MEUM, ET RENES MEI COMMUTATI SUNT : ET EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM, ET NESCIVI.

Vers. 22. 22. UT JUMENTUM FACTUS SUM APUD TE, ET EGO SEMPER TECUM.

Vers. 23. 23. TENUISTI MANUM DEXTERAM MEAM, ET IN VOLUNTATE TUA DEDUXISTI ME, ET CUM GLORIA SUSCEPISTI ME.

Exponit nunc Propheta unde noverit solutio-

nem quæstionis, et apud Deum multum profecerit. « Quia inflammatum est cor meum. » Causalis ista vox *quia*, non reddit rationem superiorum, sed inferiorum, quæ habentur vers. 23 : « Tenuisti manum dexteram meam. » « Quia, inquit, inflammatum est cor meum, » in Deum videlicet, « et renes mei commutati sunt, » id est, affectio mea carnalis mutata est in spiritualem. « Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi, » id est humiliatus sum, et ignorantiam meam confessus sum. Imo ut insipiens « jumentum factus sum apud te, » id est, obedire tibi sine contradictione constitui, et onus quodcumque portare decrevi, more jumenti. « Et ego semper tecum, » id est, a fide et charitate tua non recedam : propter has omnes virtutes meas, quæ dona tua sunt, « tenuisti manum dexteram meam, » ne forte tentatio illa gravissima me aberrare faceret a te. « Et in voluntate tua, » id est, secundum beneplacitum tuum, « deduxisti me » per viam rectam, « et cum gloria suscepisti me » in civitatem tuam, nunc quidem in spe, suscepturus postea in re. Illud, *inflammatum est cor meum*, aliqui exponunt in deteriorem partem, id est, exarsit indignatione cor meum; et sic etiam illud, *ad nihilum redactus sum, et nescivi*, exponunt de peccato et ignorantia Davidis; ut etiam illud, *ut jumentum factus sum*, exponunt de stultitia ejusdem, quod more brutorum non intellexerit mysteria divina : sed nos in bonam partem cum S. Hieronymo, qui hæc omnia tribuit Christo, et ex parte cum S. Augustino, interpretati sumus, non præjudicantes aliorum commentariis, si forte lectoribus magis arrideant. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus ex hebræo vertit : *Quia contractum est cor meum*; nos cum Græcis legimus, *inflammatum est :* et verisimile est Septuaginta Interpretes non habuisse in suis codicibus hebraicis יתחמץ *ithchamets*, sed יתחמם *ithchamem*, ultima littera immutata; hoc enim significat, *calefactum est*. Illud, *renes mei commutati sunt*, S. Hieronymus ex hebræo vertit : *Lumbi mei velut ignis fumigans*, quia fortasse derivavit vocem אשתונן *eshthonan* ab אש *esh*, quod significat *ignem*. Sed eadem vox *eshthonan* rectius derivatur a verbo שנה *shanah*, quod est *mutare*, et significat *commutati sunt*, ut Septuaginta Interpretes reddiderunt. Illud, *et ego ad nihilum redactus sum*, ex hebræo vertit S. Hieronymus : *Et ego insipiens*; et vere in hebræo non est nisi una vox trium litterarum, בער *bahhar*, pro tribus illis vocibus, *ad nihilum redactus sum*. Significat autem *bahhar*, insipientem, quasi jumentum; proinde illud, *ad nihilum redactus sum*, videtur exponendum, *ad nihilum sapientiæ redactus sum*, quasi jumentum factus sum ex homine, ac per hoc nihil hominis in me remansit; et videtur explicatio hæc confirmari per sequentia, « et nescivi, » et « ut jumentum factus sum : » quæ omnia dicuntur a Davide ex profunda humilitate, qua se coram Deo insipientissimum esse judicabat : quare non repugnat hæc expositio accommodata ad verba hebraica, cum ea, quam supra tradidimus ex simplici lectione latina et græca.

24. QUID ENIM MIHI EST IN CŒLO, ET A TE QUID VOLUI SUPER TERRAM? Vers. 24.

Quia dixerat : « Cum gloria suscepisti me, » oculo cordis in gloriam illam defixo, ita raptus a spiritu est, ut jam omnia creata despiciat. « Quid mihi, inquit, est in cœlo? » quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam in cœlo? « aut a te quid volui super terram? » quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam, et a te expetam super terram? quasi dicat : Nihil creatum invenio, quod mihi satisfaciat, nihil in quo cor meum penitus acquiescat, neque in cœlo, neque in terra. In hebræo legitur מי *mi*, non מה *ma*, id est, *quis mihi est in cœlo*, non *quid mihi est in cœlo*. Sed cum Septuaginta Interpretes, et ipse etiam S. Hieronymus verterint *quid*, omnino retinenda est nostra lectio, ac dicendum in antiquis codicibus fuisse מה *ma*, non מי *mi*. Quod autem in hebræo sequitur, *et tecum non volui super terram*, hunc sensum facit : Nihil mihi est in cœlo quod cupiam, super terram autem non volui quicquam etiam tecum, quia te solum habere desidero. Sensus igitur idem est, etiamsi verba diversa sint.

25. DEFECIT CARO MEA, ET COR MEUM : DEUS CORDIS MEI, ET PARS MEA DEUS IN ÆTERNUM. Vers. 25.

Reddit rationem cur nihil cupiat præter Deum quia, ubicumque posuerit cor suum, aut carnem suam, putrescent et deficient, nisi quieverint in Deo. « Defecit, inquit, caro mea, et cor meum, » si quando per amorem ea collocavi in creatis rebus, putruerunt et corrupta sunt. « Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum. » In hebræo est, *petra cordis mei, et pars mea, Deus in æternum*, id est, Deus solus est petra, in qua quiescit secure cor meum, ut neque cadere, neque deficere possit; ipse est centrum omnium desideriorum meorum; ipse est pars mea, portio mea, hæreditas mea, id totum quod prætendere possum in æternum : habeant alii partes alias, sive aurum et argentum, sive delicias carnis, sive superba palatia, sive regna et imperia : mihi Deus sufficit in hac vita et in futura.

26. QUIA ECCE QUI ELONGANT SE A TE, PERIBUNT : PERDIDISTI OMNES QUI FORNICANTUR ABS TE. Vers. 26.

Recte elegit consistere in Deo, petra sua, quoniam omnes, qui per iniquitatem separantur a Deo, peribunt omnino, quomodo perit corpus, cum separatur a spiritu; et ruit ædificium, cum subducitur fundamentum. « Perdidisti omnes qui fornicantur abs te; » non solum pereunt, qui averruntur a Deo, quia carent hoc ipso gratia Dei, quæ dat vitam animæ, sed etiam quia Deus zelotes est, et animas sibi primus desponsavit : et ideo gravissime punit morte sempiterna eos, qui fornicantur a Sponso tam bono et tam potente.

Vers. 27. 27. MIHI AUTEM ADHÆRERE DEO BONUM EST, PONERE IN DOMINO DEO SPEM MEAM.

Vers. 28. 28. UT ANNUNTIEM OMNES PRÆDICATIONES TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.

Adhærere Deo bonum simpliciter.

Concludit Psalmum, dicens : « Mihi adhærere Deo bonum est, » id est, viderint alii quid eis bonum sit, mihi certe bonum est, utile, jucundum, honorificum, adhærere Deo : et quoniam adhærere per amplexum in hac vita non datur, bonum mihi nunc est «ponere in Domino Deo spem meam,» id est, adhærere per spem, et in spe perfectæ adhæsionis interim gaudere. « Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion, » id est, ut per hanc adhæsionem ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrena, totus occuper in laudibus ejus, idque « in portis filiæ Sion, » coram multitudine fidelium, ut multos erudiam quam sit inane et noxium adhærere temporalibus bonis, et quam bonum adhærere Deo, et ponere in Domino Deo spem suam. Illud, *omnes prædicationes*, in hebræo est, *omnia opera tua* : ex quo intelligimus sensum esse : ut annuntiem prædicationem operum tuorum, sive, ut prædicem omnia opera justitiæ et misericordiæ tuæ, unde, et tu lauderis, et populus erudiatur. Illud, *in portis filiæ Sion*, non est in hebræo ; proinde, vel excidit, ut quædam alia, vel huc translatum est ex Psalmo IX, vers. 14, ubi habetur : « Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. »

PSALMUS LXXIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *Intellectus Asaph.*

Ut quid, Deus, repulisti in finem; iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ; mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto!

4. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa :

5. Et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum, securibus 6. exciderunt januas ejus in idipsum; in securi et ascia dejecerunt eam.

7. Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

9. Signa nostra non vidimus, jam non est propheta : et nos non cognoscet amplius.

10. Usquequo, Deus, improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

12. Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.

V. S. H. — *Eruditio Asaph.*

Ut quid, Deus, repulisti in finem, fumabit [al. *fumavit*] furor tuus in gregem pascuæ tuæ?

Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio; redemisti virgam [*h. sceptrum*] hæreditatis tuæ : montem Sion, in quo habitasti.

Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem : omnia mala egit inimicus in sanctuario :

Fremuerunt hostes tui in medio pacti tui : posuerunt signa sua in trophæum.

Manifesta in introitu desuper :

In saltu lignorum secures. Et nunc sculpturas [al. *scalpturas*] ejus pariter; bipenne et dolatoriis deraserunt.

Miserunt ignem in sanctuarium tuum : In terram contaminaverunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul : incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.

Signa nostra non vidimus, non est ultra propheta : et non est nobiscum qui sciat usquequo.

Usquequo, Deus, exprobrabit [al. *exprobravit*] adversarius : blasphemabit [al. *blasphemavit*] inimicus nomen tuum in finem?

Quare convertis manum tuam et dexteram tuam : a medio sinu tuo consume.

Deus autem rex meus ab initio : operatur [al. *operatus est*] salutes in medio terræ.

13. Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita draconum in aquis.

14. Tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes et torrentes; tu siccasti fluvios Ethan.

16. Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem.

17. Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus : inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum.

19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20. Respice in testamentum tuum : quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confusus : pauper et inops laudabunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, judica causam tuam : memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum : superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Tu dissipasti in fortitudine tua mare : contrivisti capita draconum in aquis.

Tu confregisti [*h. fregisti*] capita Leviathan : dedisti eum escam [al. *in escam*] populo Æthiopum.

Tu dirupisti fontem et torrentem [al. *fontes, et torrentes*], tu exsiccasti flumina fortia.

Tua est dies et tua est nox, tu ordinasti luminare [al. *luminaria*] et solem.

Tu statuisti omnes terminos terræ : æstatem et hiemem tu plasmasti.

Memento hujus, inimicus exprobravit Domino, et populus insipiens blasphemavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animam eruditam lege tua : vitæ pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.

Respice ad pactum : quia repletæ sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ.

Ne revertatur confractus, confusus [al. add. *et*] : egenus et pauper laudabunt nomen tuum.

Surge, Deus, judica causam tuam : memento opprobrii tui ab insipiente tota die.

Ne obliviscaris voces hostium tuorum : sonitus adversariorum tuorum ascendit jugiter.

Argumentum. — Scriptum putamus ab Israelita quodam, ex familia Asaphorum oriundo, quum expugnata urbe Hierosolyma templum antea profanatum exspoliare, destruere et comburere Chaldæi inciperent : cf. imprimis *Thren.* I, 10; II, 6 seqq. De Antiochi Epiphanis ætate ut cogites, causa adest nulla. Strophæ quatuor, quarum primæ respondet tertia, secundæ quarta. Vers. 1-2, recordare, o Deus, populi tui, quem inde ab antiquissimis temporibus singulari tua cura dignatus es; 3-9, grassantur hostes, profanant, vastant, comburunt templum et quæcumque per terram sunt sacra loca; 10-17, pœnas repete ab eis, tu cujus tutelæ fuimus a prisco inde tempore, qui universum mundum ædificasti; 18-23, libera nos ab insana hostium insolentia.

Non male alii Psalmos LXXIII, LXXIV et LXXVII ad expeditionem Sennacherib referunt. Quo posito *sanctuarium* sunt *sacella* vel *delubra* præter templum Hierosolymitanum per universam Judæam Deo exstructa.

1. Asaphi doctrina.

Cur, Deus, rejecisti nos in finem (tam diu)?
cur tamdiu fumat ira tua in gregem pascui tui?

2. Recordare cœtus tui, quem acquisivisti olim,
quem redemisti *ut* gentem hæreditatis tuæ;
recordare montis Sion, in quo habitas.

3. Eleva gressus tuos ad ruinas perpetuas (vix instaurandas);
omnia violat hostis in sanctuario.

4. Rugiunt (ferociunt) adversarii tui in medio cœtu tuo,
ponunt signa sua signa.

5. Conspicitur *hostis* sicut aliquis adducens desuper (elevans)
in densa arborum (densas arbores) secures.

6. Et nunc cælaturas ejus (templi) *omnes* simul
bipenni et malleis tundendo comminuunt.
7. Inferunt ignem sanctuario tuo,
ad solum *prosternentes* profanant habitationem nominis tui.
8. Dicunt in corde suo : « Perdamus eos omnes simul! »
Cumburunt omnes conventus (conventus loca) Dei in terra.
9. Signa nostra non videmus,
non amplius est propheta,
et nullus est inter nos qui sciat usquequo (duratura sit hæc calamitas).

10. Quousque, Deus, conviciabitur adversarius?
irridebit hostis nomen tuum perpetuo?
11. Cur (otiosus spectator existens) retrahis manum tuam et dexteram tuam?
ex sinu tuo *educ eam, et* perde *eos*.
12. Et (tamen) Deus *est* rex meus *inde* ab antiquo,
operans salutaria in media hac terra.
13. Tu diffidisti potentia tua mare (Rubrum),
confregisti capita belluarum (Ægyptiorum) in aquis.
14. Tu contudisti capita crocodili (Ægyptiorum),
dedisti eum (eorum cadavera) *in* cibum populo deserticolarum.
15. Tu fidisti fontem et torrentem,
tu exsiccasti fluvios perennes (perpetuo fluentes).
16. Tibi (tuum opus) *est* dies, et tibi nox;
tu parasti luminare et solem.
17. Tu constituisti omnes terminos terræ;
æstatem et hiemem tu fecisti ea.

18. Memor sis hujus : hostis conviciatur Jovæ,
et populus vesanus (impius) irridet nomen tuum.
19. Ne tradas bestiæ avidæ columbam tuam (Israelem),
vitæ pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.
20. Respice ad fœdus (cum patribus nostris pactum)!
nam plena sunt latibula terræ habitaculis violentiæ.
21. Ne revertatur (a te discedat) miser contumelia affectus (spe frustratus);
afflictus et pauper (erepti e miseriis) laudent nomen tuum.
22. Surge, Deus, age causam tuam,
recordare ignominiæ tuæ a vesano (impio) quotidie *illatæ*.
23. Ne obliviscaris vocis adversariorum tuorum,
tumultus insurgentium contra te ascendentis continuo.

NOTÆ.

Vers. 1. *Doctrina.* Cf. *Ps.* XIV, 1; XLIV, 1. —Vers. 2. *Acquisivisti,* ducendo eo ex Ægypto in terram Cananæam. *Shebet,* propr. *baculum,* hinc *virga mensoria,* inde *portio, tribus, peculium. Gentem hæreditatis tuæ,* tibi propriam. — Vers. 3. *Eleva gressus tuos ad,* veni invisurus. Pro *ruinas* Alexandrini vertunt *superbias,* a *nasa, extulit. Sanctuario,* templo, vel synagogis. — Vers. 4. Sua sacra substituunt tuorum in locum sacrorum : ita Maurer. Alii rectius intelligunt *signa suæ dominationis* pro signis dominationis Jovæ. — Vers. 5. Sensus : Hostis loca sacra non aliter tractat, quam silvam forte vel loca spinosa purgaturus, quibus inducuntur secures. — Vers. 6. *Cælaturas,* lapides ac ligna affabre exsculpta, variisque figuris exornata. *Omnes*

simul vel ad *cælaturas*, vel ad *hostes* potest referri. — Vers. 7. Propr. *inferunt in ignem sanctuarium* : hypallage. *Ad solum profanant*, prægnanter dictum. — Vers. 8. *Conventus* hic sunt sacella vel delubra variis locis exstructa, aut *synagogæ* ut indicat vox *omnes* : conf. *Act.* xv, 21. — Vers. 9. *Signa* : cf. vers. 4. Propheta : cf. *Thren.* II, 9; *Ezech.* VII, 26. — Vers. 13. Hengstenberg, *diffindis..... confringis*, et ita deinceps : non tam eventus historiæ quosdam, ait, respicit vates, quam potius describit Dei in rerum natura potentiam. — Vers. 14. Propr. *populo*, puta *deserticolis*, i. e. feris, ait Maurer; Bochartus, *Æthiopibus ichthyophagis*. Verum sicuti *conquassatio capitum* non proprie videtur accipienda, ita nec *esca*. — Vers. 15. Conf. tum *Exod.* XVII, 6; *Num.* XX, 8; tum *Jos.* III, 13, 16. — Vers. 16. Alii, *luminare et*, i. e. scilicet *solem*. Alii *luminare* lunam esse volunt. — Vers. 19. Pro *avidæ*, alii : *vitam columbæ tuæ*. Alexandrinus legit *thodeka*. Alii *chaiath* in utroque hemistichio reddunt *agmen*, *cœtus* : *Ne tradas agmini vitam.... cœtus pauperum tuorum*, etc. : non male. — Vers. 20. *Habitaculis*, i. e. hominibus habitantibus. Sensus duplex esse potest, prout violentiæ passive vel active sumitur; nam latibula quærunt tum injuriam patientes, tum facientes. Prius præplacet.— Vers. 21. Alii, *qui laudant*. — Vers. 23. Alii, *tumultus* (in casu nominat.)... *ascendit*, etc. : hujus recordare.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Intellectus Asaph.

In hoc Psalmo prædicitur et deploratur desolatio Jerosolymæ; et ideo dicitur in titulo, *Intellectus*, sive, ut alii vertunt, *Eruditio Asaph*, ut admoneantur Judæi diligenter cogitare et intelligere, quæ in hoc Psalmo de ipsis dicuntur. Quæstio est inter Expositores, an Psalmus intelligi debeat de persecutione Nabuchodonosoris, an Titi et Vespasiani, an Diocletiani et Maximiani, an Antichristi : nam his omnibus persecutionibus aliquo modo verba Psalmi applicari videntur. Sed verior sententia omnibus consideratis videtur eorum, qui hunc Psalmum exponunt de persecutione Antiochi Illustris, de quo agitur in libris Machabæorum; aliæ enim aliorum sententiæ non videntur commode sustineri posse. Nam tempore captivitatis Babylonicæ non deerant Prophetæ; et tamen hic dicitur : « Jam non est Propheta. » Tempore Diocletiani non fuit populus Christianus repulsus a Deo, et derelictus in finem, sed contra multis miraculis illustratus et propagatus, quod idem dici potest de tempore Antichristi : eminebit enim tunc Ecclesia in fortissimis martyribus suis; hic autem dicitur : « Ut quid Deus repulisti in finem? » In tempus Titi et Vespasiani omnia convenire videntur; nam tunc nulli amplius erant Prophetæ in Israel, et templum incensum fuit, et facta est desolatio, quæ durabit usque in finem, et ideo hanc expositionem amplexi sunt S. Augustinus, Theodoretus et Euthymius. Sed verba hujus Psalmi non conveniunt Judæis perfidis, qui non erant oves pascuæ Dei, neque vere confitebantur Domino; sed erant inimici et rebelles; et tamen in hoc Psalmo dicitur : « Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ; » et infra : « Ne tradas bestiis animas confitentes, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem; » neque Ecclesia frequentaret hunc Psalmum, si contineret voces infidelium Judæorum : quare improbabilis est expositio Theodoreti et Euthymii, qui verba Psalmi tribuunt populo Judaico. Sanctus autem Augustinus aliqua tribuit Apostolis, aliqua Judæis, alia aliis. Itaque si quis uniformem explicationem velit, et liberam ab omni scrupulo, eligat sententiam quæ totum Psalmum ad litteram exponit de persecutione Antiochi.

De qua persecutione in hoc Psalmo agatur.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. UT QUID, DEUS, REPULISTI IN FINEM? IRATUS EST FUROR TUUS SUPER OVES PASCUÆ TUÆ.

Deplorat S. Propheta in persona populi Judaici universalem illam calamitatem, qua totus populus Judaicus miserrime oppressus fuit a gentilibus sub Antiocho rege, qui dictus est Epiphanes : « Ut quid, inquit, tu Deus repulisti, » supple « populum in finem, » id est, *in æternum*, et generaliter, quasi non amplius curaturus eum, aut pro populo tuo habiturus. « Iratus est furor tuus, » id est, accensus est furor tuus « super oves pascuæ tuæ, » id est, contra populum tuum, quem singulari providentia regere solebas; ut pastor proprias oves pascit et regit. Illud, *repulisti in finem*, non significat revera Deum, fixo decreto, repulisse in æternum populum suum; sed populum dubitasse, ne forte rejectus esset in finem; et ideo lamentando dixisse : « Ut quid repulisti in finem? » id est, quare ita te geris, ut videaris repulisse in finem? Nam versu 20, cum dicitur in eodem Psalmo : « Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem; » satis apparet non fuisse certum an essent repellendi in finem. Illud autem, *iratus est furor tuus*, in hebræo eleganti metaphora dicitur *fumavit nasus tuus*, quam metaphoram recte explicaverunt Septuaginta Interpretes.

Vers. 2. 2. MEMOR ESTO CONGREGATIONIS TUÆ, QUAM POSSEDISTI AB INITIO.

Orat idem populus Deum, ut non repellat in finem, adducens pro argumento, quod olim, id est, in egressu de Ægypto, ipse idem Deus popu-

lum Judaicum congregaverit in formam populi, dans eis magistratus, et leges, et judicia : quasi dicat, non videri bonum, ut Deus dispergat et abjiciat eum populum, quem ipse congregavit, et cui formam reipublicæ tribuit : « Memor, inquit, esto congregationis tuæ, » id est, populi a te congregati, « quem possedisti ab initio, » id est, qui nullum habuit regem et dominum ante te ; sed tu primus ab initio congregationis tuæ in unam quasi rempublicam, eum possedisti, ut rex et Dominus ejus. Posset etiam illud, *ab initio*, referri ad Abraham, qui fuit pater Hebræorum ; vel ad Seth, qui cœpit invocare nomen Domini, et cujus filii dicebantur « filii Dei, » ad distinctionem filiorum Cain, qui erant «filii hujus sæculi. » Sed congregatio, sive Synagoga, proprie initium habuit sub Mose, ut dictum est.

Synagoga proprie initium habuit a Moyse.

Vers. 3. 3. REDEMISTI VIRGAM HÆREDITATIS TUÆ, MONS SION, IN QUO HABITASTI IN EO.

Hoc est alterum argumentum quo probatur æquum esse ut Deus non repellat populum suum : quia non solum primus congregavit, et possedit eum ; sed etiam in regnum exaltavit, ejiciens Chananæos ex terra promissionis, et dans eam populo suo : « Redemisti virgam hæreditatis tuæ, » id est, acquisivisti bellando sceptrum regni terræ promissionis, et proprie redemisti ejiciendo injustos possessores ab ea terra, quam promiseras Abrahæ, et nepotibus ejus, filiis Israel. Dicitur autem : « Virga hæreditatis Domini, » quia sceptrum illud, regnum terræ promissionis acquisivit Deus pro hæreditate sua, id est, pro populo suo peculiari, quem ut propriam hæreditatem, possessionem, et partem sibi vindicabat. Alii tamen volunt hac parte versiculi significari, redemptum fuisse populum a servitute Ægyptiaca, et per virgam hæreditatis suæ intelligi sceptrum regni in populum judaicum, quem Deus in hæreditatem sibi elegerat. Non desunt qui per *virgam hæreditatis* accipiant virgam dimensoriam, qua distinguebantur possessiones. Sed veteres Augustinus, Theodoretus et Euthymius per *virgam* nihil aliud nisi sceptrum regium intelligi voluerunt. Illud, *mons Sion in quo habitasti in eo*, potest referri tum ad virgam, tum ad hæreditatem. Itaque sensus erit : mons Sion est virga, « quam redemisti, » id est, mons Sion est regnum sive caput regni tui, in quo habitasti, ut rex in regia civitate sua. Vel mons Sion est regnum, sive caput regni tui, in quo habitasti, ut rex in regno. Prior sensus confirmatur ex *Psalm.* CIX : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion ; » posterior ex *Psal.* II : « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. »

Vers. 4 4. LEVA MANUS TUAS IN SUPERBIAS EORUM IN FINEM : QUANTA MALIGNATUS EST INIMICUS IN SANCTO!

Propter causas jam dictas orat populus Dei, ut Deus convertat manum suam in hostes populi sui, et confundat superbiam eorum in perpetuum, ut non audeant ultra erigere se contra servos Dei. Fuisse autem regem Antiochum superbissimum, testatur liber I *Machab.* cap. I : « Et intravit, inquit, in sanctificationem cum superbia ; » et paulo post : « Et locutus est, inquit, cum superbia magna. » Quod attinet ad verba, S. Hieronymus ex hebræo vertit : *Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem.* Et sensus esse videtur, quod arca Dei, vel sanctuarium, in quo tanquam in scabello excelsi solii stabant pedes Dei dissipatum fuerit ab inimicis, et verba hebraica eum sensum ferre possunt. Sed recte etiam verterunt Septuaginta, unde nostra lectio translata est. Nam vox הרימה *harimah* significat *eleva*, et etiam *sublimitas* ; vox פעמיך *pehhameca* significat *pedes tuos*, vel *pedum tuorum*. Septuaginta vero transtulerunt *manus tuas*, magis ad sensum quam ad verba respicientes. Et semper idem sensus est, sive dicamus, *eleva pedes tuos*, et *contere superbiam eorum*, sive *eleva manum tuam*, et *deprime superbiam eorum*. Vox למשאות *lemasshuoth* si scribatur per *shin*, significat *ad dissipationes*, et sic legit S. Hieronymus ; si scribatur per *sin*, significat *superbias*, *elevationes*, et sic legunt Septuaginta Interpretes. Sequitur : « Quanta malignatus est inimicus in sancto ; » ubi redditur ratio, cur justum sit ut Deus comprimat superbiam inimici, quoniam multa mala fecit in sanctuario Dei : quæ conveniunt aptissime regi Antiocho, qui, ut legimus I *Machab.* I, « spoliavit et profanavit sanctuarium Dei, » quod hoc loco Sanctum appellatur. In hebræo est : *Omne malum fecit inimicus in sanctuario.* Sed Septuaginta expresserunt hunc sensum per admirationem : « Quanta malignatus est, » id est, quanta mala fecit « inimicus in sancto, » id est, in sanctuario !

Vers. 5. 5. ET GLORIATI SUNT, QUI ODERUNT TE, IN MEDIO SOLEMNITATIS TUÆ.

Ex hoc loco præcipue deducunt aliqui Psalmum hunc esse intelligendum de Tito et Vespasiano, quoniam obsidere cœperunt Jerusalem in solemnitate Paschali : sicut enim Judæi Christum occiderunt in Paschate, sic et ipsi occisi sunt in Paschate. Sed hæc ratio non convincit, tum quia non constat de qua solemnitate loquatur hoc loco David, nam multæ erant Judæorum solemnitates : tum quia vox hebraica מועד non solum significat *tempus solemne*, sed etiam *locum sacrum*, imo etiam *pactum*, ut S. Hieronymus vertit. Denique Titus et Vespasianus non oderant Deum Judæorum, quem non noverant ; sed oderant Judæos factiosos et rebelles, et sine dubio non everterunt Jerusalem propter odium Dei, sed propter odium Judæorum, quod idem dici potest de rege Babylonis. Antiochus autem Deum Judæorum oderat, et ceremonias legis, et conabatur omnes Judæos pervertere et inducere ad cultum idolorum, ut

Judæi sicut occiderunt Christum in Paschate, sic occisi sunt.

leginus I *Machab.* I. Itaque de Antiocho et militibus ejus proprie dicitur : « Et gloriati sunt rugitu et fremitu plane barbaro, » ut sonat vox hebraica. « Qui oderunt te, » id est, qui oderunt sacra tua et ceremonias legis tuæ, idque in medio solemnitatis tuæ, id est, ingressi templum et sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur, ibi gloriati sunt, et fremuerunt (ut vertit S. Hieronymus) quasi victores capta præda.

Vers. 6. 6. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA, ET NON COGNOVERUNT SICUT IN EXITU SUPER SUMMUM.

Clarius hæc omnia vertit S. Hieronymus : *Posuerunt*, inquit, *signa sua in trophæum, manifesta in introitu desuper*, id est, posuerunt vexilla sua, quasi trophæa manifesta, in suprema parte portarum, vel turrium civitatis, unde intratur in urbem. Illud, *non cognoverunt*, legendum est per parenthesim, et in hebræo caret particula negante, et positum est secundum formam participii, ut S. Hieronymus vertit. Sed Septuaginta Interpretes in libris suis hebraicis invenerunt negationem, et mutatis punctis, ac una littera transposita, pro ידע *iuxadah*, legerunt ידגו *iadegu*, *cognoverunt*, et addita negatione, *non cognoverunt*. Significat autem, *non cognoverunt*, hostes Dei non cognovisse quid facerent, cum civitatem et templum Dei omnipotentis ita profanarent. Illud autem, *quasi in exitu*, in hebræo est, *in introitu* ; sed exitus et introitus idem sunt, nam unde intratur, inde etiam exitur. Adverbium *sicut* non est in hebræo, sed additum est ab Interpretibus declarandi causa : vere enim signa non sunt posita *in exitu*, sive in introitu, sed quasi in exitu, id est, quasi in portis ipsis, id est, in locis publicis et notissimis.

Vers. 7. 7. QUASI IN SYLVA LIGNORUM SECURIBUS EXCIDERUNT JANUAS EJUS IN IDIPSUM, IN SECURI ET ASCIA DEJECERUNT EAM.

Pergit explicare mala quæ fecerunt hostes in Jerusalem, ac dicit eos evertisse portas ejus, « quasi in sylva lignorum » versarentur. « Securibus exciderunt januas ejus, » videlicet civitatis Jerusalem ; « in idipsum, » id est, omnes simul, uno animo, uno conatu. « In securi et ascia dejecerunt eam, » videlicet ipsam Jerusalem. Id autem fecit Antiochus, qui dejecit portas et muros Jerusalem. Illud, *exciderunt*, in hebræo est ועתה, quod S. Hieronymus vertit, *et nunc* ; Septuaginta Interpretes verterunt, *exciderunt* ; sed nisi aliquid addatur, vel mutetur, vox illa non significat *exciderunt*, neque *et nunc*. Itaque confitendum est aliquid erroris esse in textu hebraico, qui vitio librariorum irrepserit. Et quidem qui vertunt, *et nunc*, addunt unam litteram, et faciunt ועתה *vehhatha*, *et nunc*. Qui vertendum existimant *exciderunt*, cum Septuaginta Interpretibus, non conveniunt inter se ; sed alii legunt החתו *hathatu*, alii פתו *patthu*, alii aliter, quæ sunt valde diversa ab illa voce, quæ est in textu hebraico. Proinde existimarem posse legi *hhavath*, transponendo solum primam litteram in secundum locum. Significat enim עות *hhavath*, *invertere*, sive *evertere*, et *pervertere*, et sensus erit : « Quasi in sylva lignorum evertit, » hostis videlicet, « januas ejus in idipsum, » id est, simul et conjunctim.

8. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM, IN TERRA POLLUERUNT TABERNACULUM NOMINIS TUI. Vers. 8.

Hic unicus locus videtur impedire, quominus Psalmus intelligatur de persecutione Antiochi, cui alioqui reliqua omnia aptissime conveniunt. Sed meo judicio hic locus non impedit : quamvis enim tempore Nabuchodonosoris, et tempore Titi totum templum crematum et eversum fuerit, quod factum non est sub Antiocho, tamen tempore Antiochi portæ templi exustæ fuerunt ; sic enim legimus I *Machab.* IV : « Et viderunt Machabæi sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta ; » et paulo post loquens Scriptura de renovatione templi : « Dedicaverunt, inquit, portas, et imposuerunt januas. » Illud igitur, *incenderunt igni sanctuarium*, potest intelligi de parte, non de toto : et videtur id satis aperte colligi ex sequentibus : nam si totum sanctuarium concremassent, non diceret David in altera parte versiculi : « In terra polluerunt tabernaculum nominis tui ; » quod enim crematum fuisset, pollui non potuisset. Incenderunt ergo portas et ipsum templum, seu tabernaculum polluerunt, ponentes in eo idolum abominationis, et sacrificantes idolis, ut dicitur I *Machab.* I. Adde etiam quod in hebræo ad verbum dicitur, *posuerunt ignem in sanctuarium* : quæ verba non significant totum sanctuarium fuisse exustum, sed aliquid ejus : quid autem sanctuarii ex igne applicato consumptum fuerit, declaratur, ut diximus I *Machab.* IV, ubi dicuntur portæ fuisse exustæ, et a Machabæis reparatæ. Ait igitur : « Incenderunt igni sanctuarium tuum, » id est, hostes nostri tempore Antiochi injecerunt ignem in sanctuarium, et portis ejus exustis polluerunt idem sanctuarium, quod est habitaculum nomini tuo dicatum : « polluerunt autem in terra : » id est, polluerunt sanctuarium, quod habes in terra ; quia cœleste tabernaculum polluere non potuerunt. Aliqui existimant, *polluere tabernaculum in terra*, esse *dejicere in tabernaculum in terram*, id est, *funditus destruere* ; sed neque S. Hieronymus ex hebræo vertit, *in terram*, sed *in terra* ; et vox hebræa חלל *chalal* non significat *dejicere*, sive *evertere*, sed *polluere* et *contaminare*, ut græci latinique verterunt.

Adaptantur hæc verba direptioni templi factæ sub Antiocho.

9. DIXERUNT IN CORDE SUO COGNATIO EORUM SIMUL : QUIESCERE FACIAMUS OMNES DIES FESTOS DEI A TERRA. Vers. 9.

Hæc proprie convenire videntur paganis, qui

tempore Antiochi conati sunt totis viribus delere religionem veri Dei, ut patet ex libris I *Machab.* I : « Dixerunt, inquit, in corde suo, » id est, decreverunt apud se tota natio gentilium, qui Antiocho serviebant, dicentes : « Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra, » id est, contaminemus sanctuarium, repleamus omnia idolis, tollamus omnia signa religionis, et hoc modo quiescent, id est, deficient, et cessabunt omnes solemnitates Dei in terra Israel. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus in epist. *ad Suniam et Fretellam*, testatur se vertisse ex græco, ut habet nostra editio : *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, quamvis non ignoraret in hebræo esse : *Incenderunt omnes dies festos Dei a terra*, et in hexaplis Origenis, versionem Septuaginta habere : *Incendamus omnes dies festos Dei a terra*; et monet has varias lectiones notandas fuisse ad marginem, sed antiquam lectionem non debuisse mutari. Itaque constat ex verbis S. Hieronymi, unam lectionem græcam fuisse κατσπαύσωμεν, *quiescere faciamus*; aliam autem κατακαύσωμεν, *incendamus* : sed quoniam Septuaginta Interpretes per vocem hebraicam מועד *mohhad*, non intellexerunt *synagogas*, ut nunc recentiores intelligunt, sed *dies festos*, ἑορτάς, probabilissimum est eos non vertisse *incendamus* (ut sonat vox hebraica, שרפו *sarephu*), sed *quiescere faciamus*, ut verbum conveniret cum nomine, non enim dies festi proprie incendi possunt, sed cessare et tolli possunt : ac per hoc Septuaginta Interpretes non reddiderunt verbum, sed sensum, explicantes metaphoram verbi hebraici; neque improbabile est lectionem græcam postea fuisse mutatam, ut cum voce hebraica consentiret. At in hexaplis erat *incendamus*, et illa erat purissima lectio Septuaginta Interpretum. Respondeo, in hexaplis ut plurimum fuisse lectionem purissimam : sed non est necesse, ut ubique esset purissima : certe Ecclesia antiqua et moderna magis probavit aliam lectionem : et S. Hieronymus aperte dicit se vertisse ex editione Septuaginta : « Quiescere faciamus, » et sic monet esse psallendum, ut Septuaginta transtulerunt.

Vers. 10. 10. SIGNA NOSTRA NON VIDIMUS; JAM NON EST PROPHETA, ET NOS NON COGNOSCET AMPLIUS.

Ponit nunc verba populi fidelis in tanta afflictione pene desperantis de auxilio Dei. Et proprie conveniunt hæc in tempora Antiochi, quando et miracula antiqua, et prophetarum oracula defecerant, ut videretur Deus non amplius cognoscere populum suum : quod de Babylonica captivitate dici non potest, cum eo tempore esset Hieremias in Jerusalem; et Daniel et Ezechiel in Babylone. Neque possum probare quod aliqui dicunt, verba hujus Psalmi non dici a populo Judaico, sed a Gentibus; hæc enim est nimis dura expositio. At, inquies, *Dan.* III, dicunt tres pueri : « Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta; » igitur in captivitate etiam Babylonica non erat propheta, ac per hoc de illa captivitate possunt intelligi hæc verba : « Jam non est propheta. » Respondeo, antequam Jerusalem everteretur a Nabuchodonosore, tempore regis Joachim, non fuisse in Babylone ullum prophetam, et de illo tempore et loco posse intelligi verba trium puerorum : sed eodem tempore erat in Jerusalem Hieremias propheta, et post captam et eversam Jerusalem toto tempore captivitatis fuerunt in captivitate Babylonica Daniel et Ezechiel prophetæ : Ezechiel enim cœpit prophetare anno quinto captivitatis Joachim regis, qui fuit annus sextus ante eversionem Jerosolymæ, et perseveravit prophetare usque ad annum vicesimum quintum captivitatis, ut dicitur *Ezech.* XL. Daniel autem propheta fuit in Babylone ab anno primo Nabuchodonosor, usque ad annum primum Cyri, id est, toto tempore captivitatis, ut dicitur *Dan.* I, et prophetare cœpit adhuc adolescens : successerunt autem Danieli Aggæus et Zacharias prophetæ. Porro Psalmus præsens cum dicit : « Jam non est Propheta, loquitur de tempore post Jerusalem vastatam et templum profanatum, ac per hoc non loquitur de captivitate Babylonica, in qua nunquam defuerunt prophetæ post civitatem vastatam et templum incensum; sed de persecutione Antiochi, quo tempore defecerunt omnino prophetæ.

Fuerunt prophetæ.

Tempore captivitatis Babylonicæ non de-

Vers. 11. 11. USQUEQUO, DEUS, IMPROPERABIT INIMICUS? IRRITAT ADVERSARIUS NOMEN? TUUM IN FINEM ?

Pergit populus Dei exorare Dei clementiam, ut memor populi sui convertat iram in adversarios, qui improperabant Deo infirmitatem, quasi non valeret salvare populum suum. Hæc videntur dici de Nicanore, qui superbe « irridebat populum Dei, et irritabat nomen Domini, » ut dicitur lib. I *Machab.* cap. VII; et de ipso rege Antiocho et rege Demetrio, et ducibus eorum inimicis Dei et populi sui, ut cognosci potest ex lib. I *Machab.*

Vers. 12. 12. UT QUID AVERTIS MANUM TUAM, ET DEXTERAM TUAM DE MEDIO SINU TUO IN FINEM?

Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes suos : nunc orat ut complectatur populum suum, ut antea faciebat, et non excludat a sinu suo paterno filios suos. « Ut quid, inquit, avertis manum tuam, » sinistram videlicet, « et dexteram tuam de medio sinu tuo, » ut videlicet sinas nos cadere de sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo, « in finem, » id est, in perpetuum : qui enim complectitur aliquem, admovet utramque manum ad sinum; qui rejicit, vel non vult complecti, manus a sinu removet : hæc mihi videtur litteralis expositio. Alii existimant, *avertere manum a sinu*, significare non velle bona, quæ sunt in sinu, communicare cum aliis, intelligentes per sinum Dei, thesaurum bonorum omnium, qui est apud Deum. Omitto aliam expositionem,

quod *avertere manum a sinu*, sit manus post tergum convertere, in signum negantis auxilium. Pro *in finem*, in hebræo est כלה *calleh*, quam vocem S. Hieronymus vertit *consumens*; sed potest optime verti, *perfecte* et *absolute*, quod est idem cum *in fine*, præsertim si deducatur a verbo כלל *calal*, quod est *perficere*; unde כלה *callah*, *sponsa*, quia perfecta omni decore et ornatu esse solet.

Vers. 13. 13. DEUS AUTEM REX NOSTER ANTE SÆCULA, OPERATUS EST SALUTEM IN MEDIO TERRÆ.

Communis expositio litteralis est, in hoc versu et quinque sequentibus explicari potentiam, quam olim Deus ostendit tum in liberatione filiorum Israel de Ægypto, tum in creatione mundi: ut ostendat posse Deum, si velit, liberare eosdem filios Israel a præsenti calamitate. « Deus, inquit, Rex a sæculo, » id est, « Deus, Rex noster, » qui est ante sæcula Deus, « operatus est salutem, » Judæorum videlicet, « in medio terræ, » id est in terra promissionis, in quam eos introduxit, ex captivitate Pharaonica. Illud, *ante sæcula*, conjungit quidam auctor cum verbo, *operatus est salutem*; sed repugnant omnes codices hebraici, græci et latini. Omnes enim distinctionem ponunt post vocem *sæcula* : neque intelligi potest quomodo Deus ante sæcula operatus sit salutem in medio terræ, cum terra non fuerit ante sæcula : neque testimonium, quod ille adducit ex Isaia pro ipso facit : aliud enim est a sæculo, quod habetur in Isaia, aliud, ante sæcula, quod hic habetur. Multo aptius S. Augustinus conjungit cum voce *Deus*, ut sensus sit : *Rex noster, qui est ante sæcula Deus*. Illud, *in medio terræ*, exponunt nonnulli *publice* et *palam*, quod non improbo. Sed etiam verum est Palæstinam esse in medio terræ olim notæ et habitabilis : nam est in finibus Asiæ, Africæ et Europæ, ut vere dici possit esse in medio Asiæ, Africæ et Europæ. Unde etiam opus Redemptionis operatus est Salvator noster in medio terræ, ut commodissime deferretur ejus prædicatio ad omnes tres partes orbis terrarum.

Palestina est in medio terræ olim notæ et habitabilis.

Vers. 14. 14. TU CONFIRMASTI IN VIRTUTE TUA MARE, CONTRIBULASTI CAPITA DRACONUM IN AQUIS.

Explicat quomodo Deus operatus sit salutem Judæorum, et ait : « Tu *Deus* confirmasti mare in virtute tua, » id est, potentia tua fecisti, ut mare Rubrum firmissime quasi murus consisteret, dum transirent per medium ejus divina virtute siccatum filii Israel. Et eadem potentia obruisti aquis ejusdem maris, ad locum suum revocatis, in capita Ægyptiorum, qui instar draconum filios Israel insequebantur. In hebræo habetur, *dissipasti*, sive *rupisti et divisisti in virtute tua mare;* sed Septuaginta Interpretes docere voluerunt mare Rubrum ita divisum et disruptum fuisse, ut firmissime divisum maneret, dum transiret populus Dei, quasi dicerent : Tu divisum mare confirmasti. Illud, *contribulasti*, est in hebræo *contrivisti*, sive *confregisti*; sed Septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram : qui enim suffocantur in aquis, non proprie pereunt ex contritione capitis; quod ergo hebraice dictum est : *Contrivisti capita draconum*, id est, interemisti draconem; Septuaginta dixerunt : *Contribulasti capita draconum*, id est, mortifera tribulatione affecisti capita draconum.

15. TU CONFREGISTI CAPITA DRACONIS : DEDISTI EUM ESCAM POPULIS ÆTHIOPUM. Vers. 15.

Hunc versum proprie ad Pharaonem referunt fere omnes expositores : nam in Hebræo non est idem nomen draconis in hoc versu et in superiore. In hoc enim versiculo est, לויתן *liviathan*, qui draco maximus, et princeps draconum marinorum est. Illud autem, *dedisti eum escam populis Æthiopum*, significat secundum aliquos, regnum Ægypti post submersionem Pharaonis datum fuisse in prædam Æthiopibus; secundum alios, ipsum Pharaonem, et capita ejus, id est Principes ejus mortuos, et ad littus ejectos fuisse spoliatos ab Arabibus, qui in Scriptura Æthiopes dicuntur. Denique secundum alios, ipsum Pharaonem mortuum et in littore expositum, factum esse escam corvis, qui a nigrore dicuntur populi Æthiopum. Non multum refert quid proprie his verbis significetur, dum constet explicari pœnam de Pharaone sumptam.

16. TU DIRUPISTI FONTES ET TORRENTES, TU SICCASTI FLUVIOS ETHAN. Vers. 16.

Hic jam describitur potentia Dei, qui paulo post in deserto ex petra excitavit fontem, et rivum aquæ instar fluminis, et deinde siccavit Jordanem, ut populus transiret in terram sibi promissam. « Tu dirupisti fontes, » id est, dirupta petra fecisti scaturire fontes et torrentes. « Tu siccasti fluvios Ethan, » id est, siccasti flumen Jordanis, quod flumen maximum est : *Ethan* enim *fortem* significat; unde S. Hieronymus vertit, *flumina fortia*. Sed Interpretes cæteri relinquere maluerunt ipsam vocem Hebraicam non interpretatam.

17. TUUS EST DIES, ET TUA EST NOX; TU FABRICATUS ES AURORAM ET SOLEM. Vers. 17.

Transit ad potentiam quam Deus in creatione monstravit : et quoniam creatio in summa complectitur duas partes principales, cœlum et terram, juxta illud *Gen.* : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » de his duabus partibus tantum loquitur : « Tuus, inquit, est dies, et tua est nox; » et reddens rationem addit, « tu fabricatus es auroram et solem; » id est, tu fecisti initio lucem, similem auroræ, deinde quarto die fecisti solem, ut distingueret dies et noctes. In hebræo non est nomen auroræ, sed nomen luminis, sive lucis, ut etiam in græco textu. Et quidem multi per lumen hoc intelligunt lunam, ut sensus sit : *Tu fecisti lunam et solem;* et quoniam hic videba-

tur inversus ordo, correxerunt aliqui, et legerunt *solem et lunam*, et sic legit S. Augustinus; sed Interpres noster recte vertit, *auroram et solem*, quoniam explicare voluit lucem, quam Deus initio creavit, non fuisse solis neque lunæ, sed simplicem lucem, quæ præcedebat solis creationem, quasi quædam aurora mundi.

Lux solem præcedens in creatione qualis fuerit.

Vers. 18. 18. TU FECISTI OMNES TERMINOS TERRÆ, ÆSTATEM ET VER; TU PLASMASTI EA.

Attigit creationem cœli mentione facta lucis et solis; nunc attingit creationem terræ, dicens: « Tu fecisti omnes terminos terræ, » id est, tu fecisti totam terram usque ad omnes ejus ultimos fines, id est ab ortu ad occasum, ab Aquilone ad Austrum. « Æstatem et ver tu plasmasti, » id est, tu fecisti vicissitudines temporum, in quibus terra nunc fructus concipit, nunc parit: nam in fine æstatis, id est in septembri, in terra promissionis reconduntur omnes fructus: et tunc incipit terra iterum concipere et præparare se ad novum partum: et initio veris iterum incipit parere flores, ac deinde fructus. S. Hieronymus vertit, *æstatem et hiemem tu plasmasti*; et vere vox hebraica *hiemem* significat, ut perspicuum est ex *Gen.* VIII, 22. Et ideo existimamus hic accipiendam esse æstatem pro fine æstatis, quo terra deposito onere iterum concipere incipit: et ver pro finem hiemis, sive initio veris, quando flores apparere incipiunt.

Vers. 19. 19. MEMOR ESTO HUJUS, INIMICUS IMPROPERAVIT DOMINO: ET POPULUS INSIPIENS INCITAVIT NOMEN TUUM.

Explicata potentia Dei redit ad orationem, ac precatur ut Deus dignetur recordari, quemadmodum inimicus blasphemaverit Deum, quasi impotentem et infirmum. Videntur autem verba hujus versiculi et cæterorum usque ad finem alludere ad superbiam Antiochi, de qua dicitur lib. I *Machab.* cap. I: « Et locutus est cum superbia magna; » et lib. II, cap. V, cum dixisset Scriptura: « Antiochum indigne contrectasse sacra vasa, et templum diripuisse, » addit: « Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis a templo talentis, velociter Antiochiam reversus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. » Ait igitur Psalmista: « Memor esto hujus, » id est, recordare, Domine, hujus rei quam dicturus sum: « Inimicus improperavit Domino, » id est, hostis noster improperavit tibi Domino impotentiam: « Et populus ejus insipiens incitavit » blasphemando « nomen tuum. »

Vers. 20. 20. NE TRADAS BESTIIS ANIMAS CONFITENTES TIBI, ET ANIMAS PAUPERUM TUORUM NE OBLIVISCARIS IN FINEM.

Hinc etiam cognosci potest hunc Psalmum scriptum esse magis contra Antiochum, quam contra Nabuchodonosorem, vel Titum, aut Vespasianum: siquidem tempore Antiochi sæpe fuerunt in maximo periculo Judæi ne omnino in manus ejus devenirent, et vel occiderentur omnes, vel captivi abducerentur: et ideo orabant, « ut non traderentur bestiis devorandi, » id est, Antiocho et militibus ejus penitus destruendi: sicut revera nunquam fuerunt universaliter ab Antiocho subjugati. At Nabuchodonosor, et Titus, et Vespasianus universaliter Judæos oppresserunt partim occidendo, partim captivos abducendo. « Ne tradas, inquit, bestiis, » id est, hominibus insipientibus et crudelibus more ferarum, « animas confitentes tibi, » id est, homines qui te colunt, et confitentur laudes tuas; et easdem « animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem, » id est, ne obliviscaris defendere et liberare animas pauperum tuorum, qui ad januam misericordiæ tuæ panem mendicant. In hebræo, pro *confitentes tibi*, nunc est *thoreca*, quod S. Hieronymis vertit: *Eruditos in lege tua*; alii, *turturis tuæ*; sed Septuaginta Interpretes non legerunt *thoreca*, sed *thodeca*; fuit autem facillimum librariis ob similitudinem litterarum *resh* et *daleth*, scribere *thoreca*, pro *thodeca*; neque est causa cur anteponamus textum, quem nunc habemus, textui quem habuerunt Septuaginta Interpretes: neque est in sensu diversitas; nam per turtures posset intelligi populus Dei gemens et confitens Deo tribulationem suam.

Vers. 21. 21. RESPICE IN TESTAMENTUM TUUM, QUIA REPLETI SUNT, QUI OBSCURATI SUNT TERRÆ, DOMIBUS INIQUITATUM.

Adducit duo alia argumenta ad placandum Deum, unum ex parte fœderis initi cum Patribus, alterum ex iniquitate adversariorum, qui cum essent homines vilissimi, obtinebant injuste palatia ipsorum: « Respice, inquit, in testamentum tuum, » si non vis nos respicere, saltem respice pactum, sive testamentum, quod fecisti cum Patribus nostris, ut esses nobis in Deum nosque protegeres atque defenderes in terra, quam nobis dedisti. Quoniam, « qui obscurati sunt terræ, » id est, qui obscuri sunt in terra, viles et barbari homines. « Repleti sunt domibus iniquitatum, » id est, abundant jam domibus, sive palatiis inique nobis ereptis. Illud, *obscurati terræ*, obscurum est, et ideo variis modis exponitur; sed res non est magni momenti et facile est, ut latinus Interpres dixerit *obscurati*, pro *obscuri*. *Obscuri* autem *terræ* ii dicuntur, qui non sunt ullius nominis in terra. Illud autem, *domibus*, in hebræo non est *domibus*, sed נאות חמס *neoth chamos*, id est, *habitationibus desiderabilibus* et pulchris, qualia sunt egregia palatia.

Vers. 22. 22. NE AVERTATUR HUMILIS FACTUS CONFUSUS; PAUPER ET INOPS LAUDABUNT NOMEN TUUM.

Pergit in oratione, ac petit ne humilis populus

cogatur reverti ab orando Deo confusus, si non impetraverit quod postulat : et rationem reddit cur non debeat dimitti confusus, quoniam ipse est qui laudare solet nomen Domini. « Ne avertatur, » quasi a te repulsus et rejectus, « humilis factus confusus, » id est, ne avertatur confusus is qui se humiliat coram te. Illud enim, *factus*, conjungitur cum voce *humilis :* unica enim vox est tum in hebræo, tum in græco, pro eo quod nos habemus : *Humilis factus.* « Pauper et inops laudabunt nomen tuum, » id est, ne dimittas humilem confusum, quoniam humilis, qualis est « pauper, et inops laudabunt nomen tuum, » quod a divitibus et superbis despicitur.

Vers. 23. 23. EXURGE, DEUS, JUDICA CAUSAM TUAM; MEMOR ESTO IMPROPERIORUM TUORUM, EORUM QUÆ AB INSIPIENTE SUNT TOTA DIE.

Addit aliam rationem, quoniam causa populi est causa Dei; quoniam improperia, quæ dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. « Exurge, inquit, Deus, judica causam tuam, » id est, defende causam tuam : nam in hebræo est ad verbum, *litiga litem tuam,* hoc est, sis tu patronus causæ tuæ. « Memor esto improperiorum tuorum, quæ ab insipiente sunt tota die, » id est, quæ jugiter in te jactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis. Illud, *judica causam tuam,* quamvis ad litteram ex hebræo significet, *litiga litem tuam,* tamen quia Deus non potest litigare nisi apud tribunal justitiæ suæ, cum non habeat superiorem, ideo ad ipsum pertinet judicare, id est, judicium ferre de lite, quam habet cum iniquis; proinde versio Septuaginta et Vulgatæ editionis habet : « Judica causam tuam. » S. Augustinus legit, *judica causam meam,* sed nescio quid secutus sit : nam hebræus et græcus codex habet secundam personam, et sic invenitur in latinis libris.

Vers. 24. 24. NE OBLIVISCARIS VOCES INIMICORUM TUORUM : SUPERBIA EORUM QUI TE ODERUNT, ASCENDIT SEMPER.

Concludit rogans Deum, ut non obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. « Ne obliviscaris, inquit, voces inimicorum tuorum, » id est, ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum, « quoniam superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper, » id est, superbæ voces inimicorum tuorum nunquam cessant, sed jugiter ascendunt a linguis eorum, tanquam scintillæ a fornace maligni cordis eorum. Illud, *inimicorum,* in græcis libris est, *servorum,* sive *supplicum tuorum;* et sic etiam legit S. Augustinus. Sed in hebræo est « inimicorum, » et sic etiam vertisse Septuaginta Interpretes testatur S. Hieronymus in Epist. *ad Suniam et Fretellam* : proinde necesse est in textibus græcis irrepsisse errorem et positum esse ἱκετῶν pro ἐχθρῶν. Illud, *superbia eorum,* in hebræo est, *sonitus,* sive *tumultus insurgentium in te.* Ex quo intelligimus, per *superbiam* hoc loco accipiendam esse vocem superbam et elatam, ut diximus.

PSALMUS LXXV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem,* Ne corrumpas, *Psalmus Cantici Asaph.*

2. Confitebimur tibi, Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum :

Narrabimus mirabilia tua. 3. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

4. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.

5. Dixi iniquis : Nolite inique agere, et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.

6. Nolite extollere in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus :

8. Quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat : quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ

V. S. H. — *Victori,* Non disperdas, *Psalmus Asaph Cantici.*

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et juxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua.

Cum accepero tempus [*h. condictum*], ego recta judicabo.

Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus suis, ego appendi columnas ejus. SEMPER.

Dixi inique agentibus, nolite inique agere : et impiis, nolite exaltare cornu.

Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum : loquentes in cervice veteri.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente : neque a solitudine montium.

Sed Deus judex : hunc humiliabit, et hunc exaltabit.

Quia calix in manu Domini, et vino meraco ad plenum mixtus, et propinabit ex eo :

Verumtamen fæces ejus potabunt [al. *epotabunt*] bibentes omnes impii terræ.

10. Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.

11. Et omnia cornua peccatorum confringam; et exaltabuntur cornua justi.

Ego autem annuntiabo in sempiternum : cantabo [*h. psallam*] Deo Jacob :

Et omnia cornua impiorum confringam; exaltabuntur cornua justi.

Argumentum. — Strophæ tres, quarum prima præludium, tertia conclusio est carminis : vers. 2-4, laudamus te, o Jova, qui auxilium nobis promisisti ; 5-9, nolite gloriari, barbari, mox gravissimo supplicio afficiendi ; 10-11, laudibus efferamus Jovam, suorum vindicem. Compositus videtur Psalmus exorto Assyriaco bello, ejusque auctor vixisse temporibus Isaiæ et Hiskiæ : cf. II *Chron.* XXXII, 7-8.

1. Præcentori, *Ne perdas* (cf. *Ps.* LVII, 1), carmen Asaphi, canticum.

2. Celebramus te, Deus, celebramus,
et (quia) propinquum est nomen tuum;
narrant (homines) miranda facinora tua.
3. « Nam, *ait Dominus*, prehendam tempus statutum,
et tunc ego recte judicabo.
4. Dissolvuntur terra omnesque incolæ ejus,
ego firmas teneo columnas ejus. »

5. Dico insolentibus : Ne sitis insolentes;
et improbis : Ne efferatis cornu (superbiatis).
6. Ne efferatis in altum cornu vestrum,
neve loquamini collo *arroganti* proterva.
7. Neque enim ab ortu, neque ab occasu,
neque a deserto montium :
8. Sed Deus est judex;
hunc deprimit, et illum evehit.
9. Nam calix *est* in manu Jovæ,
et vino æstuat, plenus est mixtione,
et effundit *Jova* ex illo (propinat illud),
etiam fæces ejus haurient,
bibent omnes improbi terræ.

10. Ego vero annuntiabo perpetuo (hoc Dei judicium),
psallam Jacobi Deo.
11. Et omnia cornua improborum succidam,
efferentur cornua justi.

NOTÆ.

Vers. 2. *Propinquum*, quod alii capiunt subjective, *q. d.* Nomen tuum proximum est cordi et labiis nostris : ita Alexandrini. Alii objective : Deus in eo est ut præsentem se nobis liberandis exhibeat, ita ut te celebrandi novam causam habeamus. — Vers. 3. *Prehendam*, non prætermittam, eo utar. Cf. *Is.* x, 12. — Vers. 6. Alii, *collo protervo*. — Vers. 7. Quid subaudiendum? Alii : *aliquis judex* aut *dominus*. Septentrionem versus nulli tunc erant hostes Hebræorum. Alii : *erit salus vobis*. *Deserto*, puta Arabiæ, in quo sunt montana sinaitica. — Vers. 9. *Calix*, judicii symbolum, utpote in quo singulis sua portio assignatur. *Vino* : alii, *et vinum* in eo *æstuat*. *Mixtione*, vino aromatibus mixto, quæ aromata vim ejus augent. Rosenmullerus, *vino infuso*, quemadmodum Græci suo κεράν, sive κεράσαι, et Latini suo *miscere* utuntur, pro *infundere* simpliciter in calicem et *bibendum porrigere*, quando nulla liquoris peregrini intervenit mixtio.

Etiam, vel *profecto*. Vim tamen huic voci propriam, puta *nonnisi, tantum*, servare potes, si reddas : Improbi *tantum fœces ejus*, etc.; vel : Id unum agere possunt impii, scil. ut bibant fœces ejus. — Vers. 11. Maurero et aliis afferuntur hic verba Dei.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Ne corrumpas *Psalmus Cantici Asaph.*

Omnes partes hujus tituli sunt alibi explicatæ, si tamen plane explicari possunt. Tanta est enim titulorum obscuritas, ut divinatore opus sit potius, quam explicatore. Argumentum est admonitio ad humanum genus, ut juste vivant omnes, et superbiæ tumorem deponant, quoniam imminet judicium Dei severissimum atque justissimum. Videtur autem Psalmus compositus per modum dialogismi; quamvis non indicetur mutatio personarum, nisi per ipsa verba, quæ nunc populi justorum, nunc Prophetæ, nunc Dei esse ipsa se produnt.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. 1. CONFITEBIMUR TIBI, DEUS : CONFITEBIMUR ET INVOCABIMUS NOMEN TUUM.

Vers. 2. 2. NARRABIMUS MIRABILIA TUA. CUM ACCEPERO TEMPUS, EGO JUSTITIAS JUDICABO.

Vox est populi electi qui ex notitia Dei, quam habet præ cæteris hominibus, dicit suum officium esse laudare, orare et prædicare Deum. « Confitebimur, inquit, tibi, » id est, laudabimus te; « confitebimur et invocabimus nomen tuum, » id est, non solum laudabimus in hac vita, sed etiam invocabimus : pura enim laudatio non est vitæ præsentis, sed futuræ. « Narrabimus mirabilia tua, » id est, non solum laudabimus in corde nostro, et orabimus, sed etiam prædicabimus aliis omnibus « mirabilia opera tua, » ut etiam cæteri discant timere et amare te. Quod attinet ad verba, non levis difficultas est. Nam in hebræo pro *invocabimus nomen tuum*, legitur ad verbum, *et propinquum nomen tuum.* Verisimile est Septuaginta legisse, *vekaro beshimaca, et invocare in nomine tuo;* non autem, ut nunc habetur, *vekarob shemeca, et propinquum nomen tuum.* Facile enim fuit librariis conjungere litteram primam vocabuli sequentis cum ultima præcedentis. « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » Hæc est pars versiculi secundi, et continet verba Dei summi Judicis, qui approbans verba justorum, promittit suo tempore se redditurum illis præmium, ut etiam impiis non confitentibus nec invocantibus, pœnam. « Cum, inquit, accepero tempus, » id est, cum venerit hora ab æternitate determinata judicii mei, « tunc ego justitias judicabo, » id est, justissime sive rectissime judicabo. Diem judicii, ut etiam horam, esse certo definita docet Apostolus, *Act.* cap. XVII : «Nunc inquit, annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, quam statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a morte. » Docet S. Joannes in *Apocal.* cap. XIV : « Timete Deum, et date illi honorem, quia venit hora judicii. » Magnæ gratiæ, ut inquit S. Augustinus, agendæ sunt Deo, quod non statim post peccatum judicat, sed exspectat homines ad pœnitentiam, interim exhortari et invitare non cessans multis et variis modis, donec statuta dies et hora adveniant. Illud, *justitias judicabo*, non significat Deum judicaturum opera justa, ut aliqui existimant, sed Deum recte judicaturum : nam eadem vox hebræa, *mescarim*, habetur in *Psalm.* LVII : « Si recte utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum. » Quod hic dixit « justitias, ibi dixit recta; » et sicut ibi sensus est: Justam sententiam proferte; ita hic sensus est : Justam sententiam proferam.

Dies judicii determinatus et certo definitus.

Vers. 3. 3. LIQUEFACTA EST TERRA, ET OMNES QUI HABITANT IN EA : EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EJUS.

Iterum loquitur populus justorum dicens : Si juste judicabis, Domine, quis sustinebit? nam « liquefacta est terra, » id est, defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea; « et omnes habitantes in ea » deflexerunt et corrupti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus : « Ego confirmavi columnas ejus, » quasi dicat : Non omnis terra omnino corrupta est; nam ego confirmavi columnas ejus, viros perfectos, ob quos terra subsistit; semper enim habuit Deus servos suos electos et perfectos. Nam *Gen.* VI, ubi dicitur : « Terra corrupta ob iniquitates inhabitantium; » ibi dicitur : « Noe vir justus atque perfectus. »

Vers. 4. 4. DIXI INIQUIS : NOLITE INIQUE AGERE; ET DELINQUENTIBUS : NOLITE EXALTARE CORNU.

Vers. 5. 5. NOLITE EXTOLLERE IN ALTUM CORNU VESTRUM, NOLITE LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM.

Nunc jam loquitur Propheta, ut unus de nu-

mero justorum, et admonet iniquos ut desinant ab iniquitate, cum adhuc spes remaneat salutis, et propterea differatur judicium, ut locus sit pœnitentiæ. « Dixi, inquit, iniquis : Nolite inique agere, » id est, nolite perseverare in iniquitate. Verba hebraica possent etiam verti : *Dixi stultis : Nolite stultescere,* sed quanquam interpretatio Septuaginta Seniorum optima est, quam etiam in sua versione secutus est S. Hieronymus, tamen utraque vera est. Omnes enim iniqui stulti sunt, cum errent a vero itinere, et ridentes ac ludentes ruant in præcipitium. Addit Propheta, « et delinquentibus : Nolite exaltare cornu, » id est, dixi delinquentibus : Nolite gloriari in iniquitate, nolite superbe defendere peccata vestra. Cornu enim superbiam significat, et illi longius a salute recedunt, qui non solum peccant, sed etiam gloriantur, cum malefecerint, et laudari volunt in sceleribus suis : « Nolite extollere in altum cornu vestrum, » id est, nolite in profundum malorum tam alte descendere, ut etiam Deum contemnatis, et in ipsum Deum verba blasphemiæ. Vox hebræa, ut nunc legitur, non habet, *adversus Deum :* sed, ut S. Hieronymus vertit, *in cervice veteri*; vel, ut alii legunt, *collo duro.* Sed Septuaginta non videntur legisse *betsavar,* sed *betsur,* quod est unum ex nominibus Dei, et proprie significat *petram,* quia Deus fortissimus est; et per vocem *hathak,* quæ significat *durum,* non intellexerunt Septuaginta collum *durum,* sed verba dura et iniqua, et ideo verterunt : *Nolite loqui adversus petram verba dura et iniqua,* id est, adversus Deum fortissimum verba dura, id est iniqua, quales sunt blasphemiæ. Et sane eleganter alludit Propheta a verbis duris ad petram duram; quasi dicat : Nolite contendere verbis duris cum Deo, qui est petra durissima; quia petra conteret vos, et verba vestra inania esse monstrabit.

Vers. 6. 6. QUIA NEQUE AB ORIENTE, NEQUE AB OCCIDENTE, NEQUE A DESERTIS MONTIBUS : QUONIAM DEUS JUDEX EST.

Reddit rationem, cur non oporteat adversus Deum loqui iniquitatem; quia videlicet ab illius judicio nusquam erit effugium : non enim « ab oriente » judicabit, ut possis fugere in occidentem : « neque ab occidente, » ut possis latere in oriente; « neque a desertis montibus, » ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim « Judex Deus est, » qui ubique est, et nullo excluditur loco cum nullum occupet locum. Ita S. Augustinus. Alii exponunt, quia neque ab oriente exspectandum est auxilium, neque ab occidente, neque a desertis montium, « quia Deus Judex est, » cui nemo resistere potest.

Deus ubique est

Vers. 7. 7. HUNC HUMILIAT, ET HUNC EXALTAT; QUIA CALIX IN MANU DOMINI VINI MERI PLENUS MIXTO.

Vers. 8. 8. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC : VERUMTAMEN FÆX EJUS NON EST EXINANITA; BIBENT OMNES PECCATORES TERRÆ.

Dixerat non esse effugium a judicio Dei; nunc declarat dicens, « hunc humiliat, » superbum videlicet; « et hunc exaltat, » scilicet humilem. « Quia calix in manu Domini vini meri, » id est, quia in potestate Dei est justitia vindicativa, quæ dum peccatores superbos punit, simul exaltat, et consolatur justos humiles, quos ab oppressione impiorum liberat. Porro « calix vini meri » dicitur justitia vindicativa in Scripturis passim, ut *Isai.* LI, *Hierem.* XXV, *Thren.* IV, *Ezech.* XXIII, *Apocal.* XIV, et alibi. Ratio hujus metaphoræ est, quoniam vinum merum epotum debilitat adeo totum hominem, ut nec sciat, nec possit se juvare : ebrius enim amittit judicium, tremit, cadit, soporatur. Qui punitur ab homine sæpe remedium habet, vel favoris, vel fugæ, vel violentiæ : qui autem punitur a Deo, tanquam multo vino mero inebriatus, repente cadit, et omni prorsus remedio caret. Addit Propheta, « plenus mixto, » id est, plenus est calix Domini non simplici vino unius generis, sed mixtione variorum generum vini meri, quia mixtione non temperatur vinum, sed fortius redditur. Id significat justitiam Dei vindicativam abundare multitudine et varietate pœnarum. « Ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum, » *Psalm.* X. Aliqui dicunt vinum calicis Dei dici mixtum, quia turbidum, aut fæculentum. Alii mixtum interpretantur, « infusum, » quia miscere vinum, aliquando significat « infundere. » Aliqui fingunt duos calices, unum plenum mero, alium plenum mixto; sed quod nos diximus probabilius videtur, et plures habet auctores. « Et inclinavit ex hoc in hoc, » id est, jam Deus propinavit multis hunc calicem iræ suæ, inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os, transtulit ad varias gentes, punivit Sodomitas, Chaldæos, Ægyptios et alios. « Verumtamen fæx ejus non est exinanita, » id est, adhuc remanet gravissima pars justitiæ vindicativæ, quæ servatur in diem ultimi judicii, et tunc « ex ea bibent omnes peccatores terræ. » Tunc enim non erit amplius locus misericordiæ, sed omnes, qui peccatores in illa die invenientur, cogentur bibere fæces calicis iræ Domini.

Calix vini meri est justitia vindicativa.

Vers. 9. 9. EGO AUTEM ANNUNTIABO IN SÆCULUM, CANTABO DEO JACOB.

Vox hæc Prophetæ est, qui descripto judicio Dei et supplicio impiorum, pollicetur se annuntiaturum laudes Dei in æternum. Illi, inquit, bibent calicem iræ Dei : « Ego autem » liberatus per gratiam Dei, « annuntiabo in sæculum; » deinde declarans, quomodo annuntiabit : « Cantabo, inquit, Deo Jacob; » hæc erit annuntiatio mea hymnus laudis et gratiarum actionis « Deo Jacob, » quem in æternum cantabo.

Vers. 10. 10. ET OMNIA CORNUA PECCATORUM CONFRINGAM, ET EXULTABUNTUR CORNUA JUSTI.

Hæc Dei vox est, qui subjungit et concludit Psalmum, dicens : Et ego « confringam omnia cornua peccatorum, » omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam. « Et exaltabuntur cornua justi ; » et faciam ut exaltetur gloria, et potentia justi cujuscumque, sed præcipue Christi, qui sic fuit eminenter justus, ut multos justificaverit, ut dicitur *Isai.* LII : « Justificabit ipse justus servus meus multos. » Posset hic versiculus conjungi cum superiore, ita ut Propheta intelligatur utrumque dicere : « Annuntiabo in sæculum, et omnia cornua peccatorum confringam. » Dicitur enim confringere cornua peccatorum non solum, qui reipsa peccatores humiliat, sed etiam qui denuntiat peccatores humiliandos esse, ad quem modum dicitur Hieremias constitutus « super gentes, et regna, ut destruat et evellat, ædificet et plantet, » *Hierem.* I. Videtur tamen prior expositio magis accommodata huic Psalmo, qui secundum formam dialogismi compositus est, ut S. Hieronymus in *Commentario* docet.

PSALMUS LXXVI

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. V. — 1. *In finem,* In laudibus, *Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.*

2. Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus.

3. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.

4. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum.

5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis :

6. Turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

7. Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.

8. Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

9. De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit et quievit.

10. Cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

12. Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera :

Terribili, 13. et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

V. S. H. — *Victori,* In Psalteriis [*h. carminibus*] *Psalmus Asaph Cantici.*

Cognoscitur in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.

Et erit in Salem tabernaculum ejus, et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit volatilia arcus [*h. diaboli arcum*], scutum, et gladium, et bellum. SEMPER :

Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.

Spoliati sunt superbi corde : dormitaverunt somnum suum, et non invenerunt omnes viri exercitus manus suas.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, consopitus est currus [al. *et currus*] et equus.

Tu terribilis es, et quis stabit adversum te? ex tunc ira tua.

De cœlo annuntiabis [*h. auditum fecisti*] judicium : terra timens et tacebit.

Cum surrexerit ad judicium Deus, ut salvos faciat omnes mites terræ. SEMPER.

Quia ira hominis confitebitur tibi : reliquiis irarum accingeris.

Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terribili :

Auferenti spiritum ducum : terribili regibus terræ.

Argumentum. — Epinicium atque gratiarum actio propter victoriam juvante Deo ab hostibus reportatam, eamdemque illam, ut opinor, quam superiore Psalmo speraverant. Strophæ tres : vers. 2-4, magnum est nomen Dei potentissimi : est exordium; 5-11, res ipsa fusius et poetice narratur; 11-13, gratiarum actio.

1. Præcentori, fidibus *canendum* , carmen Asaphi.canticum.

2. Notus *est* in Juda Deus,
in Israele magnum *est* nomen ejus.

3. Et est in Salem tabernaculum ejus,
et habitaculum ejus in Sione.
4. Ibi confregit fulmina arcus (poet. *sagittas*),
clypeum, et gladium, et bellum.

5. Illustris tu *es*, magnificus
præ (vel *e*) montibus ferarum.
6. *Armis* spoliati sunt heroes animosi,
dormitant somnum suum (æternum),
nec invenerunt omnes viri fortes manus suas.
7. Ab (propter) increpatione tua, Deus Jacobi,
somno obruitur et currus et eques.
8. Tu, terribilis tu *es*,
et quis stabit coram te, ex quo (statim ac) *exarserit* ira tua?
9. E cœlis audire fecisti sententiam (in Sennacheribum) :
terra timuit, et quieta fuit,
10. Cum surrexit ad judicium Deus,
ut salvaret omnes afflictos (seu *mansuetos*) terræ.
11. Nam (sane) furor hominis laudat te,
residuo irarum te accingis.

12. Vota facite et solvite Jovæ, Deo vestro (o Israelitæ),
omnes qui sunt circa eum offerant munera terribili.
13. Abscindit *Deus* spiritum (superbiam) principum,
terribilis regibus terræ.

NOTÆ.

Vers. 2. *Notus*, recenti victoria. — *Salem*, Hierosolyma. Verbis ludit; nam *Salem* propr. est *pax* : hinc non male Alexandrinus vertit, *fuit in pace*, i. e. incolume. — Vers. 4. Hengstenberg pro *fulmina* vertit *flammas*. — Vers. 5. Magna sententiarum varietas. Ewaldus, *splendidior tu* es, *magnificentior, quam montes prædæ*, hostium arces prædatoriæ : *tu*, i. e. o Jova, invisibilis licet; Maurer, o Sion (vers. 3), Dei sedes. Ita Prophetæ Niniven et Babylonem vocant leonum et leopardorum antra. Alius, *illustris tu* es, o Jova, *splendidus*, quasi sol oriens *e montibus*, qui sunt *ferarum* latibula. Alius priores versiculi sequentis voces ad vers. 5 trahendo sensum commodissimum efficit, *ex montibus prædæ extracti sunt heroes animosi*. — Vers. 6. *Manus*, etc., i. e. suis viribus uti præ terrore non sciverunt. Cf. *Nahum.* III, 18; II *Reg.* XIX, 35; *Is.* X, 32. — Vers. 11. *Nam* ad omne quod præcedit refertur. Sensus : Nascitur tibi laus ex domato a te furore hostium, qui ad te se convertunt : ita Vulgatus, qui pro *te accingis*, legit *thachegok*, a verbo *chagag*. Aliter Hengstenberg : Vanus hominum furor iræ Dei præbet tum ansam, tum celebrationis materiam, quando nimirum iste hominum furor efficit, ut Deus instar herois ira succensi, residuum irarum apparatum, tanquam arma, producat, eodemque gladio et pharetra se accingat. — Vers. 12. *Omnes qui*, etc., gentiles Israelitarum vicini.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS LXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem*, In laudibus, *Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.

Propter ultima verba tituli, *Canticum ad Assyrios*, quæ non sunt in codice hebraico, existimant Theodoretus, Euthymius, et multi recentiores in hoc Psalmo prædici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib rege

Assyriorum. Sed non dubium est altiore sensu prædici victoriam electorum Dei adversus omnes hostes tum visibiles, tum invisibiles.

EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. NOTUS IN JUDÆA DEUS, IN ISRAEL MAGNUM NOMEN EJUS.**

Propter hæc verba valde superbiunt carnales Judæi, sed frustra. « Notus enim erat Deus in Judæa » terrena, quando in ea degebant prophetæ et populus prophetis acquiescens : et pari ratione, « in Israel » secundum carnem magnum erat nomen Dei, quando populus Israel non solum carne, sed etiam corde circumcidebatur : sed postea quam Deum Filium, quem omnes prophetæ annuntiaverant, negaverunt, et ejus populus esse desierunt; non est amplius in Judæa terrena notus Deus; neque in Israel secundum carnem, magnum est nomen ejus. Quia tamen hic Psalmus in titulo habet, « in finem, » et ideo respicit Christum, qui est finis legis, et usque in finem mundi canendus est; nunc etiam verum est, et semper erit verum, quod hic dicitur : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. » Sed per Judæam Ecclesia accipienda est, in qua sunt veri Judæi, circumcisi corde, non carne de quibus Apostolus *ad Rom.* II : « Non qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera. » Et cap. IX : « Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, » etc. In Ecclesia igitur christiana notus Deus est; et in populo christiano magnum est nomen ejus : major enim sapientia est in parvulis Christianis callentibus brevissimum catechismum, quam olim fuerit in philosophis Gentium, vel in magistris in Israel. Sed præcipue notus Deus est viris perfectis in Ecclesia Dei, qui totos se contemplationi rerum divinarum dediderunt, et ex contemplatione in confessionem divinæ magnitudinis toto corde erumpunt. Judæa enim confessionem significat.

Notus in Judæa Deus quomodo nunc etiam sit.

Vers. 2. **2. ET FACTUM EST IN PACE LOCUS EJUS, ET HABITATIO EJUS IN SION.**

Ad litteram redditur ratio cur in Judæa potius, quam in aliis locis olim Deus notus esset : quia videlicet Jerusalem quasi regiam suam; et Sion quasi arcem sibi Deus elegerat. « Et factus est, inquit, in pace locus ejus, » id est, Deus elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate Salem, quæ pacem significat : « Et habitatio ejus in Sion, » id est, elegit sibi habitationem in Sion; quæ est pars altissima et nobilissima civitatis Jerusalem. In hebræo pro *in pace*, habetur בשלם *beshalem, in Salem*, quod est nomen civitatis Jerosolymæ; sed Septuaginta interpretati sunt nomen, et ideo verterunt, *in pace*; nam, ut dicitur *ad Hebr.* VII : « Rex Salem, est rex pacis. » Itaque hoc loco ad litteram « in pace » non significat virtutem, sed civitatem : quod satis facile intelligitur ex verbis sequentibus : « Et habitatio ejus in Sion. » Sed altiore sensu significatur, ideo Deum notum esse viris perfectis; quia Deus præcipue habitat in mentibus pacem habentium, et contemplantium : nam ut *Salem* significat pacem; ita *Sion* speculam. Et nisi quis per mortificationem carnis pacem habeat ad Deum, ad proximum et ad seipsum, non facile per contemplationem transcendit res omnes creatas, et uni Deo conjungitur.

Vers. 3. **3. IBI CONFREGIT POTENTIAS ARCUUM, SCUTUM, GLADIUM ET BELLUM.**

Hic etiam describit victoriam adversus Assyrios, de quibus in titulo Psalmi. Victoria hujus victoriæ habetur lib. I *Reg.* XIX, ubi Deus liberavit Jerusalem ab obsidione regis Sennacherib sine ulla pugna Judæorum. Angelus enim Domini una nocte occidit centum octoginta quinque millia Assyriorum, et eo modo « confregit Deus potentias arcuum; » id est, sagittas, quas Assyrii paraverant, ut jacerent in Hebræos; et « scutum, » quod paraverant, ut se defenderent ab Hebræis; et « gladium, » quem exacuerant, ut cominus pugnarent adversus eos, adversus quos sagittis eminus pugnassent; denique « bellum » totum confregit, id est, avertit ab urbe Jerusalem. In hebræo pro vocibus, *potentias arcuum*, habetur, רשפי קשת *rishpe kesheth*, quæ voces proprie significant *carbones arcuum*, id est, jacula ignita arcuum; sed Septuaginta verterunt, *potentias arcuum*, quia potentia arcus in sagittis ejaculandis consistit. Altiore sensu per jacula ignita et gladios, significantur, tentationes dæmonum, et persecutiones hominum. Per scuta intelliguntur prætextus varii, quibus se tegunt hostes nostri spirituales, cum nos oppugnant : sed in animis perfectorum servorum suorum Deus victorias maximas obtinet, ut perspicuum est ex historiis sanctorum martyrum et perfectorum monachorum.

Vers. 4. **4. ILLUMINANS TU MIRABILITER A MONTIBUS ÆTERNIS : TURBATI SUNT OMNES INSIPIENTES CORDE.**

Ostendit Propheta unde potissimum orta sit victoria Hebræorum adversus Assyrios; id autem facit per apostrophen ad Deum : « Illuminans, inquit, tu mirabiliter a montibus æternis, » id est, confregit Dominus in Jerusalem arma offensiva et defensiva Assyriorum; ille autem Dominus tu es, qui hæc fecisti, dum ex cœlis, tanquam *æternis* quibusdam *montibus* tuis, ac veluti altissima specula, et arce tua, *mirabiliter* fulgurasti, et Angelum tuum tanquam cœleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum, unde « turbati sunt omnes » illi milites Sennacherib, tanquam amisso judicio obtenebrati, et præ stupore mentis « insipientes

corde » effecti. Quod ad verba attinet, in hebræo, pro voce *æternis*, est טרף *tereph*, quæ *prædam* significat, vel *captivitatem*, non *æternitatem*. Sed omnino necessarium est ut Septuaginta Interpretes aliquid aliud legerint : neque enim fieri potest ut viri doctissimi, et utriusque linguæ peritissimi verterent, *a montibus æternis*, vel græce ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων, si legissent מהררי טרף. Itaque suspicor eos legisse טרם *terem*, non טרף *tereph*; significat autem *terem ante*, vel *antequam*, sive *priusquam*; et fieri potest ut non solum sit adverbium, sed etiam nomen, et significet *antiquitatem*, vel *antiquum*; quomodo קדם *kedem* significat *ante*, et significat etiam *antiqua*, ut patet ex Psalmo LXXVI, vers. 6 : « Cogitavi dies antiquos. » Et *Psalm.* XLIII, vers. 2 : « Quod operatus es in diebus antiquis. » Idem autem est, *a montibus æternis*, et *a montibus antiquis*; quemadmodum *Dan.* VII, « antiquus dierum » dicitur Deus, quia æternus est. Illud autem, *turbati sunt omnes insipientes corde*, S. Hieronymus vertit ex hebr. *spoliati sunt superbi corde;* sed Septuaginta Interpretes sensum verterunt. Illud enim, *spoliati sunt*, non significat, spoliati sunt vestibus, sed, spoliati sunt judicio, erraverunt, stupefacti sunt : quod est idem cum illo, *turbati sunt*. Pro *insipientes corde*, S. Hieronymus vertit, *superbi corde*, quia legit, אבירי בל *abbire leb*; Septuaginta legerunt, אבידי לב *abbide leb;* facile autem fuit mutari unam litteram in aliam similem, id est *daleth* in *resh*. Jam vero in sensu spirituali significat hic versiculus, principium victoriæ adversus hostes invisibiles esse illuminationem internam Dei, per quam videre nos facit Deus tum ipsos hostes, tum ipsorum fraudes; nec non bona invisibilia, « quæ præparavit Deus diligentibus se; » et mala invisibilia, quæ præparavit odio habentibus se. Et quemadmodum Deus illuminans mirabiliter a montibus æternis cœlestis habitaculi sui, fortissimos reddit servos suos : sic e contrario conturbat hostes suos, insipientes corde, qui videntes viros sanctos et perfectos contemnere visibilia, condonare injurias, bonum pro malo reddere, durissima quæque propter Deum libenter pati, obstupescunt et irascuntur; sed in fine dicturi sunt : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore, » *Sap.* V.

Initium nostræ illuminationis unde sit?

Vers. 5. 5. DORMIERUNT SOMNUM SUUM, ET NIHIL INVENERUNT OMNES VIRI DIVITIARUM IN MANIBUS SUIS.

Communis expositio est, quod Propheta describat mortem Assyriorum, qui ab Angelo interfecti sunt, ut hic sit sensus : « Dormierunt somnum suum, » id est, somno mortis soporati sunt, qui Jerusalem desiderabant invadere, et se brevi eam capturos et spoliaturos esse sperabant; et « omnes viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis, » id est, et isti Assyrii, qui ditissimi erant, et majores divitias appetebant, post mortem illam repentinam in infernum detrusi, nihil invenerunt in manibus suis, neque ex iis quæ habebant, neque ex iis quæ sperabant. Sed altiore sensu doctrina generalis traditur adversus insipientes corde, qui magnifaciunt bona temporalia, et despiciunt viros sanctos et perfectos, qui ista contemnunt. « Dormierunt, inquit, insipientes corde somnum suum, » id est, toto tempore vitæ hujus quasi sopore gravi concupiscentiæ et ignorantiæ oppressi quiete dormierunt, somniantes se divites et beatos esse : sed ubi per mortem evigilaverunt (pœna enim aperit oculos, quos culpa clauserat), nihil invenerunt in manibus suis, et tunc intellexerunt bona hujus vitæ non vera bona, sed ludibria somniantium fuisse, et ex iis nihil sibi remansisse, nisi vermem conscientiæ, et pœnæ sempiternæ reatum.

Vers. 6. 6. AB INCREPATIONE TUA, DEUS JACOB, DORMITAVERUNT, QUI ASCENDERUNT EQUOS.

Declarat mortem Assyriorum non fuisse naturalem, sed ab ipso Deo irato immissam : « Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt, » illi videlicet, de quibus dictum est versu superiore : « Dormierunt somnum suum; » illi, inquam, dormierunt somnum suum « ab increpatione tua » prostrati, et interfecti soporem mortis acceperunt : nam increpatio Dei efficacissima est, et eam continuo effectus sequitur. Si enim B. Petri increcrepatio Ananiam et Saphiram occidit, *Act.* III, quanto magis increpatio Dei omnipotentis? Illud, *qui ascenderunt equos*, est descriptio superbiæ et arrogantiæ Assyriorum, qui in equitatu suo confidebant. In hebræo ad verbum habetur, *currus et equus;* sed Septuaginta non legerunt רכב *recheb*, id est *currus*, sed *rocheb*, id est *eques*, ut sensus sit : Consopiti sunt eques et equus. In sensu autem spirituali significatur, morte sempiterna plectendos ab irato Deo, et dæmonem tanquam equitem, et hominem peccatorem tanquam equum, qui dæmonem sibi insidere, et ab eo regi se turpiter passus est.

Vers. 7. 7. TU TERRIBILIS ES, ET QUIS RESISTET TIBI, EX TUNC IRA TUA?

Alloquitur nunc Propheta Deum, et ex ultione et supplicio Assyriorum admiratur potentiam Dei, erudiens nos, ut similiter admiremur et timeamus : « Tu, inquit, terribilis es, et quis resistet tibi, » quando iratus fueris? Illud enim, *ex tunc ira tua*, significat : Ex quo tempore incipit ira tua, et conjungendum est cum præcedentibus, ut conjungit etiam S. Augustinus. Sed in textu latino ponuntur distinctio et interpunctio sæpe ob commoditatem canentium. Illud, *quis resistet tibi*, in hebræo est ad verbum : *Quis stabit ante faciem tuam?* quod aliquid amplius significat, quam resistentiam, quasi dicat : Quis audebit faciem tuam iratam intueri? Sed Septuaginta sensum verum transtulerunt.

Vers. 8. 8. DE CŒLO AUDITUM FECISTI JUDICIUM; TERRA TREMUIT, ET QUIEVIT :

Vers. 9. 9. CUM EXURGERET IN JUDICIUM DEUS, UT SALVOS FACERET OMNES MANSUETOS TERRÆ.

Occasione accepta ex ira Dei in Assyrios, transitum facit ad iram, quam ostendet idem Deus in die judicii generalis : tunc enim vere et proprie nemo impiorum sustinere poterit vultum irati Judicis : loquitur autem de rebus futuris per verba temporis præteriti more prophetico. « De cœlo auditum fecisti judicium, » id est, de cœlo annuntiabis per varia signa, quæ erunt in sole, et luna, et stellis, et tandem per horribilem tubam angelicam, ad judicium novissimum te esse venturum ; et tunc terra contremiscet, et præ timore silebit, id est, omnes habitantes in terra silebunt, « arescentes præ timore, et exspectatione eorum, quæ supervenient universo orbi, » *Luc.* XXI. Illud, *quievit*, non significat *requiem a labore*, sed *taciturnitatem* et *silentium ob timorem*. S. Hieronymus optime sensum vertit : *Terra timens tacebit*; sed Septuaginta verterunt ad verbum : « Terra tremuit, et quievit; » sic etiam est in hebræo. « Cum exurgeret in judicium Deus, » id est, de cœlo auditum facies judicium, cum tu Deus exurges in judicium, surges de solio tuo cœlesti, et venies ad judicandum orbem terrarum, « ut salvos facias omnes mansuetos terræ; » hic enim erit finis judicii, ut omnes mansueti, qui sunt in terra, non amplius vexentur a crudelibus et superbis persecutoribus, sed omnibus impiis et peccatoribus justo judicio condemnatis, omnes pii et justi salutem æternam, requiem videlicet et felicitatem sempiternam possideant. Illud, *omnes mansuetos terræ*, satis aperte significat non posse referri ad liberationem Hebræorum de manu Sennacherib regis Assyriorum, sed referenda esse ad universam liberationem omnium justorum. Vocat autem Scriptura *mansuetos*, eos qui liberabuntur, quoniam mansuetudo opponitur crudelitati persecutorum, et quoniam mansuetudo propria est discipulorum Christi, qui ut Agnus mansuetus in hoc mundo versatus est, et coram tondente et jugulante se obmutuit; denique quia mansueti non resistunt Deo revelanti quæ credenda sunt, neque promittenti quæ speranda sunt, neque jubenti quæ facienda sunt, ac per hoc mansuetudo omnes virtutes includit.

Mansueti qui dicantur in Scriptura ?

Vers. 10. 10. QUONIAM COGITATIO HOMINIS CONFITEBITUR TIBI, ET RELIQUIÆ COGITATIONIS DIEM FESTUM AGENT TIBI.

Hoc sequetur ex judicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum, hoc tantum beneficium cogitantes, perpetuo Deum laudent, et festos dies celebrent in cœlo, memoria retinentes hæc Dei magnalia. Illud *quia* non reddit rationem hoc loco, sed accipitur pro *quare*, vel *propter quod*, ut sensus sit : Quare cogitatio hominis liberati confitebitur tibi laudes, imo ipsa jugis cogitatio tanti beneficii, erit jugis et assidua laudatio. « Et reliquiæ cogitationis, » id est, perpetua memoria, quam in ipsis relinquet cogitatio tantæ rei, « diem festum agnt tibi, » in æternum tibi cantabit et jubilabit. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus ex hebræo vertit, *quia ira hominis confitebitur tibi, reliquiis iræ accingeris* : quæ verba nullum commodum sensum facere videntur, cum revera satis apte respondeant verbis hebraicis, quæ nunc in Bibliis excusis habentur. Sed sciendum est vocem חמה *chama* posse deduci a verbo נחם *nacham*, quod *pœnitere*, et *consolari*, et secundum Septuaginta etiam *cogitare*, significat; nam *Genes.* cap. VI, 6, ubi nos habemus : « Pœnituit Deum, quod hominem fecisset in terra, » Septuaginta Interpretes verterunt : *Cogitavit Deus, quod hominem fecisset in terra*. Quare illud חמה *chama*, non solum significat *iram*, sed etiam *cogitationem* ex sententia Septuaginta Interpretum, quibus major fides habenda est, quam omnibus dictionariis. Illud autem תחגור *thachgor*, quod significat *accingeris*, a verbo חגר *chagar*, Septuaginta Interpretes legerunt sine ullo dubio תחגג *thichgog*, a verbo חגג *chagag*, quod *festum agere* significat. Imperitissimi enim fuissent, si vertissent *festum agere*, et dictionem quam invenerunt non derivassent a radice *chagag*, sed a radice *chagar*, quæ similes sunt, et facile per errorem librariorum mutari potuerunt. Itaque retinenda est lectio et interpretatio Septuaginta Seniorum, quam fideliter Interpres latinus expressit.

Vers. 11. 11. VOVETE, ET REDDITE DOMINO DEO VESTRO OMNES QUI IN CIRCUITU EJUS AFFERTIS MUNERA.

Vers. 12. 12. TERRIBILI, ET EI QUI AUFERT SPIRITUM PRINCIPUM, TERRIBILI APUD REGES TERRÆ.

Concludit Propheta Psalmum, exhortans fideles populos ad vovendum et reddendum, ut eo modo placatum habere possint Deum, qui terribilis est, adeo ut ipsis etiam regibus vitam adimat, quando ei libitum fuerit. « Vovete, inquit, et reddite, id est, promittite Deo sacrificia et dona, quæ illi grata sunt, sed simul fideliter reddite, quæ promisistis. Vovete, inquam, et reddite, vos « omnes, qui in circuitu ejus affertis munera, » id est, vos omnes, qui frequentatis aras dominicas et in circuitu altaris consistentes offerre soliti estis munera : vovete autem, et reddite Deo vero, « qui terribilis est » in judiciis suis, et a nemine irrideri, aut falli potest; nec solum terribilis est erga privatos homines, sed etiam in reges et principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent. Ex illis verbis : « Vovete, et reddite, » refellitur hæresis modernorum hæreticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo, omnino contemnunt. Sanctus enim Augustinus, exponens hunc locum, scribit rectissime voveri Deo perpetuam virginitatem, spontaneam paupertatem, et alia id genus, quæ

Hæretici qui vota respuunt, redarguuntur.

a Deo non imperantur. Illud, *in circuitu ejus sunt*, exposuimus de circuitu altaris, juxta illud *Psalm.* XXV, 6 : « Circumdabo altare tuum, Domine. » S. Augustinus docet illos esse in circuitu Dei, qui communem habent Deum ; quod enim commune et publicum est, in medio ponitur, ut omnes ex eo participent. Illi autem non sunt in circuitu Dei, qui, si quid sciunt de Deo, quasi proprium habere volunt. Illud, *affertis munera*, in hebræo et græco legitur in tertia persona, *qui in circuitu ejus sunt, offerunt illi munera* ; sed idem est sensus. Illud, *qui aufert spiritum principum*, exponunt aliqui de spiritu superbiæ, id est, qui humiliat principes. Sed nostra expositio confirmatur ex *Psalm.* CIII : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur ; » et in hoc vere ostenditur terribilis Deus, quod potentissimos reges ad nutum in momento interimere possit.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org